2. 3. 159

2.M.3

Digitized by Google

Ex Legato Dnī. Equitis Antonii Francisci
de Marmis

Digitized by Google

Digitized by Google

TRACTATUS
DE MYSTERIIS
ET ANNIS CHRISTI
Servatoris Noſtri
DISSERTATIONIBUS
Dogmaticis, & Chronologicis,

Necnon Obſervationibus Hiſtoricis, & Criticis,

Juxtà germanam DIVI THOMÆ *mentem illuſtratus,*

Et ad uſum Scholæ accommodatus,

Ad cujus calcem, in rem Chronologiæ ſacræ ſtudioſorum, attexuntur Apparatus, & Canon Chronologicus per ſex Mundi ætates, & præcipuas Periodos, ac nobiliores Epochas à Creatione Mundi uſque ad Aſcenſionem Chriſti Domini digeſtus.

Auctore

R. P. F. IGNATIO HYACINTHO

AMAT DE GRAVESON

ORDINIS FRATRUM PRÆDICATORUM,

Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctore, & Collegii Caſanatenſis Theologo.

ROMÆ, MDCCXI.

Excudebat FRANCISCUS GONZAGA in viâ Latâ.

SUPERIORUM FACULTATE.

Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo

ECCLESIÆ PRINCIPI

DOMINO DOMINO

F. VINCENTIO MARIÆ URSINO

Ordinis Fratrum Prædicatorum,

S. R. E. CARDINALI,

EPISCOPO TUSCULANO,

ET ARCHIEPISCOPO BENEVENTANO.

NON diù mihi deliberandum fuit quem Patronum aſciſcerem, cujus ſub Auſpiciis hoc Opus de Myſteriis & Annis Chriſti à me lucubratum prodiret in lucem; tu quippè, EMINENTISSIME CARDINALIS, illicò velut unus inſtàr omnium, mihi occurriſti, qui in ore famæ, omniumque gentium commendatione verſaris, & quo nemo avitæ diſciplinæ Eccleſiaſticæ tenacior, pietate

Digitized by Google

clarior, auctoritate gravior, atque in Ordinem Fratrum Prædicatorum, cui à teneris annis nomen dediſti, continuâ benignitate propenſior inveniri poteſt.

Ad id quoque audendum me potiſſimùm compulit argumentum iſtius Operis, quod non alteri nuncupari, & conſecrari debebat, quàm Tibi, EMINENTISSIME ECCLESIÆ PRINCEPS, qui in Myſteriorum Chriſti jugi meditatione defixus, nihil antiquiùs habes, quàm ut puriſſimâ, ſibique ſemper conſtanti vitæ ratione mores tuos ad Vitam Chriſti Servatoris noſtri exigere, & ſanctiſſimam ejus Legem adamuſſim ſtudeas obſervare. Enimverò Vita Chriſti humilitatem ſingulariter commendat, à Mundi abhorrere gloria, honores & dignitates fugere docet: Tua hæc, EMINENTISSIME CARDINALIS, virtus, quam ſemper in deliciis habuiſti, & cujus admirandum, nullâque temporis, rerum omnium licèt edacis, injuriâ obliterandum præbuiſti exemplum, dùm repudiatis glorioſis titulis Illuſtriſſimæ Proſapiæ Tuæ ſummorum Virorum, Ducum, Principum, aliorumque tam Armis, quàm Litteris Inclytorum ſemper feracis, impulſu Spiritus Sancti, hæres licèt & primogenitus Ampliſſimæ Familiæ Tuæ Ducatum ab ipſo ineuntis ætatis principio magnanimâ humilitate abdicaſti, & egreſſus ut Abraham de Terra Tua, de Cognatione Tua, & de Domo Patris Tui, fugiſti ut Loth, nec poſt tergum reſpexiſti, arreptumque iter maturaſti, donec in ea demùm terra conquieſceres, in qua ut Jacob ſcalam vidiſti, per quam itur in Cœlum, hoc eſt, Familiam Dominicanam, in quam Matre licèt & Agnatis reluctantibus adſcribi voluiſti, & in qua ità vixiſti, ut juve-

juvenis ſenibus, tyro veteranis, Novitius exercitatis, tanquàm exemplum continentiæ, doctrinæ, modeſtiæ, obedientiæ, omnium denique virtutum ſingulis præfulgeres, tùmque jàm appareret Te talem poſteà futurum, qualem nunc ſuſpicit univerſa, quà latè patet, Eccleſia.

Hæc heroicæ humilitatis virtus tam altas in animo Tuo, EMINENTISSIME CARDINALIS, radices egit, tantusque Tibi inſidet Religioſæ vitæ amor, ut in Sacrum Cardinalium Collegium à CLEMENTE X. Pontifice Maximo adſcitus & aggregatus, nihil non egeris ut huic Dignitati Nuncium remitteres, dùmque omnes Te Purpurâ dignum ob morum innocentiam, ob ſingularem & omnigenam eruditionem, ob innumeras tùm naturæ, tùm gratiæ opes, ob conſtans Religionis, & juſtitiæ ſtudium, ob innatam ad benè de omnibus merendum voluntatem, ſummâ conſenſione conclamarent; Tu ſolus, tam raro, quàm laudabili exemplo ad hoc onus expaveſcebas, delatum honorem pertinaci modeſtiâ refugiebas, dicens cum Chryſoſtomo: *Ab ipſo die, in quo tute mihi Epiſcopatus ſuſpicionem hanc injeciſti, factum eſt ut corpus hoc ab anima propemodùm diſſolveretur; tàm ingens pavor, tàm ingens mæſtitia animum meum occupavit. Quo in animi angore, doloreque dùm eſſem, his me ipſe verbis conveniebam: quiſnam hujus conſilii auctor fuit? Succedebant lacbrymæ, ac mæſtitia, tùm verò poſt lacbrymarum ſatietatem, rursùs ſeſe inſinuabat timor, animum hunc commovens, conturbans, concutiens.* Ceſſiſti tamen lugens, & virtutibus pol- *Lib. 6. de Sacerd.*

pollens ad regimen coactus veniſti, nec tamen mores immutaſti. Factus es Cardinalis, dignitate, titulis, honoribus, cæterùm modeſtiâ, pietate, aliiſque virtutibus idem prorsùs qui anteà Religioſus, eamdem in victu, cultuque parſimoniam retinens, eamdem à feſto Sanctæ Crucis uſque ad Paſcha indictam jejuniorum legem, abſtinentiam à carnibus, interioris veſtitus aſperitatem ad ſummos juris apices obſervans, Tuosque in Palatio, Religionis, & pœnitentiæ ſacrario, ſic inſtituens Familiares, ſic illos frugali menſæ Tuæ adhibitos piâ lectione, Ethices Chriſtianæ, & ſacrorum Canonum ſtudio ad vitam aſceticam, & ab omni luxu remotam informans, ut quemadmodùm Tu, EMINENTISSIME PRINCEPS, à Regularis diſciplinæ exercitiis, quibus Te à principio, dùm adhùc in Monaſterio eſſes, aſſueſceceras, ne latum quidem unguem deſciſcis, ità & illi tuarum exemplis virtutum illecti nullâ re magis, quàm germanâ pietate, & præcipuâ quadam ſanctimoniâ vitæ à vulgaribus diſcernantur.

Charitas, quam Chriſtus Servator noſter Epiſcopis præſertim, ac Paſtoribus in promovenda Animarum ſalute præcipit obſervandam, miniſterii tui, EMINENTISSIME CARDINALIS, & omnium Paſtoralium, quibus perfungeris, laborum Anima eſt ac fundamentum. Hac cœleſti omnium virtutum regina incenſus ad unam Dei gloriam, ad unam Eccleſiæ utilitatem, ad unum Religionis incrementum, ad unam ovium, quas tuæ curæ concredidit Deus, ſalutem indeſeſſo labore incumbis, tuasque omnes cogitationes, omnia conſilia, omnem refers auctoritatem. Teſtes

ſunt

Digitized by Google

ſunt Manfredonenſis Diœceſis, quam primùm rexiſti, & Cæſenatenſis Eccleſia, ad quam, divinâ providente benignitate, & conſpirantibus omnium votis, fuiſti deindè vocatus; quæ etiamnùm ſummis laudibus extollunt profuſam illam charitatem, qua tuum gregem chariſſimum ſæpiùs inviſere, errantes oves in ovile reducere, lapſos in ſpem veniæ erigere, pacem inter diſſidentes componere, collapſam reſarcire diſciplinam Eccleſiæ ſolitus eras, & in ſinus pauperum, quos in pectore geſtabas, eleemoſynas plenâ manu effundere nullo tempore prætermittebas. Geſtiunt adhùc illæ Eccleſiæ impensè laudare zelum illum Paſtoralem, quo nullum eorum, quæ Epiſcopi dignitati, & plurima, & graviſſima incumbunt, munus omiſiſti. Ajunt: Te, ubi labor requirebat, fuiſſe patientiſſimum; ubi cura, diligentiſſimum; ubi prudentia, ſapientiſſimum; ubi conſtantia, intrepidum; ubi Concionibus opus erat, diſertiſſimum; ubi exemplo inſtruendus erat populus, abſolutum Pontificem, & formam gregis Te exhibuiſſe; ubi denique comitate devinciendi erant animi; manſuetiſſimum Te ergà ſingulos præbuiſſe, facilem aditu, comem promiſcuè alloqui volentibus, ad miſericordiam propenſum, natum ad bonis omnibus favendum. Sic in tuas laudes certatim erumpunt illæ Eccleſiæ, quæ talem Paſtorem veterum Antiſtitum exprimentem in ſe effigiem, & omnibus omnia factum, à ſeipſis fuiſſe avulſum ægerrimè ferunt.

Hæc fuerunt, EMINENTISSIME CARDINALIS, in Manfredonenſi, & Cæſenatenſi regendis Eccleſiis charitatis tuæ, & zeli Paſtoralis præludia, quæ Te ad graviores labores, & ad ampliorem Sedem invitum licèt,

licèt, vocabant. Sic nimirum divino conſilio factum eſt, ut non tua utilitas, non vanæ aucupandæ gloriæ aura, ſed commune dumtaxàt Diœceſis Beneventanæ bonum, illiusque Eccleſiæ ad Deum fuſæ ardentiſſimæ preces Te, plaudentibus omnibus bonis, ad auguſtiſſimam illam Metropolitanam Sedem traduxerint, novumque charitati, quâ totus in procuranda Animarum ſalute æſtuas, addiderint incrementum.

Quid hîc retegere juvat intimos beneficentiſſimi animi tui ſenſus, quos non tam in publicis Civitatis Beneventanæ monumentis, quàm in cordibus omnium Civium, velut in tabulis ære perennioribus inſcripſiſti? Dicamne Civitatem Beneventanam inſolitis concuſſam terræ motibus, & tantùm non à ſuis convulſam Sedibus, à Te, EMINENTISSIME CARDINALIS, conſervatam, ornatam, locupletatam, & ope aquæductus, quem tuis ſumptibus longo locorum intervalllo magnificè protraxiſti, ſic fuiſſe inſtauratam, ut hæc Civitas ſalutem ſuam tibi ceù alteri fundatori, & patrono munificentiſſimo jure optimo acceptam referre debeat? Deſcribamne immenſa propemodùm beneficia, quæ ab EMINENTIÆ TUÆ liberalitate accepit Beneventana Eccleſia? Conſtitutum ſcilicèt optimis legibus ſacri Ordinis decus? Compreſſam morum licentiam? Profligata vitia? Virtutes reductas? Amplificatam Religionem, Templorum, quæ ſacris ſupellectilibus donaſti? Fundata Xenodochia? Erecta Seminaria, in quibus Clerici vitam ſuam ad ſacrorum Canonum normam dirigere, hiſtoriæ, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ notitiam haurire, & aureorum Eccleſiæ ſæculorum mores induere ſatagunt?

Digitized by Google

gunt? Sed his, & aliis id genus recenſendis beneficiis, quia jàm in ore omnium ſunt, & publicis populorum laudibus pervulgata, ut modeſtiæ tuæ conſulam, impræſentiarum ſuperſedebo. Hoc unum dumtaxàt ſilentio prætermittere haud poſſum, quod eſt maximum tuæ in omnes charitatis, & zeli Paſtoralis argumentum, videlicèt quod præter graviſſimas curas, quæ tibi ſuppetunt in ampliſſima Beneventana Diœceſi, quam ſingulis annis perluſtras, præter quotidianam illam inſtantiam, & ſollicitudinem Tuſculanæ Eccleſiæ, cujus regimen Cardinalitiæ tuæ dignitati ex antiquo jure annexum eſt, tu tamen, EMINENTISSIME CARDINALIS, tantâ licèt negotiorum mole oppreſſus, utramque eâ vigilantiâ Regis Eccleſiam, ut ſolus ſufficias omnibus. Impendis continuò ſingulis, quà voce, quà ſcriptis, quà exemplo, monita, exhortationes, documenta, & regulas benè, beatèque vivendi. Synodos ſæpiùs celebras ut ea, quæ ſunt injuriâ temporum collapſa, reſtaures, periclitantia munias, labefactata reſtituas, diſciplinam Eccleſiaſticam ſartam tectam cuſtodias, & quod rarum eſt, tibique eximium, tot inter curas, verbum Dei prædicare non deſinis, ſed priſcorum Antiſtitum veſtigiis inſiſtens, frequenter, & per integrum quandòque quadrageſimalis temporis curriculum conciones habes mirificâ Spiritus Sancti unctione, & cœleſti doctrinâ perfuſas, quibus, velut admotis charitatis igniculis, florentiſſimum tuum Clerum, populumque ad pietatem, & pœnitentiam, ad amorem Dei, ad vitam ſecundùm Euangelium inſtituendam incredibili vi, doctrinâ, & eloquentiâ flectis, atque in admirationem rapis. Teſtes

Digitized by Google

ſunt, præter alia plurima, lectiones illæ morales in Exodum, quas publicâ luce donaſti, Paſtorales tuæ Conſtitutiones Apoſtolicis dignæ temporibus, tot ſtatuta, tot mandata, tot acta Synodalia, in quibus omnia, quæ ad cultum, ac nitorem ſacrorum reſtituendum, ad dignam Sacramentorum adminiſtrationem, ad repurgandam doctrinam morum, ad benè informandam Clericorum vitam conducere poſſunt, ex puris Scripturæ ſacræ, venerandæ antiquitatis, & ſacrorum Canonum fontibus decernuntur.

In tanto, tamque immenſo laudum tuarum campo, EMINENTISSIME CARDINALIS, longiùs excurrerem, niſi probè ſcirem id muneris in ſe ſuſcepturam aliquandò Familiam Dominicanam, quam multis tibi arctiùs devinxiſti beneficiis, & quæ tui, tuorumque Majorum LATINI Urſini, & MATTHÆI Urſini, amborum Cardinalium, quos in ſinu ſuo fovit, æternum panget encomium. Interim ipſe eximiæ cujusdam felicitatis, & ſummo ſemper honoris loco ducam, EMINENTISSIME CARDINALIS, quod hanc opportunam nactus ſim occaſionem, meum, ac cæterorum ex eadem Familia Dominicana Sodalium, uno nomine, uno velut ore, unâ mente, uno pectore publicum faciendi, hoc qualicumque venerationis, & obſequii argumento, meritorum in nos tuorum defixum omnium noſtrûm gratis animis ſenſum. Deumque Optimum Maximum ardentiſſimis votis deprecabor, ut, ſicut te, non multis ab hinc annis, ſæviente terræ motu, ſub collabentis Palatii tui ruderibus penè ſepultum, ope imaginis Divi PHILIPPI Nerii, præter omnium expectationem, ſoſpitem & incolumem

lumem ingenti miraculo ſervavit, ità & nunc ad publicam Eccleſiæ utilitatem, ad perenne Familiæ Dominicanæ decus, & ornamentum, Eminentiæ Tuæ vitam prolixam, Clerum canonicâ diſciplinâ florentem, populum probum, ac fidelem concedere velit.

Cæterùm, dùm Tibi, Eminentissime Cardinalis, hoc opus de Myſteriis, & Annis Chriſti, primævum ſtudiorum meorum fœtum, nuncupo, in eam erigor ſpem fore ut, pro tua ſolita humanitate, fronte ſerena illud excipias, eo vel ſolo nomine, quod ex doctrina Sancti Thomæ, quam apprimè calles, & ſummo ſemper in prætio habuiſti, ſit concinnatum. Profectò non ſtudiorum modo, & laborum meorum, ſed vitæ totius meæ, fructum longe uberrimum, jucundiſſimumque ſuſcepiſſe putavero, ſi hæc qualiſcumque lucubratio mea Tuæ contingat probari Eminentiæ, cui hoc impar licèt obſervantiæ meæ monumentum offerre malui, quàm nullum, ut indè facili negotio intelligeres, Eminentissime Cardinalis, me eſſe ſummâ, quâ par eſt, animi veneratione.

Eminentiæ Tuæ

Humill. & Obſequentiſs. Servum

Fr. Ignat. Hyac. Amat de Graveſon
Ord. Prædicat.

NOS FR. ANTONINUS
C L O C H E
SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSOR,

Ac totius Ordinis Fratrum Prædicatorum humilis Magiſter Generalis, & Servus, ſalutem.

TEnore præſentium noſtrique auctoritate Officii licentiam facimus Rev. Adm. Patri Fr. Hyacintho Amat de Graveſon, in ſacra Facultate Pariſienſi Doctori, ac in Collegio Caſanatenſi Conventus S. Mariæ ſuper Minervam de Urbe Theologo, Provinciæ noſtræ Provinciæ Alumno, typis edendi Opus, cui titulus eſt: *Tractatus de Myſteriis, & Annis Chriſti Servatoris noſtri, Diſſertationibus Dogmaticis, & Chronologicis, necnon Obſervationibus Criticis, & Hiſtoricis, juxtà germanam Doctoris Angelici mentem illuſtratus; & ad uſum Scholæ accommodatus.* Dummodò priùs approbatum fuerit à duobus Ordinis noſtri in Theologia Magiſtris, & aliis ſervatis de jure ſervandis. In quorum fidem &c. Dat. Romæ in Conventu noſtro S. Mariæ ſuper Minervam die 2. Martii 1711.

Fr. Antoninus Cloche
Magiſter Ordinis.

Fr. Bernardus d'Arcet Magiſter, & Socius.

Loco ✠ Sigilli.

Regiſtr. fol. 186.

Totam

Digitized by Google

TOtam Chriſti Domini Servatoris noſtri Oeconomiam revocat Doctor Angelicus ad quadripartitam conſiderationem. In prima contemplatur ea, quæ pertinent ad ingreſſum ejus in Mundum. In altera diſſerit de his, quæ ſpectant ad progreſſum vitæ ipſius in hoc Mundo. In tertia diſputat de exitu ipſius ab hoc Mundo. In quarta ſermonem habet de his, quæ pertinent ad exaltationem ipſius poſt hunc Mundum, ſeu poſt hujus Mundi vitam. Ab hoc præclaro Sancti Doctoris ordine, ejusque illibata doctrina ne latum quidem unguem deſciſcit Auctor aurei, & omnibus numeris abſoluti Tractatus de Myſteriis, & Annis Chriſti, *quem ex mandato Reverendiſſimi Patris Fr. Antonini Cloche ſacri Ordinis Prædicatorum Generalis Magiſtri, non vulgari trutina, ſed ad aurificis ſtateram expendi, ſummaque animi voluptate perlegi, necdùm publici juris factum, nihilque inter legendum nactus ſum, quod Fidei adverſetur, & à bonis moribus abhorreat; immò potiùs omnia offendi ad normam Fidei Catholicæ, & probitatis morum exacta, eaque vel ſolo nomine ab omni ſuſpicione, & erroris nævo aliena, quod è ſacris Paginis, SS. Patribus, Conciliis, potiſſimùm Angelico Præceptore omni ex parte ſint fermè derivata. Demiratus ſum claritatem cum ſubtilitate conjunctam, & cum utraque ſolidum rationum pondus, atque hiſtoriæ tùm exoticæ, tùm ſacræ haud levem notitiam, inſimul ſtylum purum, terſum, facilem, ad Sholæ tamen formam accomodatum. Suſpexi ardens, quo flagrat Auctor, deſiderium ſartam tectam conſervandi doctrinam Catholicam, aniles Rabinorum fabulas, & deliramenta, ubi ſe dat occaſio nervosè confutando tùm veterùm, tùm recentium Heterodoxorum errores pro re nata ſtrenuè refellendo, denique obſcurorum Theologorum opinatiunculas pro ratione argumenti perbellè configendo. Huic quidem teſtimonio, quod ſolius veritatis conſcientia ductus perhibeo, non ut amicum palpem, non refragabitur, opinor, quisquis hoc eximium Opus ſedulò evolverit. Quocirca in rem Eccleſiæ eſſe cenſeo, ut hic Liber in uberiorem Studioſorum Chriſtianæ Religionis inſtructionem edatur. Datum Romæ kalendis Januarii anni æræ Chriſtianæ 1711.*

Fr. Antonius Bardon ſacræ Facultatis Pariſienſis Doctor Theologus, necnon Cathedraticus Caſanatenſis, Ordinis Fratrum Prædicatorum.

Digitized by Google

JUbente Reverendiſſimo totius Ordinis noſtri Generali Magiſtro Fr. Antonino Cloche Tractatum de Myſteriis, & Annis Chriſti Servatoris noſtri Diſſertationibus Dogmaticis, & Chronologicis, necnon Obſervationibus Criticis, & Hiſtoricis, juxtà germanam Doctoris Angelici mentem illuſtratum, & ad uſum Scholæ accommodatum, &c. Auctore Fr. Ignatio, Hyacintho Amat de Graveſon, Facultatis Pariſienſis Doctore, ac Theologo Collegii Caſanatenſi, Ordinis Prædicatorum, *legi, ac ſepoſito prorsùs eo affectu, quo Auctorem mihi jàmpridem, & etiamnùm multis titulis amicitiæ vinculo conjunctum proſequor, ad ſanctuarii pondus, quam continet doctrinam Libravi. Obſtupui & opus miratus ſum quod totum doctrina eſt, eòque irreprehenſibilis, quod verè Thomiſtica, atque tota ex puriſſimis Scripturæ ſacræ, Sanctorum Patrum, probatorumque Scriptorum fontibus hauſta. Auctorem ſuſpexi in Criticis moderatum, & prudentem, neminem deſpicientem, neminem ex libidine; ſed ex ſolo veritatis amore carpentem, in Chronologicis ſobrium, ſtultas quæſtiones, necnon vanas, ac inutiles Genealogias devitantem, atque eas tantùm inquirentem quæ ad Scripturæ, Myſteriorumque Chriſti intelligentiam neceſſariæ ſunt & utiles, in Hiſtoricis accuratum, non fabulas pro veritatibus venditantem, ſed probata ſolum antiquitatis monumenta proferentem. Uno verbo Opus probavi, ac luce dignum exiſtimavi, quippè nihil in eo deprehendi, quod vel doctrinæ Fidei, vel bonis moribus ſit contrarium, quin etiam Auctoris inſtitutum laude dignum reputo, quod eam ſibi materiam tractandam aſſumpſerit, cujus conſideratione ſicut mens non illuminari, ità cordis noſtri affectus ergà eum moveri non poſſit, qui pro nobis & tanta feciſſe, & tanta pertuliſſe dignoſcitur. Datum Romæ in Conventu Sanctæ Mariæ ſuper Minervam die 14. Januarii anno 1711.*

Fr. Henricus Thiriar, ſacræ Theologiæ Doctor, ac Collegii Caſanatenſis Theologus, Ordinis Prædicatorum.

IM-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

Dominicus de Zaulis Archiepiſcopus Theodoſiæ, Vicesgerens.

A*Poſtolicos Viros nihil antiquiùs habuiſſe, quam conſtanti, germanaque veritatis Euangelicæ dilucidatione gentium cæcitatem, Judæorum perfidiam, ac Hæreticorum aſſultus retundere, teſtatur Divus Hilarius. Horum veſtigia premens, & eodem, quo illi, percitus zelo Rever. Admod. P. Ignatius Hyacinthus Amat de Graveſon Ordinis Inclyti Prædicatorum, Facultatis Pariſienſis Doctor, necnon Caſanatenſis Theologus cunctos proſtravit, dùm cunctos aggreſſus eſt* in Tractatu de Myſteriis, & Annis Chriſti Domini Servatoris noſtri &c. *quem ſubciſivis horis elucubravit, dùm textum Angelici Doctoris anno proximè elapſo in Schola Caſanatenſi exponeret: auſpicata ſanè occaſio, quæ ſapienti præbuit anſam, non ut ipſe ſapientior, ſed ut alii per ipſum ſapientiores fierent. Utinam pro totius Reipublicæ litterariæ proventu ſæpè ſæpiùs ipſi ſimiles offerantur. Tractatum hunc variis iiſque ſelectis Diſſertationibus illuſtratum ex commiſſione Reverendiſſ. Patris Magiſtri ſacri Palatii Apoſtolici non tam vidi, quàm demiratus ſum, potiùs admirator, quàm cenſor; etenim compendium eſt totius antiquitatis creditæ, non inventæ, acceptæ non excogitatæ, publicæ traditionis, non uſurpationis privatæ. Dolebant & ipſi eruditi viri cum illo, quod tertia pars Angelicæ ſummæ præſertim à quæſtione 27. uſque ad quæſtionem ſexageſimam, ubi ſermo habetur, de Incarnationis Verbi Divini Miſteriis, quæ caput ſunt, ac baſis Religionis Chriſtianæ, tam levi calamo hactenùs pertractata fuiſſet. ſubſidium, quod irrequietè multis ab hinc annis expectabatur, cumulatiſſimè ſuppeditat Auctor* Tractatus de Myſteriis, & Annis Chriſti &c. *Alter Angelicæ Doctrinæ fidus interpres: materias ſiquidem omnes ſic artificiosè coaptat Diſcipulus, ut ubique ſplendeat egregius Ordo conſtitutus à Magiſtro: innumeras Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ambages, ità exagitat, ut aſperiora in vias planas commutet. Sic veterrima quæque ventilat, ut noviter tractata videantur, & ad umbilicum perducta. Sic nitidè diſcurrit, ut quæ erant aut diſſita, aut nodis implicata, uno deinceps contuitu ab ipſis etiam tyronibus conjungi poſſint, & extricari. Sic rectè ſentit, ut non alia, quam Angelica paſſim inſtilletur doctrina: cum igitur* Tractatus de Myſteriis, & Annis Chriſti Domini Servatoris noſtri

ſtri &c. *nihil contineat Acatholicum; nihil quod probis moribus diſſonum ſit: immò purus, atque perennis doctrinæ ſit fons, & ad venerandæ declarationem antiquitatis indeflexe tendat. Deopto, ut quam primum publici juris fiat, diuturna nocturnaque manu volvatur, ac revolvatur. In eo Gentiles, necnon & Judæi,* qui magnum pietatis Sacramentum &c. *omninò non credunt, diſcent, unde convincantur, Heterodoxi, qui non ſicut eſt credunt, legent, unde convincantur; Catholici, qui non operantur, ſicuti credunt, comperient, unde confundantur, juxta & inflammentur. Omnes reconditiorem ſapientiæ aquam nullo negotio haurire poterunt. In quorum fidem &c. Dat. Romæ in Conventu Sanctiſs. Trinitatis de Urbe in Monte Pincio hac die 17. Februarii anni* 1711.

Fr. P. Bertrandus Monſinat Ordinis Minimorum ordinarius ſacræ Theologiæ profeſſor.

Ad Coloſs. cap. 2. v. 3. C*Æleſtis doctrinæ deſiderabiles theſauros, in Chriſto abditos aperuit, & reſeravit Admod. Rever. Pater Magiſter Fr. Ignatius Hyacinthus Amat de Graveſon Ordinis Prædicatorum, Doctor Sorbonicus, & Theologus Collegii Caſanatenſis, in Libro, cui titulus:* Tractatus de Myſteriis, & Annis Chriſti Servatoris noſtri, &c. *totam Incarnationis*

Ad Roman. cap. 16. v. 25. *Oeconomiam, diſſolutis ambagibus* Myſterii, temporibus æternis taciti, *dilucidè explicans; difficultatum quoque profundum præeunte Fidei lumine, perſcrutatus. Nodos enim illos, qui Scholaſticorum, Chronologorum, & Dogmaticorum fatigant ingenia, mira felicitate expedivit, & diſſecuit. Primum Collegii Caſanatenſis ad typos iter, optimo jure à Chriſto cæptum,*

Proverb. cap. 8. v. 22. *qui eſt* initium viarum Domini; *hujuſque ædificii altitudo, votis piiſſimi Inſtitutoris, reſponſura; dùm ſuperædificatur, & attollitur,* in

Ad Epheſ. cap. 2. v. 20. ipſo angulari lapide Chriſto Jeſu. *Huic firmiſſimo fundamento conſo-*

Ad Cor. 1. cap. 3. v. 11. *nant, & apprimè congruunt, quæ Auctor toto in Opere ſapienter, & eruditè diſponit: ità cenſet, & judicat; poſtquàm præcipiente Reverendiſſimo Patre Magiſtro Paulino Bernardinio, ſacri Apoſtolici Palatii Magiſtro, Librum hunc jucundiſſimè perlegit: Romæ in Conventu S. Mariæ in Via* 25. *Martii* 1711.

Fr. Antonius Mariæ Caſtelli Ordinis Servorum B. Mariæ Virginis, ſacræ Theologiæ Magiſter, & ſanctæ Inquiſitionis Qualificator.

IMPRIMATUR,

Fr. Paulinus Bernardinius Ordinis Prædicatorum Sacri Apoſtolici Palatii Magiſter.

INDEX

Digitized by Google

INDEX DISSERTATIONUM,

Quæ in hoc Opere continentur.

PROLUDIUM pag. 1
DISSERT. I. De Matrimonio Mariæ cum Joſepho, perpetuâ cum virginitate fœderato 2
§. 1. Utrum Maria inierit matrimonium cum Joſepho ante Legationem Gabrielis? *ibid.*
Concluſ. unica. Verum, & ratum interceſſit matrimonium Mariam inter, & Joſephum ante Legationem Gabrielis, ſeu ante Conceptionem Verbi Divini 6
Diluuntur contrariæ ſententiæ argumenta 10
§. 2. An Matrimonium Mariæ cum Joſepho fuerit aliquando conſummatum? Seu utrum Maria perpetuò permanſerit Virgo? 19
Concluſ. 1. Matrimonium Mariæ cum Joſepho non fuit conſummatum, ac ſubinde Chriſtus Dominus ex carnali Joſephi cum Maria conſortio non fuit procreatus 19
Concluſ. 2. Maria tam in partu, quàm poſt partum Virgo permanſit 23
Diluuntur Hæreticorum, & Judæorum objectiones 25
DISSERT. II. De Circumſtantiis, & Prodigiis Conceptionis Chriſti Domini, quibus probatur eam fuiſſe planè miraculoſam, & ſupernaturalem 31
Concluſ. unica. Conceptio Chriſti eſt planè miraculoſa, & ſupernaturalis 33
Diluuntur objectiones 42
DISSERT. III. De Stemmate, & de Origine Chriſti Domini, ſeu utrum Chriſtus ex ſtirpe Abrahæ, & Davidis Regis, ac ſubinde ex Tribu Judâ, ex qua proditurus erat Meſſias, ſuum genus duxerit? 51
Concl. unica. Chriſtus Dominus verè ortus eſt ex ſtirpe Abrahæ, & Davidis Regis, ac ſubindè ex Tribu Juda, ex qua proditurus erat Meſſias ſuum genus duxit 52
Diluuntur objectiones 54
DISSERT. IV. In qua conciliatur antilogia, ſeu apparens contradictio, quæ videtur eſſe Matthæum inter, & Lucam in eâ, quam deſcribunt Genealogia Chriſti 67

c Con-

Digitized by Google

Concl. unica. Ad conciliandum utrumque Euangeliſtam, Matthæum videlicet, & Lucam in origine Joſephi, nulla ratio efficacior, expeditiorque eſt eâ, quam tradit Julius Africanus antiquiſſimus Auctor in epiſtolâ ad Ariſtidem apud Euſebium lib. 1. Hiſtor. Eccleſ. cap. 7. 68
Diluuntur objectiones 74
DISSERT. V. In qua evincitur, in putatione annorum, qui à Mundi primordio ad Natale uſque Chriſti Domini interfluxerunt ſtandum eſſe Sacri Textus Hebræi, & editionis noſtræ vulgatæ Chronologiæ, non autem calculo verſionis LXX. Interpretum 89
Concl. un. In putatione annorum, qui interfluxerunt à creatione Mundi uſque ad Natale Chriſti Dñi, præferenda eſt Sac. Textus Hebraici Chronologia calculo LXX. Interpretum; ac ſubindè Chriſtus Servator noſter natus eſt expleto quarto Mundi millenario, juxtà ſacri textus Hebræi calculum, non verò in ſexto mundi millenario, ſicut habent mendoſi, & interpolati Codices Græci 90
Diluuntur oppoſitæ ſententiæ argumenta 95
DISSERT. VI. De anno Natalis proprii Chriſti, ſeu quoto Imperii Auguſti anno natus ſit Chriſtus Dominus? 113
Concl. unica. Verum & proprium Natale Chriſti conſignari debet anno quadrageſimo Imperii Auguſti, anno quadrageſimo primo Juliano, anno quarto Olympiadis centeſimæ nonageſimæ tertiæ, à pugnâ Actiacâ anno vigeſimo ſeptimo, Regni Herodis trigeſimo ſexto, à morte Antigoni trigeſimo tertio, Urbis Romæ conditæ ſeptingenteſimo quadrageſimo nono, Periodi Julianæ quater milleſimo ſeptingenteſimo nono, quadriennio integro ante æram vulgarem, Conſulibus Auguſto Cæſare XII. & L. Cornelio Syllâ 117
Diluuntur objectiones 122
DISSERT. VII. De Vaticinio Jacob, Geneſis cap. 49. *Non auferetur ſceptrum de Juda, &c.* & de Circumſtantiis Nativitatis Chriſti Domini 137
§. 1. Utrum hoc Jacobi vaticinium: *Non auferetur ſceptrum de Juda, &c.* fuerit impletum in Nativitate Chriſti? *ibid.*
Concluſ. unica. Vaticinium Jacobi morientis: *Non auferetur ſceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium, &c.* fuit impletum in Nativitate Chriſti Domini *ibid.*
Diluuntur Judæorum objectiones 141
§. 2. In quo ex circumſtantiis Nativitatis Chriſti probatur ipſum eſſe verum Meſſiam Prophetarum oraculis prædictum 154
Concl. unica. Ex circumſtantiis Nativitatis Chriſti Domini invictè ad-

adverſus Judæos probari poteſt Chriſtum eſſe verum Meſſiam Prophetarum oraculis prædictum 156
Diluuntur objectiones tam Criticorum, quàm Judæorum 163
DISSERT. VIII. De Manifeſtatione, ſeu ſignis Nativitatis Chriſti, de Magis, qui ad ipſius cunas acceſſerunt, de ſtrage Infantium ab Herode editâ 168
*Concl.*1. Magi nec ex Chaldæâ, nec ex Perſide venerunt, ac ſubinde nec Chaldææ, nec Perſidi ſuos natales debent 173
*Concl.*2. Probabiliùs eſt Magos veniſſe ex Arabiâ Felice 177
*Concl.*3. Herodes biennium poſt Natale Chriſti non expectavit ad Infantes trucidandos 179
*Concl.*4. Herodes in eâ, quam edidit, ſtrage infantium, non occidit filium ſuum bimum 181
*Concl.*5. Perantiqua eſt, ſemperque in Eccleſia fuit celeberrima Epiphaniæ feſtivitas, quæ peragitur die ſextâ Januarii 185
DISSERT. IX. De Circumciſione, & aliis Legalibus circa puerum Jeſum obſervatis 186
Concluſ.unica. Conveniens fuit Chriſtum circumcidi, & offerri in Templo 187
Diluuntur objectiones 190
*Quæſt.*1. Utrum etiamnum extet præputium, quod in Circumciſione à Sanctiſſimo Chriſti Corpore fuit præciſum? 196
*Quæſt.*2. Num antiqua ſit in Eccleſiâ feſtivitas Circumciſionis Chriſti Domini, quæ Kalendis menſis Januarii celebratur? 197
*Quæſt.*3. An Simeon Sanctus ille ſenex, qui puerum oblatum in Templo ſuis in ulnis excepit, fuerit Sacerdotio inſignitus, & luminibus orbatus? 198
*Quæſt.*4. A quo tempore cœperit in Eccleſiâ celebrari Purificationis B.M.V. feſtivitas, & quibus de cauſis fuerit instituta? *ibid.*
DISSERT. X. Quoto anno ætatis ſuæ Chriſtus Dominus fuerit baptizatus? 201
Concl.unica. Chriſtus fuit baptizatus anno ætatis ſuæ ineunte trigeſimo, anno decimo ſexto Imperii Proconſularis Tiberii, anno vigeſimo ſexto æræ vulgaris, anno Juliano ſeptuageſimo primo, anno Urbis Romæ conditæ ſeptingenteſimo ſeptuageſimo nono, anno ſecundo Olympiadis ducenteſimæ primæ, anno Periodi Julianæ quater milleſimo ſeptingenteſimo trigeſimo nono, Conſulibus Cn. Lentulo Getulico, & C.Calviſio Sabino 204
Diluuntur objectiones 206
*Quæſt.*1. Quantum temporis effluxerit à Joannis Baptiſtæ miniſterio, uſque ad Baptiſmum Chriſti? 215
*Qu.*2. An re verâ Chriſtus fuerit baptizatus die ſexta Januarii? 217

Digitized by Google

DISSERT. XI. De circumſtantiis Baptiſmi Chriſti, & de illius vitâ ante Baptiſmum 218
*Concl.*1. Conveniens fuit, ut Chriſto baptizato, & orante aperirentur cœli 220
*Concl.*2. Conveniens fuit, ut Spiritus Sanctus in Chriſtum baptizatum illaberetur in ſpecie columbæ 221
*Concl.*3. Convenienter, Chriſto Domino baptizato, audita eſt vox Patris dicentis: *Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi* 227
*Quæſt.*1. Utrum Anna, & Caiphas ſimul Pontificatum geſſerint anno, quo Joannes ſuum cœpit obire miniſterium? 231
*Quæſt.*2. Utrum Baptiſmus Joannis conferret gratiam ſanctificantem? 233
*Quæſt.*3. Cur parvuli recens nati in Eccleſia baptizentur, cum tamen Chriſtus Dominus anno dumtaxat ineunte ætatis trigeſimo fuerit baptizatus? 234
Quæſt. 4. Utrum omnes Apoſtoli baptizati fuerint Baptiſmo Chriſti? 235
DISSERT. XII. De tentatione Chriſti in deſerto, & de illius vitâ poſt Baptiſmum 236
*Concl.*1. Chriſtus convenienter fuit à diabolo tentatus in deſerto poſt jejunium quadraginta dierum, & totidem noctium *ibid.*
*Concl.*2. Chriſtus trinâ tentatione convenienti ordine fuit à diabolo tentatus 239
*Concl.*3. Chriſtus poſt ſuſceptum Baptiſma converſatus eſt cum hominibus vitam non auſteram, ſed communem, pauperem tamen ducendo, & omnia veteris Legis præcepta adamuſſim obſervando 243
DISSERT. XIII. De Doctrina Chriſti Domini 251
*Concl.*1. Doctrina Chriſti excellentior eſt quacumque aliâ doctrinâ *ibid.*
*Concl.*2. Conveniens fuit, ut Chriſtus per ſe ipſum doceret Judæos, & apud illos prædicaret, non obſtante offenſione Scribarum, & Phariſæorum 255
*Concl.*3. Chriſtus non debuit doctrinam ſuam ſcripto tradere, ſeu litteris conſignare 259
*Concl.*4. Epiſtola Abgari Regis Edeſſenorum ad Chriſtum, & Epiſtola Chriſti ad eumdem Abgarum, ſunt epiſtolæ ſuppoſititiæ, & apocryphæ 263
DISSERT. XIV. De Miraculis à Chriſto Domino editis 270
§.1. De Miraculis Chriſti in genere *ibid.*
*Concl.*1. Nullâ ratione negari poteſt Chriſtum Dominum vera edidiſſe miracula *ibid.*

Concl.2. Chriſtus Divinâ virtute miracula edidit 274
Concl.3. Chriſtus per miracula, quæ edidit, ſufficienter ſuam Divinitatem comprobavit 277
Diluuntur objectiones 278
Quæſt.unica. Utrum in Eccleſia Catholicâ ad hanc uſque ætatem conſervatum fuerit donum miraculorum ? 283
§.2. De Transfiguratione Chriſti, & de variis ſpeciebus miraculorum, quæ ab ipſo edita ſunt 284
DISSERT. XV. De anno, die, horâ, & loco Paſſionis, ſeu mortis Chriſti Domini 293
§.1. De initio, & fine LXX. Danielis Hebdomadum 293
Concl.1. Exordium LXX. Danielis Hebdomadum affigendum eſt anno ſeptimo Artaxerxis Longimani Perſarum Regis 294
Diluuntur objectiones 299
§.2. Quoto anno ætatis ſuæ Chriſtus mortuus ſit ? & de die, hora, & loco mortis ejus 303
Concl. unica. Chriſtus mortuus eſt anno ætatis ſuæ trigeſimo tertio ineunte, anno decimo nono Imperii Proconſularis Tiberii, anno ſeptuageſimo quarto Juliano, anno primo Olympiadis ducenteſimæ ſecundæ, hebdomadum quadringenteſimo octogeſimo ſexto, Periodi Julianæ quater milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo ſecundo, Æræ vulgaris vigeſimo nono, Conſulibus Cajo Rubellio Gemino, & C. Fufio Gemino 305
Diluuntur objectiones 309
Quæſt.1. Qua hora crucifixus ſit Chriſtus Dominus, & quo pacto conciliari poſſint Euangeliſtæ Marcus, & Joannes, quorum primus cap.15. ait: Chriſtum crucifixum fuiſſe horâ tertiâ, alter verò cap.19. horâ quaſi ſextâ ? 315
Quæſt.2. Cur Chriſtus non ſit mortuus in Nazareth, ubi fuit conceptus ? neque in Bethleem, ubi natus ? neque in Hebron, ubi mortuus, & ſepultus eſt Adam, cujus peccatum motivum fuit Incarnationis, & mortis Chriſti ? neque intra muros Hieruſalem, ubi ſacrificia veteris Legis, ſacrificium Crucis adumbrantia offerebantur ? ſed in Calvariæ loco extra mœnia Hieruſalem crucifigi, & mori voluerit ? 317
DISSERT. XVI. De morte Chriſti, ſeu utrum Chriſtus Dominus mortuus ſit pro omnibus omninò hominibus ? 319
Concl.unica. Dogma fidei eſt Chriſtum pro omnibus, & ſingulis hominibus mortuum eſſe, ac ſanguinem ſuum fudiſſe 324
Diluuntur objectiones 332
DISSERT. XVII. Utrum fides in Chriſtum Mediatorem fuerit omni tempore neceſſaria, & an ſola fides in Chriſtum Mediatorem
vim

Digitized by Google

vim habeat juſtificandi, ſeu nobis applicandi merita Chriſti, ut efficaciter proſint ad ſalutem? 353

Concl. 1. Fides in Chriſtum Mediatorem fuit omni tempore ad ſalutem neceſſaria; ac ſubinde Ethnici, ſeu Philoſophi, qui hac fide caruerunt, licet juxtà rectæ rationis præcepta vixerint, æternam ſalutem non adepti fuere 354

Concl. 2. Fides in Chriſtum Mediatorem eſt diſpoſitio neceſſaria ad juſtificationem, in eam tamen ſolam refundi non debet tota vis juſtificationis 358

Concl. 3. Fides, quæ diſpoſitio eſt neceſſaria ad juſtificationem, non eſt fiducia de ſingulari Dei miſericordiâ, qua ſibi quisque promiſſiones Divinas de remiſſione peccatorum applicat, ſed eſt aſſenſus præſtitus his omnibus, quæ ſunt à Deo revelata 362

Diluuntur Hæreticorum objectiones de juſtificatione per ſolam fidem, & de juſtitiæ inamiſſibilitate 367

Diluuntur Hæreticorum objectiones, de fide ſpecialis miſericordiæ, ſeu de fiducia, quâ quis credit, & certò confidit ſibi per Chriſtum eſſe remiſſa peccata 374

DISSERT. XVIII. Utrum Paſſio Chriſti ſit cauſa ſalutis noſtræ per modum propriè dictæ Redemptionis, Satisfactionis, & Sacrificii? 382

Concl. 1. Chriſtus per mortem, & paſſionem ſuam verè, & propriè homines redemit, cumulatiſſimam Deo Patri pro eorum peccatis exhibendo ſatisfactionem 383

Concl. 2. Mors Chriſti fuit verum, ac propriè dictum ſacrificium 389

Diluuntur objectiones, quas contra ſatisfactionem Chriſti proponunt Sociniani 392

DISSERT. XIX. Utrum Chriſtus, anno, quo mortuus eſt, Paſcha cum Judæis celebrarit, ſeu comederit Agnum Paſchalem? 405

Concl. 1. Chriſtus anno, quo mortuus eſt, Paſcha celebravit, hoc eſt, comedit Agnum Paſchalem die decimâ quartâ menſis Niſan in ſecundis veſperis 407

Concl. 2. Judæi, anno, quo Chriſtus mortuus eſt, Paſcha peregêre, ſeu Agnum Paſchalem comedêre die decimâ quartâ primi menſis in ſecundis veſperis 413

Diluuntur objectiones 419

DISSERT. XX. De doloribus, quos Chriſtus moriendo pertulit, & de circumſtantiis Paſſionis ejus, præſertim de Cruce, cui fuit ſuffixus 431

§. 1. In quo oſtenditur Chriſtum in Paſſione ſuâ, tam in corpore, quàm in animâ acutiſſimos perſenſiſſe dolores, & præcipuæ ipſius Paſ-

Digitized by Google

Paſſionis circumſtantiæ referuntur, & explanantur 431
Concl. unica. Chriſtus tam in animâ, quàm in corpore verè paſſus eſt dolores, eoſque acutiſſimos 432
Diluuntur objectiones 435
§.2. Utrum fuerit conveniens Chriſtum mori in Cruce? & quinam ſalvificæ Cruci cultus impendi debeat? 445
*Concl.*1. Convenientiſſimum fuit, ut Chriſtus Dominus moreretur in Cruce 446
*Concl.*2. Salvifica Crux adoranda eſt cultu latriæ reſpectivæ 448
Diluuntur objectiones 449
*Quæſt.*1. Quænam cauſa ſit, cur in die Paraſceves, & in Sabbato ſubſequente Sacrificium ſolemne in Eccleſia prætermittatur? 455
*Quæſt.*2. Utrum præter tabulam ſuppedaneam, cui affixi erant pedes Chriſti fuerit in medio Crucis aliud lignum inſtar ſcabelluli, cui pendulum corpus acclinaretur, & quaſi inniteretur à tergo? *ibid.*
*Quæſt.*3. Cur Chriſtus crucifigi voluerit inter duos latrones, quorum unus, qui erat à dextris, reſipuit, & ad fidem converſus eſt, alter verò obduratus in impietate ſua mortuus eſt? *ibid.*
*Quæſt.*4. Utrum hi, qui Chriſtum crucifixerunt, vel in ejus mortem conſpirarunt, ipſum cognoverint? & quam de peccato ſuo excuſationem habuerint? 457
Quæſt. 5. Utrum Maria Virgo, Chriſto inter probra Crucis extremum ducente ſpiritum, animi, viriumque paſſa fuerit deliquium? 460
DISSERT. XXI. De Sepulturâ Chriſti,ejusq; deſcenſu ad inferos 462
§.1. Quomodo ſepultus ſit Chriſtus Dominus, & an Divinitas ab ejus Animâ, Corpore & Sanguine in triduo mortis, ac ſepulturæ fuerit ſeparata? 462
*Concluſ.*1. Chriſtus juxtà Judæorum ritus, qui cæteris aliis longè convenientior eſt, fuit ſepultus 463
*Concl.*2. Divinitas nec ab animâ, nec à corpore, nec à Sanctiſſimo Chriſti Sanguine fuit in triduo mortis ſeparata 465
Diluuntur objectiones 468
*Quæſt.*1. Quamdiù Chriſtus remanſerit in ſepultura? 471
*Quæſt.*2. Utrum Corpus Chriſti in Sepulchro fuerit corruptum, & in cineres ſolutum? 472
*Quæſt.*3. Utrum extet etiamnùm Sepulcrum Chriſti? 473
§.2. De deſcenſu Chriſti ad inferos, & de illorum, quos hinc eripuit, liberatione 475
*Concl.*1. Dogma fidei eſt Chriſtum poſt mortem ſuam ad inferos deſcendiſſe 476
*Concl.*2.

Concl. 2. Chriſtus ad inferos veniens, iis tantùm impertivit ſalutem, qui fidei, ac juſtitiæ meritò dignos, dum viverent, ſe tanto beneficio præbuerunt 479
Diluuntur objectiones 481
DISSERT. XXII. De Reſurrectione, Aſcenſione, & Seſſione Chriſti Domini ad dexteram Dei Patris 490
§. 1. De veritate Reſurrectionis, & de integritate corporis Chriſti reſurgentis *ibid.*
Concl. 1. Multis, hiſque certiſſimis argumentis probari poteſt adverſus Judæos Chriſtum Dominum verè à mortuis ſurrexiſſe 491
Concl. 2. Chriſtus poſt Reſurrectionem verum habuit corpus, & integrum, ideſt, compactum ex carne, oſſibus, ſanguine, aliiſque id genus membris, quæ ad naturam humani corporis pertinent 495
Concl. 3. Corpus Chriſti poſt Reſurrectionem fuit glorioſum; in eo tamen remanſere cicatrices, ſeu vulnera, quibus confixum eſt tempore Paſſionis 496
Diluuntur objectiones 497
§. 2. Utrum Reſurrectio Chriſti ſit cauſa efficiens futuræ Reſurrectionis hominum tam bonorum, quàm malorum? 504
Concl. 1. Nemo, citrà apertam hæreſim, negare, aut in dubium revocare poteſt futuram omnium hominum, tam bonorum, quàm malorum Reſurrectionem *ibid.*
Concl. 2. Reſurrectio Chriſti eſt cauſa efficiens futuræ Reſurrectionis omnium hominum tam bonorum, quàm malorum 506
Diluuntur objectiones 507
§. 3. Utrum conveniens fuerit, & ſaluti noſtræ neceſſarium, ut Chriſtus in Cœlum aſcenderet, & utrum ſedens ad dexteram Dei Patris officio Sacerdotis etiamnùm fungatur, oretque pro nobis? 512
Concl. 1. Conveniens fuit Chriſto Domino, ut poſt Reſurrectionem in Cœlum aſcenderet 513
Concl. 2. Saluti noſtræ neceſſarium fuit, ut Chriſtus aſcenderet in Cœlum 514
Concl. 3. Chriſtus, ſedens ad dexteram Patris, etiamnum fungitur Sacerdotis officio, & orat pro nobis 516
Diluuntur objectiones 517
DISSERT. XXIII. & *ultima*. De poteſtate judiciariâ, qua pollet Chriſtus Dominus 522
§. 1. Utrum Chriſtus judicet animas ſtatim ac ſuis ſunt exutæ corporibus, eaſque, ſi nihil illis labis ſuperſit flammis piacularibus eluen-

Digitized by Google

eluendum, abſque ullâ procraſtinatione æternæ gloriæ faciat conſortes, vel pœnis æternis addicat, ſi peccato lethali ſint contaminatæ? 522
Concl. unica. Præmia, & ſupplicia non differuntur uſque ad judicium generale, ſed ea decernuntur in privato judicio, quod exercet Chriſtus Dominus ſtatim ac animæ ſuis ſunt exutæ corporibus, ita ut animæ, quæ ab omni maculâ, pœnæque reatu puræ ſunt, nullâ interpoſitâ morâ beatitudine æternâ potiantur; animæ verò illorum, qui in peccato mortali è vivis exceſſerunt, ad inferos detrudantur, æternùm cruciandæ pœnis 524
Diluuntur objectiones 527
§.2. Utrum præter judicium privatum, quod fit ſtatim poſt mortem, admitti debeat Judicium univerſale? & utrum Sancti poſt carnis reſurrectionem mille annis cum Chriſto regnaturi ſint in terris ante Judicium generale? 536
*Concl.*1. Præter judicium privatum, quod ſtatim poſt mortem exercet Chriſtus Dominus, admittendum eſt Judicium univerſale, in quo omnes omninò homines, ſive boni, ſive mali, fideles, & infideles Chriſti ſupremi Judicis irrevocabilem ſententiam ſubire debent 537
*Concl.*2. Parvuli ex hac vitâ abſque Baptiſmo migrantes ad ſiniſtram in Judicio generali ſunt collocandi, & perpetuæ damnationi, citrà tamen pœnam ſenſus, ſententia Judicis addicendi 539
*Concl.*3. Sancti poſt corporum reſurrectionem non ſunt regnaturi cum Chriſto mille annis in terris ante Judicium generale, ac ſubinde fictitium eſt millenarium illud Chriſti in terris regnum, quod Hereſiarcha Cerinthus commentus eſt 543
*Quæſt.*1. Quænam ſint ſigna, ſeu indicia extremi Judicii? 548
*Quæſt.*2. Quo in loco Judicium univerſale exerceri debeat, & an mentalitèr tantùm, vel vocalitèr ſit peragendum? 549
EPILOGUS hujus Tractatus 552

APPARATUS Chronologicus ad faciliorem comparandam notitiam rerum, quæ dictæ ſunt in Diſſertationibus Chronologicis de annis Nativitatis, Baptiſmi, & Mortis Chriſti Domini 555
§.1. De Cyclis Solis, Lunæ, & Indictionis *ibid.*
De Cyclo Decennovennali Lunæ, ſeu de Aureo Numero 559
De Indictione 562
§.2. De Periodis tam Græcis, quàm Latinis, quæ ex Cyclis ſunt conflatæ 565
De Periodis Latinis, Victoriana, & Juliana 568
§.*ult.*De nobiliorib.Æris,& Epochis tam Græcis,quàm Latinis 571

De Epochis, & Æris Græcis *ibid.*
De Æris, & Epochis Latinis 575
Reges qui Romæ 244. annos ſolidos regnarunt 576
CANON Chronologicus à conditu Mundi uſque ad Aſcenſionem Chriſti Domini per ſex Mundi ætates digeſtus 580
Prima Mundi ætas annorum 1656. ab Adamo uſque ad diluvium 581
Notæ ad primam Mundi ætatem 582
Secunda Mundi ætas annorum 426. à diluvio uſque ad vocationem Abrahami 584
Notæ ad ſecundam Mundi ætatem 585
Tertia Mundi ætas annorum 430. à vocatione Abrahami uſque ad Exodum, ideſt, uſque ad excellum Iſraelitarum ex Ægypto 586
Notæ ad tertiam Mundi ætatem 587
Quarta Mundi ætas annorum 606. ab exitu Iſraelitarum ex Ægypto uſque ad Templum à Salomone conditum 588
Notæ ad quartam mundi ætatem 591
Quinta Mundi ætas annorum 488. à fundatione Templi uſque ad finem captivitatis Babylonicæ 592
Notæ ad quintam Mundi ætatem 595
Sexta Mundi ætas annorum 531. à fine captivitatis Babylonicæ uſque ad Natale vulgare Chriſti Servatoris noſtri 596
BREVIS, & Chronologica Deſcriptio Hiſtoriæ Sacræ, quam in hocce Tractatu complexi ſumus, à nato Chriſto uſque ad ipſius Aſcenſionem 601

AD

AD LECTOREM
De Inſtituti hujus Operis ratione
PRÆFATIO.

ANtequàm harumce Diſſertationum lectionem auſpiceris, & ſecretiora iſtius Tractatus de Myſteriis & Annis Chriſti Servatoris noſtri penetralia ſubeas, erudite Lector, nonnullorum te paucis in limine præmonere neceſſarium judicavi, ut rationem, quæ me ad ſcribendum potiſſimùm adduxit, compertam, ac exploratam habere poſſis.

Annus eſt jam elapſus, ex quo à meis Superioribus, (quibus morem gerere eximiæ felicitatis, & ſummo ſemper honoris loco ducam) demandata mihi fuerat Provincia exponendi ſingulis diebus in Schola Caſanatenſi Textum Sancti Thomæ, juxtà ſupremam voluntatem Eminentiſſimi Cardinalis HIERONYMI CASANATE *de Eccleſia, & de tota Republica Litteraria optimè meriti. Id muneris cùm ultrò ſuſcepiſſem, & tertiam Summæ Sancti Thomæ partem, ubi de Incarnationis Verbi Divini myſterio agitur, fuiſſem aggreſſus; nihil antiquiùs habui, quàm ut genuinum Sancti Præceptoris ſenſum ex ipſius illibatæ doctrinæ Textu exculptum Auditorum animis inſtillarem. Legebam aſſiduè immenſa non minùs mole, quàm eruditione volumina, quæ hoc de argumento ediderunt viri omnigena eruditione prædití* Petavius, *&* Thomaſſinus, *necnon Commentarios, quos doctiſſimi Scholaſtici, præſertim* Eſtius, Sylvius, *ac benè multi Scholæ Thomiſticæ primi Subſellii Theologi in Summam Divi Thomæ tripartitam, aut in quatuor Sententiarum libros adornarunt, ex quibus quamplurima hauriebam, quæ textui Sancti Thomæ multam lucem affundebant, & ſpartæ, quam nactus fueram, ornandæ maximè inſerviebant. Aſt ubi primùm perveni ad quæſtionem vigeſimam*

mam ſeptimam tertiæ partis Sancti Thomæ, à qua Sanctus Doctor uſque ad quæſtionem ſexageſimam de Myſteriis Chriſti Domini perdoctè diſſerit, tunc, ut candidè fatear, cœpi, ſicut vulgò dicitur, hærere ad aquas, neſcius quà mihi vadum tentandum eſſet. Nec mirum: Omnes ſiquidem Divi Thomæ Interpretes, qui de Verbi Divini Incarnationis myſterio in viginti ſex prioribus tertiæ Summæ partis quæſtionibus longo, latoque calamo ſcripſerunt, alias triginta tres ſequentes quæſtiones, in quibus myſteria Chriſti explicantur, & quæ in centum & ſeptuaginta quatuor articulos ſunt ſubdiviſæ, vel ſilentio penitùs obvolverunt, vel de illis adeò jejunè, & frigidè tractarunt, ut Theologiæ Profeſſores ad habendas publicas in Schola Caſanatenſi Theologicas prælectiones, quas per horam integram continuo orationis filo protrahere ſolenne eſt, nihil inde fermè depromere, aut expiſcari poſſint.

Indolui certè, quod ejuſmodi quæſtiones à noſtris Interpretibus aut intactæ, aut prælibatæ dumtaxat fuiſſent, in quibus tamen elucidandis inſudare, & omnes ingenii, & eruditionis nervos contendere debuiſſent; cùm inconfeſſo ſit apud eos, qui in doctrina Sancti Thomæ ſunt verſati, omnia, quæ Angelicus ille Doctor his triginta tribus complexus eſt quæſtionibus, non ſolùm ad diluendas difficultates, quæ circa myſteria Chriſti emergere poſſunt, ad ciendos erga Servatorem noſtrum pietatis, & charitatis affectus, ad univerſam, quà latè patet, hiſtoriam Euangelicam illuſtrandam multùm juvare, ac conducere poſſe; ſed etiam ad exſufflanda argumenta, quæ in Religionem Catholicam tam infideles, quàm Judæi, & Hæretici intorquere ſolent, eſſe apprimè neceſſaria.

Hæc probè intellexerat R. P. Antoninus Maſſouliè *in officio Theologi Caſanatenſis meus perilluſtris deceſſor, qui in oratione, quam Romæ habuit cùm aperta eſt Schola ab Eminentiſſimo Cardinali* HIERONYMO CASANATE *ad explicandam Summam Theologicam Divi Thomæ in Conventu Minervitano Fratrum Prædicatorum inſtituta, hunc in modum effatur: ſed quod me magis movet, & à Theologis verè Theodidactis majori in pretio habendum eſt: quid validiùs his,*

quæ

quæ meus Aquinas ſcripſit, ad excitandos teneros amoris affe-ctus in meditanda Chriſti Servatoris Nativitate, Pueritia, & totius vitæ ſerie? Quid in recolendo in amaritudine Animæ, & meditanda Chriſti Paſſione, ad infigendos cordi doloris aculeos opportunius? Ibi perpeſſa à Chriſto omnium Paſſionum genera, & ut ex Divo Hilario refert, cùm inclinato capite emiſit Spiritum, omne genus Paſſionum conſummaſſe demonſtrat. Ibi doloris acerbitatem, & magnitudinem, non ex cauſis dumtaxàt extrinſecis, flagellis, ſpinis, clavis, ipſaque Cruce, quamvis crudeliſſimis tormentis, metiendam eſſe pari pietate, & doctrina obſervat. Sed quod ipſum Verbum Divinum tantam doloris vim humanitati impreſſerit, tantùm ipſe Chriſtus dolorem aſſumpſerit, quantum eluendis omnium hominum ſceleribus, multitudine, & gravitate infinitis, ultrix Divina Juſtitia exigebat. Hæc ſanè prætermittunt alii inanibus quæſtionibus, & ad ſolam oſtentationem ingenii repertis, immorati, acutis quidem, ſed de quibus dixerim: Deſinunt in ariſtam, & quid eſt acutiùs ariſtâ, ſed in quo utilis eſt? *Et hæc quidem licet temperatè exculta ad exercenda ingenia interdum valere poſſint: ſed oporteret unum facere, & aliud non omittere. At non prætermiſit Divus Thomas cùm probè intelligeret ſanctiſsimam Chriſti vitam debere perpetuò Chriſtianis, ac potiſsimùm Theologis verſari ob oculos, quibus ab Apoſtolo dictum cenſendum eſt ad Galatas cap.* 3. Ante quorum oculos Chriſtus præſcriptus eſt; *aut ut habet Syriaca verſio* : Ante quorum oculos Chriſtus depictus eſt. *Huc uſque ſummus ille vir non minus profunda eruditione, quàm ſingulari vitæ ſanctimonia toti Orbi Litterario ſupra æthera notus.*

Quapropter ne ſuſcepto meo officio deeſſem, & diſcipulos meæ curæ concreditos tam utili doctrina non defraudarem, qua potiùs illos imbuere debebam; miſsis, & valere juſsis Theologis Scholaſticis, qui nihil, aut parùm ſubſidii in hiſce enucleandis quæſtionibus mihi ſuppeditare poterant, celebriorum hujus temporis hiſtoriæ tàm ſacræ, quàm Eccleſiaſticæ Scriptorum, Theologiæ itidem Dogmaticæ, diſciplinæ Criticæ, & Chrono-

logiæ

logiæ ſacræ Peritorum opera, & Diſſertationes, quæ abundè ſuppetunt, avidis oculis denuò perluſtravi, & ne ea, quæ inter legendum ex eis deflorabam, è memoria effluerent, poſt habitas in Schola Caſanatenſi prælectiones, omnia, quæ Inſtituto meo inſervire poterant, præcipiti calamo chartis quotidiè committebam. Accidit tandem, ut dum, præter expectationem meam, ejuſmodi chartas obiter percurrerem, & perfunctoriè lectitarem, in rem Scholæ noſtræ Thomiſticæ facturum me eſſe duxerim, ſi Diſſertationes Dogmaticas, & Chronologicas de Myſteriis, & Annis Chriſti Servatoris noſtri concinnarem, quibus triginta tres illæ quæſtiones tertiæ partis Summæ S. Thomæ à noſtris Interpretibus tantùm non ommiſſæ, in præclaro ordine, & nova luce ponerentur, ſicque eorum votis facerem ſatis, quibus volupe eſt Myſteriorum Chriſti, & Hiſtoriæ Euangelicæ habere notitiam. Quare manum operi è veſtigio admovere cœpi, & quidquid reliqui temporis nactus ſum, ex aliis, quibus in Collegio Caſanatenſi, ad quod adſcitus ſum, vacare teneor ſtudiorum exercitationibus, id totum lubenti animo impendi, ut Tractatum iſtum de Myſteriis, & Annis Chriſti ad umbilicum perducere, eique extremam manum adhibere poſſem. Dubius tamen aliquandiù hæſi, deberem ne in hiſce inſtituendis Diſſertationibus Scholaſticam ſectari methodum? An expediret potiùs liberiori uti ſtylo, ſicut benè multi doctiſsimi Auctores in ſuis lucubrationibus impræſentiarum factitare ſolent? Verùm re maturè expenſa, & habita ratione utilitatis Tyronum, qui Scholaſticæ methodo ſunt aſſueti, ne ipſis, ab inolita illa conſuetudine recedendo, negotium faceſſerem, eadem via inſiſtere opportuniùs, & utiliùs fore autumavi, quod mihi nemo prudens juſtè vitio vertere poteſt.

Sed ſatis ſuperque hactenùs, erudite Lector, præfatus ſum, nec neceſſe eſt, ut tibi ſpontè jam currenti calcaria addam. Nunc impensè obſecro te, ut æqui bonique conſulas hoc qualecumque Opus, quod rudi licet Minerva ſit elaboratum; illud tamen eo animo lucubravi, ut tuæ proſpicerem utilitati. Hunc finem mihi præſtitui. Utrum autem feliciter ſim aſſecu-

cutus? Non auſim aſſerere, id totum tuo prudenti judicio, & experientiæ permitto. Certè operam dedi, ut in eo legendo tempus, & operam non fruſtrà collocares. Ut autem inoffenſo pede decurrere, & facili negotio intelligere poſſes ea, quæ in Diſſertationibus Chronologicis *de Annis Nativitatis, Baptiſmi, & Mortis Chriſti Domini latè pertractantur, conſultò ad calcem iſtius Tractatus attexui Apparatum* Chronologicum, *in quo omnes Cyclos, Periodos, Æras, & Epochas tam Græcas, quàm Latinas brevitate cum claritate, quoad ejus fieri potuit, conjuncta, expono. Addidi etiam Canonem Chronologicum à conditu Mundi uſque ad Aſcenſionem Chriſti per ſex Mundi ætates digeſtum, & per nobiliores Periodos, & Epochas contextum, in quo novæ, quam procudi, Chronologiæ rationem reddo. Diſplicebit fortè in hoc Tractatu ſtylus parùm cultus, & ornatus. At exiſtimavi præpoſterum, & omninò intempeſtivum fore in Theologicis, & Chronologicis difficultatibus, quæ ſat negotii Lectoribus exhibent, ſermonis floſculos aucupari velle. Quocirca ſtylum uſurpavi ſimplicem quidem, ſed purum, à barbarie, & ab affectata locutione ex æquo alienum. Multùm quippè mihi ſemper placuit pulchrum illud dictum* Favorini *Philoſophi, qui, ſicut refert* Aulius Gellius *cap.*10. *lib.*1. *noctium Atticarum, cuidam adoleſcenti veterum verborum cupidiſſimo, & pleraſque voces nimis priſcas, & ignotiſſimas in quotidianis communibus ſermonibus expromenti ait*: Vive moribus præteritis, loquere verbis præſentibus, ut tanquam ſcopulum, ſic fugias inauditum, atque inſolens verbum. *Cæterùm omnium, in quibus labi forſitan, & errare in hoc Tractatu continget, quod humanæ infirmitatis eſt, veniam in anteceſſum deprecor, & cuncta, quæ ſcripſi, ſubmitto cenſuræ Catholicæ, & Romanæ Eccleſiæ, pro cujus defenſione, & propagatione mortem oppetere in votis habeo.*

TRA-

Apparuit gratia Dei Salvatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria, ſobriè, & juſtè, & piè vivamus in hoc ſæculo, expectantes beatam ſpem, & adventum magni Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti: qui dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, Sectatorem bonorum operum. Hæc loquere, & exhortare, &c.

Epiſtolæ ad Titum cap. 2.

Digitized by Google

BREVIS DECLARATIO

CIRCA QUÆDAM LOCA,

Quæ in hoc Libro; jam Typis excuſo, explicatione, aut emendatione opus habere judicarunt periti quidam Cenſores.

DECLARO primò: Me nec pagina 3. hujus Libri, nec alibi unquam inficias iviſſe, aut in dubium revocaſſe, Beatæ Mariæ Virginis Præſentationem in Templo, ſed eam potiùs cum cæteris Fidelibus admiſiſſe, aſſerendo: *Feſtum Præſentationis Beatæ Virginis piè ab Eccleſia fuiſſe inſtitutum*. Quocircà conſtanter profiteor Beatam Virginem fuiſſe reverà præſentatam in Templo, ſed quoto ætatis ſuæ anno fuerit præſentata, pronunciare non audeo; quia, ut candidè fatear, nihil ſuper hac re ex ſacris litteris, ex traditione, & ex antiquis probatæ fidei monumentis compertum ac exploratum habeo. Cæterùm in prædicta pagina 3. explodere dumtaxat volui aniles quaſdam fabulas, quæ, circa Matrimonium B. Mariæ Virginis cum Joſepho, leguntur in libris apocryphis *de ortu Virginis*, *& in proto Euangelio Jacobi*. In eum ſcopum me eò loci unicè collimaſſe æquus Lector facili negotio dijudicare poterit.

Declaro ſecundò: Me interdum in hocce Libro nonnulla inſeruiſſe, quæ obiter tantùm referre, non approbare volui. Paginâ ſiquidem 219. refero conjecturam eorum, qui cenſent Joannis cap. 1. loco *Bethaniæ*, legendum eſſe *Bethabara*, aſt eam conjecturam non approbo, ſed potiùs ibidem aſſero non eſſe ſollicitandam editionem vulgatam, in qua legitur *Bethania*, non *Bethabara*.

Similiter pagina 220. breviter obſervo multos, poſt Euſebium, Hiſtoricos Auctores memoriæ prodidiſſe Con-

Apparuit gratia Dei Salvatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria, ſobriè, & juſtè, & piè vivamus in hoc ſæculo, expectantes beatam ſpem, & adventum magni Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti: qui dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, Sectatorem bonorum operum. Hæc loquere, & exhortare, &c.

Epiſtolæ ad Titum cap. 2.

Digitized by Google

BREVIS DECLARATIO
CIRCA QUÆDAM LOCA,

Quæ in hoc Libro, jam Typis excuſo, explicatione, aut emendatione opus habere judicarunt periti quidam Cenſores.

DECLARO primò: Me nec pagina 3. hujus Libri, nec alibi unquam inficias iviſſe, aut in dubium revocaſſe, Beatæ Mariæ Virginis Præſentationem in Templo, ſed eam potiùs cum cæteris Fidelibus admiſiſſe, aſſerendo: *Feſtum Præſentationis Beatæ Virginis piè ab Eccleſia fuiſſe inſtitutum*. Quocircà conſtanter profiteor Beatam Virginem fuiſſe reverà præſentatam in Templo, ſed quoto ætatis ſuæ anno fuerit præſentata, pronunciare non audeo; quia, ut candidè fatear, nihil ſuper hac re ex ſacris litteris, ex traditione, & ex antiquis probatæ fidei monumentis compertum ac exploratum habeo. Cæterùm in prædicta pagina 3. explodere dumtaxat volui aniles quaſdam fabulas, quæ, circa Matrimonium B. Mariæ Virginis cum Joſepho, leguntur in libris apocryphis *de ortu Virginis, & in proto Euangelio Jacobi*. In eum ſcopum me eò loci unicè collimaſſe æquus Lector facili negotio dijudicare poterit.

Declaro ſecundò: Me interdum in hocce Libro nonnulla inſeruiſſe, quæ obiter tantùm referre, non approbare volui. Paginâ ſiquidem 219. refero conjecturam eorum, qui cenſent Joannis cap. 1. loco *Bethaniæ*, legendum eſſe *Bethabara*, aſt eam conjecturam non approbo, ſed potiùs ibidem aſſero non eſſe ſollicitandam editionem vulgatam, in qua legitur *Bethania*, non *Bethabara*.

Similiter pagina 220. breviter obſervo multos, poſt Euſebium, Hiſtoricos Auctores memoriæ prodidiſſe Con-

Digitized by Google

ſtantinum Imperatorem fuiſſe in ſuburbiis Nicomediæ baptizatum, ſed id hiſtoricè, non aſſertivè dico, probè ſciens contrariam de loco baptiſmi Conſtantini Romæ vigere, & obtinere traditionem, quam oppugnare, vel labefactare, nec poſſum, nec debeo. Denique pag. 317. paucis adverto eſſe quoſdam viros eruditos, qui autumant factam eſſe cap. 15. S. Marci, vitio alicujus Scriptoris mutationem numeri ſenarii in ternarium. Hanc virorum eruditorum conjecturam tantummodo refero, ſicut illam refert Doctor Angelicus 3. p. q. 46. art. 9. ad 2. non tamen approbo.

Declaro tertiò: Duo menda in hocce Libro, poſtquàm emerſit è prælo, fuiſſe deprehenſa, quæ incuriâ Typographi irrepſerunt. Primum mendum extat pag. 36. ubi hæc verba leguntur: *Cum igitur Incarnatio, juxtà doctrinam Sanctorum Patrum, non vitæ humanæ, ſed mortalitatis & mortis ſit aſſumptio*. Legendum eſt: *Non tam vitæ humanæ, quàm mortalitatis & mortis ſit aſſumptio*. Alterum mendum occurrit pag. 425. ubi dicitur, quod *ſecunda azymorum die demetendus erat frumenti manipulus, qui poſtea in die Pentecoſtes, ex legis præcepto, Deo offerri debebat*. Legendum eſt: *Secunda azymorum die demetendus erat frumenti manipulus, qui die quinquageſimo ante feſtum Pentecoſtes ex legis præſcripto Deo offerri debebat*.

Declaro quartò: Me pag. 72. argumenta, quæ ad impugnandum ſyſtema Grotii de genealogia Chriſti adduco, his verbis concluſiſſe: *Denique Levi fuiſſe patrem Barpantheris, Barpantherem patrem Pantheris, Pantherem verò genuiſſe Joakimum patrem Mariæ Virginis, purum figmentum eſt, quod prodiit ex ſchola Rabbinorum*. Verùm, quia periti Cenſores id Breviario Romano oppoſitum eſſe indicarunt, ſic corrigendus eſt ille locus: *Denique Panther, & Barpanther diverſi non ſunt à Mattath, & Heli, ut eruditè obſervant Poſſinus, & Bollandus Soc. Jeſu, ſed Levi genuit Mattath cognomento Pantherem, cujus filius, ſcilicet Heli, dictus eſt Barpanther, eo quod Pantheris, ſeu Mattath, filius eſſet, & ſic intelligendus eſt S. Damaſcenus, qui lib. 3. de Fide orthodo-*

xa

xa cap.xv. texendo genealogiam Chriſti, in ea Pantherem, & Barpantherem inſeruit.

Declaro quintò: Inter rationes, quas pag. 446. ex Lactantio lib. 4. inſtitut. cap. 26. deprompſi ad probandum conveniens fuiſſe, ut Chriſtus moreretur in Cruce, unam eſſe, quæ obſcura, ac intellectu difficilis eſt: ait quippe Lactantius: *Corpus Chriſti crucifixum manſiſſe integrum & illæſum, ne læſum ac diminutum ad reſurgendum inhabile redderetur*. Hæc ratio Lactantii, ſi ſpectetur omnipotentia Dei, falſa eſt. Nam Corpus Chriſti crucifixum ſemper divinâ virtute fuiſſet habile ad reſurgendum, etiamſi læſum ac diminutum extitiſſet. Crediderim tamen ipſe hoc unum dumtaxat voluiſſe Lactantium, quod, ſi Corpus Chriſti crucifixum læſum ac diminutum fuiſſet, ad reſurgendum, juxtà vulgi apparentiam, inhabile viſum fuiſſet, & hac de cauſa voluiſſe Chriſtum, ut ſuum Corpus integrum in Cruce permaneret ad fidem ſuæ reſurrectionis adſtruendam.

Declaro denique: Me, dum in hocce Libro quoſdam hæreticos, vel alios Auctores, quorum opera cenſorio ſtigmate ab Eccleſia confixa ſunt, honeſtis titulis compello, eam tantùm, quâ pollent, laudare eruditionem in ſe præciſè ſpectatam, quamvis eos, quatenus ſunt extorres à Religione Catholica, & mordicùs ſua virulenta dogmata tuentur, avitæ Fidei Sanctæ Romanæ Eccleſiæ omninò oppoſita, nullâ prorſus laude dignos eſſe judicem, ſed potius eorum opera, quæ erroribus ſcatent, diris devoveri, & natalitiis tenebris damnari debere ultrò conſentiam.

TRA-

TRACTATUS
DE MYSTERIIS
ET ANNIS CHRISTI
Servatoris noſtri,

DISSERTATIONIBUS
DOGMATICIS ET CHRONOLOGICIS,

Necnon Obſervationibus Criticis & Hiſtoricis,

JUXTA GERMANAM

DOCTORIS ANGELICI

MENTEM ILLUSTRATUS;

Et ad uſum Scholæ accommodatus.

PROLUDIUM.

MYSTERIA CHRISTI Servatoris noſtri variis Diſſertationibus in hoc Tractatu illuſtrandi ſuſcepturus officium, operæ pretium me facturum eſſe duxi, ſi eas non ſolùm difficultates, in quibus eliquandis, tàm doctiſſimi Theologi, quàm periti hujus temporis Critici ac Chronologi, magno rei litterariæ emolumento, hactenus deſudarunt, pro meo modulo ventilandas ac diſcutiendas ſuſciperem: verùm etiam, objectâ veritatis luce, omnes diſſiparem tenebras, quas pervicaces Judæi, Infideles, & Hæretici, myſteriis Chriſti datâ operâ offundere moliuntur; dum vel conſtantem illorum veritatem ac certitudinem extra omnem dubitationis aleam poſitam præ-

fractè negant, vel ea ſiniſtris interpretationibus perperam explanare, & illotis, ut ajunt, manibus tractare præſumunt. Quamobrem in his viginti tribus quas adornavi Diſſertationibus, in eum duntaxat ſcopum collimavi, ut omnia, quæ ſacri Euangeliſtæ de myſteriis Chriſti memoriæ prodiderunt, litteriſque conſignarunt, procul ablegatis anilibus fabulis, quas nonnulli plus æquò creduli obtrudunt Auctores, in optimo lumine collocarem, telaque retunderem, jam licet rubigine exeſa, queis fidei hoſtes,ſaniora Religionis Catholicæ dogmata impetere ſolent. Unde quia Judæis effutire ſolenne eſt:Chriſtum Dominum ex Joſephi cum Maria carnali conſortio fuiſſe procreatum, ab hac præſertim confutanda blaſphemia hunc Tractatum auſpicabor; Dein de ingreſſu Chriſti in hunc mundum, de illius progreſſu in hoc mundo, de ejus exitu ex hoc mundo, de glorificatione Chriſti poſt ejus exitum ex hoc mundo, juxtà ordinem, quem ſibi præfixit S.Thomas,& juxta accuratam ſcholæ methodum diſſerere pergam.Sit igitur

DISSERTATIO PRIMA

De matrimonio Mariæ cum Joſepho, perpetua cum virginitate fœderato.

AD pleniorem hujuſce quæſtionis elucidationem, duos hac in Diſſertatione inſtituam Paragraphos. In primo oſtendam: Mariam verum & ratum iniiſſe cum Joſepho matrimonium, ante legationem Gabrielis, ſeu ante conceptionem Verbi divini. In altero commonſtrabo, iſtud matrimonium nunquam virili congreſſu fuiſſe conſummatum, ac ſubinde Mariam, quam Verbum divinum ſibi matrem in tempore elegit, perpetuò illibatum virginitatis florem conſervaſſe.

Paragraphus Primus.

Utrum Maria inierit matrimonium cum Joſepho ante legationem Gabrielis?

ANtequam de tempore, quo Maria inivit matrimonium cum Joſepho ſententiam meam promam, non pigebit paucis in antecellum referre, & eadem operâ refellere antiquas quidem, ſed apocryphas traditiones, quæ circumferuntur de matrimonio Mariæ cum Joſepho, quarum mentionem faciunt S. Gregorius Niſſenus oratione *de die natali Chriſti*, & S. Epiphanius hæreſi 78. ut prudens Lector facili

cili negotio dijudicet, quam fidem mereantur iſtæ traditiones, qui bus tot ſunt aſſutæ fabulæ.

Legitur quippè in libro *de ortu Virginis*, qui, ut concors eſt omnium Criticorum ſententia, falsò tribuitur S. Hieronymo, & in proto-euangelio perperàm S. Jacobo adſcripto, quod inter monumenta orthodoxographa inſertum eſt: Mariam, poſtquam in templo undecim annis inſtar columbæ fuiſſet educata, ac cibo de manu Angeli accepto nutrita, tandem à Sacerdotibus, quorum curæ demandata fuerat, in uxorem traditam fuiſſe Joſepho, qui tum temporis ſenex erat, & liberos ex priori conjuge procreatos habebat: idque, quod ſanè lepidum ac feſtivum eſt, ſorte divina contigiſſe dicitur. Nam cùm virgam accepiſſet Joſeph, & templum fuiſſet ingreſſus; Ecce illicò virga, quam præ manibus tenebat, effloruit, & ex virga exiit columba, quæ illius capiti inſedit, quo ſigno admonitus Joſeph, Mariam, volens nolens, & à ſummo Sacerdote minis perterritus, in uxorem tandem accepit.

Verùm hanc narratiunculam, quam ſomniculoſa fortaſſis finxit anus, malè ſibi cohærere, & putidis inſperſam eſſe fabulis, aſſerere nullus dubito. Primò, quia viri eruditi, & naris emunctæ hujus tempeſtatis Critici, qui omnia ad judicii limam, & veritatis normam, abdicatis omnibus præjudiciis exigere ſolent, optimo jure revocant in dubium: An Virgo Maria, ſtatim atque ablactata eſt, fuerit à parentibus ad Sacerdotes adducta, & in templo uſque ad nubilem ætatem educata? Cardinalis quidem Baronius laudat Sanctos Patres, Joannem Damaſcenum, Germanum Conſtantinopolitanum, Andream Cretenſem, Georgium Epiſcopum Nicomedienſem, Cedrenum, & Nicephorum Callixtum, aſſerentes: Mariam trimulam in templum allatam, undecim illic egiſſe annos. Sed, ut cordatè fatear, hi Auctores recentiores ſunt, quàm ut illis certò fides habenda ſit de rebus, de quibus altum eſt apud veteres Patres, & Auctores hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſilentium. Teſtimonium verò, quod citat Eminentiſſimus ille annalium Parens, ex epiſtola S. Evodii, primi poſt S. Petrum Antiocheni Epiſcopi, autumant viri eruditi, ejusmodi epiſtolam non eſſe genuinum S. Evodii fœtum, ſed eam à Græculis fuiſſe confictam; nec enim S. Gregorius Niſſenus, loco ſupra memorato, de fide illius hiſtoriæ ab incerto Auctore proditæ dubitaſſet, ſi Auctorem illius habuiſſet Evodium, nec Sixtus V. Summus Pontifex, qui expunctam à deceſſore ſuo Pio V. Præſentationis Mariæ feſtivitatem reſtituit, diei collectam, ubi Virginem triennem in templo fuiſſe oblatam legebatur, emendaſſet; ſi hæc hiſtoria vindicem & patronum habuiſſet S. Evodium. Secundò, quis credat Mariam fuiſſe per 11. annos, inſtar columbæ ab Angelis nutritam & educatam in templo, in Sancto

Sanctorum, quò nemini mortalium patuit unquam aditus, præterquam Summo Pontifici, & quidem ſemel in anno, ut expreſsè notant *Apoſtolus* cap.9. epiſt. ad Hebræos, & *Joſephus* lib. 2. contra Appionem, & lib.8. antiq. cap.2. Tertiò, S. Joſephum antequam nuberet Mariæ, priorem conjugem habuiſſe, & ex ea filios ſuſtuliſſe, tàm falſum eſt, quàm quod maximè, *Sanctus* quippè *Hieronymus* lib. adverſus Helvidium, & *Petrus Damiani* opuſc. 17. affirmant: Joſephum virginem jugiter permanſiſſe, hancque piam Eccleſiæ Latinæ credulitatem eſſe, evincit *Bollandus* ad diem 19. menſis Martii. Quartò, Sancti Patres, ut infra oſtenſurus ſum, impensè laudant juſtitiam Joſephi, qui, cùm eſſet proximo agnationis gradu cum Maria conjunctus, ei juxtà legem & conſuetudines patrias nupſit. Quorsùm igitur opus fuit tam ingenti prodigio ad ſeligendum præ cæteris Joſephum in Sponſum Mariæ Virginis? Hinc certè mirari non ſubit, ſi prædictum prodigium de virga S. Joſephi floreſcente, eique columbâ inſidente, non magnum habeat apud viros eruditos auctoritatis pondus. Denique, ut cætera, quæ in hac narratione fabulam olent, brevitati conſulendo, prætermittam, veroſimile non eſt Joſephum fuiſſe ſenem octogenarium, ut innuunt ſpuriæ illæ traditiones, quando matrimonium inivit cum Maria. In ea ſiquidem effœta ætate, non potuiſſet Joſephus amaræ ſenectutis pondera ferens, ſuis laboribus alere familiam, Virginem defendere, & urgente periculo ea ſuſcipere itinera, in quibus Beatæ Virginis individuus comes eſſe debebat, ſed potiùs illi faſtidio, tædio & oneri fuiſſet; nec aliundè expediebat ad conſervandum honorem Virginis, ut ſeni ætate multâ provecto nuberet, cujus matrimonio intempeſtiva canities, Virginis partum, Judæorum cavillationibus obnoxium reddidiſſet, nedùm à criminis ſuſpicione defendiſſet. Longè itaque probabilius eſt, & litteris Euangelicis magis conſentaneum, Joſephum, in matura & vigente adhuc ætate, fuiſſe cum Maria matrimonio ſociatum.

Exploſis itaque fabuloſis & commentitiis illis traditionibus, (quæ tamen feſto de Præſentatione B. Mariæ Virginis ab Eccleſia piè inſtituto obeſſe non debent) nunc diſcutiendam aggredior difficultatem, de tempore, quo Maria matrimonium inivit cum Joſepho. Circà quam difficultatem, tres verſantur Theologorum ſententiæ. Prima eſt quorundam antiquorum, qui, ut videre eſt apud *Gratianum* qu. 27. cauſa 2. cap. *quod autem*, & cap. *inſtitutum*, ſpecioſo obtentu conſervandæ virginitatis Mariæ, exiſtimarunt: Mariam fuiſſe tantummodò Joſepho ſponſione promiſſam, nunquam tamen matrimonio junctam. Sed hanc ſententiam omnes ad unum modò repudiant Theologi. Primò, quia è fronte opponitur Scripturæ Sacræ, quæ multis in locis Mariam uxorem Joſephi, ac viciſſim Joſephum virum Mariæ, diſertis verbis

Digitized by Google

verbis appellat. Secundò, quia ſponſalia nihil aliud ſunt, quàm futurarum nuptiarum promiſſio: Si ergo Maria, & Joſeph poſt contracta ſponſalia nunquam nuptias iniiſſent, fidem datam in ſponſalibus de contrahendis nuptiis violaſſent, immò nonniſi fictè & ſimulatè ſponſalia contraxiſſent. Quid enim, amabo, aliud eſt paciſci & contrahere ſine voluntate implendi id, quod promittitur, quàm æquivocationibus & mendaciis ludere illum, cui promittitur? Sibi ergo Maria & Joſephus, in contrahendis ſponſalibus, mutuò verba tantùm dediſſent, ſi promiſſas nuptias nunquam adimplere, & executioni mandare voluiſſent, quod dictu nefas eſt. Tertiò, Eccleſia ducentis ab hinc annis feſtum Deſponſationis, ſeu matrimonii Mariæ cum Joſepho, communi fidelium pietate celebrandum inſtituit. Denique vetus illa ſententia caduco & falſo nititur fundamento; nam ideò illi antiqui negabant Mariam fuiſſe Joſepho conjugali vinculo ſociatam, quia putabant: nuptialem concubitum eſſe partem eſſentialem matrimonii. Qua in re eos vehementer fuiſſe hallucinatos, in confeſſo eſt apud omnes Theologos, qui poſt Sanctos Patres, quos ſequitur S. Thomas, conſtanter docent verum & ratum ſtare matrimonium, etiam ſecluſo omni concubitu nuptiali, adeòque matrimonium, quod Maria inivit cum Joſepho, ne leve quidem ejus virginitati præjudicium intuliſſe. Quocircà, ne actum agere videar, in hac veterum confutanda ſententia, quæ jam penitùs antiquata eſt, & à ſcholis Theologorum exulat, diutiùs non immorabor.

Altera ſententia eorum eſt, qui, licet non inficias eant: Mariam fuiſſe cum Joſepho junctam matrimonio, docent attamen: Mariam ante legationem Gabrielis, necdum fuiſſe Joſepho ceù viro traditam, neque ab ipſo adſcitam in conſortium domeſticum. In hanc opinionem, cui olim ſuffragati ſunt aliqui Patres, nimirùm *Hilarius* in cap. 1. Matth. *Baſilius* homilia *de humana Chriſti generatione*, & *Epiphanius* hæreſi 78. plures, non minorum gentium eruditi deſcenderunt, *Baronius* videlicet, *Toſtatus*, *Cajetanus*, *Montacutius* in apparatu ad origines Eccleſ. *Samuel Basnagius* tom. 1. annal. *Fridericus Spanhemius* in dubiis Euang. eamque obviis ulnis amplexus eſt *Bernardus Lamy* Congregationis Oratorii Presbyter, qui capitibus 3. & 8. harmoniæ, quam edidit in Euangelia, hanc opinionem non ſolùm addito calculo approbat, ſed etiam totis defendit lacertis, & multis undequaque accitis argumentis ac ingenioſis proprio marte excogitatis conjecturis adſtruere nititur: Mariam virginem matrimonium iniiſſe cum Joſepho, poſtquam ab ædibus Eliſabeth cognatæ ſuæ ad parentes reverſa eſt; hoc eſt, tribus jam emenſis menſibus à legatione Gabrielis, ſeu à conceptione Verbi divini.

Poſtrema ſententia, cui poſt S. Thomam, adſtipulantur omnes ſer-

fermè Theologi & Scripturæ Sacræ Interpretes, ſtatuit Mariam fuiſſe Joſepho nuptam, ante legationem Gabrielis, ſeu antequam in ſuo caſtiſſimo utero Verbum divinum concepiſſet. Quid de hac quæſtione, de qua varias Scriptorum ſententias hactenùs in medium protuli, magis mihi probetur, paucis ut aperiam,

Dico: *verum, & ratum interceſſiſſe matrimonium, Mariam inter & Joſephum, ante legationem Gabrielis, ſeu ante conceptionem Verbi divini.*

Ad hanc probandam aſſertionem poſſem benè multa, eaque locupletiſſima laudare Scripturæ Sacræ teſtimonia, ex quibus liquidò conſtat: Mariam ante legationem Gabrielis, nuptam fuiſſe Joſepho. Sed, ne longior ſim, illis referendis ſuperſedebo, duaſque duntaxat proponam rationes, quarum prima; deſumitur ex epiſtola *S. Ignatii Martyris* ad Epheſios (quam quidem epiſtolam, unà cum ſex aliis, quas *Iſaac Voſſius* ex manuſcripto Græco Bibliothecæ Florentinæ Codice, & *Uſſerius* ex duobus Codicibus manu exaratis, in lucem ediderunt, germanum eſſe Sancti illius Martyris opus, invictis rationum momentis demonſtrant eruditiſſimi Critici, *Natalis Alexander* tom. I. hiſtor. Eccl. *Nicolaus le Nourry* tom. I. apparatus ad Bibl. max. Patrum, *Pearſonius Epiſc. Ceſtrienſis* in ſuis vindiciis epiſt. S. Ignatii, & multi alii, contra Blondellum, Dallæum, aliosque plures Presbyterianæ, Calvinianæque ſectæ homines) in hac autem epiſtola ad Epheſios aſſerit S. Ignatius: Chriſtum ideò à Virgine nupta eſſe conceptum, quia volebat Deus, ut ortus Meſſiæ omninò lateret diabolum, dum eum putat non de virgine, ſed de conjugata, more aliorum hominum fuiſſe generatum. Porrò hæc Sancti illius Martyris ratio nullius planè roboris eſſet, ſi Beata Virgo nuptias tantùm celebraſſet cum Joſepho, quando ab ædibus Eliſabeth ad parentes reverſa eſt. Nam ſemel factâ illâ hypotheſi, partus Virginis diabolo procul omni dubio innotuiſſet, vidiſſet quippè dæmon, Mariam eſſe prægnantem poſt ipſius reditum à viſitatione Eliſabeth, noviſſet aliundè caſtimoniam Mariæ & Joſephi, & utriusque animum à libidine prorſus alienum, conceptum ergo Mariæ, non Joſepho tribuiſſet, cui necdum Mariam nuptam eſſe apprimè cognoviſſet, nec ei vel minimum dubium de ſtupro, ob exploratam Mariæ caſtitatem, ſubolere potuiſſet. Abjectâ itaque omni hæſitatione confeſtim intellexiſſet: Mariam operatione Spiritus Sancti concepiſſe, & ex ea ſubinde naſciturum Meſſiam tot ſæculis expectatum, cujus tamen partus, ut docet S. Ignatius, hujus ſæculi Principi celari debebat.

Erunt, ſat ſcio, nonnulli, qui reponent hanc rationem Sancti Ignatii perinde contra noſtram militare ſententiam. Nam cum dæ-

Digitized by Google

dæmon ſubtilitate intellectus ſui, & acumine naturali, integrum & incorruptum corpus mulieris, licet nuptæ, videre poſſit; facillimè itidem, non obſtante matrimonio, quod Beata Virgo iniiſſet cum Joſepho ante legationem Gabrielis, diabolus dignoſcere potuiſſet Mariæ etſi nuptæ virginitatem omninò illæſam permanſiſſe.

Verùm hæc reſponſio nullo negotio elidi poteſt, nam licet non diffitear diabolum, intellectus ſui ſubtilitate, Mariæ virginitatem poſt conceptionem Verbi divini, etiam non obſtante matrimonio, detegere ac cognoſcere potuiſſe, ſi reverà advertiſſet, contendo attamen; dæmonem eam exploratam non habuiſſe, quia volente & permittente Deo, non advertit. Cernens enim dæmon Mariam eſſe conjugatam, cætera rimari & ſpeculari contempſit, matrimonio videlicet omnem illi impediente ſuſpicionem. Quapropter non difficulter ſibi perſuaſit, conceptum & partum eſſe ex viro, cui ſciebat Mariam eſſe nuptam, non, quod non poſſet dæmon virtute naturæ ſuæ agnoſcere Mariæ etiam nuptæ virginitatem, ſed quod ulteriùs, Deo ſic volente, in conjugata veſtigare non curaverit. Hanc rationem inſinuat S. Thomas 3.p. q.29. art.1. ad 3. *diabolus*, inquit, *multa poteſt virtute ſuæ naturæ, à quibus tamen prohibetur virtute divina*. Admiſſo itaque matrimonio Mariæ cum Joſepho ante legationem Gabrielis, ratio tradita à *S. Ignatio*, quæ primâ facie videtur ſubobſcura, intelligi & explicari poteſt; at in opinione illorum, qui matrimonium Mariæ procraſtinant uſque ad ejus reditum à viſitatione Eliſabeth, nullo pacto intelligi & explicari poteſt, immò falſi apertè convincitur hæc Sancti Martyris ratio, quâ tamen uſi ſunt *Origenes* hom. 16. in Lucam, *Baſilius* homil. *de humana Chriſti generatione*, *Damaſcenus* lib.4.*de fide orthodoxa* cap.5. *Hieronymus* in cap.1. Matth. *Bernardus* hom. 2. ſuper *Miſſus eſt*, *S.Thomas* 3.p. q.29. art.1. & multi alii Patres, ac Sacræ Scripturæ Interpretes.

Altera ratio petitur ex *S. Thoma*, qui 3.p. q.29. art. 1. docet eâ potiſſimùm de cauſa voluiſſe Chriſtum Dominum naſci ex virgine nupta, ut per matrimonium, quod Beata Virgo contraxit cum Joſepho, & ſuo, & matris conſuleret honori. Si enim Maria peperiſſet aut concepiſſet innupta, Judæi ex ipſius partu opportunam nacti fuiſſent occaſionem, & matrem in ſtupri ſuſpicionem adductam, juxtà legem puniendi, & filium ceù ſpurium dehoneſtandi. *Maluit*, inquit *S. Ambroſius* lib. 2. in Luc. *Dominus aliquos de ſuo ortu, quàm de matris pudore dubitare: ſciebat enim teneram eſſe virginis verecundiam, & lubricam famam pudoris; nec putavit ortus ſui fidem matris injuriis adſtruendam*. At, mehercle, non video, quî poſſit hæc ratio, quam S. Thomas ex Patribus hauſit, ſtare cum opinione illorum Theologorum, qui matrimonium Mariæ referunt ad ejus reditum à viſitatione Eliſabeth.

Enim-

Digitized by Google

Enimverò, ſi Maria nupta eſt Joſepho, poſtquam ab ædibus Eliſabeth reverſa eſt, ſequitur ergo eam prægnantem fuiſſe jam ab hinc tribus menſibus, quando Joſepho tradita eſt, ſeu matrimonio juncta, manſit ſiquidem Maria poſt conceptionem Verbi divini cum Eliſabeth menſibus quaſi tribus, ut perhibet *S.Lucas* cap. 1. Porrò quis non videt periclitatum fuiſſe honorem Mariæ,ſi tribus ab hinc menſibus uterum geſtaſſet,quando nupta eſt Joſepho. Quid enim, ſodes, ſuſpicati non fuiſſent parentes, qui Mariæ tumentem uterum inſpexiſſent nondùm celebratis nuptiis ? Non eo quidem negatum, noram illis fuiſſe Mariæ morum probitatem, ſed nunquid ſubdubitare potuiſſent: An ipſi vis fuiſſet illata, & furtivo concubitu deſlorata atque compreſſa ? Maximè, cùm id temporis planè ignorarent Mariam, arcanâ Spiritus Sancti operatione concepiſſe, eamque Matrem Dei fuiſſe electam. Sed quas inſidias Mariæ populares ei non ſtruxiſſent, quos ſiniſtros rumores non ſparſiſſent, ut ipſi infamiæ notam inurere poſſent ? Si enim ſemel compertum habuiſſent, ſicut erat neceſſe, Mariam tribus ab hinc menſibus prægnantem fuiſſe, dum Joſepho nupta eſt, eamque poſt ſex menſes à celebratis nuptiis filium peperiſſe, abſque dubio ex illo inſolenti & intempeſtivo partu,in animum induxiſſent:Mariam in ædibus parentum fuiſſe fornicatam, adeòque juxtà legem ad tribunal eam rapuiſſent, mortiſque ſupplicio plectendam judicaſſent. Virgo namque, quæ in domo paterna fornicabatur, lapidibus obrui debebat, *Deuteron.*cap.22. &, ſi Sacerdotis filia eſſet, flammis abſumebatur, *Levitici* cap.21. quam legem,teſte *Maimonide* præfatione in Seder Zeraim,Judæi,à Moſis temporibus,perpetuò obſervarunt. Nec ſolùm Mariæ honorem præmaturus illius partus in diſcrimen adduxiſſet,ſed etiam Herodem & Judæos Chriſtum perſequentes, excuſabiles reddidiſſet. *Quid enim,* inquit *S.Ambroſius* lib.2. in Lucam, *Judæis, quid Herodi poſſet adſcribi: ſi natum viderentur ex adulterio perſequi*? Denique, ſi Maria ſex menſibus poſt initas nuptias Chriſtum peperiſſet, ut innuit cl. *Bernardus Lamy*, Iudæi, qui in perniciem Chriſti incumbebant, & vel leviſſimos rumores ad ipſum calumniis inceſſendum aucupabantur, non illum appellaſſent filium Joſephi, ſicut legimus *Matth.* cap.13. *Lucæ* cap.4. *Joannis* cap. 6. ſed eum potiùs tanquam ſpurium & adulterinum filium ubique ſugillaſſent. Nam *deſponſata, ſi gravida fiat in domo patris ſui, infans habetur pro ſpurio*, ut ait *Maimonides* in tractatu de prohibitis congreſſibus cap.15. n.17.

Reſpondet doctiſſimus *P. Lamy*, honori & famæ B. Virginis hoc pacto proſpexiſſe Deum, ut confeſtim poſt legationem Gabrielis,Maria impulſa Spiritu Sancto, perrexerit in montana Judææ, ubi, extra rumores popularium ſuorum, verſata eſt tribus menſibus in ædibus cognatæ ſuæ Eliſabeth, eamque reverſam ad parentes, jamque tribus ab

ab hinc menſibus prægnantem in ædes ſuas deduxerit Joſeph, & cum ipſa matrimonium inierit. Deindè ait: Poſſe per plures menſes celari tumentem uterum, eos maximè, quibuscum non intercedit familiaris conſuetudo. Subdit denique: Imperatorem Auguſtum juſſiſſe his temporibus, ut deſcriberetur univerſus orbis, & in Bethleem profectos fuiſſe Mariam & Joſephum, ut morem gererent Imperatoris edicto, Mariam ibi partu ſolutam eſſe extra rumores popularium ſuorum, ex quorum animis, omnem malam de Maria ſuſpicionem amovebat nomen & fama Joſephi, quem ſciebant eſſe juſtum; fugam etiam in Ægyptum, ac moram in longinqua illa regione effeciſſe, ut ad ea, quæ partum Mariæ ſpectabant, non illi mentem adverterint.

Sed hæc Reſponſio, pace illius Auctoris dixerim, non elevat, ſed potiùs majorem vim conciliat argumento. Quî enim primò credibile eſt, parentes Mariæ permiſiſſe unquam, ut puella necdum nupta hanc ſuſciperet peregrinationem, & pergeret in montanam Judææ regionem, contra Judæorum avitam conſuetudinem, qui, ut omnes probè norunt, ſedulò cavere ſolent, ne puellę viris ſponſione promiſſæ, & quæ in domo paterna adhuc verſantur, vel minimâ infamiæ labe aſpergantur; Mariæ autem peregrinatio, & ab ædibus paternis diuturna abſentia, rumoribus & ſuſpicionibus Judæorum anſam & occaſionem ſuppeditare potuiſſent. Quod autem ait doctiſſimus ille Auctor, *poſſe per plures menſes celari tumentem puellæ uterum*. Incertum omninò eſt & infirmum argumentum; ſpatium enim trimeſtre ad rem iſtiusmodi detegendam, vulgò aſſignant Hebræi: *fœmina*, inquiunt, *viduata non nubit, niſi poſt nonaginta dies, ut nempè dignoſcatur inter ſobolem primi mariti, & ſecundi*. Legitur etiam Geneſis cap. 38. quod *poſt tres menſes nunciaverunt Judæ, fornicata eſt Thamar nurus tua, & videtur uterus illius intumeſcere*. Deinde ægrè adducentur viri docti, ut credant: voluiſſe Deum honorem Beatæ Virginis, jam à tribus menſibus prægnantis, ſartum tectum conſervare, celando illius tumentem uterum; illius quippè novi, & hactenùs inauditi commenti ne apex quidem apud Sanctos Patres, & Scripturæ Sacræ Interpretes, vel minimum extat illius rei veſtigium. Sed ut dem, Mariam, quando ab ædibus Eliſabeth ad parentes reverſa eſt, potuiſſe, celando tumentem uterum, declinare rumores popularium ſuorum; hos tamen rumores effugere haud quamquam potuiſſet in ſuo partu, quem doctiſſimus *P. Lamy* contigiſſe putat ſex menſibus à completis nuptiis. Inſolitus namque, ut mox dixi, Mariæ partus popularium rumores facilè admodum excitaſſet, quippè qui nunquam tale quidquam vel fando accepiſſent temporibus majorum ſuorum accidiſſe, unde ſtatim in aliquam ſtupri ſuſpicionem veniſſent, quam nec nomen, nec fama Joſephi, quantumvis juſti, ab eorum animis evellere potuiſſet. Ecquis

ſanè tam bonus, ut velit puellam à fornicationis ſuſpicione eximere, quæ poſt ſex menſes à celebratis nuptiis peperit, propter nomen & famam mariti? Certè narrat *Dio* lib. 48. Cæſarem Auguſtum Imperatorem licet optimum, à plebe fuiſſe deriſum, eò quod *Livia*, quam in uxorem duxerat, tertio menſe poſt celebratas nuptias filium pepeririſſet, ita ut per jocum id temporis hoc proverbii loco haberetur: *fortunatis hominibus trimeſtres quoque naſci liberos*. Malè ergo Beata Virgo audiiſſet apud populares ſuos, nec ſe ab infamia liberare potuiſſet, niſi referando myſterium, quod in illa peractum eſſe prorsùs ignorabant. Denique à vero procul abeſt, quod ait idem Auctor: fugam ſcilicet in Ægyptum, & moram in longinqua illa regione in cauſa fuiſſe, cur populares Mariæ ad ipſius partum mentem non adverterint. Quaſi verò partus Mariæ tot ſignis & prodigiis conſpicuus, adoratione Magorum oſtenſus, prædictione Simeonis & Annæ in templo, atque ſtrage infantium, quos inaudita crudelitate jugulari juſſit Herodes, longè lateque in tota Judæa notiſſimus; ſolis popularibus Mariæ non innotuerit, omnique ſublato nunciorum commercio, ipſi ſoli peregrini & hoſpites fuerint in his, quæ Mariæ partum ſpectabant, id profectò ab omni veri ſpecie abhorrere videtur. Rejectâ itaque reſponſione *P. Lamy*, multò probabilius eſt, ideò populares Mariæ nec animis fluctuaſſe, nec ullam de ea, quando prægnans ab ædibus Eliſabeth ad parentes reverſa eſt, ſiniſtram ſuſpicionem habuiſſe, quia compertum habebant, Mariam, antequam ſe ſe ad iter accingeret, ſeu pergeret ad montana Judææ, matrimonium iniiſſe cum Joſepho, ipſique tanquam patri conceptam prolem acceptam referri debere, minimè dubitabant.

Diluuntur
Contrariæ Sententiæ argumenta.

Arguitur primò, Maria, *Lucæ* cap. 1. dicitur deſponſata viro, cui nomen erat Joſeph. *Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Joſeph, de domo David, & nomen virginis Maria.* Ergo Maria ante legationem Gabrielis, necdum erat Joſepho nupta, ſed tantùm deſponſata, ſeu ſponſione promiſſa.

Reſpondeo primò, neg. conſeq. Creberrimè namque Scriptura Sacra *deſponſatam* appellat non ſolùm puellam, quæ ſponſione promiſſa eſt, & quæ adhuc in domo paterna verſatur, ſed eam etiam puellam, quæ viro tradita eſt, & in illius domeſticum conſortium recepta, ut proclive mihi eſſet demonſtrare ex benè multis, quæ ſuppetunt Scripturæ Sacræ locis, quæ laudat, ac dilucidè exponit cl. Auctor *Galli-*

Gallicæ Analyſeos R. P. Mauduit Congreg.Orat. Presbyter diſſertatione ſecunda. unicum duntaxat, quò major lux affulgeat, & adverſariorum detegatur hallucinatio, hîc adducere ſatis ſuperque ſufficiet. *Lucæ* cap.2.legimus: Joſephum veniſſe in Bethleem,*ut profiteretur cum Maria deſponſata ſibi uxore prægnante*. Maria ergo dicitur à S. Luca *deſponſata* Joſepho etiam eo tempore, quo unà cum ipſo Bethleemum venit, ubi Chriſtum Dominum peperit, & tamen nemine refragante, Maria, quando cum Joſepho in Bethleem ſe contulit, ut obtemperaret Cæſaris edicto, non ſolùm erat Joſepho ſponſione promiſſa, ſed etiam illi reverà nupta erat, & tanquam viro tradita. Sic etiam Eccleſia actu licet copulata Chriſto vocatur *Sponſa*, cùm tamen hæc conjunctio verè matrimonialis ſit. Patet itaque ſolenne eſſe Scripturæ Sacræ, *deſponſatam* promiſcuè appellare ſive puellam ſponſione promiſſam, ſive puellam jam nuptam, & viro traditam, ac ſubindè adverſarios ex his Sancti Lucæ verbis, nihil ad ſuæ ſententiæ præſidium petere aut extundere poſſe.

Reſpondeo ſecundò, Euangeliſtam Lucam, dum Mariam *deſponſatam* Joſepho, & non nuptam eſſe dicit, innuere duntaxat velle: Nullum fuiſſe Mariam inter & Joſephum actum matrimonii conſummati, nullum nuptialem concubitum, ſed non excludere verum & ratum matrimonium, quod, ſicut exponit Doctor Angelicus 3.p.q.29.art.2. ſiſtit in indiviſibili conjunctione animorum,per quam conjuges fidem ſibi mutuò datam ſervare, & omnes amoris reciproci vices, convictu communi, bonorum & malorum communione, citra tamen commixtionem quoad thorum, inter ſe ſe alternare tenentur. Hoc enim ratum matrimonium Mariæ cum Joſepho non obſcurè inſinuare videtur S. Lucas, dum eodem in capite ſic Mariam inducit Angelum alloquentem: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum* (ſupple meum) *non cognoſco*? non potuiſſet autem Maria vocitare tum temporis Joſephum *virum ſuum*, niſi fuiſſet cum ipſo conjugali vinculo actu ſociata. Ut igitur S. Lucas oſtenderet, Mariæ virginitatem non fuiſſe per matrimonium ereptam, aut violatam, ſed ſepoſito omni concubitu nuptiali illibatam perſtitiſſe, Mariam Joſepho deſponſatam dicere maluit, quàm nuptam. Eamdem adhibet interpretationem S. Thomas quibuſdam teſtimoniis SS. Patrum, videlicet *Hieronymi* in cap. 1. Matth. & *Ambroſii* lib.2.in Lucam, qui primâ fronte docere videntur Mariam inter & Joſephum interceſſiſſe tantùm ſponſalia, & non nuptias. Dicit enim Angelicus Doctor:Ideò illos SS. Patres conjugium Mariæ cum Joſepho nuptias appellare noluiſſe,quia nuptiarum nomine intelligebant nuptialem concubitum, qui procul abfuit à matrimonio Mariæ cum Joſepho. Quapropter ut violatæ virginitatis & maritalis conſortii ſuſpicionem, longiùs à matrimonio Mariæ amoli-

B 2 ren-

rentur hi Sancti Patres, Mariam Joſepho *deſponſatam*, non nuptam, eſſe dicunt. Cæterùm *S. Auguſtinus* matrimonium Mariæ cum Joſepho, nuptias appellare non dubitat, ut videre eſt cap.11.lib.*de nuptiis & concupiſcentia*, ubi hæc habet: *Omne nuptiarum bonum completum eſt in illis parentibus Chriſti, proles, fides, & Sacramentum. Prolem cognoſcimus ipſum Dominum Jeſum: fidem, quia nullum adulterium: Sacramentum, quia nullum divortium. Solus ibi nuptialis concubitus non fuit.* His gemina habet S. Doctor lib.5. *contra Julianum* cap.9. & lib. 22. *adverſus Fauſtum* cap.8. ubi ait: *Beatam Virginem inter & S. Joſephum extitiſſe conjugium non concubitu, ſed affectu; non commixtione corporum, ſed copulatione, quod eſt charius, animorum.*

Arguitur ſecundò, *Matth.* cap. 1. hæc verba leguntur: *Cùm eſſet deſponſata Mater Jeſu, Maria, Joſeph, antequam convenirent, inventa eſt in utero habens de Spiritu Sancto.* Hæc autem verba, *antequam convenirent*, non poſſunt commodiùs exponi, & ad probandam Mariæ virginitatem aptiùs intelligi, quàm de conventione, ſeu congregatione ad cohabitandum, ita ut ſenſus ſit: Mariam de Spiritu Sancto concepiſſe, priusquam in eisdem ædibus cum Joſepho habitaret. Hac ſiquidem admiſsâ interpretatione, præripitur omnis argutiarum materies *Helvidio*, aliiſque heterodoxis, qui maritali commercio Joſephum uſum eſſe contendebant, poſtquam Maria peperiſſet Chriſtum Dominum. Sequitur igitur, juxtà hanc interpretationem: Mariam, quando de Spiritu Sancto concepit, adhuc in ædibus paternis fuiſſe verſatam, ac ſubindè necdum fuiſſe Joſepho nuptam, ſi enim Joſepho fuiſſet nupta, propriis jam relictis laribus, in ædes Joſephi conceſſiſſet.

Reſpondeo, hæc Matthæi verba, *antequam convenirent*, de conventione ad habitandum non eſſe exponenda, jam enim Maria, ut docent SS. Patres *Chryſoſtomus* homil.4. in Matth. & *Ambroſius* lib. 2. in Lucam, intus erat, & in eisdem ædibus cum Joſepho habitabat. Ita etiam cenſet *S.Thomas* 3.p.q.29. art.2. ad 3. *Beata Virgo*, inquit, *ſic fuit deſponſata Joſeph, quod etiam eſſet domi habita: nam ſicut in ea, quæ in domo viri concipit, intelligitur conceptio maritalis, ſic in ea, quæ extra domum concipit, eſt ſuſpecta conceptio, & ita non eſſet ſufficienter proviſum famæ Beatæ Virginis.* Hæc itaque verba, *antequam convenirent*, non ſunt accipienda de conventione ad cohabitandum, ſed potius de concubitu conjugali, quem hoc modo honeſtè & verecundè ſignificare voluit Matthæus, ſunt intelligenda; ſicut ea interpretatur *S.Hieronymus* in libro, quem lucubravit adversùs Helvidium. Hæc autem interpretatio, Mariæ virginitati nequaquam officit, quia, ut optimè ait S. Thomas, hinc non ſequitur poſtea inter ſe conveniſſe, ſeu copulam carnalem habuiſſe Joſephum & Mariam, quemadmodum eò loci impiè colligebat *Helvidius*, ſed ſolùm demonſtratur, dum Joſeph & Maria

Maria videbantur conventuri, ſeu concubitum conjugalem habituri, præveniſſe conceptionem factam operatione Spiritus Sancti, quò factum eſt, ut ulteriùs non convenirent. Sicut ex. gr. ſi aliquis dicat: *antequam in portu pranderem navigavi*, non intelligitur, quod in portu prandeat poſtquam navigavit, ſed quia cogitabat in portu pranſurus. Sic etiam dicimus *Antiochum è vivis exceſſiſſe antequam pœnitentiam ageret*, nec tamen ſequitur, illum poſt mortem pœnitentiam egiſſe. Huic ergo ſtandum eſt interpretationi, quæ verbis Euangeliſtæ apprimè congruit.

Arguitur tertiò, Matthæus eodem in capite ſubdit: *Joſeph autem cùm eſſet juſtus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere illam*. Quorum verborum hic obvius & genuinus videtur eſſe ſenſus: Joſeph autem, cùm eſſet juſtus, & nollet Mariam traducere è domo paterna in domum propriam, (apud Hebræos quippè deſponſatio præcedebat, tum ſequebatur introductio ſponſæ in ædes ſponſi) ſtatuit apud ſe eam deſerere. Hinc Angelus ancipiti cogitationum æſtu fluctuanti Joſepho, & quid facturus eſſet hærenti dubio dixit: *Noli timere accipere Mariam*, quaſi diceret: *Joſeph contrahe nuptias, quas vis diſſolvere, & quod reſtat faciendum, Mariam conjugem deduc in domum*. Ergo quando Joſephus intellexit Mariam eſſe gravidam, nondum Maria habitabat cum eo, nec proinde illi nupta erat. Dici itaque non poteſt: Mariam fuiſſe nuptam Joſepho ante legationem Gabrielis.

Reſpondeo, hanc interpretationem, quæ in objectione adducitur, eſſe planè detortam, & à vero S. Matthæi ſenſu omninò alienam. Id apertè liquet ex ſerie Sacri Euangeliſtæ contextus, qui ſic habet: *Joſeph autem vir ejus cùm eſſet juſtus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere illam*. Quomodo, quæſo, Joſeph dimittere Mariam potuiſſet, ſi in ejus domum needum fuiſſet traducta? nam, ut inquit *S. Ambroſius* lib. 2. in Lucam, *quam non accepit, nemo dimittit, & ideò qui volebat dimittere, fatebatur acceptam*. Quomodo etiam Joſeph libello repudii Mariam dimittere potuiſſet, ſi ipſi nondum eſſet nupta? Deſponſata namque libello repudii non dimittebatur, cùm nec eſſet in poteſtate viri, nec in illius ædibus habitaret, nec fidem conjugalem ipſi oppigneraſſet. Denique ſi Maria non fuit tum temporis Joſepho nupta, ut quid Matthæus Joſephum appellat virum Mariæ? *Joſeph autem vir ejus*. Ut quid etiam Angelus, qui Joſepho in ſomnis apparuit ut ſedaret æſtus, quos tacitus concoquebat, & omnem ſuſpicionem, ac dubitationem ex ignoratione myſterii nondùm ipſi revelati profectam diſpelleret, Mariam vocat conjugem Joſephi? *Joſeph fili David noli timere accipere Mariam conjugem tuam*. Hæ ſiquidem appellationes *viri & conjugis*, in ſponſalia de futuro, ex uſitato hominum ſermone convenire non poſſunt, alioquì ſi ejusmodi appellationes ad ſponſalia

ſalia de futuro detorquere liceat, nullus profectò in tota Scriptura Sacta locus occurret, ex quo evinci poſſit: Mariam fuiſſe aliquando matrimoniali vinculo ſociatam Joſepho, quod tamen nemo impræſentiarum dicere audeat. Rejectâ itaque adverſariorum interpretatione, duplex ad iſtum Matthæi locum poteſt adhiberi expoſitio, quam Sanctorum Patrum fulcit auctoritas. Prima hæc eſt: *Joſeph autem cùm eſſet juſtus, & nollet eam traducere*, ſeu Mariam ignominioſè accuſare, probro velut adulterii ream exponere, & criminaliter in propriam uxorem agere, ſolemnes ſcilicet adhibendo formulas juris, convocando ſenatum & parentes, ut moris erat apud Judæos, teſte *Joſepho* lib.4. antiq. cap. 8. voluit ut ipſius honori conſultum foret, occultè dimittere illam, ideſt,ne quid infamiæ periculive puellæ conflaret, dare voluit libellum repudii coram paucis arbitris, parentibus, ac proximis agnatis, vel, ut aliis placet Scripturæ Sacræ Interpretibus, voluit Joſeph, ſemoto omni ſtrepitu, Mariam deſerere, peregrinatione in aliam regionem commeando inſtitutâ,eique poteſtatem facere ineundi nuptias cum eo, cujus conſortio prægnans videbatur.

Alteram hujus loci interpretationem, poſt aliquos Sanctos Patres affert *Gerſonius* ſacræ facultatis Pariſienſis Cancellarius, in epiſtola ſecunda de feſto S. Joſephi inſtituendo, quæ extat in quarta parte operum ejus. Dicit enim celeberrimus ille Doctor: Joſephum per revelationem & colloquium Mariæ cognoviſſe, etiam antequam pergeret in montanam Judææ regionem, eam prægnantem eſſe, & de Spiritu Sancto concepiſſe; tuncque Joſephum ſtupore quodam perculſum, & tam ſublimis honoris admiratione defixum, ſimile aliquid cum Petro ſentiiſſe, ac dixiſſe: *Exi à me Domina, quia peccator ſum*. Aut cum Centurione: *Domina non ſum dignus ut inhabites mecum*. Hanc doctiſſimi Cancellarii interpretationem piam eſſe fateor, & ad commendandam S.Joſephi humilitatem ſeu modeſtiam appoſitè,atque ingenioſè ex contextu Scripturæ Sacræ exculptam, priori tamen interpretationi potiùs ſtandum eſſe cenſeo, quippe quæ, ut ait Doctor Angelicus 3.p. q.29. art.2. ad 3. magis conſonat Euangelio.

Arguitur quartò: Omnes Theologi docent contra Calvinum, & Centuriatores Magdeburgenſes,aliosque hujus furfuris heterodoxos, Mariam voto virginitatis ſeſe obſtrinxiſſe longè antequam ab Angelo ſciret ſe Matrem Dei eſſe electam. Eò namque ſpectat plena Mariæ admirationis interrogatio: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* ex quibus verbis *S. Auguſtinus* lib. *de ſancta virginitate* cap.4. Mariam virginitatem voviſſe colligit, alioqui non appoſita videretur interrogatio, ſi de præſenti tantùm,aut de præterito loqueretur Maria, non de futuro, potuiſſet ſiquidem Angelus reſpondere

Ma-

Mariæ:Etſi nunc virum non cognoſcas, & necdum cognoveris, poſtmodum cognoſces, aut cognoſcere poteris. Atqui voto virginitatis è diametro opponitur matrimonium, quia neceſſariò importat conſenſum in copulam carnalem, ergo veroſimile eſt, Mariam aut nunquam matrimonium iniiſſe cum Joſepho, aut ſaltem illud duntaxat contraxiſſe poſt legationem Gabrielis, à quo didicit Incarnationis myſterium, & nullum ex ineundo connubio virginitati ſuæ allatum iri nocumentum.

Reſpondet *Bollandus* tom.3.de actis Sanctorum ad diem 19.menſis Martii, Mariam & Joſephum voti cui ſe obſtrinxerant obligatione fuiſſe ſolutos,aut ſaltem meritò dubitaſſe: Num voti religione obligarentur, quando matrimonium invicem contrahere debuerunt. Verba illius Auctoris ſubnectam. *Dirarum*, inquit, *omniumque malorum extremum cenſebatur in veteri lege deſperatio poſteritatis, maximè ſi qui parentibus ſuis ſic vicini eſſent, ut niſi procreandæ proli operam darent, fruſtrandi eſſent majores ſui ſperatæ ſucceſſionis bono, & retrò in caput volvenda hæreditas. Cùm itaque hæc omnia in Joſepho atque Maria tantò fuerint majora, quantò propiùs illi per rectam tàm naturæ, quàm legis lineam ad illam ſpem admovebantur, cur ego hìc verear cogitationem meam utriusque honori non parùm fortè conducturam aperire, faterique ſuſpicari me rebus ſic conſtitutis; reverà, & ex ipſa natura obligationis, ſimul cum tali voto vix ac ne vix quidem conſiſtentis, potiori debito prævalente, ſolutum fuiſſe ea religione utrumque, aut ſaltem dubitaſſe num adhuc obligarentur*. Hactenus *Bollandus*, cujus conjectura jejuna & frigida eſt,nec in Scriptura Sacra, nec in Sanctis Patribus, nec in tota retrò antiquitate vel minimum veſtigium habet, immò Mariæ honori non ſatis proſpicere videtur hic Auctor, dum eam emiſſo virginitatis voto, inſtante matrimonio, fuiſſe ſolutam,aut ſaltem dubitaſſe:Num voti adhuc religione obligaretur, nimiùm audacter ariolatur. Relictâ itaque hac *Bollandi* reſponſione.

Reſpondeo primò cum *S.Thoma* 3.p. q.28. art. 4. Mariam antequam cum Joſepho jungeretur matrimonio, non abſolutè, ſed ſolùm ſub hac conditione: *ſi Deo placeret*, virginitatem ex voto Deo nuncupaſſe. *Nam tempore legis Moſaicæ*, inquit Sanctus ille Doctor, *oportebat generationi inſiſtere tàm mulieres, quàm viros, quia ſecundùm carnis originem cultus Dei propagabatur, antequam ex illo populo Chriſtus naſceretur, quapropter licet Virgo in deſiderio virginitatem habuerit, ſuper hoc tamen voluntatem ſuam divino commiſit arbitrio*. Nec mirum ſi ſub hac conditione virginitatem voverit Maria, nam cùm certò ipſi non conſtaret, eo tempore quo vovit,an gratior eſſe Deo virginitas,quàm matrimonium, debuit hanc adhibere conditionem *ſi Deo placeret*,quæ conditio propoſitum virginitatis haud minuit, ſed potiùs obedientiæ me-

merito decoravit. Hinc *S. Bernardus* homil.4. ſuper *Miſſus eſt* diſertè docet: Mariam in ea fuiſſe præparatione animi, ut virginitatis, cui ſe obſtrinxerat, votum frangeret, ſi ita Deo placeret. Sic enim Mariam inducit Gabrielem alloquentem: *Cùm ſciat Dominus meus teſtis conſcientiæ meæ, votum eſſe ancillæ ſuæ non cognoſcere virum; qua lege, quo ordine placebit ei ut fiat iſtud? ſi oportuerit me frangere votum ut pariam talem filium, & gaudeo de filio, & doleo de propoſito, fiat tamen voluntas ejus.* Addere etiam poſſum cum *S. Thoma*, Mariam ante legationem Gabrielis etiam abſolutè virginitatem deſpondiſſe, quia ſpeciali revelatione ſciebat, votum à ſe editum Deo gratum & acceptum eſſe: nec ex nuptiis, quas cum Joſepho celebrare debebat, copulam carnalem acceſſuram, unde in revelationibus Sanctæ Brigittæ lib.7. cap.25. Mater Dei famulæ ſuæ ſic locuta legitur: *Ego in Spiritu Sancto certiſſimè ſcivi, quod virginitas mea perpetuò permaneret illæſa, licet ex occulta Dei diſpenſatione viro deſponſabar.* Quapropter illæſo perſtante virginitatis voto, quod edidit Maria, ſive abſolutum, ſive conditionatum fuerit, potuit Maria ante legationem Gabrielis nuptias celebrare cum Joſepho.

Reſpondeo ſecundò: Idem argumentum poſſe retorqueri in adverſarios, nam ſponſalia opponuntur virginitatis voto, ſunt etenim ſponſalia futuri matrimonii inchoatio, ſeu futurarum nuptiarum promiſſio; & in hoc tantùm diſcrepant à matrimonio rato, quod matrimonium ratum ſit contractus per verba, ut ajunt, de præſenti expreſſus, *accipio te in uxorem, accipio te in virum*; ſponſalia verò fiant per verba de futuro, ut loquuntur Scholaſtici, *accipiam te in uxorem, accipiam te in virum*; ſi ergo Maria propter emiſſum virginitatis votum, non potuiſſet ante legationem Gabrielis inire cum Joſepho matrimonium, pari quoque ratione, nec ipſi ſponſalia contrahere licuiſſet, & tamen ultrò fatentur adverſarii, Mariam, non obſtante virginitatis voto, fuiſſe ante legationem Gabrielis Joſepho ſponſione promiſſam; quidni ergo potuit, etiam ante legationem Gabrielis, vero & rato cum Joſepho jungi matrimonio?

Arguitur quintò: Maria & Joſeph nuptias proculdubio celebrarunt, ſervatis Hebræorum circa connubia legibus: Atqui *Maimonides* in tractatu *de connubiis Hebræorum* cap.10.n.17. aſſerit: Puellam non ſtatim poſt ſponſalia in domum conjugis fuiſſe deductam, ſed ei aliquam in parentum ædibus moram fuiſſe conceſſam, credibile itaque eſt, Mariam tempore legationis Gabrielis fuiſſe Joſepho ſponſione promiſſam, eamque hoc temporis ſpatium, quod puellis deſponſatis ante ſolemnem in ædes conjugis deductionem concedebatur, inſumpſiſſe; commorando per tres menſes apud cognatam ſuam Eliſabeth, quibus exactis, Maria in ædes Joſephi deducta eſt, & nuptias cum eo celebravit.

Re-

Reſpondeo: Tempus, quod puellis deſponſatis ante ſolemnem in ædes conjugis deductionem concedebatur, nullâ lege apud Hebræos fuiſſe præfixum, & aliquando breve admodum fuiſſe, ut liquet exemplo Rebeccæ *Geneſis* cap.24. ubi dicitur: Fratres Rebeccæ poſtulaſse, ne ad Iſaac, cui modò fuerat deſponſata Rebecca, deduceretur, niſi poſt decem dies. *Maneat*, inquiunt, *puella ſaltem decem dies apud nos, & poſtea proficiſcetur*. Tempus etiam illud puellis deſponſatis conceſsum, nullâ apud Hebræos fuiſse lege præfixum, teſtatur *Leo de Modena* part.4. cap.3. *hiſtoriæ de ritibus Judæorum*, ubi aſserit: Quaſdam deſponſatas manere per integrum annum, alias per ſemeſtre, plus minus, pro voluntate & commoditate contrahentium. Quid ergo prohibet, ut dicam: Mariam, quatuor circiter menſibus ante legationem Gabrielis, fuiſse Joſepho ſponſione promiſsam; ſicque deſponſatam per tres menſes in ædibus paternis eſſe verſatam, quarto verò ineunte menſe à contractis ſponſalibus, matrimonium ſolemni ritu iniiſſe cum Joſepho, & in eiſdem ædibus habitare cœpiſſe ante legationem Gabrielis. Hæc conjectura, quamvis non ſit omninò certa, plus tamen probabilitatis habet, quàm conjectura *P. Lamy*, aſſerentis: Mariam commorando per tres menſes apud cognatam ſuam Eliſabeth, id temporis inſumpſiſſe, quod puellis deſponſatis concedebatur ante ſolennem in ædes conjugis deductionem. Hæc ſiquidem doctiſſimi illius viri conjectura, aliena eſt à ritibus Judæorum, apud quos, ut teſtatur *Maimonides*, loco ſupra laudato, deſponſatæ verſari debent in domo paterna, quamdiù ſunt ſponſione ſolùm promiſſæ, & nondùm viris traditæ. Addo etiam, nec addidiſſe pigebit, veroſimile non eſſe, his legibus circa connubia ſancitis ita Hebræos fuiſſe adſtrictos, ut ab illis, maximè ita volente & diſponente Deo, eximi haud potuerint Maria, & Joſeph.

Arguitur ultimò: Non decebat, ut Maria ſubjaceret imperio mariti, & unà cum eo habitaret, qui necdum ſciebat eam eſse Matrem Dei electam; iſtud autem myſterium Joſepho patefieri non debebat, niſi elapſo aliquo tempore, poſt Verbi Divini conceptionem. Deſponſanda itaque erat Maria Joſepho, ſed donec ille rem omnem eſset edoctus, congruebat, ut Maria intereà ab eo abeſset poſt deſponſationem per aliquod tempus ante nuptias complendas, quò conſtare poſset, Mariam neutiquam rem habuiſse cum Joſepho, ſed ſolùm Spiritus Sancti operatione concepiſse. Igitur Maria ante legationem Gabrielis fuit tantùm ſponſione promiſsa Joſepho, & poſt reditum à viſitatione Eliſabeth, fuit ipſi nupta, & in ejus conſortium domeſticum adſcita; eo ſiquidem tempore innotuit Joſepho arcanum, quod ipſum antehàc latebat, Verbi Divini Incarnationis myſterium.

Reſpondeo: Hanc jejunam & ſubleſtam eſse conjecturam, quæ

Digitized by Google

facilè admodum exſufflari poteſt. Enimverò expediebat potius, teſte *S. Ambroſio* lib.2. in Lucam, ad Mariæ comprobandam virginitatem, ut in ædibus Joſephi habitaret, eique nupta eſſet, dum concepit, quàm ſi extrà domum Joſephi eique nondum nupta concepiſſet. *Fides*, inquit ille Pater: *verbis Mariæ magis adſciſcitur, & mendacii cauſa removetur; videretur enim culpam obumbrare voluiſſe mendacio innupta prægnans, cauſam autem mentiendi deſponſata non habuit, cùm conjugii præmium & gratia nuptiarum partus ſit fœminarum.* Quibus verbis, ni mea me fallat mens, luculenter docet *S. Ambroſius* ad Mariæ adſtruendam virginitatem, & omnem ſuſpicionis cauſam removendam, convenientiſſimum fuiſſe, ut Maria cum Joſepho nuptias celebraret, antequam conciperet, eſsetque prægnans. Idem planè ſentit *Doctor Angelicus* 3.p. q.29. art.2. ad 3. Nullâ ergo ratione dici poteſt: Mariam tribus ab hinc menſibus prægnantem fuiſse, quando nupta eſt Joſepho, & ab eo in conſortium domeſticum ſuſcepta. Nam, ut ſupra obſervatum eſt, factâ ſemel illa hypotheſi, Maria ſexto menſe poſt celebratas nuptias filium peperiſset, quod ceſſiſset in dedecus, tàm Mariæ, quàm ejus prolis, & Judæorum animis tam inſoliti partus novitate ſuſpenſis, ſtupri ſuſpicionem facilè ingerere potuiſset. Quod verò in objectione ſubditur, non decuiſse, ut Maria habitaret unà cum Joſepho, qui necdum ſciebat eam eſse Matrem Dei electam; frivolum omnino eſt & frigidum argumentum. Joſephus ſiquidem perpetuus caſtitatis amator, & omnis prorſus libidinis expers, tranquillè cum puriſſima ſua conjuge ſub eodem tecto verſabatur, & per matrimonium, quod inierat cum Maria, nuptias à ſuſpicione criminis defendebat, virgineum partum tegebat, & Mariæ miniſterium exhibebat, unde nullum prorſus ex habitatione & ſocietate Mariæ cum Joſepho, licet myſterium nondum edocto, periculum emergere poterat.

Antequam huic paragrapho coronidem imponam, velim advertat obiter Lector, *Joannem Gerſonium* fac.Pariſ. Cancellarium pro inſtitutione feſti Deſponſationis, ſeu matrimonii Mariæ cum Joſepho, ſtrenuam navaſse operam; cujus eâ de re pag.733.& 735. tom.4. recentis & caſtigatæ operum illius editionis, à *Ludovico Ellia du Pin*, Doctore Sorbonico adornatæ anno MDCCVI. duæ extant epiſtolæ; Unâ, cum officio de hacce feſtivitate à Gerſonio concinnato, quod diverſum eſt ab officio de eodem feſto, edito à noſtro *aurato*, qui à Paulo III. Summo Pontifice obnixè poſtulavit anno 1546. ut illud ſuâ auctoritate approbaret pro die 22. menſis Januarii. Cæterùm, licet modò plures Eccleſiæ feſtum Deſponſationis, ſeu matrimonii Mariæ cum Joſepho celebrent, diſcrepant tamen circa diem, quam huic feſtivitati aſſignant, ut videre eſt apud *Bollandum* ad diem 19. menſis Martii, ubi etiam varias inter orationes à variis conceptas Auctoribus,

bus, ut huic feſto congruerent, hanc potiſſimùm refert ex *Colvenerio* Univerſitatis Duacenſis Cancellario, deſumptam ex antiquo Brugenſi Breviario, quæ ſic habet: *Deus, qui Mariam virginem matrimonialiter Joſepho ſociaſti, ut ex virginali conjugio virginum ſponſus naſceretur; fac nos per utriusque interceſſionem ipſum diligere virginitatis Auctorem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, &c.*

PARAGRAPHUS SECUNDUS

An matrimonium Mariæ cum Joſepho fuerit aliquando conſummatum? ſeu utrùm Maria perpetuò permanſerit virgo?

MAtrimonium Mariæ cum Joſepho fuiſse virili congreſsu conſummatum, impiè etiamnùm contendunt obſtinati Judæi, qui Chriſtum ex carnali Joſephi cum Maria conſortio procreatum fuiſse blasphemant. In eodem erroris luto hæſerunt olim *Cerinthus* & *Ebionitæ*, quaſi pauperes & mendici dicti, ut juxtà vocis hebraicæ ethymologiam interpretatur *Euſebius* lib. 3. hiſt. Eccl. cap. 27. Denique quarto Eccleſiæ ſæculo, & aliis ſequentibus, infernus evomuit hæreticos Mariæ virginitatis oſores, *Antidicomarianos* nimirùm, *Jovinianum, Bonoſum, Helvidium,* qui Mariam in partu, & poſt partum virginitatis ſuæ jacturam feciſſe aſſeverare non erubuerunt. Quorum ut confundatur impietas, & Catholicæ Eccleſiæ de perpetua Mariæ virginitate ſtabiliatur doctrina.

DICO PRIMÒ: *Matrimonium Mariæ cum Joſepho non fuiſſe conſummatum, ac ſubindè Chriſtum Dominum ex carnali Joſephi cum Maria conſortio non fuiſſe procreatum.*

Hanc aſſertionem Sole clariùs probant innumera Scripturæ Sacræ loca, quæ generatim oſtendunt: Quod ſicut Chriſtus ſecundùm divinam naturam fuit ἀμήτωρ, hoc eſt, ſine matre; ita ſecundùm naturam humanam fuit ἀπάτωρ, hoc eſt ſine patre; ut planè reſponderet typo Melchiſedechi, qui dicitur ad Hebræos cap. 7. *ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens.* Hinc in ſacris litteris Chriſtus antonomaſticè vocatur: *Semen mulieris*, Geneſis cap. 3. *Lapis è monte exciſus abſque manibus*, Danielis cap. 2. quibus omnibus Scripturæ locis, majorem lucem ac claritatem affundit celeberrimum vaticinium *Iſaiæ* cap. 7. ubi legimus, quod cùm à *Raſin* Rege Syriæ, & *Phacee* Rege Iſrael obſeſſa eſſet Civitas Jeruſalem, & impius *Achaz* Rex Juda ſignum à Deo ob incredulitatem & hypocriſim petere detrectaret; ſic locutus fuerit Propheta: *Audite ergo domus David: nunquid parùm vobis eſt moleſtos eſſe hominibus, quia moleſti eſtis & Deo meo? propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum.*

Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel, butyrum & mel comedet, ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum. Hoc autem *Iſaiæ* vaticinium fuiſſe adamuſſim impletum in Chriſto, quem Maria, integrâ & illibatâ virginitate, ex Spiritu Sancto concepit; docet Euangeliſta *Matthæus* cap. 1. *Cùm eſſet*, inquit, *deſponſata mater ejus Maria Joſeph, antequam convenirent, inventa eſt in utero habens de Spiritu Sancto ...... Joſeph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt, pariet autem filium, & vocabis nomen ejus Jeſum: ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Hoc autem factum eſt, ut adimpleretur, quod dictum eſt à Domino per Prophetam dicentem: Ecce Virgo in utero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen ejus Emmanuel.* Ex eo itaque clariſſimo *Iſaiæ* vaticinio planum ac expeditum eſt, Mariam citra carnale Joſephi conſortium concepiſſe Chriſtum Dominum, ac ſubindè virginem ſimul & matrem permanſiſſe; quod etiam ipsâ rei veritate convictus negare non eſt auſus *Mahumetes*, qui licet pleraque Chriſto Domino ornamenta ſacrilego ore detraxerit, Mariæ tamen virginitatem nunquam negavit, immò eam laudavit in alcorano, & Jeſum Adamo comparavit, qui ſine virili congreſſu conceptus & in lucem editus eſt. Soli recutiti Judæi, qui callum obduxerunt, hoc perſpicuo *Iſaiæ* oraculo, quantùm Chriſtiana fides nitatur, probè intelligentes, ſiniſtris interpretationibus illud aliò detorquere, ejusque vim nonnullis reſponſionibus eludere ac elevare tentant, quas hîc brevi confutatione diſpungere non abs re erit.

Reſpondent primò Judæi: Ex hoc laudato *Iſaiæ* vaticinio evinci nequaquam poſſe: Mariam in conceptu & partu illibatam cuſtodiiſſe virginitatem; quia apud *Iſaiam* non legitur: *Ecce virgo concipiet*, ſed potiùs legendum eſt: *Ecce adoleſcentula concipiet.* Vox ſiquidem *alma*, inquiunt, quæ eſt in textu Hebræo, ſignificat juvenculam, ſeu adoleſcentulam, per quam indigitatur puella quæcunque, ſive virum experta, ſive intacta, ſive nupta, ſive innupta. Hinc *Theodotion*, & *Aquila*, in his, quas adornarunt Scripturæ Sacræ verſionibus, hoc *Iſaiæ* vaticinium hoc pacto ſunt interpretati: *Ecce adoleſcentula in ventre habebit, & pariet filium.* Hanc ſuam reſponſionem tutantur Judæi ex Proverbiorum cap. 30. v. 19. ubi *Salomon* hæc habet: *Tria ſunt difficilia mihi, & quartum penitùs ignoro: viam aquilæ in cælo, viam colubri ſuper terram, viam navis in medio mari, & viam viri in alma, hoc eſt, in puella.* Quod videtur non poſſe non deſignare puellam, quæ jam experta eſt virum; nam *Salomon* verſu ſequenti comparat hanc puellam cum muliere adultera, & dicit talem eſſe viam mulieris adulteræ, quæ caſtitatem jactat, nec ſervat tamen; & abſtergens os ſuum dicit: *Non ſum operata malum.*

Re-

Reſpondent ſecundò Judæi: Hæc *Iſaiæ* verba: *Ecce virgo concipiet, &c.* dicta eſſe de uxore Achaz Regis Judæ, & de ejus filio Ezechia, quem propediem paritura erat.

Verùm utraque Judæorum Reſponſio, quæ plena rimarum hàc illàc perfluit, multis, iiſque invictis momenris convellitur. Primò, quia certiſſimè conſtat hanc vocem, *alma*, ei ſoli puellæ convenire, quæ virginitatem adhibitâ cuſtodiâ ſervavit, & nunquam virorum aſpectibus patuit, ſicut aſſerit *S. Hieronymus* comment. in cap. 7. Iſaiæ: *Quantùm*, inquit, *cum mea pugno memoria, nunquam me arbitror, alma, in muliere nupta legiſſe, ſed in ea, quæ virgo eſt, ut non ſolùm virgo ſit, ſed virgo junioris ætatis, & in annis adoleſcentiæ.* Et in traditionibus hebraicis ſic S. Doctor refellit Judæos: *Oſtendant igitur nobis Judæi in Scripturis alicubi poſitum, alma, ubi adoleſcentulam tantùm & non virginem ſonet, & concedimus eis illud, quod in Iſaia apud nos dicitur: Ecce virgo concipiet & pariet, non abſconditam virginem, ſed adoleſcentulam ſignificare jam nuptam.* Secundò, hæc vox, *alma*, ſæpiùs in ſacris litteris ad deſignandam virginem viro omninò incognitam adhibetur, velut Geneſeos cap. 24. ubi Rebecca puella pulchra nimis dicitur, virgoque incognita viro, in textu hebræo legitur, *alma*, & Exodi cap. 2. Mariæ ſorori Moyſis, quæ virgo itidem erat, idipſum nomen *alma* tribuitur in textu hebræo. Tertiò, *Septuaginta Interpretes* in ſua verſione, *Onkeloſus*, & *Jonathan* in ſuis paraphraſibus, hunc *Iſaiæ* locum ſic ſunt interpretati: *Ecce virgo concipiet, &c.* Denique certò certius eſt, *Iſaiam* proponere conceptum virginis tanquam mirabile ſignum, ideſt, ſeu rem novam, inuſitatam, & prodigii loco habitam; porrò ſi *Iſaias* in hocce vaticinio loqueretur de adoleſcentula, quæ poſt delibatam virginitatem, more cæterarum mulierum concipere, & parere debebat, nullum profectò in hoc mirabile ſignum, aut rarum prodigium Iſaias propoſuiſſet, cum frequenter accidat, ut adoleſcentula, factâ ſemel virginitatis ſuæ jacturâ, concipiat & pariat. *Abſurdiſſimum autem eſt omnium, & ineptiſſimum*, inquit *S. Baſilius* hom. 25. de hum. Chriſti generatione, *à Domino dari ſignum tanti myſterii, quod naturæ ſit commune omni.* Theodotionis autem & Aquilæ præpoſteram interpretationem nihil moror; fuerunt enim, ut obſervat *S. Irenæus* lib. 3. adverſus hæreſes cap. 24. Judæi proſelyti, qui in ſuis Scripturæ Sacræ verſionibus hoc Iſaiæ oraculum, & alia quamplurima Scripturæ loca, quæ Chriſtianæ religioni favebant, de induſtria immutarunt, mutilarunt, interpolarunt. *Aquila* gente Ponticus, urbe Synopæus, primùm Gentilis, poſtea ex Chriſtiano factus Judæus, & Rabbini *Akibæ* Chriſtiani nominis hoſtis infenſiſſimi diſcipulus; Scripturæ Sacræ verſionem Græcam conflavit ſub Hadriano Imperatore circa annum Chriſti 130. teſte *S. Epiphanio* lib. de pond. & menſ. hunc Ju-

dæo-

dæorum proſelytum, Biblia in Græcam linguam contentioſè tranſtuliſſe affirmat *S. Hieronymus* epiſt. ad Pammachium cap. 4. & comment. in Iſaiam cap.8. *Theodotion* verò, qui ſub Commodo Imperat. ſuam Scripturæ verſionem fecit, fuit natione Ponticus, qui fidem Chriſtianam amplexus, deindè ad Ebionis, & Marcionis hæreſes prolapſus,tandem proſelytus & apoſtata Judæus factus eſt. Unde à *S.Hieronymo* proœmio ad Danielem vocatur *incredulus* & *ebionita*. Et epiſt.89. ad Auguſtinum, *homo Judæus, & blaſphemus*.

Ad teſtimonium verò, quod Judæi ad ſuam fulciendam interpretationem proferunt ex lib. proverbiorum cap. 30. quadrifariam reſpondetur. Primò dici poteſt etiamſi eò loci vox, *alma*, deſignaret puellam corruptam, quod tamen oppidò falſum eſt, inde tamen minimè ſequi, eamdem vocis ſignificationem locum habere cap. 7. Iſaiæ, ratio eſt: Quia alibi, ubicumque hæc vox, *alma*, in ſacris litteris occurrit, Virginem ſemper deſignat; nemo autem non fatebitur, ex plurium locorum collatione potiùs de genuina illius vocis, *alma*, ſignificatione Judicandum eſſe, quàm ex unius ſolius loci ſenſu. Secundò,dici poteſt in verſione ſeptuaginta Interpretum, ſicut & in editione noſtra vulgata non legi: *viam viri in alma, ſeu in puella*, ſed *viam viri in adoleſcentia*, quaſi dicat ſapiens: difficile admodum eſſe dignoſcere viam viri in adoleſcentia, quia vaga, verſatilis, inconſtans eſt, & perindè difficilis exploratu, ac via aquilæ, ſerpentis, & navis, quæ nullum poſt ſe relinquunt veſtigium. Solent enim juvenes in adoleſcentiæ æſtu nunquam ſibi conſtare, ſed in diverſa ſingulis horis rapi, diverſiſque moveri affectibus, ita ut difficillimum ſit eorum viam inveſtigare poſſe, ſeu eorum vitæ inſtitutum ac ſcopum internoſcere. Tertiò, dici poteſt Salomonem, dum ait ſe ignorare *viam viri in alma* voluiſſe conceptus, & partus Virginis Mariæ grande, & inexplicabile indicare myſterium, quod longè difficiliùs ſit cognitu viâ vel aquilæ, vel ſerpentis, vel navis, eo quod in illis omnibus ſciſſio aliqua datur, & diviſio, in partu autem Mariæ Virginis nullum prorsùs veſtigium tranſitus vel diviſionis remanſerit, ſed clauſtra pudoris virginei penitùs intacta perſtiterunt. Denique dici poteſt Salomonem eò loci innuere dumtaxàt, velle incerta eſſe Virginis integræ aut corruptæ indicia, tùm quia Virgines etiam defloratæ crimen ſuum ſtrenuè mentiendo tegere & celare poſſunt, tùm quia clandeſtinæ, & occultæ ſunt mille nocendi artes virorum, qui Virginibus inſidiantur, & tortuoſa eorum conſilia, adeò ut perdifficile ſit eorum fraudes, machinationes, & ſcelera detegere, ac penetrare.

Alteram quod ſpectat Judæorum reſponſionem, manifeſtum eſt, eam apertè cum hiſtoria Sacra pugnare; edita ſi quidem eſt hæc

Iſaiæ

Digitized by Google

Iſaiæ prophetia: *Ecce virgo concipiet, &c.* regnante jam *Achazo* Rege Juda; ſupponamus itaque ejuſmodi vaticinium editum eſſe ab Iſaia, anno quo regnum auſpicatus eſt *Achaz*, certum eſt, non poſſe prædictum Iſaiæ oraculum intelligi de Ezechia, quia Ezechias initio regni patris ſui Achaz, jam ut minimum novem annos natus erat. Regnavit quippè Achaz annos ſexdecim, ut patet ex lib. 4. Regum cap. 16. & eo mortuo ſtatim regnavit ejus filius Ezechias, viginti quinque annos natus cum regnare cæpit, ut colligitur ex lib. 4. Reg. cap. 18. ex quo calculo ſequitur: Ezechiam in exordio regni patris ſui, jam novum ætatis ſuæ attigiſſe annum. Se ſe ergo Judæi plenis buccis deridendos propinant, dum iſtud Iſaiæ oraculum, *ecce virgo concipiet, &c.* intelligendum eſſe garriunt de uxore Achaz, & de ejus filio Ezechia, quem propediem paritura erat.

Eliſâ utrâque Judæorum reſponſione, nunc propulſare juvat inſignem calumniam, quam *Celſus* ethnicus auctor Beatæ Mariæ Virgini temerario auſu importavit, aſſerens: ut teſtatur *Origenes* lib. 1. quem edidit contra hunc fidei hoſtem, Mariam in adulterio fuiſſe deprehenſam, eamque Chriſtum, ex illicito cujuſdam *panthera* concubitu conceptum, Clàm enixam fuiſſe. Hæc autem putidiſſima calumnia non ſolùm ex luculentiſſimo Iſaiæ vaticinio, & ex hiſtoria Evangelica confutata manet, ſed etiam evidenti ratione diſſlari poteſt. Enim verò, ut ſolido utar ratiocinio Illuſtriſſimi Danielis *Huetii* Epiſc. Abrincenſis in lib. de Demonſtr. Evangelica propoſ. 9. quis credat tantâ patientiâ fuiſſe Joſephum, ut manifeſtam criminis, quod legibus Judæorum tàm ſeverâ animadverſione puniebatur, ſecuram vivere permiſerit? quis credat, infamem mulierem, inter conſanguineos & affines, inter infenſos filio ſuo legisperitos, Sacerdotes, & Phariſæos tutam fuiſſe? quis credat Jeſum ipſum tam ſpurco, & damnato genitum concubitu, in Eccleſiam Domini fuiſſe admiſſum contra Moſis interdictum, neque ipſi ab invidis, & inimicis, quos complures ſua ei virtus pepererat, objectum publicè, & exprobatum? quis credat denique Evangeliſtas, & Apoſtolos in manifeſta re præfractè mentiri auſos, & adversùs rei propalam editæ notitiam, ſuperſtitibus etiam pervulgati facinoris teſtibus, mirabilem quemdam Chriſti ortum eſſe commentos, & ad Davidem retuliſſe. Apagè ergò hanc teterrimam, malèque conſutam calumniam, quam hic adduxiſſe, ſatis ſuperque refutaſſe eſt.

DICO SECUNDÒ: *Mariam tàm in partu, quàm poſt partum Virginem permanſiſſe.*

Prima hujus aſſertionis pars, probatur non ſolùm ex variis veteris Teſtamenti figuris, quibus Mariæ partus fuit præmonſtratus, rubo videlicet ardente & incombuſto, *Exodi* cap. 3. vellere Gedeonis, judi-

judicum cap. 6. & virgâ Aaronis, quæ abſque ullo exterioris humoris adminiculo, ſolâ Dei virtute floruit, fronduit, ac fructum fecit, numerorum cap. 17. ſed etiam ex perſpicuo adſtruitur Scripturæ Sacræ teſtimonio petito ex cap. 44. Ezechielis, *porta hæc clauſa erit, & non aperietur, & vir non intrabit per eam, quoniam Dominus Deus Iſrael ingreſſus eſt per eam*. Quod prophetæ oraculum interpretantur SS. PP. de Maria Virgine, quæ ob perpetuam, quam conſervavit, Virginitatem, verè fuit porta clauſa, hortus concluſus, fons ſignatus. *Porta igitur Maria*, inquit *S. Ambr.* lib. de Inſtitut. Virginis cap. 7. *Per quam Chriſtus intravit in hunc mundum, quandò virginali fuſus eſt partu, & genitalia virginitatis clauſtra non ſolvit, manſit intemeratum ſeptum pudoris, & inviolata integritatis duravere ſignacula, cum exiret ex Virgine*. Atque hæc eſt Sanctorum Patrum, & Epheſini præterea Concilii Doctrinâ, Symbolorum proteſtationibus, & utriuſque Eccleſiæ perpetuò conſenſu comprobata, quâ credimus illibatam Mariæ in partu Virginitatem perſtitiſſe, Chriſtique corpus clauſis uteri virginalis repagulis, eodem modo foras prodiiſſe, quo obſeratis foribus poſt reſurrectionem ad diſcipulos penetravit. Naſcitur Chriſtus, inquit *Catechiſmus Concilii Tridentini*, ex matre ſine ulla maternæ virginitatis diminutione, & quomodò poſteà ex ſepulchro clauſo, & obſignato egreſſus eſt, atque ad diſcipulos janus clauſis introivit: vel ne à rebus etiam, quas naturâ quotidiè fieri videmus, diſcedatur, quomodò ſolis radii concretam vitri ſubſtantiam penetrant, neque frangunt tamen, aut aliqua ex parte lædunt: ſimili, inquam, & infinitis partibus altiori modo, Jeſus Chriſtus ex materno alvo, ſine ullo maternæ virginitatis detrimento editus eſt. Quod quidem Spiritus Sancti virtute effectum eſt, qui in filii conceptione & partu, matri ità adfuit, ut ei fœcunditatem dederit.

Altera aſſertionis pars perpetuâ nititur Sanctorum Patrum traditione, *Origenis* homil. 7. in *Lucam*, *Hieronymi* adversùs *Helvidium*, & *Jovinianum*, *Baſilii* homil. 25. *Epiphanii* hæreſi Lxxviij. Syricii Papæ epiſt. 5. ad *Theophilum*, & *Anyſium Epiſcopos*, *Ambr.* lib. de Inſtitut. Virginis, *Chryſologi* ſerm. 142. & 143. *Hildephonſi* Epiſcopi Toletani, qui circa medium ſeptimi ſæculi duos ſcripſit libros, in quibus latè diſſerit de perpetua Virginitate Mariæ, adversùs quoſdam Hiſpanos, qui Helvidii hæreſim recoquebant. Huic autem avitæ Sanctorum Patrum traditioni, inviolabili temporum ſerie ad nos uſque propagatæ, & in Eccleſia Catholica conſervatæ, nemo citrà hæreſim refragari poteſt. Accedit etiam efficax, quam tradit *Sanctus Thomas*, ratio, 3. part. quæſt. 28. art. 3. ubi ait: Impium errorem Helvidii, Mariæ poſt partum Virginitatem negantis, Primò, inju-

injuriam irrogare Spiritui Sancto, cujus Sacrarium fuit uterus Virginalis. Secundò, derogare dignitati, & ſanctitati Matris Dei, quæ poſt hominum memoriam ingratiſſima mulier videretur, ſi tanto filio contenta non fuiſſet, & Virginitatis, quæ in ea miraculosè fuerat conſervata, ſpontè per carnis concubitum jacturam facere voluiſſet. Tertiò, ipſi Joſepho ad maximam præſumptionem fore imputandum, ſi eò audaciæ veniſſet, ut eam, quam revelante Angelo, de Spiritu Sancto Deum concepiſſe cognoverat, polluere prçſumpſiſſet.

DILUUNTUR
Judæorum, & Hæreticorum objectiones.

ARguitur primò, hoc Iſaiæ vaticinium: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium*, intelligi non poteſt de Maria, quæ concepit & peperit Chriſtum, ſed aptari tantùm poteſt conceptui, & partui propheticiſſæ uxoris Iſaiæ, ergo ex illo Iſaiæ oraculo, perperàm colligitur: Mariam illibatâ virginitate, & ſine congreſſu virili concepiſſe & peperiſſe Chriſtum. Prob.ant. ex ſerie rerum, quæ iſtud Iſaiæ oraculum præceſſerunt, eique occaſionem dederunt. Refert quippè Scriptura Sacra quod cum eſſet obſeſſa à Regibus Syriæ, & Iſrael Civitas Jeruſalem, *Achaz*, qui tum temporis judææ Regni habenas moderabatur, hac Syrorum & Iſraelitarum in ſe facta conſpiratione, cui repellendæ impar erat, perterritus & tantùm non exanimatus, ſpem omnem ſalutis & fiduciæ ſuæ anchoram in Rege Aſſyrio reponebat. Iſaias hoc in præſentiſſimo diſcrimine Achazum conſtitutum hortabatur, ut Deo potiùs confideret, & ne dubitaret de proximè adfuturo auxilio divino, dedit ei optionem alicujus ſigni, quô cognoſceret Achaz copias duorum illorum Regum *Rezin* & *Pekach*, diſceſſuras ex judæa irrito conatu, ſed Achazo ſignum poſtulare nolente, ſive ex hypocriſi, quaſi major eſſet fides ſua, quàm ut his egeret fulcris, ſive ex odio Dei veri, ne per miraculum gloria ejus populo innoteſceret, ſed potiùs ſubſecutura liberatio, vel idolis ſuis, vel etiam prudentiæ & fortitudini ſuæ accepta referretur, ſignum, inquam, Achazo poſtulare detractante, Iſaias videns ſe ſurdo loqui, ſermonem ſuum direxit ad domum David, eique proximæ liberationis ſignum dedit, dicens: *audite ergo Domus David .... Dominus dabit vobis ſignum, ecce virgo concipiet, & pariet filium*, quaſi diceret: puella, quæ nunc virgo eſt, nubet, concipiet, pariet, & infantem educabit, & antequam ille infans, quem paritura eſt, ſciat reprobare malum & eligere bonum, ideſt, antequàm adoleverit, perfectam ab his hoſtibus qui Judæam infeſtant

D libe-

liberationem conſequemini. Proponit ergo Iſaias puellæ partum, & infantem qui ex illo partu prodire debebat, tanquam ſignum proximæ liberationis Judæorum, & fugæ duorum illorum Regum, qui ferro flammâque Judæam depopulabantur. Non poteſt itaque hoc Iſaiæ vaticinium congruere Mariæ, quæ tantùm ſeptem poſt ſæcula paritura erat Chriſtum, cujus etiam nativitas, ſignum eſſe non poterat beneficii ſtatim, vel brevi poſt tempore exhibendi Judæis; ſed potiùs ad prophetiſſam uxorem Iſaiæ referri debet hoc vaticinium, idque apertè innuere videtur *Iſaias* cap. 8. ubi ſic loquitur: *& acceſſi ad prophetiſſam, & concepit, & peperit filium*. Ergo iſtud Iſaiæ vaticinium, *ecce virgo concipiet, & pariet filium*, intelligi non poteſt de Maria Matre Chriſti, ſed de prophetiſſa uxore Iſaiæ.

Reſpondeo primò, hoc Iſaiæ oraculum: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium*, de conceptu & partu Mariæ Virginis eſſe intelligendum. Quod quidem ut clariùs percipiatur, obſervari debet, conceptum & partum, de quo loquitur *Iſaias* cap. 7. diſcerni omninò debere à conceptu & partu de quo ſermonem habet cap. 8. primus namque conceptus & partus eſt Mariæ Virginis, quem his verbis deſignat Iſaias: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium*. Alter eſt conceptus & partus Prophetiſſæ uxoris Iſaiæ, *& acceſſi ad prophetiſſam, & peperit filium*. Primum puerum, quem ex partu Mariæ Virginis naſciturum vaticinatur propheta, *Emmanuelem* vocat, illumque conſtituit ceù ſignum conſervationis domus Davidicæ, ex qua prodituros erat Chriſtus Mariæ filius, unde ait: *audite ergo domus David*. Alterum verò ſeù Prophetiſſæ filium appellat, *accelera ſpolia detrahere, feſtina prædari*, illumque ſtatuit tanquàm ſignum deſtructionis regnorum Syriæ, & Samariæ, ita ut antequam ille puer, quem prophetiſſa parere debebat, ætatem adultam attigiſſet, duo illi reges, qui Judæam vexabant, profligandi eſſent, eorumque regna deſtruenda. Ut igitur faciliùs ſolvatur Judæorum objectio & planior ſit oraculi Iſaiæ ſenſus, duo diſtingui debent conceptus & partus, duo itidem pueri, quorum primus ſit Chriſtus Dominus natus ex Maria Virgine, alter prophetiſſæ uxoris Iſaiæ filius. Verùm quia ille puer, quem peperit prophetiſsa, fuit typus Chriſti filii Mariæ Virginis, quæcumque Iſaias de puero prophetiſſæ vaticinatur, excellentiorem, & veriorem ſenſum habent, dum Chriſto Domino accomodantur. Exempli gratiâ: Iſaias vaticinatur de puero prophetiſſæ, quod *antequàm ſciat vocare Patrem ſuum, & Matrem ſuam auferetur fortitudo Damaſci, & ſpolia Samariæ coram Rege Aſſyriorum.* Id autem perfectiùs fuit impletum in Chriſto filio Mariæ Virginis, quàm in filio prophetiſſæ uxoris Iſaiæ: nam Chriſtus in ipſa infantia prædam Damaſci, & Samariæ, Regi Aſſyriorum, hoc eſt, gentes

tes

Digitized by Google

tes tenebris idololatriæ immerſas, typicis nominibus deſignatas, eripuit dæmoni typico pariter nomine adumbrato. Quod in adoratione, quam Magi Chriſto adhuc vagienti in cunis exhibuerunt, ac gentium in iiſdem vocatione completum eſt, ſicut præclarè ediſserit *Tertullianus* lib. 3. adversùs Marcionem cap. 12.

Reſpondeo ſecundò cum aliis celeberrimis Theologis: *Iſaiam* capitibus 7. & 8. de eodem conceptu, & partu Mariæ virginis, & de ortu Chriſti agere. Quantùm autem ad ſignum quod pollicetur Iſaias dum ait: *Dominus dabit vobis ſignum, ecce virgo concipiet, &c.* dicunt illi Theologi, partum Virginis non ſtatui ab Iſaia tanquam ſignum proximæ liberationis à duobus Regibus *Rezin*, & *Pekach* qui Judæam armis infeſtabant, ſed partum Virginis proponi ab Iſaia velut ſignum conſervationis familiæ David. Ratio eſt, quia poſtquam Propheta miſsus à Deo optionem dediſset Achazo Regi Juda petendi aliquod ſignum ad confirmationem proximæ ab hoſtibus liberationis, quam ipſi nomine Dei pollicebatur, & Achaz hujuſmodi ſignum poſtulare noluiſset, tunc Iſaias convertit ſe ad domum David, dicens: *Audite ergo domus David, Dominus dabit vobis ſignum: Ecce virgo concipiet & pariet filium*. Quaſi diceret: ô Judæi bonis eſtote animis, non eſt excidenda domus David, ſed perpetuò conſervanda, & propter hoc dabit vobis Deus ſignum: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium*, ſcilicet Chriſtum, qui erit verus Meſſias, ex domo & familia David oriundus! Addunt etiam illi Theologi Iſaiam ex illo ſigno, quod daturus erat Deus pro conſervatione domus David in virgine pariturâ, ſumpſiſſe argumentum à majori ad minus, ut trepidantes confirmaret Judæorum animos, erga proximam liberationem ab illis duobus Regibus, à quibus vexabantur. Quaſi diceret Iſaias: ô Judæi, Deus vobis pro perpetua conſervatione domus David aliquando daturus eſt ſtupendum & prorsùs inauditum ſignum, ut virgo concipiat & pariat Emmanuelem! Procul igitur omnem abiicite timorem, & in certam erigimini ſpem, fore ut proximam à Deo conſequamini liberationem ab illis duobus Regibus, qui vos impræſentiarùm vexant; ſi enim Deus maximum illud, & penè incredibile beneficium, de cujus promiſſionis complemento nemo veſtrum dubitat, aliquandò conceſſurus eſt, certè iſtud, quod minus eſt, quodque veſtram ab hoſtibus liberationem ſpectat, multò faciliùs largietur.

Arguitur ſecundò, Matth. cap. 1. dicitur de Joſepho: *Et non cognoſcebat eam*, ideſt Mariam, *donec peperit filium ſuum*. Particula autem *donec* indicat Joſephum cognoviſſe Mariam, poſtquam filium ſuum peperit. Deinde *Tertullianus* in lib. de Monogamia cap. 8. ait: Mariam poſt natum Jeſum conjugale ſolviſſe debitum, *& Chriſtum quidem*, inquit: *virgo enixa eſt, ſemel nuptura poſt partum*, quo exemplo

D 2 pro-

probat,ſecundas nuptias permitti haud debere in Eccleſia. Denique *S.Baſilius* homilia 25. *de humana Chriſti generatione* exponens hæc verba: *non cognovit eam donec peperit*, ſic loquitur: *affert hic locus ſuſpicionem, quod, poſtquam generationi Domini per Spiritum Sanctum adminiſtrare caſtè purèque ſerviit, tum demum uſitata nuptiarum opera Mariæ non recuſaverit. Nos autem, quamvis nihil hoc doctrinæ pietatis officiat, ſiquidem eò uſque virginitas fuit, dum diſpenſationi illa ſerviret: quod autem deinde ſecutum eſt, tanquam nihil ad myſterii rationem pertinens curioſiùs omittamus inquirere*. Ergo Maria ſaltem poſt partum virgo non permanſit.

Reſpondeo, particulam illam, *donec*, non innuere Joſephum cognoviſſe Mariam poſt partum, ſed ſignificare, ſicut docet S. Thomas, infinitum tempus,adeò ut ſenſus ſit: Joſephum nunquam rem habuiſſe cum Maria. Quæ explicatio aliis Scripturæ Sacræ locis illuſtrari poteſt. Nam dum pſalm.119. dicitur: *Oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri*, non ſignificatur, quod poſt impetratam miſericordiam oculi avertantur à Deo. Et *Geneſis* cap. 8. juxtà editionem vulgatam de corvo ex arca emiſſo dicitur: *qui egrediebatur, & non revertebatur, donec ſiccarentur aquæ*. Non indè tamen ſignificatur corvum ſiccatis aquis rediiſſe: cùm certum ſit corvum nunquam in arcam eſſe reverſum, ſed vel cadaveribus incubuiſſe,vel arcæ inſediſſe. Ad auctoritatem *Tertulliani* dico, eum, quando librum de Monogamia ſcripſit, jam à fide Catholica deſciviſſe. *De Tertulliano*, inquit *S. Hieronymus* cap.9. lib. contra Helvidium, *nihil ampliùs dico, quàm Eccleſiæ hominem non fuiſſe*. Denique ad teſtimonium S. Baſilii reſpondeo:Sanctum illum Doctorem,dum ait: Nihil pietatis doctrinæ officere,ſi quis ſuſpicetur Mariam poſt partum nuptialia opera viro non negaſſe, non hoc dicere, quaſi unicuique integrum ac liberum ſit utrumvis opinari, ſed quod putet id nihil referre ad myſterium ab Iſaia prædictum, *Ecce virgo concipiet, & pariet filium*, de quo Prophetæ oraculo potiſſimùm diſſerit *S. Baſilius* in prædicta homilia. Nam huic Iſaiæ vaticinio ſua ſemper conſtaret veritas, etiamſi Maria poſt partum virginitatem non ſervaſſet. Cæterùm perpetuam Mariæ virginitatem ad fidem & pietatem pertinere, manifeſtè docet *S. Baſilius* verbis proximè ſequentibus: *Nihilominus*, inquit, *quoniam Chriſtum amantium aures non ſuſtinent hoc audire, quod Dei Genitrix aliquando virgo eſſe deſierit, &c.* & deindè exponens illam particulam *donec*, ait: *Illud dicimus quod*, donec, *& ſi alicujus temporis terminum circumſcribere videatur, verè tamen infinitum aliquod præ ſe fert*. Quæ Sancti Doctoris explicatio, ut nemo non videt,perpetuam Mariæ virginitatem adſtruit.

Arguitur tertiò, Matth. cap.1. Jeſus appellatur *primogenitus* Mariæ,

riæ, ſed primogenitus ille dicitur, poſt quem alius genitus eſt, alioquin non primogenitus, ſed unigenitus dici deberet. Ergo Maria, poſtquam peperit Chriſtum, procreandis liberis operam dedit, adeòque perpetuam non ſervavit virginitatem. Prætereà in Euangelio commemorantur fratres Chriſti Domini, Matth. cap. 13. *Non ne hic eſt fabri filius? non ne mater ejus dicitur Maria? & fratres ejus Jacobus, & Joſeph, & Simon, & Judas, & ſorores ejus apud nos ſunt?* Si ergo Chriſtus Dominus fratres & ſorores habuit, neceſſe eſt, ut Maria poſt partum non permanſerit virgo.

Reſpondeo: Chriſtum appellari primogenitum Mariæ, non quod Maria alios poſt Chriſtum genuerit filios, ſed quia nullum ante Chriſtum genuit filium. Etenim hic eſt ſolemnis Scripturæ Sacræ uſus, ut unigeniti interdum vocitentur primogeniti. ex.gr. Deus in veteri lege jubet ſibi omnem primogenitum offerri & conſecrari, & tamen ſi ovis unicum genuiſſet agnum, debuiſſet ille agnus, licet unigenitus, vi legis & præcepti divini offerri & conſecrari Domino tanquam primogenitus. Non abſimili igitur ratione Chriſtus, etſi filius Mariæ fuerit unigenitus, appellatur tamen à S. Matthæo, juxtà conſuetudinem legis, Mariæ primogenitus.

Ad fratres, quod attinet Chriſti Domini, qui commemorantur in Euangelio, reſpondeo: illos fuiſſe fratres Chriſti non quidem naturâ, quaſi eodem ex patre, aut eadem ex matre progeniti eſſent, ſed cognatione dumtaxat, quippè qui erant filii Mariæ Cleophæ, quæ cognatione & ſanguine juncta erat Mariæ virgini, & uxor erat Alphæi, ac mater Jacobi minoris, Joſephi, &c. vel, ut putant *Baronius* in apparatu, & *Bollandus* ad diem 9. menſis Aprilis, illi, qui *fratres Chriſti Domini* in Euangelio dicuntur, fuerunt filii Mariæ uxoris Cleophæ, Cleophas autem erat frater Joſephi Sponſi virginis Dei-paræ, ſicut aſſerunt *Egeſippus* apud Euſebium lib.3. hiſt. Eccl. cap.11. & alii Patres apud *Chryſtophorum Caſtrium* hiſt. Deiparæ cap.1. Quapropter ſicut Joſephus, & Cleophas erant fratres, ita Maria mater Jeſu, & Maria uxor Cleophæ appellabantur ſorores, & filii Mariæ uxoris Cleophæ dicebantur fratres Chriſti filii Mariæ virginis propter eam, quæ inter illos intercedebat, cognationem.

Non me fugit eſſe aliquos Patres, *Origenem* in cap. 13. Matth. *Epiphanium* hæreſi LXXVIII. *Euſebium* lib.2. hiſt. Eccl. cap.1. *Hilarium* in cap.1. Matth. & alios, qui exiſtimant eos, qui *fratres Chriſti* Domini in Euangelio appellantur, fuiſſe filios Joſephi ex priori uxore ſuſceptos. Sed hæc viris doctis meritò non probatur ſententia. Primò, quia ipſemet *Origenes* in Matth. juxtà editionem *cl. Danielis Huetii* pag.223. fatetur, hanc ſententiam hauſtam fuiſſe ex libris apocryphis, nempè ex Euangelio Petri, aut ex protoeuangelio Jacobi, idque confirmat

firmat *S. Hieronymus* in cap. 12. Matth. ubi hæc habet: *Quidam fratres Domini de alia uxore Joſeph filios ſuſpicantur, ſequentes deliramenta apocryphorum*. Secundò, Joſephum perpetuò virginem permanſiſſe docet *S. Hieronymus* in lib. contra Helvidium: *Tu dicis*, inquit, *Mariam virginem non permanſiſſe: ego mihi plus vindico, etiam ipſum Joſeph virginem fuiſſe per Mariam, ut ex virginali conjugio virgo filius naſceretur. Si enim in virum ſanctum fornicatio non cadit, & aliam uxorem habuiſſe non legitur*. Denique, ut optimè notat *Baronius* in apparatu, erroris arguuntur illi antiqui, qui ſenſerunt Mariam matrem Jacobi minoris fuiſſe priorem uxorem Joſephi Sponſi Mariæ virginis. Nam Maria, quæ fuit mater Jacobi minoris, vivebat tempore paſſionis Chriſti Domini, ut conſtat cap. 15. Marci, *erant autem & mulieres de longè aſpicientes: inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Jacobi minoris, & Joſeph mater, & Salome*. Si ergo Maria mater Jacobi minoris fuiſſet prior uxor Joſephi Sponſi Mariæ virginis, habuiſſet Joſeph eodem tempore duas uxores, nempe Mariam Jacobi minoris matrem, & Mariam matrem Chriſti Domini, quod vel cogitare animus horret. Hac itaque antiquorum relictâ ſententiâ, dicendum eſt cum *S. Thoma* 3. p. q. 28. art. 3. ad 6. illos, qui in Euangelio fratres Chriſti Domini nuncupantur, fuiſſe cognatos Chriſti. Nec enim in ſacris litteris inſolens eſt, ut cognati interdum appellentur *fratres*, ſic Abraham nepoti ſuo Loth dicit Geneſis cap. 13. *fratres nos ſumus*. Sic etiam Saram vocavit ſororem ſuam. Sic denique Laban alloquitur Jacob generum ſuum Geneſis cap. 14. *Quoniam frater meus es, non ſervies mihi gratis*.

Arguitur ultimò, in lib. *de ortu Salvatoris* dicitur: Ad partum Mariæ accurriſſe obſtetrices, quæ neceſſariæ videntur mulieri patienti in partu dolorem; atqui ſi Maria fuiſſet virgo in partu, obſtetricibus opus nequaquam habuiſſet, quia pariendo nullum fuiſſet paſſa dolorem, ergo Maria in partu non permanſit virgo. Præterea *Tertullianus* lib. *de carne Chriſti* cap. 4. *Origenes* hom. 14. in Lucam, *Irenæus* lib. 4. adverſus hæreſes cap. 66. *Ambroſius* in Lucam, & alii affirmant: Chriſtum naſcendo aperuiſſe vulvam matris, ſed vulva aperiri non poteſt, niſi pariens mater virginitate ſpolietur, ergo Maria in partu virginitatem non ſervavit.

Reſpondeo: Mariam citra dolorem filium, quem abſque libidine conceperat, peperiſſe. *Conceptus enim Chriſti*, inquit *S. Bernardus* ſerm. 4. in vigilia Nativitatis, *fuit ſine pudore, partus ſine dolore*. Hinc fabularum loco accenſeri debet id quod legitur in libro *de ortu Salvatoris* de obſtetricibus ad partum Mariæ accurrentibus. Id quippè primò opponitur Scripturæ Sacræ *Lucæ* cap. 2. ubi dicitur à Maria virgine, puerum, quem pepererat, pannis fuiſſe involutum, & in præſe-

ſepio repoſitum. Secundò, liber *de ortu Salvatoris*, ut conſtans eſt omnium criticorum judicium, ad apocryphorum claſſem ablegari debet. Tertiò, *S. Hieronymus* hanc de obſtetricibus fabulam rejicit in lib. contra Helvidium: *Nulla*, inquit, *obſtetrix, nulla muliercularum ſedulitas interceſſit, & mater & obſtetrix fuit, pannis involvit infantem, & poſuit in præſepio: quæ ſententia apocryphorum deliramenta convincit.* Denique in cæteris quidem puerperiis obſtetrice opus eſt, quia ea multipliciter ſordent, & fœtus ex materno utero prodiens ſcatet fœcibus, & turpi illuvie fœdatus in lucem venire ſolet; at in virginis puerperio nihil hujusmodi accidit, quia in illius partu nihil fuit impurum, nihil illicitum, nihil purgandum, ſed omnia potiùs ſummâ puritate ac nitore tàm ex parte prolis, quàm ex parte matris contigerunt. Quapropter ſancti Patres in objectione laudati, dum aſſerunt Chriſtum naſcendo aperuiſſe vulvam matris, nolunt dicere, ſicut rectè explicat *S. Thomas* 3.p. q.28. art.2. fractionem vel apertionem aliquam interceſſiſſe in hoc partu, ſeu reſerationem clauſtri pudoris virginei, ſed per vulvam apertam intelligunt dumtaxat eam divino miraculo fuiſſe perviam, & nullatenus obſtitiſſe exitui corporis Chriſti ſubeuntis, integris tamen remanentibus pudoris virginei ſignaculis. Dicendum itaque eſt hunc partum non aperuiſſe virginis uterum, ſed illæſo pudoris ſignaculo Chriſtum ex utero matris miraculoſa penetratione emerſiſſe, ſine dolore nixus, ſine diductione partis, quâ fœtus egreditur, ſine ſordibus & repurgamentis, quæ fœtum in cæteris puerperiis comitari ſolent.

DISSERTATIO SECUNDA

De circumſtantiis & prodigiis conceptionis Chriſti Domini, quibus probatur eam fuiſſe planè miraculoſam & ſupernaturalem.

UBi illuxit fortunata illa dies, quâ Deus homines primigeniâ protoparentis labe perditos in libertatem aſſerere, eosque variis idolorum cultibus diſtractos atque diſſipatos, in unius veræ religionis ſocietatem convocare ſtatuerat; miſit Archangelum Gabrielem ad Mariam virginem, ut ab ea peteret an Mater Dei eſſe vellet? Sacrum colloquium, quod miſcuit Gabriel cum Maria, deſcriptum legimus apud *S. Lucam* cap.1. cujus circumſtantias paucis hîc delibabo, prætermiſſis fabulis, quæ habentur in protoeuangelio Jacobi.

In primis Archangelus Gabriel, Mariam, quam ſolam in penetra-

tralibus, ſolam ſine comite, ſolam ſine teſte offendit, his verbis conſalutavit: *Ave Maria gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*. In qua ſalutatione, ut optimè obſervat *S. Thomas*, tria præſtitit Angelus: Primò, Mariæ idoneitatem expreſſit, dicens: *Ave Maria gratia plena*. Secundò, indigitavit conceptum, dum dixit: *Dominus tecum*. Tertiò, prænunciavit honorem conſequentem his verbis: *Benedicta tu in mulieribus*, ſivè inter mulieres, ob Filii Dei mox futurum conceptum, ob fœcunditatem cum perpetua virginitate conjunctam, ob partum omnis prorsùs doloris expertem, denique ob excellentiſſima dona, quibus tum Maria fuit nobilitata. Hanc autem Angelicam ſalutationem, quo animi ſenſu exceperit Maria, explicat *S. Lucas* dicens: Mariam non nihil turbatam fuiſſe in auditu hujus ſermonis. Quę quidem perturbatio profectà non eſt ex Angelico aſpectu, quaſi inſolito, cùm potiùs Maria ſæpe ab Angelis viſitaretur, ſed accidit ob conſpectum Angeli in peregrina adoleſcentis ſpecie apparentis, vel ob novam, blandam, neminique mortalium antehàc auditam ſalutationis formam, vel ob admirationem eorum, quæ ab Angelo dicebantur, quia de ſe tam magnifica non ſentiebat poſt hominum memoriam modeſtiſſima Virgo, vel denique quia hæc turbatio conveniens fuit verecundiæ virginali: *Virginum eſt*, inquit *S. Ambroſ.* lib. 2. in Lucam, *ad omnes viri ingreſſus pavere, & omnes viri affatus vereri, Maria etiam ſalutationem Angeli verebatur*. Mariam trepidantem his verbis confirmavit Angelus: *Ne timeas Maria, inveniſti gratiam apud Deum, ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jeſum, &c.* Sed Maria de adamato virginitatis ſuæ theſauro, quô nihil ſecundùm Deum antiquiùs habebat, plurimùm ſollicita; Angelum interrogavit: *Quomodò fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Quæ interrogatio, non dubitantis Mariæ, aut fluctuantis animi motum, ſicut blaterant Calvinus, Lutherus, eorumque gregales, ſed Mariæ admirationem prodit. Hinc penitùs proſcribi debet ſententia Auctoris libri *quæſtionum veteris & novi teſtamenti*, qui quæſt. 51. aſſerit *virgini ambigenti de conceptu poſſibilitatem Angelum prædicaſſe*. Hic ſiquidem liber, qui olim ſub ementito S. Auguſtini nomine circumferebatur, Pelagianis erroribus refertus eſt, multiſque aliis nævis infuſcatur, ut luce meridianâ clariùs evincunt *Bellarminus* in lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis verbo *Auguſtinus*, *Poſſevinus* in apparatu, & Lovanienſes in cenſura huic operi præfixâ Auguſtinianorum operum tomo quarto. Idque liquet ex bene multis quæſtionibus, quæ paſſim occurrunt in hoc libro, maximè decimâ tertiâ, vigeſimâ primâ, quadrageſimâ quintâ, octuageſimâ, centeſimâ nonâ, &c. ubi illius libri Auctor Pelagianæ hæreſeos fuligine tinctus, docet: Homines *non naſci filios diaboli*, aliaque id genus abſona, dura, & à veritate prorſus aliena

na obtrudit, quæ jam laudati Auctores, & doctiſſimi Patres Benedictini Congregationis S. Mauri in recenti & caſtigatiſſima operum S. Auguſtini editione optimo jure perſtringunt. Rejecto itaque illius Auctoris, & hæreticorum errore, convenit inter omnes Theologos Mariam, quæ omnia oracula Prophetarum, qui Meſſiam venturum cecinerunt, ad unguem callebat; de poſſibilitate conceptionis Chriſti Domini nunquam dubitaſſe, ſed modum dumtaxat, quo mirabile iſtud myſterium adimpleri debebat, non curioſitatis, ſed admirationis affectu impulſam inquiſiiſſe ab Angelo, qui eam confeſtim hunc ineffabilem modum edocuit in hæc verba prorumpens: *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi &c.* quaſi diceret: ô Maria, concipies, non naturali viâ, non virili concurſu, ſed ſola operatione Spiritus Sancti, qui in te novo & planè incomprehenſibili modo illapſus, virtute & efficaciâ fœcundam te reddet, & ex tuis puriſſimis ſanguinibus corpus verbo Dei aptando formabit, nec alium ſponſum quàm Deum habebis; quapropter virginitas tua nullum ex conceptu patietur detrimentum, ſed potiùs Sanctus hic divinæ naturæ cum humana coitus pudicitiam tuam conſecrabit. Quæ ubi audiiſſet Maria, demiſsè reſpondit ac præſtitit aſſenſum, dicens: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm Verbum tuum.* Et è veſtigio in caſtiſſimis ejus viſceribus operâ Spiritus Sancti ex puriſſimis Virginis ſanguinibus Deus homo formatus eſt, cui omnes mortales felicitatem acceptam referre debent. Hæ ſunt circumſtantiæ colloquii Gabrielis cum Maria virgine, quibus ex hiſtoria Euangelica prælibatis.

DICO: *Conceptionem Chriſti Domini eſſe planè miraculoſam & ſupernaturalem.*

Hæc aſſertio, quæ eſt S. Thomæ & omnium SS. Patrum, efficaciùs ſtabiliri non poteſt, quàm breviter expendendo ſublimia artis & beneficentiæ divinæ miracula, quæ in conceptione Chriſti Domini certatim collucent, eamque ſolitis hominum conceptionibus immenſum antecellere apertiſſimè demonſtrant.

Primò, in conceptione Chriſti Domini Maria virgo ſimul & mater permanſit. Hoc quippè eximium ac ſingulare privilegium ſoli Mariæ in conceptione Chriſti aſſerunt Sancti Patres, quorum traditioni indivulsè adhærens Sedes Apoſtolica damnavit anno 1677. quemdam Auctorem Italum *Imperialem* dictum, qui apocryphorum librorum *de ortu Virginis*, & tragœdiæ, quæ inſcribitur, *Chriſtus patiens*, deliramenta ſecutus, docebat: S. Annam, citra ſuæ virginitatis jacturam, Mariam concepiſſe, ſicut obſervat *Tilmontius* nota 3. de Beata Virgine tom. 1. documentorum hiſt. Eccl. Nec minus, meâ quidem ſententiâ, improbari debent nugaciſſimi quidam Auctores, qui, pro innatâ, quâ titillantur, cudendi fabulas prurigine, ſatis ludicrè fingunt

E Annæ

Annæ puerperium abſque dolore contigiſſe, & Mariam abſque actu conjugii à Joachimo & Anna, aut ſaltem in mentis raptu & oſculo, in momento, adeòque excluſo aſtrorum concurſu, & ſine præſcriptis à natura tegumentis editam fuiſſe. Quæ omnia inter gerras & aniles fabulas jure merito reponunt viri eruditi, qui nullam, præter Chriſti Domini conceptionem, ſupernaturali modo & in utero Virginis factam unquàm fuiſſe, ex Scriptura Sacra & ex perpetua Sanctorum Patrum traditione conſtanter profitentur.

Secundò, conceptionem Chriſti miraculoſam & planè ſupernaturalem fuiſſe, probat repentina ejus corporis in utero Virginis conformatio. Enimverò ſtatim ac Beata Virgo voluntaria ſui obſequii poſtulanti Deo munera offerens, Gabrieli præbuit aſſenſum, dicens: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm Verbum tuum*. Mirum dictu! eodem momento, nullaque interpoſitâ morâ, abſcedente Angelo, Spiritus Sancti operatione, quæ tarda molimina neſcit, compactum eſt in virginis utero corpus Chriſti integrum, omnibusque organicis membris abſolutum; *Angelo nuntiante, & Spiritu Sancto adveniente*, inquit *S. Gregorius* lib. 18. moralium cap. 35. *mox Verbum in utero, mox intra uterum Verbum caro*. Hæc autem repentina corporis Chriſti in caſtiſſimo Virginis utero formatio,longè excedit omnes limites naturæ, quæ paulatim, variisque gradibus puerulos maternis in viſceribus format, ſuaque opera non tàm citò maturat,ſed tardo greſſu ad perfectionem provehit, ut videre eſt in aliis ſolitis hominum conceptionibus, in quibus nonniſi pedetentim & interjecto diuturno temporis intervallo, corpus humanum diſponere, & in carnem, oſſa, cæteraque, quibus conſtatur membra, conformare conſuevit.

Tertiò, in generatione ordinaria ſemen continuâ ſerie elaboratum diſtinguitur in membra, donec menti ſuſcipiendæ fiat idoneum die poſt conceptum circiter quadrageſimo, at corpus Chriſti non ſolum in momento conceptionis fuit integrè formatum, ſed inſuper eodem momento fuit animatum animâ rationali, *ſimul caro, ſimul Verbi Dei caro, ſimul verò animata anima rationali*, inquit *S. Damaſcenus* lib. 3. *de orthodoxa fide* cap. 2. hoc fidei dogma impugnarunt olim Arriani, qui, ut teſtantur *S. Epiphanius* hæreſi 60. & *S. Auguſtinus* lib. *de hæreſibus ad quod vult Deum*, pertendebant Chriſtum animâ humanâ fuiſſe deſtitutum,ejusque vices Verbum divinum ſuppleviſſe. In eumdem errorem abjerunt Apollinariſtæ, ſic dicti ab *Apollinario*, qui ſub Valentiniano Imperatore, & Damaſo Romano Pontifice docere cœpit Chriſtum corpus ſumpſiſſe quidem ex Beata Virgine, ſed ſine anima. Poſteà quaſi palinodiam decantans, addidit Chriſtum ſumpſiſſe quidem animam, ſed quæ mente careret,Verbumque divinum ei fuiſſe mentis loco. Quæ hæreſis, cùm ſit è regione

Digitized by Google

ne oppoſita Scripturæ Sacræ, quæ multis in locis Chriſto Domino ſpiritum & animam tribuit, fuit meritò confutata à Sanctis Patribus *Athanaſio*, utroque *Gregorio*, *Nazianzeno & Niſſeno*, *Baſilio*, *Ambroſio*, *Epiphanio*, *Theodoreto*, atque in pluribus Conciliis damnata, *Alexandrino* videlicet anno Chriſti 362. ab Athanaſio cæteriſque Catholicis Epiſcopis coacto, *Romano*, anno 373. Præſide Damaſo Summo Pontifice, & tandem in œcumenico ſecundo Conſtantinopoli habito ſub eodem Damaſo anno 381.

Quartò, corpus Chriſti in inſtanti conceptionis fuit unitum Verbo divino, itaut Chriſtus per ineffabilem illam unionem, & utriuſque naturæ divinæ ſcilicet & humanæ conſortium, fuerit Deus & homo, duaſque habuerit voluntates & operationes, divinam ſcilicet & humanam: *Non eſt intervallum temporis æſtimandum inter conceptæ carnis initium, & concipiendæ divinitatis adventum; unà quippè fuit in utero Mariæ virginis conceptio divinitatis & carnis, & unus eſt Dei filius in utraque natura conceptus*, inquit *S. Fulgentius* cap. 4. libri *de Incarnatione & gratia*. Hinc tria fidei dogmata circà conceptionem Chriſti Domini firmitèr credenda proponit Eccleſia Catholica. Primò docet: naturam humanam à Chriſto aſſumptam aliam non habuiſſe hypoſtaſim præter hypoſtaſim Verbi divini, contra *Neſtorium* Patriarcham Conſtantinopolitanum, qui ſub Theodoſio Imperatore, & Cœleſtino I. Romano Pontifice anno circiter 427. cœpit aſſerere duas in Chriſto eſſe perſonas, duoſque Chriſtos, unum filium Dei, & filium hominis alterum, ac ſubindè Mariam virginem non Dei, ſed hominis matrem eſſe, dicendamque non θεοτόκον, ſed χριστοτόκον. Quam hæreſim longè, latèque per omnes fermè Orientis plagas graſſantem profligavit Concilium Epheſinum celebratum anno 431. In Neſtorium etiam calamum acuit S. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, ejuſque exitialem hæreſeos labem, objectâ Catholicæ veritatis luce, atque doctiſſimis editis lucubrationibus, ſtrenuè oppugnavit. Secundò, docet Eccleſia: naturam humanam per unionem hypoſtaticam non fuiſſe abſorptam à natura divina, ſed potiùs admirabilem illam conjunctionem utriuſque naturæ divinæ ſcilicet & humanæ actiones & proprietates ſartas ac tectas conſervaſſe, itaut *nec inferiorem conſumeret glorificatio, nec ſuperiorem minueret aſſumptio*, ſicut ait *S. Leo* ſerm. 1. *de Nativ. Chr. Domini*. Id etiam definitum eſt contra *Eutichetem* Archymandritam Conſtantinopolitanum, qui magno animi æſtu Neſtorii hæreſim impugnans, contrariam in partem deflexit, & à fide Catholica deſcivit: negans in Chriſto duas eſſe naturas, & aſſerens carnem in ipſo Incarnationis articulo in divinitatem fuiſſe commutatam, & ex utraque natura divinâ & humanâ, ſubſtantiam coaluiſſe unam; ſicque Chriſtum ut Deum fuiſſe paſſum. Quæ hæreſis confixa

Digitized by Google

eſt in Chalcedonenſi œcumenica Synodo ſub Marciano Imperatore, & Leone I. Romano Pontifice anno Chriſti 451. indicta, in qua ſancitum eſt duas in Chriſto Domino diſtinctas & inconfuſas eſſe naturas, divinam nimirùm & humanam. Denique docet Eccleſia: duas in Chriſto eſſe voluntates & operationes, divinam ſcilicet & humanam, contra hæreticos Monothelitas, qui ex infecta Eutychianorum ſtirpe, tanquàm mali ſurculi pullularunt, & Chriſto humanam voluntatem & operationem abjudicabant, dictitantes in Chriſto eſſe unicam voluntatem & operationem, ſcilicet divinam. Quæ hæreſis proſcripta eſt in ſexta Synodo generali ſub Conſtantino Pogonato Imperatore, & Agathone Papa anno 680. atque juxtà Scripturam Sacram & traditionem SS. Patrum approbata fuit doctrina de duabus in Chriſto voluntatibus & operationibus, divinâ nimirùm & humanâ.

Quintò, Chriſtus in inſtanti conceptionis ſuæ fuit verus Sacerdos, idque conſtat primò ex Apoſtolo ad Hebræos cap. 5. *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron, ſic & Chriſtus non ſemetipſum clarificavit ut Pontifex fieret: ſed qui locutus eſt ad eum: filius meus es tu, ego hodiè genui te. Quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Ex quibus Apoſtoli verbis ſic conficitur argumentum: Chriſtus tum temporis fuit Sacerdotio inauguratus, quando Pater ſic eum allocutus eſt: *Filius meus es tu, ego hodiè genui te.* Atqui Pater ſic alloquutus eſt Chriſtum in primo conceptionis momento, eo quippè primo inſtanti Chriſtus fuit filius Dei naturâ, & à Patre miſſus, ut eſſet Mediator Deum inter & homines, ac cruento in Cruce ſacrificio eorum peccata expiaret; Chriſtus igitur in primo ſuæ conceptionis inſtanti fuit inauguratus Sacerdos, non verò poſtquam à mortuis excitatus cœlos aſcendit, ſicut impiè docet *Socinus* in libro, cui titulus eſt: *Chriſtianæ Religionis inſtitutio.* Præterea Sacerdotis officium eſt, Deo ſacrificium offerre, atqui Chriſtus in momento conceptionis ſuæ verùm ſacrificium Deo Patri offerre cœpit, incarnari namque perindè eſt ac victimam Deo Patri immolandam à Deo verbo aſſumi, nec alio fine, ut docent Sancti Patres, à Verbo divino, quod vitæ ubertate omninò redundabat, aſſumpta eſt natura hominis, quàm velut rationalis hoſtia Deo offerenda. Cùm igitur Incarnatio, juxtà doctrinam Sanctorum Patrum, non vitæ humanæ, ſed mortalitatis & mortis ſit aſſumptio, ſequitur Chriſtum in momento Incarnationis ſuæ ſacrificium fuiſſe auſpicatum, quod toto vitæ ſuæ tempore produxit, & in Cruce conſummavit, ſicut infrà adversùs Socinum multis momentis evincam.

Sextò, Chriſtus à momento conceptionis ſuæ fuit Rex, non quod externum & temporale habiturus eſſet regnum, leges nimirùm po-

politicas condendo, arces ædificando, populum ſuum vi armorum defendendo, hoſtes corporalibus pœnis afficiendo, ſicut falsò carnales Judæi de ſuo Meſſia jactare ſolent; ſed Chriſtus à momento conceptionis ſuæ fuit Rex, eo quod ſpirituale ac ſempiternum habiturus eſſet regnum, populum ſuum videlicet à peccati ſervitute redimendo, dæmonum potentiam debellando, æternas fidelibus divitias miniſtrando, animæ ſanctitatem, corpori vitam perrennem impartiendo, & in hoc ſenſu Chriſtus ſæpiùs in Scriptura Sacra appellatur *Rex*, ejusque imperium æternum fore prædixit *Iſaias* cap. 9. his verbis: *Parvulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum ejus: & vocabitur nomen ejus Admirabilis, Conſiliarius, Deus fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis: ſuper ſolium David & ſuper regnum ejus ſedebit, ut confirmet illud & corroboret in judicio & juſtitia, à modò uſque in ſempiternum*. Regnum autem Meſſiæ, inquit *Cornelius Janſenius* concord. in Lucam, dicitur: Sedes & regnum David: non quod temporale eſſet, ſenſibile & terrenum, ſed quod in regno Davidis fuit adumbratum, & Davidi in proprio ſemine promiſſum ſub typo regni ſui. Hinc Chriſtus, quamdiù vixit, ab omni faſtu alienus, ſummâ ſemper fuit humilitate conſpicuus, non aureis, ſed vilibus veſtibus uſus, pauperibus comitibus ſtipatus, & ut omnem affectati imperii ſuſpicionem à ſe removeret, palàm atque apertè coram Pilato profeſſus eſt regnum ſuum non eſſe de hoc mundo. Idem teſtati ſunt Chriſti Servatoris noſtri propinqui, qui, interrogati à Domitiano Imperatore de Chriſti regno, cujusmodi eſſet, quando & ubinam locorum apparêret? Reſponderunt, teſte *Euſebio* lib.3.hiſt.Eccl.cap.20. non hujus mundi, nec terrarum illud imperium eſſe, ſed Angelicum ac planè cœleſte. Quibus apprimè conſentit *Tertulliani* ſententia lib. *de Idololatria*, cap.8. ubi hæc habet: *Si poteſtatem quoque nullam Chriſtus ne in ſuos quidem exercuit, quibus ſordido miniſterio functus eſt, ſi Regem ſe denique fieri conſcius, regni ſui fieri refugit, pleniſſimè dedit formam ſuis de rejiciendo faſtigio & ſuggeſtu tàm dignitatis, quàm poteſtatis. Quis enim magis his uſus fuiſſet quam Dei filius? Quales & quanti eum faſces perducerent? Qualis purpura de humeris ejus floreret? Quale aurum de capite radiaret? Niſi gloriam ſæculi alienam & ſibi, & ſuis judicaſſet*.

Poſtremo: Conceptionem Chriſti fuiſſe miraculoſam & ſupernaturalem facilè colligitur ex beatiſſima cœleſtium donorum copia, & omnigenâ virtutum ſuppellectili, quâ in momento conceptionis ſuæ fuit cumulatiſſimè exornatus. Enim vero Chriſtus in inſtanti conceptionis ſuæ non ſolùm fuit ſanctus ſanctitate accidentariâ per gratiam habitualem, quâ ipſius anima fuit pleniſſimè donata, verum

etiam

Digitized by Google

etiam fuit ſanctus ſanctitate ſubſtantiali à Verbo divino naturæ humanæ Chriſti ſubſtantialiter unito profectâ. Habuit inſuper à momento conceptionis ſuæ gratiam, quam Theologi vocant *capitalem*, quâ conſtitutus eſt Caput Angelorum & hominum, præditus fuit ſcientiâ divinâ, quatenus Deus, & habuit, quatenus homo, ſcientiam acquiſitam, ſcientiam infuſam & ſcientiam beatam, cujus beneficio jam comprehenſor ab inſtanti conceptionis factus eſſentiam Dei videbat, omnia præterita, præſentia & futura, ſingulaſque cordium cogitationes etiam ſecretiores penetrabat. Perfectum denique habuit intellectus & voluntatis uſum, per quem ſtatim gloriam accidentalem corporis ſui promereri cœpit. Hunc omnium donorum apparatum, quo fuit illuſtrata conceptio Chriſti, eleganter deſcribit *S. Bernardus* homil. 2. ſuper *Miſſus eſt*, ubi explicans verba Jeremiæ cap. 31. *Creavit Dominus novum ſuper terram, fœmina circumdabit virum*: ſic loquitur: *Virum autem dixerim fuiſſe Jeſum, non ſolùm cum jam diceretur vir Propheta potens in opere & ſermone, ſed etiam cum tenera adhuc ætate infantis membra Dei Mater blando foveret in gremio, vel geſtaret in utero. Vir igitur erat Jeſus necdum etiam natus, ſed ſapientia, non ætate, animi vigore, non viribus corporis, maturitate ſenſuum, non corpulentia membrorum, vel potius non minus fuit ſapientia Jeſus conceptus, quam natus: parvus, quam magnus; ſive ergo latens in utero, ſive vagiens in præſepio, ſive grandiuſculus interrogans Doctores in templo, ſive jam perfectæ ætatis docens in templo, æque profectò plenus fuit Spiritu Sancto. Nec fuit hora in quacumque ætate ſua, qua de plenitudine illa, quam in ſui conceptione accepit in utero, vel aliquid minueretur, vel aliquid eidem adjiceretur, ſed à principio perfectus; à principio, inquam, plenus fuit Spiritu ſapientiæ & intellectus, Spiritu conſilii & fortitudinis, Spiritu ſcientiæ & pietatis, & Spiritu timoris Domini*. His prodigiis, donis, ac privilegiis condecorata fuit conceptio Chriſti, ex quibus facilè quiſque intelligere poteſt eam fuiſſe miraculoſam & ſupernaturalem.

Supereſt nunc: Antequam objectionibus faciam ſatis, ut paucis exponam, qua die & quo anno conceptus fuerit Chriſtus Dominus. Et in primis circa diem conceptionis Chriſti, exiſtimo: ſtandum eſſe per antiquæ traditioni Eccleſiæ, quæ conceptionem Chriſti, ſeu annunciationem Beatæ Virginis præfixit diei vigeſimæ quintæ menſis Martii, ſeu octavo Kalendas Aprilis. Teſtatur enim *S. Auguſtinus* lib. 4. *de Trinitate* cap. 5. Chriſtum Dominum, juxtà avitam traditionem auctoritate Eccleſiæ roboratam, conceptum fuiſſe octavo Kalendas Aprilis, hoc eſt, die xxv. menſis Martii: *Sicut à majoribus*, inquit ille Pater, *traditum, ſuſcipiens Eccleſiæ cuſtodit auctoritas, octavo Kalendas Aprilis conceptus creditur Chriſtus, quo & paſſus*. Id etiam conſtat

Digitized by Google

ſtat ex praxi Eccleſiæ Orientalis, quæ feſtum conceptionis ſeu incarnationis Verbi divini celebrat die xxv. Martii, ut videre eſt in Græcorum menologiis, menæis, & ſynaxariis apud *Bollandum* tom. 3. *de Actis Sanctorum* pag. 135. Ægyptii etiam, Copti, Syri, Chaldæi & Rutheni feſtum Conceptionis Chriſti, ſeu Annunciationis Beatæ Virginis eadem die xxv. Martii recolunt, ut compertum eſt ex eorum Kalendariis & Martyrologiis. Nec diſſentiunt Latini, qui feſtum Conceptionis ſeu Incarnationis ex perveteuſta conſuetudine aſſignarunt diei xxv. menſis Martii, ſicut ex benè multis illorum Martyrologiis, Breviariis & Miſſalibus probat idem *Bollandus*, ſed potiſſimùm ex libro Sacramentorum Gregorii Magni, in quo ad VIII. Kalendas Aprilis celebratur Annunciatio Angeli ad Beatam Mariam. Porro hic tam conſtans & uniformis uſus, qui in utraque obtinet Eccleſia celebrandi feſtum Conceptionis Chriſti, ſeu Incarnationis Verbi divini, ſtatâ die xxv. Martii, argumento eſt univerſalem Eccleſiam ex per antiqua traditione perſuaſum habuiſſe hac die Chriſtum Dominum fuiſſe conceptum.

Fuerunt tamen quædam particulares Eccleſiæ, quæ feſtum Conceptionis, ſeu Annunciationis Mariæ Virginis tranſtulerunt ad diem octavam ante Nativitatem Chriſti, ſeu ad diem decimam octavam menſis Decembris. Hunc ritum obſervavit Eccleſia Toletana, ut liquet ex canone j. Concilii Toletani decimi anno Chriſti 656. celebrati. Eccleſia etiam Ambroſiana, ſeu Mediolanenſis feſtum Annunciationis B. Virginis tranſtulit ad Dominicam ſextam Adventus, qui in prædicta Eccleſia auſpicatur à veſperis Sabbati proximi feſto Sancti Martini, quò fit, ut Dominica ſexta Adventus ſit Dominica dies, quæ Natalem Domini præcedit. Ex hoc autem particularium Eccleſiarum ritu colligi non poteſt Chriſtum non fuiſſe conceptum die xxv. Martii, tum quia ille ritus fuit à paucis Eccleſiis obſervatus, tum quia etiam particulares illæ Eccleſiæ eo dumtaxat fine feſtum Conceptionis Chriſti, ſeu Annunciationis Beatæ Virginis in aliam tranſtulerunt diem, quia dum illa feſtivitas præfixa erat diei xxv. Martii, interdum in Quadrageſimam, vel in feſtum Paſchale incidebat, quibus temporibus condignè, & eâ, quâ par erat, ſolemnitate celebrari haud poterat, ſicut innuunt Patres Concilii Toletani decimi, can. j. notat etiam *Bollandus* Eccleſiam Toletanam, ne recederet à vetuſta conſuetudine celebrandi feſtum Conceptionis Chriſti, ſeu Annunciationis B. Virginis die xxv. menſis Martii, hanc feſtivitatem geminaſſe in eodem anno, idque probat ex lectione, quæ in ſecundo nocturno officii Annunciationis Virginis recitatur in Eccleſia Toletana, quæ ſic habet: *Quamvis Annunciationis B. Mariæ feſtum octavo Kalend. Aprilis nunc celebretur, Toletana tamen Eccleſia utramque retinet ſolemni-*

mnitatem , alteram menſe Martio , ut Romanæ Eccleſiæ , quæ Magiſtra, omnium Eccleſiarum & Mater eſt, ſanctiſſimum inſtitutum ſequatur ; alteram octavo die ante Natalem Domini : tum quod hæc ſolemnitas ab ipſa Toletana Eccleſia inſtituta fuerit , & magna veneratione ab aliis Eccleſiis ſuſcepta, per univerſam Hiſpaniam hactenus celebretur. Conſulat Lector, ſi plura deſideret, *Bollandum* loco ſupra laudato , *Thomaſſinum* in libro *de celebratione feſtorum* gallico conſcripto idiomate , & *Baronium* in notis ad Martyrologium ad diem 25. menſis Martii.

De anno, quo Maria concepit Chriſtum Dominum , non convenit inter Chronologos . Verum quia juxta probabiliorem Theologorum ſententiam,quam infra benè multis adſtruam argumentis: Maria peperit Chriſtum die xxv.menſis Decembris, anno Urbis Romæ conditæ 749. Imperii Auguſti 40.ante æram vulgarem ſeu Chriſtianam 5. Conſulibus C. Cæſare Auguſto xii. & L. Cornelio Sylla , dicendum eſt: Mariam hoc eodem anno & die xxv. menſis Martii Chriſtum Dominum concepiſſe . Quoto autem anno ætatis ſuæ Maria conceperit Chriſtum? Et ſi certò definiri non poſſit, probabilius tamen eſt Mariam exeunte anno ætatis ſuæ decimo quarto Chriſtum Dominum in ſuo caſtiſſimo utero concepiſſe ; nec enim admitti debet nova *Cajetani* ſententia aſſerentis in cap.1. Lucæ : Beatam Virginem, dum concepit & peperit Chriſtum , fuiſſe novemdecim , aut viginti quatuor annorum .

Extat etiamnum, ad ſolatium & pietatem fidelium,ſacra Deiparæ Virginis ædicula, in qua filium Dei de Spiritu Sancto concepit, & quam, habitatione multorum annorum , Jeſus , Deipara, & Joſephus conſecrarunt . Memoriæ ſiquidem prodiderunt Hiſtorici probatiſſimæ fidei: hanc ſacram ædiculam è Galilæa Syriâque in Dalmatiam primùm, & mox è Dalmatia in Picenum miraculo delatam , in Recinetenſis agri ſylva , piæ Matronæ , cui Lauretanæ nomen , propriâ , conſediſſe; & inde ortam eſſe appellationem Lauretanæ domus B.Virginis, quam & in ipſo Piceno ter ſedem infra annum , iterato divinitus miraculo, Angelicâ ope mutaſſe, iidem teſtantur Hiſtorici . Rem omnium litteris & conſtanti famâ comprobatam, Summorum Pontificum decretis confirmatam, confluentium populorum numero longè latèque celebratam, ſanctitate loci , & frequentiâ miraculorum luce clarius manifeſtatam, hìc contra quoſdam nimium moroſos & criticæ intemperantioris viros fuſius demonſtrare ſupervacaneum omnino eſſe arbitror ; maximè cum hac Provinciâ egregiè jam defuncti ſint viri doctiſſimi *Horatius Turſelinus* Scriptor elegans hiſtoriæ Lauretanæ, *Petrus Caniſius* lib. 5. *de Virgine Deipara* cap. 25. *Baronius* & *Spondanus* in Annalibus Eccleſ. quos Lector adire poteſt ſi plura ſcire aveat .

Ad

Ad recolendum Conceptionis Chriſti, ſeu Incarnationis Verbi divini myſterium, Chriſtiani impræſentiarùm recitare ſolent Salutationem Angelicam, cujus prima pars, quæ Angeli eſt, & quæ incipit: *Ave Maria gratia plena, Dominus tecum &c.* in vulgari apud fideles uſu non fuit ante ſeculum XI. ut invictè probat doctiſſimus *Mabillonius* præfatione in acta quinti ſeculi Benedictini, ex omnibus ſtatutis, quæ ad fidei, morumque inſtitutionem ad illud uſque ſeculum edita ſunt; in his ſiquidem ſtatutis ſola Oratio Dominica, & Simbolum Apoſtolorum proponuntur abſque Salutatione Angelica. Et ne quis putet Salutationem Angelicam, quæ Orationi Dominicæ adjungi ſolet, ipſius Orationis Dominicæ nomine latè ſumpto ſignificari, profert hic cl. Auctor librum precum *Hemmæ* Reginæ Lotharii Francorum Regis conjugis, in Bibliotheca Remigiana aſſervatum, in quo Oratio Dominica & Simbolum integra, citra Salutationem Angelicam ſunt deſcripta. Eadem etiam Salutatio Angelica Fratribus laicis & illiteratis non præſcribitur in ſtatutis Guigonis; ſed neque in Regulis Templariorum, Carmelitarum, & Minorum, nec in Teſtamento S. Franciſci, nec in Ritibus Humiliatorum, teſte *Joanne à Vitriaco*, immo nec habetur in Breviario Ordinis Fratrum Prædicatorum ad preces Canonicas. Cum igitur Orationi Dominicæ non ſemper fuerit adjuncta Salutatio Angelica, dici non poteſt Orationis Dominicæ nomine latè ſumpto importari etiam Salutationem Angelicam. Addit etiam doctiſſimus *Mabillonius*, quod, licet circa XI. ſeculum prima pars Salutationis Angelicæ in vulgari fidelium uſu eſſe cœperit, altera tamen pars, quæ incipit his verbis: *Sancta Maria Mater Dei &c.* fuit tantùm poſt XV. ſeculum inſtar appendicis addita, quia, ante Breviarium juſſu B. Pii V. Summi Pontificis reformatum, in ſolo Breviario Cardinalis S. Crucis occurrebat. Cæterùm hæc integra Salutatio Angelica, quam mox devotè omnes in Eccleſia Catholica recitant fideles, ſolis hæreticis juratis pietatis hoſtibus diſplicet, quamvis nihil omnino ſit, quod tantillum carpere aut vellicare poſſint in hac Salutatione Angelica, in qua dumtaxat voces Angelicas repetimus, verba, quæ Eliſabeth Spiritu Sancto repleta protulit, uſurpamus; *Jeſum* Servatorem noſtrum, & ventris Mariæ fructum collaudamus, Verbi divini Incarnationis myſterium in mentem noſtram revocamus, ac denique Mariam Patronam & Advocatam adhibemus, ſive ejus auxilium & interventionem nunc & in hora mortis poſtulamus.

Digitized by Google

Diluuntur Objectiones.

Arguitur primo: Chriſtus non eſt conceptus operatione Spiritus Sancti; ergo conceptio Chriſti non eſt ſupernaturalis & miraculoſa. Prob. antec. Si Chriſtus fuiſſet operatione Spiritus Sancti conceptus, deberet dici filius Spiritus Sancti, ſicut dicitur filius Mariæ. Immo potiori jure eſſet filius Spiritus Sancti, qui fuiſſet conceptionis ejus principium activum, quàm eſſet filius Mariæ, quæ ſolùm materiam ſubminiſtravit; atqui Chriſtus non eſt filius Spiritus Sancti, alioquin non eſſet ex ſemine Adæ, nec filius Davidis,& Abrahæ; ergo Chriſtus non eſt conceptus operatione Spiritus Sancti.

Reſpondeo cum *S.Thoma* 3.p. qu.32. art. 3. ad 1. Chriſtum conceptum eſſe ex Maria virgine, materiam miniſtrante, in ſimilitudinem naturæ, ſeu ſpeciei, & ideo dici filium eius; Chriſtum autem, quà homo eſt, fuiſſe quidem conceptum de Spiritu Sancto, ſicut de activo principio, non tamen ſecundùm ſimilitudinem ſpeciei, & ideò Chriſtum non dici filium Spiritus Sancti. Hæc autem S. Thomæ ratio probat: Chriſtum Dominum, etſi conceptum Spiritus Sancti operatione, ipſius tamen filium, ſive perfecta, ſive imperfecta ſumatur filiatio, eſſe non poſſe. Primò: Chriſtus nequit eſſe filius Spiritus Sancti, filiatione perfectâ; quia non procedit à Spiritu Sancto in ſimilitudinem naturæ humanæ, quam in ſua conceptione aſſumpſit; in qua tamen ſimilitudine, ut docent omnes Theologi, ſiſtit perfecta filiatio, utpotè orta ex generatione, quæ eſt origo viventis à vivente in ſimilitudinem naturæ. Secundò: Chriſtus eſſe non poteſt filius Spiritus Sancti filiatione imperfectâ, quæ conſequitur gratiam ſanctificantem; quia hæc filiatio imperfecta efficit dumtaxat homines filios Dei adoptivos, ratione videlicet ſimilitudinis imperfectæ, quam beneficio gratiæ ſanctificantis habent cum Deo; Chriſtus autem, ſicut omnes profitentur Catholici, non adoptione, ſed naturâ fuit filius Dei,idque definitum eſt in Concilio Francofordienſi contra duos Epiſcopos,Felicem Urgelitanum & Elipandum Toletanum.

Aliam rationem adducit *Paſchaſius* S. R. E. Diaconus lib. 1. *de Spiritu Sancto* cap.2. Cur Chriſtus non ſit filius Spiritus Sancti, licet ipſius operatione conceptus? *Quia*, inquit, *homo aſſumptus ex Maria, operatio Spiritus Sancti fuit, non portio; nec ab eo genitus, ſed creatus; conceptus eſt potentia, non ſubſtantia; operatione, non participatione; virtute, non genere*. Naſcitur itaque Chriſtus de Spiritu Sancto, & de Maria virgine, nec tamen eſt filius Spiritus Sancti, ſed Mariæ virginis; quia ſuam illi confert Spiritus Sanctus potentiam, non ſubſtantiam; Maria utrumque: confert illi Spiritus Sanctus operationem ſuam, non ge-

genus; Maria utrumque: naſcitur de Spiritu Sancto per gratiam, naſcitur de Maria generante per naturam. Legi poteſt Enchiridion S. Auguſtini cap.39. & 40. ubi S.Doctor hanc quæſtionem: Cur Chriſtus operatione licet Spiritus Sancti conceptus, illius tamen filius non ſit? Solidè tractat, eamque multis exemplis dilucidè explanat.

Arguitur ſecundò: Si conceptio Chriſti fuiſſet miraculoſa & ſupernaturalis, corpus ipſius, quod operatione Spiritus Sancti in caſtiſſimo Virginis utero ſupponitur formatum, debuiſſet eſſe venuſtum, elegans, omnibusque ſuis numeris abſolutum, ſicut ſentiunt Theologi de corpore Adami, quod fuit à Deo immediatè productum, atqui ex Scriptura Sacra, & ex Sanctis Patribus conſtat: Corpus, quod habuit Chriſtus, non fuiſſe venuſtum, ſed potius deforme & indecorum. *Iſaias* namque cap.43. de Chriſto dicit: quod *non eſt ei ſpecies neque decor*. Sancti Patres *Clemens Alexandrinus* lib. 6. Stromatum, *Origenes* lib.6. contra Celſum, *Tertullianus* lib. de carne Chriſti, & lib.3. contra Marcionem, aliique nonnulli aſſerunt: Corpus Chriſti fuiſſe indecoræ & illiberalis formæ. Corpus igitur Chriſti non fuit Spiritus Sancti operatione formatum, ac ſubindè ejus conceptio non eſt ſupernaturalis & miraculoſa.

Reſpondeo: Corpus, quod Verbum divinum aſſumpſit, quodque in mundiſſimo B. Virginis alvo miraculosè Spiritus Sancti operatione compactum eſt, ſummam quidem pulchritudinem non habuiſſe, deforme tamen & indecorum nullatenus fuiſſe. Primò namque non decebat, ut corpus, quod Verbum divinum aſſumpſit, eſſet elegans ac venuſtum, tum quia non expediebat, ut Verbum divinum, quod in incarnatione ſe ſe exinanivit, formam ſervi accipiens, corporis pulchritudinem, quam deſpectui habere debemus, aſſumeret; tum quia etiam, ſi Chriſti corpus fuiſſet elegans ac venuſtum, homines plus æquò ſenſibus addicti, nimiùm fortaſſis tribuiſſent gratiæ corporali, ſeu eximio Chriſti corporis, præſtantioriſque vultus lenocinio, quàm gratiæ cœleſti, & occultæ divinitati. Propter has & alias hujusmodi rationes non congruebat, ut corpus Chriſti operatione licet Spiritus Sancti in Mariæ utero formatum, ſummam pulchritudinem ac venuſtatem haberet. Secundò, corpus, quod Verbum divinum aſſumpſit, nō fuit deforme & indecorum; tum quia nunquam Judæi corporis deformitatē Chriſto exprobrarunt, qui tamen livore & odio in ipſum perciti, eum à capite ad calcem, ut dicitur, obſervabant, & ſubobſcuros parentes illi vitio vertebant, *hic eſt faber, & fabri filius*; tum quia etiam incredibile omnino videtur, ex omni divinitatis plenitudine, quæ in Chriſto corporaliter inhabitabat, ut ait Apoſtolus ad Coloſſ. cap.2. nullum in ejus corpus profluxiſſe radium, quo illud mediocri ſaltem formâ perfuderit. Quocircà mihi præ cæteris arridet

ſententiâ illorum Theologorum, qui Chriſto Domino nec illiberalem ſpeciem,quâ homines oſtendere, aut à ſe repellere potuiſſet, nec ſummè venuſtam, ſed mediocrem formam tribuunt. Undè quando *Iſaias* cap.43. de Chriſto ait: quod *non eſt ei ſpecies neque decor*, hoc non eſt accipiendum de corporis Chriſti ſpecie & forma, ſed de Chriſto,cùm in crucem ageretur, plagis, verberibus, à planta pedis ad verticem uſque lacerato, & ſputis propter nos deformato. Hinc *Hieronymus* in cap.43. Iſaiæ: *Deſpectus*, inquit, *erat* Chriſtus *& ignobilis*, *quando pendebat in cruce, & factus eſt pro nobis maledictum*. Vel, ut ait *S. Auguſtinus* ſerm.22. de verbis Apoſtoli: *Pendebat ergo deformis in cruce, ſed deformitas illius pulchritudo noſtra erat*. Similiter, quando ex adverso Vates Regius pſalm.44. Chriſtum vocat: *Speciosum forma præ filiis hominum*; id de externa corporis Chriſti elegantia intelligi non debet, ſed de interna potiùs illius pulchritudine, quæ innocentiâ, ſanctimoniâ, juſtitiâ, & divinâ omnium virtutum complexione ſita eſt. *Speciosum forma Dominum appellat Propheta*, inquit *S. Baſilius* in eumdem pſalmum, *cum aciem mentis preſſiùs intendiſſet in ejus divinitatem, non carnis pulchritudinem laudat*. Dici etiam poteſt: Chriſtum Dominum non ſemper, ſed interdum quibuſdam hominibus eximiæ pulchritudinis virum ſe ſe videndum præbuiſſe, & ſuaviſſimis ſermonum leporibus, atque ſtupendis, quæ edebat, miraculis quamdam adjunxiſſe oris venuſtatem, quæ tamen oris venuſtas, corporisque elegantia erat tantummodò ad tempus, atque à nativa, & eâ, quam præ ſe ferre ſolitus erat, diverſâ. Ad hanc mediam ſententiam,quam ipſe probabiliorem eſſe autumo, benignâ interpretatione flecti & adduci poſſunt ſupra laudati SS. Patres, *Clemens Alexandrinus*, *Origenes*, & *Tertullianus*, qui affirmare videntur: Chriſtum fuiſſe indecoræ & illiberalis formæ. Nam vel illi Patres corpori Chriſti formæ leporem,oris & vultus præſtantem elegantiam tantùm abjudicant, vel loquuntur de corpore Chriſti plagis & verberum ictibus deformato,vel denique comparant formam corporis Chriſti cum pulchritudine divinitatis ipſi hypoſtaticè unitæ, qua facta comparatione, jure merito dicunt formam corporis Chriſti cum divinitate collatam deformem fuiſſe & indecoram. Legi poteſt ſuper hac re liber *de forma Chriſti* editus à *P. Vavaſſore Soc. Jeſu*.

Arguitur tertio: Conceptio, quæ eſt ex muliere, non eſt ſupernaturalis & miraculoſa, ſed planè naturalis, immò immunda, juxtà illud Job cap.25. *Numquid poteſt apparere mundus natus de muliere*? Sed conceptio Chriſti fuit ex muliere; dicit enim Apoſtolus ad Galatas cap.4. *Miſit filium ſuum factum ex muliere*. Ergo conceptio Chriſti non fuit miraculoſa & ſupernaturalis.

Reſpondeo cum *S.Thoma* 3.p. q.33. art.4. Conceptionem Chriſti,

ſti, ſi conſideretur ex parte materiæ, quam Virgo Mater ſubminiſtravit, fuiſſe naturalem; ſed ſi ſpectetur ex parte virtutis activæ, omninò ſupernaturalem & miraculoſam fuiſſe, utpotè novum atque admirabile Spiritus Sancti opus. Ex quo colligit *Angelicus Doctor*: Conceptionem Chriſti fuiſſe omnis immunditiæ expertem, quia immunditiès, quæ ſolitis hominum conceptionibus ineſſe ſolent, originem trahunt ex peccato, quatenus cum libidine quis concipitur ex commixtione maris & fœminæ. Quæ quidem carnalis commixtio locum non habuit in conceptione Chriſti. *Omnis homo*, inquit *Origenes* homil. 12. in Leviticum, *in patre & matre pollutus eſt, ſolus verò Jeſus Dominus meus in hac generatione mundus ingreſſus eſt, in matre non eſt pollutus. Ipſe enim erat, qui dudùm per Salomonem dixerat: magis autem cùm eſſem bonus, veni ad corpus incoinquinatum. Non eſt ergo contaminatus in matre. Sed ne in patre quidem; nihil enim Joſeph in generatione ejus præter miniſterium præſtitit & affectum*. Nec ſolùm Chriſtus in conceptione ſua impollutus omninò remanſit, ſed etiam matrem ſuam ſanctificavit, ejusque pudicitiam auxit, ut docet *S. Auguſtinus* in libro contra quinque hæreſes cap. 5. *Dicit Deus Creator hominis filius hominis: quid eſt, quod te promovet in mea nativitate? Non ſum libidinis conceptus cupiditate: ego mater, de qua naſcerer, feci, ſi Solis radius cloacarum ſordes ſiccare novit, quantò magis ſplendor Lucis æternæ, quocumque radiaverit, mundare poteſt, & ipſe pollui non poteſt.* Idem repetit *Aquilinus* ille Doctor lib. de fide & Simbolo cap. 4. quando itaque Apoſtolus dicit: Chriſtum factum eſſe ex *muliere*, per *mulierem* indicare voluit fœminam non corruptam, ſed virginem. Nam, ut inquit *Tertullianus* libro de velandis virginibus cap. 5. *bujus vocabuli*, ſcilicet mulieris, *proprietas ad ſexum ipſum, non ad gradum ſexus pertinet*. Cur autem Chriſtus carnem ex fœmina ſuſceperit, cùm tamen alio pacto incarnari potuiſſet, ſi reverà voluiſſet? Duplicem rationem afferunt Sancti Patres. Prima eſt: Ut nobilitaret totam naturam humanam; hinc *S. Auguſtinus* libro de Agone Chriſtiano cap. 11. *Nolite*, inquit, *vos ipſos contemnere viri, filius Dei virum ſuſcepit. Nolite vos ipſas contemnere fœminæ, filius Dei natus eſt ex fœmina*. Alteram rationem tradit *S. Ambroſius* lib. de Incarnationis Dominicæ Sacramento cap. 6. Quia, ſi Chriſtus conceptus & natus haud fuiſſet ex fœmina, occaſionem inde facilè arripuiſſent hæretici aſſerendi, ejus humanitatem non eſſe veram, ſed phantaſticam. At conceptus Chriſtus ex fœmina, ſeu corpus ex puriſſimis virginis ſanguinibus formatum aſſumens, oſtendit: ſe veram carnem corpusque humanum habere, cùm illud omnium hominum corporibus commune ſit, ut ex matris ſanguine formentur, ſicque in anteceſſum præfocavit Chriſtus hæreſim Cerdonianorum, Marcionitarum, Valentinianorum, Appellita-

litarum, & Manichæorum aſserentium: Verbum divinum non veram, ſed phantaſticam & apparentem ſumpſiſse carnem, vel eam è cœlo detuliſse; nec ipſum ex Maria fuiſse genitum, ſed in opinione dumtaxat apparuiſse, atque virgineo utero tanquam canali uſum eſse. Legatur epiſtola *S. Auguſtini* 137. àliàs 3. ad Voluſianum, in qua S. Doctor hanc & alias hujusmodi difficultates ſibi à Voluſiano propoſitas, & ineffabile Incarnationis myſterium ſpectantes luculenter exponit.

Arguitur quartò: Maria fuit mater Chriſti Domini, atqui matres in conceptione filiorum concurrunt activè per effuſionem ſeminis, ut poſt Galenum & Avicennam docent celeberrimi recentiores Medici. Ergo Maria activè concurrit in conceptione Chriſti Domini, ac ſubindè conceptio Chriſti non fuit miraculoſa & ſupernaturalis, etiam ex parte virtutis activæ.

Reſpondeo: Huic quorumdam Medicorum opinioni, præferendam eſſe ſententiam S. Thomæ, & aliorum Theologorum, qui docent: Mulieres in generatione non concurrere activè, ſed ſolùm paſſivè, ſubminiſtrando videlicet materiam, hoc eſt, ſanguinem ad prolis formationem neceſſarium. Hæc ſiquidem S. Thomæ ſententia, magis conſentanea eſt doctrinæ omnium Sanctorum Patrum, qui totam efficaciam, ſeù virtutem activam Conceptionis Chriſti, ſoli Spiritui Sancto tribuunt, ita ut Maria activè per ſeminis emiſſionem non fuerit operata. Sanè, ægrè audiunt caſtæ aures, vixque ſalvo pudore dici poteſt, Beatam Virginem in Conceptione Chriſti activè concurriſſe, & ſemen inſtar aliarum mulierum emiſiſſe. Nam ſi Maria in Conceptione Chriſti ſemen emiſit, ſequitur primò: eam paſſam eſſe delectationem veneream, quod cum illibatâ ejus virginitate cohęrere nequit. Secundò ſequitur: Chriſtum fuiſſe in Adamo ſecundum ſeminalem rationem, & non tantum ſecundùm corpulentam ſubſtantiam; quia eatenùs alii homines ſecundum ſeminalem rationem in Adamo eſſe dicuntur, quatenùs ab Adamo per virtutem activam viri propagantur, ſi ergo ponatur activum ſemen in Beata Virgine quoad generationem Chriſti, planum erit Chriſtum, quà homo eſt, & quoad ipſam naturam humanam, fuiſſe in Adamo, ſecundum ſeminalem rationem, quod tamen tam falſum eſt, quàm quod maximè, ſicut benè multis, iiſque invictis rationibus demonſtrat *Sanctus Thomas* 3. part. q. 31. art. 6. 7. & 8. dicendum igitur eſt cum Angelico pręceptore: Nullam in Beata Virgine factam eſſe reſolutionem ſeminis, propter integerrimam ejus virginitatem, ac ſubindè Mariam in Conceptione Chriſti activè non fuiſſe operatam, eam tamen Chriſti Domini Matrem fuiſſe, quatenùs ſubminiſtravit materiam, ſeù puriſſimum ſanguinem,

Digitized by Google

nem, ex quo Spiritus Sanctus Corpus Chriſti in ejus utero, ad prolis Conceptionem à natura deſtinato, formavit, non verò in illius pectore ſeù corde, ſicut perperam viſum eſt cuidam Doctori Italo, qui, neſcio cujus fanaticæ mulieris ſomniis, & prſtigiis deluſus, Bononiæ inter concionandum dixit: Mariam Concepiſſe Chriſtum ex tribus guttis puriſſimi ſanguinis in pectore, ſeù in corde ſuo, quæ malè nata, ac temerè in vulgus ſparſa ſententia fuit, Romæ, teſte noſtro Cardinali Cajetano, qui tùm prſens aderat, confixa, & natalitiis tenebris damnata. Pulchrum etiam contra hoc delirium, novumque commentum *Baptiſta Mantuanus* edidit opuſculum.

Ex hac reſponſione facilè Lector colligere poteſt: Beatam Virginem non ſolùm veram eſſe & naturalem Matrem Chriſti, in quantum ex puriſſimis ejus ſanguinibus Corpus Chriſti in illius utero Spiritus Sancti operatione fuit formatum, ſed eam verè Dei Genitricem eſſe, non quod ſit Mater divinitatis, ſed quia perſonæ habentis divinitatem, & humanitatem eſt mater, ſecundùm humanitatem. Hæc eſt Eccleſiæ Catholicæ doctrina Sanctorum Patrum teſtimoniis, & Conciliorum generalium decretis contrà Neſtorium firmata, atque roborata. Nam primò, Ignatius martyr in epiſtola ad Epheſios, Juſtinus in dialogo cum Tryphone, Ireneus lib. 3. adversùs hereſes cap. 31. Dyonifius Alexandrinus in epiſtola contra Paulum Samoſatenum, Tertullianus in lib. de Carne Chriſti cap. 17. disertè profitentur: *filium Dei natum eſſe ex Maria, verbum Divinum extitiſſe de Virgine*, id eſt, de illius ſubſtantia formatum, ex quo neceſſariò ſequitur Beatam Virginem eſſe Deiparam. Secundò, Athanaſius oratione 4. contra Arrianos, Baſilius homilia 25. de humana Chriſti generatione, Gregorius Nazianzenus epiſt. 1. ad Cledonium, & Cyrillus Alexandrinus in lib. de recta Fide ad Reginas, ſeù ad pulcheriam, & Eudoxiam, cap. 6. Beatam Virginem appellant θεοτόκον, ſeù Deiparam. Immò Joannes Antiochenus, qui Neſtorii perſonæ impenſiùs favebat, ultrò fatetur in epiſtola, quam ſcripſit ad Neſtorium, quàm plurimos Eccleſiæ Doctores Mariam Dei Genitricem nuncupaſſe, ſic enim loquitur in prdicta epiſtolâ: *Etenim nomen θεοτόκου nullus unquàm Eccleſiaſticorum Doctorum repudiavit, qui enim illo uſi ſunt, & multi repeririuntur, & apprimè celebres*: & infrà, *Etenim ſi id quod nominis ſignificatione offertur, non recipimus, reſtat, ut in graviſſimum errorem prolabamur; immò verò, ut inexplicabilem unigeniti filii Dei œconomiam abnegemus, quando quidem hoc nomine ſublato, vel hujus nominis ratione repudiata, ſequitur mox illum non eſſe Deum, qui admirabilem illam diſpenſationem noſtræ ſalutis cauſa ſuſcepit*. Hanc avitam Sanctorum Patrum doctrinam ſuis decretis confir-

Digitized by Google

confirmant Concilia Generalia. Epheſinum Canone 1. anathemate percellit eum, qui *non confitetur Deum eſſe ſecundùm veritatem Emmanuel, & propter hoc Dei Genitricem Sanctam Virginem*. Et Synodus quinta Oecumenica Canone 6. anathemate itidem ferit eum, *qui Sanctam Glorioſam ſemper Virginem Mariam non confitetur verè, & propriè Dei Genitricem*. Nec indè tamen inferri poteſt: Mariam genuiſſe divinitatem, aut Deam appellari debere, quemadmodùm inſcitè objectabat Neſtorius. Nam Maria non ideò Dei Genitrix appellatur, ut inquit Sanctus Cyrillus in epiſt. ad Monachos, quod genuerit divinitatem, ſed quia hominem Deum genuit, non ſecùs ac etſi mulieres non niſi terrenorum ſint corporum Matres, nihilominùs, cùm totum animal pepererint ex anima & corpore compoſitum, non ſolam ejus partem peperiſſe dicuntur; nec aliquis, exempli causâ, dixerit Elizabetham, Matrem Joannis, carnis eſſe genitricem, non animæ: peperit enim animatum Baptiſtam. Hujuſmodi quidppiam actum eſſe fatebimur in Emmanuelis generatione. Quippè natum eſt ex Dei Patris ſubſtantia unigenitum ipſius verbum; cùm autem carnem ſuſcepit Dei Filius, eamque propriam ſibi fecit, ut filius hominis eſſet, & noſtri ſimilis foret; tunc minimè abſurdum dictu: immò neceſſariò profitendum: illum ex muliere ſecundum carnem genitum eſſe, quem admodùm & hominis anima unâ cum proprio corpore gignitur, & unum cum eo reputatur: tametſi naturâ intelligatur, & ſit ab eo diverſa ſecundum propriam rationem. Maria ergo dicitur Dei genitrix, quia genuit Chriſti humanitatem, cui in momento Conceptionis divinitas fuit hypoſtaticè unita.

Arguitur ultimò: Chriſtus non fuit in inſtanti Conceptionis ſuæ donatus plenitudine ſapientiæ, nec copiâ virtutum ac donorum ſupernaturalium, ergo ejus Conceptio non fuit miraculoſa & ſupernaturalis. Probatur antecedens, Lucæ cap. 2. legitur, quod *Jeſus proficiebat ſapientia & ætate coràm Deo, & hominibus*. Cùm igitur Chriſtus profecerit ſapientiâ ſicut & ætate, argumento eſt eum in inſtanti Conceptionis ſuæ nec plenitudine ſapientiæ, nec copiâ virtutum, ac donorum ſupernaturalium fuiſſe donatum.

Reſpondeo: hæc verba S. Lucæ eo in ſenſu accipi debere, quod Chriſtus proficiebat ſapientiâ quoad actum, non quoad habitum, ſicut exponit Sanctus Thomas 3. part. qu. 12. art. 2. majora quippè Chriſtus in dies edebat ſapientiæ opera, non ut augmentum aliquod acciperet, inquit Sanctus Gregorius Nazianzenus oratione 1. ad Cledonium, cùm ab initio omni gratiâ, ac ſapientiâ eſſet abſolutus, ſed quòd dotes, quibus ob unionem hypoſtaticam erat cumulatiſſimè inſtructus, magis exprimeret, dum ingenua, quâ pollebat,

bat, indoles, mores amabiles, ſapiens, ſibique ſemper conſtans vivendi ratio, in agendo maturitas, in loquendo prudentia, eum in dies magis admirandum redderent, tùm apud homines, quorum ſaluti conſulebat, tùm apud Deum, cujus gloriam virtute miraculorum illuſtrabat. Hinc Sanctus Lucas eodem in capite ait, quod *ſtupebant omnes qui audiebant ſuper prudentia & reſponſis ejus*. Profectus itaque ille non erat aliud, quàm manifeſtatio divinæ illius ſapientiæ, & ſcientiæ, quæ inſtar theſauri erant in Chriſto abſconditæ, & quas Chriſtus in infantili ætate prodere non debebat, ne homines eum ultrà ætatem ſapere videntes, de illius humanitate dubitaſsent. Hac reſponſione falſi convincitur futilis interpretatio *Eraſmi*, qui in ſuis annotationibus in cap. 2. *Lucæ*, ait: deitatem per gradus quoſdam, dotes quibus prçditus fuit Chriſtus, impartitam eſse naturæ humanæ aſsumptæ, ac ſubindè Chriſtum, ſicut profecit ætatis acceſsu, ità profeciſse dotium incrementis.

Advertat in fine hujuſce diſsertationis Lector, totam Sacram Triadem individuâ operatione concurriſse ad opus Conceptionis Chriſti, juxtà illud in ſcholis conſecratum Theologorum effatum, opera Dei ad extra ſunt indiviſa, & toti Trinitati communia, cum igitur opus Conceptionis Chriſti ſit ad extra productum, toti Trinitati commune eſse debet. Id etiam non obſcurè inſinuare videtur *Sanctus Lucas* cap. 1. his verbis: *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi*. Quæ verba ſic interpretatur Ruffinus in expoſitione ſymboli, *vide*, inquit, *cooperantem ſibi invicem Trinitatem, Spiritus Sanctus venire dicitur ſuper Virginem, & virtus altiſſimi obumbravit ei. Quid eſt virtus altiſſimi, niſi ipſe Chriſtus, qui eſt Dei virtus, & ſapientia? cujus eſt virtus? altiſſimi. Adeſt ergo altiſſimus, adeſt & virtus altiſſimi, adeſt & Spiritus Sanctus*. Huic interpretationi favent multi Ss. Patres *Chryſoſtomus* homil. 49. in Geneſim, *Gregor. magn.* lib. 18. moral. *Bernardus* hom. 4. ſuper *miſſus eſt*, & *Sanctus Thomas* 3. part. qu. 32. art. 1. non deſunt tamen alii Ss. Patres, & ſcripturæ Sacræ Interpretes, qui, ut videre eſt in prçfatione operibus Sancti Hilarii recentis editionis à pp. Benedictinis adornatæ prçfixâ, per *Spiritum Sanctum* in Virginem ſupervenientem, intelligi volunt, vel omnipotentiam Patris, vel filium Dei, ſeù verbum Divinum. Verùm etſi hujuſmodi interpretationes cum analogia fidei non pugnent, meliùs tamen, per *Spiritum Sanctum* in Virginem ſupervenientem intelligitur tertia perſona Sanctiſſimæ Trinitatis, quæ Spiritus Sancti nomine in ſacris litteris ſignatur, & per *virtutem altiſſimi* rectiùs paritèr intelligitur *filius Dei*, qui per unionem hypoſtaticam obumbravit Mariæ, & ex illa carnem & membra humana aſsumens, ſibi naturam humanam inti-

Digitized by Google

mè adunavit, atque indiviſibili nexu ſociavit. Cœterùm quamvis omnia, quæ de rebus creatis extra ſe agit Deus, tribus perſonis ex æquo ſint communia, neque unam magis, quàm aliam, aut unam ſine alia agere fides doceat, interdùm tamen ſacræ litteræ earum operationum, quæ perſonis omnibus communes ſunt, aliam alteri perſonæ adjudicare ſolent, ſicut creationem Patri, Redemptionem filio, ſanctificationem Spiritui Sancto, non ſecùs ac Patri potentiam, filio ſapientiam, Spiritui Sancto amorem. Quamobrem opus Conceptionis Chriſti, etſi toti Trinitati commune ſit, nihilo ſeciùs Spiritui Sancto ſpeciatim aſseritur propter tres rationes, quas affert Sanctus Thomas, & quas hìc compendiosè proponam. Primò, quia in Conceptione Chriſti immenſus Dei erga homines profunditur amor, *ſic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret*. *Joannis* cap. 3. porrò, Spiritui Sancto maximè tribuitur amor, quippè qui à patre filioque procedit, & eſt terminus eorum voluntatis. Secundò: quia Conceptio Chriſti facta eſt ex nullis pręcedentibus meritis, ſed ex ſola gratia, ex pura, & gratuita Dei voluntate, ſicut compluribus in locis inculcat Sanctus Auguſtinus; at Spiritus Sanctus eſt fons uberrimus ex quo omnes gratiæ ſcaturiunt, juxtà illud 1. ad Cor. cap. 12. *diviſiones gratiarum ſunt, idem autem Spiritus*. Tertiò denique: quia Chriſti conceptio fuit Sancta, & Immaculata, *non enim*, inquit *Sanctus Auguſtinus* tractatu 4. in *Joannem, conceptus eſt Chriſtus in iniquitate, quia non de mortalitate Conceptus eſt, nec eum in peccatis mater ejus in utero aluit, quem virgo peperit, quia fide concepit, fide ſuſcepit*. Sanctificatio autem tribuitur Spiritui Sancto, qui cap. 1. epiſt. ad Rom. appellatur *Spiritus Sanctificationis*. Ex his D.Thomæ rationibus liquet: opus Conceptionis Chriſti, toti licèt Sacræ Triadi commune, peculiari tamen ratione Spiritui Sancto eſſe aſserendum. Sed hæc de Conceptione Chriſti Domini Servatoris noſtri levi brachio attigiſse ſufficiat.

DIS-

DISSERTATIO TERTIA

De Stemmate, & de Origine Chriſti Domini, ſeù utrùm Chriſtus ex ſtirpe Abrahæ, & Davidis Regis, ac ſubindè ex tribu Juda, ex qua proditurus erat Meſſias, ſuum genus duxerit?

TOt inter fidei articulos, quos Chriſtiana Religio fidelibus credendos proponit, non alius eſt, meâ quidem ſententiâ, in quo oppugnando plus Ethnici, & Judæi inſudarint, operæque poſuerint, quàm in iſto, de genere, ſeù origine Chriſti Servatoris noſtri, quem, hac in diſsertatione,pro meo modulo dilucidandum aggredior. Enim verò, cùm Ethnici, & Judæi compertum, ac exploratum haberent: Meſſiam ex ſtirpe Davidica, & è tribu Juda, Juxtà Prophetarum oracula, proditurum; in id præſertim incubuerunt, omneſque ingenii ſui vires contulerunt, ut obſcurarent genus, & originem Chriſti, quem ob pluſquam adamantinam cordis duritiem, ac ſtupendam mentis cæcitatem, verum Meſſiam agnoſcere, atque profiteri detrectarunt. Primò, ex gentilibus emerſit *celſus*, qui in genus Chriſti aperto morte inſurrexit, eumque ex Regio Davidis ſanguine ſatum eſse inſulsè negavit, quem *Origenes* perdoctè confutavit. Celſum ſecutus eſt *Porphyrius*, ſicut teſtatur Sanctus Hieronymus, & Porphyrii veſtigia preſſit *Julianus Apoſtata*, qui de induſtria varias conquiſivit, ac congeſſit cavillationes, quibus Evangeliſtarum fidem elevare atque ſollicitare poſset. in hunc fidei transfugam, & Chriſtianæ Religionis infenſiſſimum hoſtem calamum acuit Sanctus *Cyrillus*. Nec defuere etiam hæretici, qui genus Chriſti aggreſſi ſunt; *Tatianus* quippè, teſte *Theodoreto* lib. 1. fab. hæret. amputavit in harmonia, quam edidit in quatuor Evangelia, genealogias, & alia, quæ oſtendunt Chriſtum Dominum natum eſse ex Davide ſecundùm carnem. *Fauſtus* itidem Manichæus, ne fateri cogeretur: Chriſtum ex Regio Davidis ſanguine cretum, ſeù oriundum eſse, auſus eſt aſserere: Chriſti genealogiam à Matthæo contextam, nec Evangelium eſse, nec ad Evangelium pertinere, adeòque, ſalvâ Evangelii veritate, à ſe reiici poſse. In hunc hæreticum multos libros conſcripſit Sanctus Auguſtinus, ſed illius errorem, circà genealogiam Chriſti, potiſſimùm confutavit in libris 2. 3. 7. & 23. quos edidit contrà hunc hæreticum Manichæum. Ut igitur tot infrunitorum, malèque feriatorum homminum calumniæ retundantur, & omnibus Scripturæ Sacræ oblatrantibus ora

 obtu-

Digitized by Google

obturentur,probandum hac in diſsertatione ſuſcipio:Chriſtum Dominum verè ex ſtirpe Abrahæ, & Davidis Regis, atque è tribu Juda oriundum eſse, ſicut Sancta, & Catholica credit Eccleſia.

DICO IGITUR: *Chriſtum Dominum verè ortum eſſe ex ſtirpe Abrahæ, & Davidis Regis, ac ſubindè ex tribu Juda, ex qua proditurus erat Meſſias, ſuum genus duxiſſe.*

Hæc aſsertio inconcuſsè ex utroque ſtabilitur teſtamento, in quo ſæpiùs referuntur promiſſiones à Deo factæ Abrahæ, & Davidi de Meſſia ex eorum ſemine naſcituro. Enim verò poſtquàm Deus præcepiſset Abrahæ, ut de terra & de cognatione ſua egrederetur, pollicitus eſt ei,in præmium obedientiæ,Meſſiam ex ipſius ſemine naſciturum, in quo benedicerentur omnes gentes, *Geneſis* cap.12. dicit Dominus ad Abraham: *in te benedicentur univerſæ cognationes terræ*. Et cap. 22. *benedicentur in ſemine ſuo omnes gentes*. Quæ verba ſic exponit Apoſtolus ad *Galatas* cap. 3. *Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini ejus. Non dicit in ſeminibus, quaſi in multis, ſed quaſi in uno, & ſemini tuo, qui eſt Chriſtus*. Simili privilegio fuiſse donatum Davidem Regem, patet Primò, ex pſalmo 88. ubi Deus de Davide ſermonem habens, hæc dicit: *ponam in ſæculum ſæculi ſemen ejus. Semen ejus in æternum manebit*. Secundò, in multis hiſtoriæ Regum locis, Deus, ſæpiùs licèt ad iracundiam concitatus ſceleribus poſterorum Davidis, affirmat tamen ſe: eos exterminare nolle, eo quod, juxtà verbum ſuum, ſervare vellet lucernam David, idque apertiùs declarat *Iſaias* cap.11. *Egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet*. Quæ divini oraculi verba, R.Abeneſra, R. Salomo, R. Kimchi, R. Arbabenel, R. Arama, quibus aſsentiuntur Lipmannus in Nizzachon, & plerique recentiores hebræi, de Meſſia interpretantur. Denique eamdem veritatem ſexcentis in locis inculcat novum Teſtamentum, *Lucæ* cap. 3. *Et ipſe Jeſus erat incipiens quaſi annorum triginta; ut putabatur filius Joſeph, qui fuit Heli.... qui fuit Judæ...... qui fuit Abrahæ*. ad *Romanos* cap.10. *manifeſtum eſt enim, quod ex Juda ortus ſit Dominus noſter*. Et, ut cætera id genus mittam teſtimonia, quæ Sacras litteras legenti paſſim obvia ſunt, *Matthæus* cap.1. ſic ſuum auſpicatur Evangelium, *Liber generationis Jeſu Chriſti filii David, filii Abraham &c.* Porrò, ſi Chriſtus revera non fuiſset ortus ex ſtirpe Abrahæ, & Davidis Regis, Matthæus in Evangelii ſui exordio ſibi omnem omninò abrogaſset fidem apud Judæos, in quorum gratiam ſuum conſcripſit Evangelium. Judæi namque integras genealogias tàm privatim, quàm publicè in tabulariis Sacris, & in publicis Archivis maximâ curâ, & religione aſservabant, eorum præſertìm qui ex tribu *Levi*, vel ex tribu *Juda* originem habebant; ex tribu quidem *Levi*, ne Sacerdotium

Digitized by Google

tium quiſquam ab ea tribu alienus temerario auſu invaderet, ut videre eſt apud *Joſephum* lib. 1. contrà *Appionem*; ex tribu verò *Juda*, ob Meſſiam ex ea naſciturum. Et quia promiſſio generalis de prodituro Meſſia ex tribu Juda, poſteà reſtricta fuit ad domum, & familiam Davidis Regis, hac de cauſa Judæi nihil tam curæ habebant, quàm ut ſingulari diligentiâ cuſtodirent tabulas genealogicas eorum, qui à Davide Rege ſuum genus ducebant, ſicut teſtatur *Julius Africanus* in epiſtola ad *Ariſtidem* apud *Euſebium* lib. 1. Hiſt. Eccl.cap.7. ſi ergo Evangeliſta Matthæus falsò aſseruiſſet: Chriſtum ex Abrahamo per Davidem fuiſse propagatum, confeſtim reclamaſsent Judæi, Matthæo acerrimè contradixiſsent, ipſumque mendacii palàm inſimulaſsent. Certum autem eſt, Judæos nunquàm reclamaſse, nec ullam ſuper hac re litem Matthæo moviſse, quamvis Chriſtum, & Evangeliſtas calumniandi impotenti libidine æſtuarent; Silentium itaque Judæorum, in re tanti momenti, liquidò probat eos pro comperto habuiſse Chriſtum Dominum prodiiſse ex proſapia Abrahæ, & Davidis Regis.

Præter hæc momenta ex Sacris litteris petita, aliud, ad genus Chriſti ſtabiliendum, efficax ſuppetit argumentum, quod in hanc formam redigi poteſt. Chriſtus natus eſt ex Maria Virgine, atqui Maria Mater Chriſti orta eſt ex ſtirpe Davidis Regis, ergò itidèm Chriſtus. Probatur minor, primò, quia *S. Lucas* cap.2. ait: *Joſephum aſcendiſſe à Galilea de Civitate Nazareth in Judæam, in Civitatem David, quæ vocatur Bethleem, eo quod eſſet de domo, & familia David, ut profiteretur cum Maria deſponſata ſibi uxore prægnante.* Ex quibus Sacri Evangeliſtæ verbis colligunt Ss.Patres Ambroſius, Hieronymus, & Auguſtinus: Mariam ideò cum Joſepho veniſſe in Bethleem Davidis gentilem Civitatem, ut juxtà Cæſaris edictum nomen daret, quia ex tribu Juda, & ſtirpe Davidica unà cum caſtiſſimo ſuo Sponſo erat oriunda. Et meritò quidem id ex verbis Evangeliſtæ colligunt Sancti Patres. Nam ſi Beata Virgo non fuiſset orta ex ſtirpe, & familia Davidica, neceſse haud fuiſset, ut Joſeph Mariam jam fœtam, immò cujus partus in procinctu erat, tanto itinere fatigaret, eamque ſecum duceret in Civitatem Bethleem, in qua hi ſolum, qui erant de domo, & familia David, profiteri debebant juxtà Cæſaris edictum. Secundò, Maria ideò fuit nupta Joſepho quia, ut mox ex Sanctis Patribus evincam, proximo agnationis gradu erat Joſepho conjuncta, ita ut Maria, & Joſeph ex eadem tribu, & familia eſsent; atqui Joſephus, ut Sacri teſtantur Evangeliſtæ, ex Regio Davidis ſanguine editus eſt, ergo Maria Virgo ex eadem quoque proſapia genus ſuum ducebat. Denique, ut ſolidè arguit *Sanctus Auguſtinus* lib. 23. contra Fauſtum Manichæum, Chriſtus ad ſtirpem David, & tribum Juda pertinere haud

haud poterat per Joſephum, ex cujus ſemine natus non eſt, ſed tantùm per Mariam Virginem in cujus utero carnem humanam aſſumpſit. Cùm itaque Chriſtus, ſicut ſæpiùs in utroque perhibetur fœdere ſacro, ortus ſit ex ſtirpe Davidica, & è tribu Juda, neceſse eſt ut credamus Mariam, ex qua Chriſtus Dominus natus eſt, ad Davidis Regis conſanguinitatem pertinuiſse; Conſanguinitas quippè cum Davide non potuit Chriſto communicari niſi per Mariam Virginem. *Quisquis itaque*, inquit *Sanctus Auguſtinus* cap. 9. mox citati libri, *dicit: Mariam ad conſaguinitatem David non pertinuiſſe, manifeſtum eſt quod iſtarum Scripturarum tam excellenti auctoritati obluctetur, ipſe ergo convincat non eam pertinuiſſe ad ſemen David, & hoc oſtendat non ex quibuscumque literis, ſed Eccleſiaſticis, Canonicis, & Catholicis*. Quibus verbis Sanctus Doctor diſpungit vanam, & frivolam Fauſti Manichæi objectionem aſserentis:Mariam non fuiſse ortam ex tribu *Juda*, ſed ex tribu *Levi*, eo quod in quibuſdam ſcripturis apocryphis, & fabuloſis traditionibus legiſset: *Joachim*, Patrem Mariæ Virginis, fuiſse Sacerdotem, undè inſulsè inferebat: Jeſum eſse de genere Aaronidarum. Qui error ex ſumma ſacrarum hiſtoriarum ignoratione profluxit, perindè ac alius error qui habetur in *Alcorano* cap. 2. de familia *Amrami*, & cap. 1. lib. 3. cui titulus eſt *de Maria*, ubi aſseritur: Mariam Virginem, Jeſu Chriſti Matrem, eſse ſororem Aaronis, & filiam Amrami; quod ſanè putidum mendacium eſt. Nam Maria Mater Chriſti orta eſt tempore Zachariæ, quando non erant Reges, nec in Juda, nec in Iſrael,ſed jam ſceptrum erat translatum ad Herodem, quem non fuiſse genere Judæum, ſed idumæum infra oſtendemus, Maria autem, quæ fuit filia Amrami, & ſoror Moyſis, & Aaronis, orta eſt tempore Pharaonis in Ægypto, & mortua eſt in *cades*, ut legitur cap. 20. lib. numerorum. Cùm igitur inter utramque Mariam multæ ſæculorum Myriades interceſserint, non potuit author Alcorani, niſi per ſummam, & pluſquam ſupinam Sacrarum Scripturarum ignorantiam,promiſcuè confundere Mariam Matrem Chriſti, quæ ex ſtirpe David, & è tribu Juda orta eſt, cum Maria filia Amrami, & ſorore Moyſis, & Aaronis, quæ ex tribu *Levi* originem traxit.

Diluuntur objectiones.

Arguitur primò: Chriſtus Dominus ortus eſt è Tribu Levi, ergo nec ex Tribu Juda,nec ex Proſapia Davidica genus ſuum duxit. Prob. antec. Benè multi SS. Patres & antiqui Scriptores tradunt: Euangeliſtam Lucam texuiſſe Chriſti Domini genealogiam per lineam Sacerdotalem, ſeu per lineam *Nathanis*, qui fuit filius naturalis

Uriæ

Uriæ Sacerdotis, à Davide Rege, poſt initum cum *Berſabea* uxore Uriæ matrimonium adoptatus; ergo Chriſtus, juxtà genealogiam, quam edidit Lucas, ortus eſt è Tribu Levi, non ex Tribu Juda.

Reſpondeo: Maximâ quidem cum veneratione excipiendam eſſe SS. Patrum, & antiquorùm Scriptorum ſententiam in iis, quæ ad fidem & morum regulam ſpectant, neminem tamen SS. Patrum, quando in unam & eandem ſententiam non conſpirant, in his præſertim, quæ ad hiſtoriam, & minuta, leviaque rerum genera pertinent, auctoritate ita conſtringi debere, ut ab ea interdum recedere non liceat, maximè, quando certò certius conſtat, ſententias, quas tradiderunt, minus veritati conſonas eſſe. Porrò, multis momentis evinci poteſt: ſententiam illorum Patrum & antiquorum Scriptorum, qui docuerunt: Lucam texuiſſe genealogiam Chriſti per lineam Sacerdotalem, non eſſe veritati conſentaneam. Primò, quia minimè conſtat *Uriam* virum Berſabeæ fuiſſe Sacerdotem, nec proindè *Nathanem*, quem illi antiqui putarunt eſſe Uriæ filium naturalem, ad lineam Sacerdotalem pertinuiſſe. Secundò, *Nathan* non fuit filius naturalis *Uriæ* viri Berſabeæ, ſed potiùs Davidis Regis, ut claro adſtruitur ſermone lib. 1. Paralip. cap. 3. ubi ſic referuntur generationes Davidis Regis: *Porrò in Jeruſalem nati ſunt ei filii Simmaa, & Sobab, & Nathan, & Salomon, quatuor de Berſabea filia Ammiel.* Tertiò, *Joſephus* lib. 20. antiq. Jud. cap. 18. in ſerie, quam edidit Pontificum, nullius meminit eorum, quos Lucas recenſet à Nathane uſque ad Joſephum virum Mariæ, quod quidem argumento eſt, neminem eorum fuiſſe Sacerdotem. Denique ſi S. Lucas edidiſſet genealogiam Chriſti per lineam Sacerdotalem, ut viſum eſt illis antiquis, Chriſtus fuiſſet ortus ex Sacerdotibus, adeòque ex Tribu Levi ſuum genus duxiſſet, quod tamen erroris arguit Apoſtolus in epiſt. ad Hebræos cap. 7. ubi hæc habet: *Si ergo conſummatio per Sacerdotium Leviticum erat . . . . . quid adhuc neceſſarium fuit ſecundùm ordinem Melchiſedech alium ſurgere Sacerdotem, & non ſecundùm Aaron dici? . . . . . manifeſtum eſt enim, quod ex Juda ortus ſit Dominus noſter, in qua Tribu nihil de Sacerdotibus Moyſes locutus eſt.* Quamvis ergo nonnulli SS. Patres & antiqui Scriptores exiſtimaverint: Lucam Chriſti Domini texuiſſe genealogiam per lineam Sacerdotalem, nihiloſeciùs nobis religio eſſe non debet ab eorum deſciſcere ſententia, nam, ut optimè ait *Vincentius Lirinenſis* cap. 39. ſui commonitorii: *Antiqua Sanctorum Patrum conſenſio, non in omnibus divinæ legis quæſtionibus, ſed ſolùm in certa præcipuè fidei regula, magno nobis ſtudio & inveſtiganda & ſequenda eſt.* Sed de auctoritate SS. Patrum plura legeſis apud noſtrum *Melchiorem Canum* lib. 7. de locis Theologicis.

Arguitur ſecundò: Si Chriſtus ortus eſset ex ſtirpe Abrahæ, & Da-

Digitized by Google

Davidis Regis, ſequeretur: eum fuiſse in Adamo, & decimatum in lumbis Abrahæ, atqui nulla ratione dici poteſt: Chriſtum fuiſse in Adamo, & decimatum in lumbis Abrahæ, alioqui ejus caro fuiſset obnoxia peccato originali, quod transfunditur in omnes, qui ab Adamo propagantur; ergo Chriſtus non fuit ortus ex ſtirpe Abrahæ, & Davidis Regis.

Reſpondeo cum *S. Thoma* 3.p. q.31. art.6. ad 1. Chriſtum fuiſse in Adamo ſecundùm corpulentam, ſeu corporalem ſubſtantiam, quia ſubſtantia corporis Chriſti, ideſt, materia, quam ſumpſit ex virgine Maria, fuit in Adamo ſicut in principio activo, non autem ſicut in materiali principio. Nam materia illa non fuit formata in corpus Chriſti per virtutem ſeminis ab Adamo profectam, ſed per ſolam Spiritus Sancti operationem; & ideò concludit *S. Thomas*: Chriſtum non fuiſse in Adamo ſecundùm ſeminalem rationem, per quam ad omnes omninò homines propagatur peccatum originale, cujus penitùs expers fuit Chriſtus Dominus. Similiter reſpondet Doctor Angelicus: Chriſtum non fuiſse decimatum in lumbis Abrahæ, quia nomine decimationis intelligit Apoſtolus in epiſt. ad Hebræos cap. 7. actionem illam, quâ, ut narratur Geneſeos cap. 14. Abraham decimas obtulit Sacerdoti Melchiſedech, illâ actione figurans, & quaſi proteſtationem faciens, quod Melchiſedecum tanquam Superiorem agnoſceret, ſe verò imperfectum & inferiorem. Undè infert Apoſtolus: Sacerdotium Melchiſedeci, in quantum gerit figuram Chriſti, eſse majus Sacerdotio Levi, qui erat in lumbis Abrahæ, & ſimul cum eo decimatus, utpotè per Iſaac & Jacob ab eo propagatus. Si igitur Chriſtus eſset in lumbis Abrahæ decimatus, fuiſset ſubditus & inferior Melchiſedeco, quod palàm Scripturæ Sacræ adverſatur. Dicitur enim de Chriſto Pſalmo 109. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech*. Quapropter dicendum eſt cum S. Thoma: Omnes quidem in Abrahamo fuiſse decimatos, ideſt, præfiguratos indigere curatione, quæ eſt per Chriſtum, at in lumbis Abrahæ non fuiſse decimatum Chriſtum Dominum, quia ab eo ſecundùm ſeminalem rationem non fuit propagatus. Id præclarè exponit *S. Auguſtinus* lib. 10. de Geneſi ad litteram cap.20. his verbis: *Nec Levi, nec Chriſtus in lumbis Abrahæ ſecundùm animam, ſecundùm verò carnem & Levi & Chriſtus, ſed Levi ſecundùm concupiſcentiam carnalem, Chriſtus autem ſecundùm ſolam ſubſtantiam corporalem; cùm enim ſit in ſemine & viſibilis corpulentia, & inviſibilis ratio, utrumque concurrit ex Abraham, vel etiam ex ipſo Adam uſque ad corpus Mariæ, quia & ipſum eodem modo conceptum & exortum eſt. Chriſtus autem viſibilem carnis ſubſtantiam de carne Virginis ſumpſit; ratio verò conceptionis ejus non à ſemine virili, ſed longè aliter, & deſuper venit. Ille igitur eſt decimatus in Abraham,*

qui

qui ſic eſt natus . . . . . per legem ſcilicet repugnantem legi mentis , & inviſibilem concupiſcentiam, &c. Non autem & ille ibi decimatus eſt , cujus caro inde non fervorem vulneris , ſed materiam medicaminis traxit ; nam cùm ipſa decimatio ad præfigurandam medicinam pertinuerit , illud in Abrahæ carne decimabatur, quod curabatur , non illud unde curabatur . Idem docet *Aquilinus Doctor* ſerm.14. de verbis Apoſtoli cap.10.

Arguitur tertiò: Chriſtus pertinere non potuit ad ſtirpem & familiam Davidicam , niſi per Mariam virginem , ex qua natus eſt ; atqui Maria virgo non eſt orta ex progenie & familia David , ergo nec pariter Chriſtus . Maj. certa eſt : Chriſtus enim pertinere non potuit ad ſtirpem & familiam David per Joſephum, cùm fidei dogma ſit : Joſephum non fuiſse patrem naturalem Chriſti, nihilque ipſi cum generatione Chriſti fuiſse commune . Probatur itaque minor propoſitio: Maria virgo, Lucæ cap.1. dicitur cognata Eliſabeth de filiabus Aaron, atqui Aaron erat de Tribu Levi, Exodi cap. 6. ergo Maria, quæ erat cognata Eliſabeth, ex Tribu Levi ſuam originem ducebat .

Reſpondeo : Mariam virginem fuiſse quidem cognatam Eliſabeth, indè tamen deduci minimè poſse: eam fuiſse de Tribu Levi, ſeu de Tribu Sacerdotali . Ratio eſt , quia Sacerdotes , quorum Deus portio erat, eâ lege non adſtringebantur, quâ cautum erat, ut qui hæreditate potiebantur intra ſuam Tribum & familiam nuberent , ne hæreditates permiſcerentur , quæ lex habetur Numerorum libri cap. ultimo, ſed cuilibet Sacerdoti integrum erat ſibi ex omni Tribu uxorem adſciſcere . Fieri ergo potuit, inquit *S. Thomas* 3.p. q.31. art.2. ad 2. ut pater Eliſabeth, qui erat de Tribu Sacerdotali , uxorem duxerit de ſtirpe David, ratione cujus matrimonii Maria virgo ex ſtirpe David oriunda cognationem habuerit cum Eliſabeth . Vel potuit pater, aut aliquis majorum Mariæ virginis uxorem ducere de ſtirpe Aaron, ſeu de Tribu Levi,iisdem cum Eliſabeta parentibus proſatam. Lex ſiquidem, quæ lib. Numerorum cap. ultimo jubet intra eamdem Tribum virgines nubere, ad ſolas ſpectat virgines , quæ, defectu prolis maſculæ, ex aſse hæredes erant, ſeu quæ patri in hæreditate ſuccedebant, & non ad illas, quæ nullam ſortiebantur hæreditatem , ſicut exponit *S.Thomas* 1.2. q. 105. art.2. ad 2. eamdemque huic legi adhibent interpretationem doctiſſimi Scripturæ Sacræ Interpretes, *Paulus à Sancta Maria Burgenſis Epiſcopus* ad cap. 36. lib. Numerorum, *Cajetanus* in commentario, *Andreas Maſius* comment.in Joſue cap.17. *Mariana* in ſcholiis, *Bonfrerius*, & alii . Immo virgines , quæ hæredes erant, modò hæreditatem, quæ illis obtingebat, repudiarent , & avitis renunciarent juribus , poterant cum aliis Tribubus jungere connubia . Hinc lib. Judicum cap.21. legimus: Cæteras Tribus , quominùs filias ſuas nuptum darent Beniaminitis , oſtendiſse ſe non lege

diviná, ſed jusjurandi religione dumtaxat prohiberi. Conſtat etiam ex lib. 1. Regum cap. 18. Davidem ſine ulla religione aut ſcrupulo Beniamitidem duxiſse uxorem; & lib. 2. Paralip. cap. 22. *Jojada* Pontifex nupſit filiæ Joram, quæ erat de Tribu Juda. Alia id genus exempla paſſim in ſacris litteris occurrunt. Cùm itaque Leviticæ gentis virgines rerum ſoli capaces non eſsent, ideſt, nullam ſortirentur hæreditatem, poterant viris extra Tribum ſuam nubere. Potuit ergo Maria virgo eſse cognata Eliſabeth, quia aliquis majorum Mariæ virginis, licet de ſtirpe Davidis eſset, nupſit virgini Leviticæ. Quod quidem, ſicut obſervat *S. Thomas* poſt *S. Gregorium Nazianzenum* in carmine de genealogia Chriſti, nutu ſuperno contigit, ut Chriſtus Dominus, qui Rex eſt & Sacerdos, ab utroque genere tàm Regio, quàm Sacerdotali naſceretur ſecundùm carnem, & dum unus in Cœlo Dei filius ante ſæcula ineffabili naſcitur exordio, etiam in terra ex clara Regum pariter & Sacerdotum progenie ortus, illuſtrium titulorum ſibi apices vindicaret.

Inſtabis: in editione vulgata, quæ à Concilio Tridentino *authentica* fuit declarata, ſic legitur cap. ultimo lib. Numerorum: *Omnes viri ducent uxores de tribu & cognatione ſua, & cunctæ fœminæ de eadem tribu maritos accipient*. Quæ quidem lex his verbis concepta omnes omninò viros & fœminas comprehendit, ipſiſque indiſcriminatim vetat ne nubant extra ſuam Tribum. Falſum igitur eſt hanc legem latam Numerorum cap. ultimo non ſpectaſſe Sacerdotes, quorum Deus portio erat, aut illas virgines, quæ nullam ſortiebantur hæreditatem, vel quæ hæreditati nuncium remittebant.

Reſpondeo: Hunc editionis noſtræ vulgatæ locum ita intelligi debere, ut cum ſenſu textus hebraici & antiquarum Scripturæ Sacræ verſionum conſentiat. Porrò, textus Hebraicus & antiquæ Scripturæ Sacræ verſiones legem, ſancitam Numerorum cap. ult. limitant ad filias, quæ, ob defectum fratrum, paternam hæreditatem colligebant. Sic enim habet text. Hebr. *Omnis ideò filia poſſidens hæreditatem de Tribubus filiorum Iſrael, alicui de familia Tribus patris ſui erit in uxorem, ut hæreditent filii Iſrael ſinguli poſſeſſionem patrum ſuorum.* Targū Onkeloſi: *Et omnis filia hæres poſſeſſionis de Tribu filiorum Iſrael, Uni de familia Tribus patris ſui ſit in uxorem, ut hæreditent filii Iſrael ſinguli poſſeſſionem patrum ſuorum*. Syriaca verſio: *Et quæcumque filia poſſederit hæreditatem ex Tribu filiorum Iſrael alicui ex Tribu domus patris ſui nubat, ut poſſideat quiſque filiorum Iſrael hæreditatem patris ſui*. Idem legitur in verſione Arabica, & in verſione LXX. Interpretum. Quocircà cùm textus Hebræus, & antiquæ Scripturæ Sacræ verſiones legem, latam Numeror. cap. ultimo de ineundis connubiis intra eamdem Tribum, limitent ad filias quæ, defectu prolis maſculæ, poſſident hæreditatem, dicendum

eſt

Digitized by Google

eſt eodem in ſenſu eſſe intelligendam noſtram editionem vulgatam. Addo etiam: non deeſſe criticæ diſciplinæ peritos, & Scripturæ Sacræ doctiſſimos Interpretes, qui exiſtimant: editionem vulgatam, loco mox laudato, in quo legem de ineundis connubiis non ſatis clarè explicat, corrigi, & emendari debere ad normam textus Hebræi. Quamvis enim Concilium Tridentinum cæteris, quæ id ætatis circumferebantur Scripturæ Sacræ verſionibus Latinis, editionem vulgatam prætulerit, eamque authenticam declaraverit; non eam tamen eo in ſenſu authenticam declaravit, ut præponi debeat originariis, ſeu primigeniis exemplaribus Hebraicis, & Græcis, cùm certum ſit; Summos Pontifices Sixtum V. & Clementem VIII. etiam poſt Concilium Tridentinum, nonnulla editionis vulgatæ loca, quæ temporis rerum omnium edacis injuriâ, vel incuriâ typographorum, vel ignorantiâ ſciolorum erant interpolata, aut minus accuratè tranſlata, ad normam Hebræorum, & Græcorum Codicum correxiſſe, atque diligenter caſtigaſſe; ſed ſolùm eo in ſenſu editionem vulgatam authenticam pronunciavit ſac. Synodus Tridentina, ut nihil prorſus contra fidem, & bonos mores complectatur. *Eatenus igitur*, verba ſunt *Andreæ Vegæ*, qui Concil. Trid. aderat, cùm decretum illud de ſac. Scripturis editum eſt lib. 15. in Concil. Trident. cap. 9. *Voluit Synodus authenticam haberi* (editionem vulgatam) *ut certum omnibus eſſet, nullo eam dcfœdatam errore, ex quo perniciosum aliquod dogma in fide, & moribus colligi poſſit.* Hanc nonnullorum hujus temporis Theologorum ſententiam obiter dumtaxàt refero, nec tamen approbo. Conſulat Lector noſtrũ *Natalem Alexandrũ* in differt. de edit. vulg. & in anticritica contra *P. Fraſſenũ Franciſcanum.*

Arguitur quartò: Si Maria reverà orta eſſet ex proſapia Davidis Regis, debuiſſent *Matthæus* & *Lucas* texere Chriſti genealogiam per Mariam, ex qua Chriſtus natus eſt, non verò per Joſephum, qui, ut fides docet, non fuit pater naturalis Chriſti, & cuius proindè genus ad Chriſtum pertinere minimè potuit; atqui *Matthæus* & *Lucas* genealogiam Chriſti per Mariam non texuerunt; ſed per Joſephum, argumento itaque eſt: Mariam non eſſe oriundam ex ſtirpe Davidis Regis, ac ſubindè Chriſtum ad familiam, & ſtirpem Davidicam nullo pacto pertinere poſſe.

Antequàm huic lubricæ & implexæ difficultati, quæ omnibus ſtemmatis, ſeu genealogiæ Chriſti Expoſitoribus crucem fixit, faciam ſatis; varias ſubnectam reſponſiones, quas ad hunc gordium nodum diſſolvendum varii excogitarunt Auctores.

Primò, reſpondent nonnulli: *Matthæum*, & *Lucam* genealogiam Chriſti duxiſſe uſque ad Joſephum, cujus tamen filius naturalis non fuit, quia *Matthæus*, & *Lucas* in texenda genealogia Chriſti ſe ſe accommodarunt opinioni Judæorum, & Paganorum, qui putabant

Chriſtum eſſe filium naturalem Joſephi, & hoc pacto Euangeliſtas oſtendiſſe Chriſtum, juxtà Judæorum,& Infidelium hypoteſim, ortum eſſe ex ſtirpe, & familia David, ſiquidem Judæi, & Pagani inficiari haud poterant Joſephum, quem patrem naturalem Chriſti eſſe arbitrabantur, ex ſtirpe, & ſemine David proceſſiſſe.

Verùm hæc reſponſio admitti non debet. Primò, quia Spiritus Sanctus, cujus lumine afflati fuerunt Sacri Euangeliſtæ, veritatem falſo medio non probat; porrò, ſi *Matthæus*, & *Lucas* dixiſſent: Chriſtum Dominum ortum eſſe ex ſtirpe Davidis Regis eo ſolo nomine, quod Chriſtus à Judæis,& Paganis filius naturalis Joſephi putabatur, veritatem falſo medio probaſſet Spiritus ſanctus, qui per Euangeliſtas loquebatur; falſum quippè eſt: Joſephum fuiſſe patrem naturalem Chriſti. Secundò, ex hac reſponſione ſequeretur: *Matthæum* conſultò voluiſſe Judæis occultare myſterium Incarnationis, quod tamen à fine, & ſcopo *Matthæi* omninò alienum eſt, nàm tantùm abeſt, ut *Matthæus* myſterium Incarnationis Dominicæ reticeat, ut potiùs cap. 1. diſertè dicat: Mariam gravidam fuiſſe ex Spiritu Sancto, probetque ex prophetia Iſaię, Chriſtum naſci debuiſſe ex Virgine Maria. Denique, hęc reſponſio probaret, Euangeliſtas *Matthæum*,& *Lucam* nō Chriſti, ſed Joſephi tantùm texuiſſe genealogiam, quæ non magis ad Chriſtum pertinere potuiſſet, quàm genealogia vitrici ad privignum. Quis autem non videt id è diametro oppoſitum eſſe ſcopo, quem ſibi *Matthęus* proponit in limine ſui Euangelii, quod ſic orditur: *Liber generationis Jeſu Chriſti.*

Reſpondent ſecundò *Hugo Grotius* in cap. 1. Matth. & *P. Bernardus Lamy* cap. 6. Commentarii in concordiam Euangelicam: *Matthæum*, & *Lucam* perduxiſſe genealogiam Chriſti uſque ad Joſephum, quia origo Joſephi non eſt exiſtimanda aliena à genere Chriſti, originem autem Joſephi non fuiſſe alienam à genere Chriſti probant prædicti Auctores. Primò, quia Chriſtus, ex lege connubii Mariæ cum Joſepho, idem genus habebat, ac ipſe Joſeph verus, & legitimus Matris ejus Sponſus. Secundò, quia Joſeph Chriſtùm natum ex Maria Sponſâ ſuâ in filium ſuum adoptaverat, ex quo inferunt, quod, etiamſi Virgo Maria non fuiſſet orta ex proſapia Davidis Regis, Chriſtus attamen per Joſephum ad regiam Davidis ſtirpem, & familiam pertinuiſſet. Sic enim loquitur Grotius: *Si ea vis eſt legis, ut partus viduæ ex agnato viri defuncti conceptus in omne jus defuncti ſuccedat, non aliter quam ſi ex ipſius genitura ortum traxiſſet, & proles à fratre genita, ſemen vocatur non illius, per quem ſuſcepta eſt; ſed illius, cui ſuſcepta eſt, nempè fratris ſine liberis defuncti, quid ni id, quod ſine humana opera ex legitima Joſephi conjuge natum eſt, quaſi ipſius ſolo divinitùs inſitum ipſius proprium cenſeatur? Atque hinc eſt nimirùm, quod non tantùm ab Euangelii Scriptoribus Joſephus pater Chriſti, nuptiis videlicet patrem demonſtranti-*

Digitized by Google

tibus, nominetur, ſed & Chriſtus omnia obſequia, atque operas præſtitit, quæ expectari poſſunt à filio in ſacris paternis conſtituto. Quod ſi ubique gentium adoptivi liberi ex ejus generis, cui velut inſiti ſunt, nobilitate cenſentur; quantò juſtius omnia jura gentilitia Joſephi, ac promiſſiones divinæ ipſius majoribus factæ ad Dominũ Jeſum pertinebant? Hactenus Grotius.

At meritò diſplicet hæc reſponſio. Primò, quia ſi Chriſtus ad ſtirpem, & familiã Davidicam dumtaxàt pertinuiſſet ratione legitimi matrimonii, quod erat Mariam inter & Joſephum, vel ratione filiationis adoptivæ, quam accepiſſet à Joſepho, non debuiſſent, nec potuiſſent Euangeliſtæ veram, & naturalem Chriſti genealogiam texere per parentes Joſephi, ex quibus verè, & naturaliter natus non fuiſſet. Nec enim parentes Joſephi poterant eſſe veri, & naturales parentes Chriſti ex lege matrimonii Mariæ cum Joſepho, vel ex ſola filiatione adoptiva, quam Chriſtus à Joſepho ſortitus fuiſſet. Certum quippè eſt: parentes, & majores illius, qui aliquem adoptat in filium, non eſſe veros, ac naturales parentes illius, qui adoptatur, ac ſubindè veram, & naturalem genealogiam filii adoptivi texi haud poſſe per parentes illius, à quo fuit adoptatus. Sequeretur itaque ex hac reſponſione: nullum Euangeliſtam veram, & naturalem Chriſti genealogiam edidiſſe, quod tamen, ut mox obſervatum eſt, apertè falſi convincitur ex verbis, quæ *Matthæus* in fronte ſui Euangelii proſcripſit: *Liber generationis Jeſu Chriſti*. Secundò, Scriptura ſacra ſexcentis in locis aſſerit: Chriſtum verâ, & naturali generatione ortum eſſe ex ſtirpe Davidis Regis, & tamen juxtà hanc *Grotii*, & *P. Lamy* reſponſionem, Chriſtus non verâ, & naturali generatione, ſed tantùm legali, & per meram adoptionem ad ſtirpem, & familiam Davidicam pertinuiſſet. Denique, exemplum, quod afferunt prædicti Auctores, Levirorum, ſeu Patrum Legalium, ineptè omninò ad Joſephum reſpectu Chriſti applicatur, tùm quia Chriſtus non eſt ſuſcitatus ad conſervandum nomen, & memoriam Joſephi, quæ cauſa potiſſima fuit ſeminis, & generationis legalis; tùm quia Chriſtus non eſt genitus à fratre, vel agnato Joſephi, vel ab aliquo mortali, ſed à Spiritu Sancto formatus; tùm quia denique filii legales gignebantur, prioribus maritis jàm demortuis, at Joſephus adhùc in vivis erat, quando Chriſtus in lucem editus eſt, quò fit, ut illud exemplum Levirorum, ſeu Patrum Legalium ad Joſephum reſpectu Chriſti nullâ ratione applicari poſſit.

Reſpondent denique alii Theologi, & Scripturæ ſacræ Interpretes: ideò *Matth.* texuiſſe genealogiam Chriſti per Joſephum, quia Joſephus proximo agnationis gradu erat cum Maria junctus, ita ut communes avos, & majores haberent Maria, & Joſephus. *Lucam* verò edidiſſe genealogiam Chriſti per Mariam Virginem, cujus pater naturalis fuit *Heli*, dictus etiam *Eliakin*, & *Joakin*; hanc autem Mariæ genealogiam,

quam

quam deſcribit S.Lucas, ad Chriſtum Dominum pertinere nullus inficias ire poteſt, cùm Chriſtus fuerit filius Mariæ Virginis.

Sed hæc reſponſio, quatenùs ſupponit S.Lucam Chriſti genealogiam non per Joſephum, ſed per Mariam texuiſſe, non mihi probatur. Primò, quia nunquàm ſolenne fuit Judæis texere genealogias per fœminas, nec veroſimile eſt S. Lucam, qui hanc Judæorum conſuetudinem apprimè callebat, ab ea recedere voluiſſe. Secundò, incertum omninò eſt, an *Heli*, cujus S. Lucas in genealogia Chriſti meminit, idem ſit ac *Eliakin*, ſeu *Joakin*, qui fuit pater naturalis Mariæ Virginis? ex nullo quippè Scripturæ ſacræ loco id clarè evinci poteſt. Tertiò, ſi *Heli*, qui ex Salomone per Nathanem deſcendit, fuit pater naturalis Mariæ Virginis,ſicut ariolantur illi Theologi,ſequitur promiſſionem de naſcituro Meſſia à Deo Davidi factam,impletam fuiſſe non in linea Salomonis, ſed in linea Nathanis, quod ſanè adverſatur antiquiſſimorum Patrum,& omnium fermè Theologorum doctrinæ, aſſerentium: promiſſionem de naſcituro Meſſia impletam fuiſſe in linea Salomonis, & non in linea Nathanis. Denique,ſi Maria fuit filia *Heli*, qui ex Davide per Nathanem deſcendit, neceſſe eſt, ut familia Mariæ Virginis diverſa fuerit à familia Joſephi; nàm Maria, ſicut affirmant illi Theologi, orta eſt ex familia *Heli*, qui ex Davide per Nathanem deſcendit; & Joſephus ortum ſuum traxit ex Jacob,qui ex Davide per Salomonem genus ſuum ducebat. Id autem planè alienũ eſt a doctrina Sanctorum Patrum, qui,ut mox oſtenſurus ſum,conſtanter docent: Joſephum non tantùm fuiſſe contribulem Mariæ,ſed ex eadem familia fuiſſe oriundum,& hac de cauſa nupſiſſe Mariæ,juxtà legem latam lib. Numerorum cap.36. quâ præcipitur ut viri intrà ſuam tribum, & familiam uxores ducant,ne hæreditates permiſceantur. Rejectis itaque illis reſponſionibus,

Reſpondeo primò: *Matthæum*,& *Lucam* ideò ad Joſephum,& non ad Mariam Virginem retuliſſe Chriſti genealogiam, quia Hebræi, ut obſervant *Sancti Patres Ambroſius, Hilarius, Hieronymus, Chryſoſtomus, Damaſcenus*, & *S.Thomas*, non ſolent texere fœminarum genealogias, ut viri alicujus genus oſtendatur.Hinc tritum eſt illud apud Hebræos effatum: *Matris familia non familia*; quod tamen non ità eſt accipiendum,quaſi mulierum in ſacris litteris nunquàm texantur genealogiæ, nàm Judith cap.8. heroinæ illius fœminæ deſcribitur genealogia; ſed in hoc ſenſu dumtaxàt eſt intelligendum, ut Judæi nunquàm deſcribant genealogiam viri per fœminas. Undè non mirum ſi *Matthæus*, & *Lucas*, juxtà morem, qui obtinet apud Hebræos, Chriſti genealogiam deſcribentes, eam non ad Mariam, ſed ad Joſephum retulerint, ne videlicet ab avita illa conſuetudine recedentes in ipſo Euangelii exordio impingerent, & in ſe Judæorum, qui id ægrè admodum

Digitized by Google

dum tuliſſent, odium intempeſtivè concitarent.

Reſpondeo ſecundò: *Matthæum* & *Lucam* ideò texuiſſe genealogiam Chriſti per Joſephum, quia Maria & Joſephus conſanguinei erant, ſeu proximo agnationis gradu conjuncti, ac ſubindè ſacros Evangeliſtas, dum directè deſcribunt genealogiam Joſephi, indirectè quoque edidiſſe genealogiam Mariæ, ex qua Chriſtus Dominus natus eſt. Quod verò Maria & Joſephus proximo fuerint conſanguinitatis gradu conjuncti, conſtans eſt omnium Sanctorum Patrum ſententia, quorum agmen ducit *S. Ambroſius*, qui lib.3. in Lucam hæc habet: *Cur Joſeph magis quàm Mariæ generatio deſcribatur, cùm Maria generaverit Chriſtum, & Joſeph à generatione Domini videatur alienus, dubitare poſſemus, niſi conſuetudo inſtrueret Scripturarum . . . . noli mirari, quod Joſeph origo deſcripta eſt, etenim ſecundùm carnem natus, uſum debuit ſequi carnis: & qui in ſæculum venit, ſæculi debuit more deſcribi, maximè cùm in Joſeph origine etiam origo ſit Mariæ, nam cùm vir juſtus fuerit Joſeph, utique ex Tribu ſua, & ex patria ſua* (ſeu familia) *accepit uxorem, nec potuit juſtus facere contra id, quod lege præceptum eſt*. In eamdem ſententiam conſpirant *Euſebius* lib.1. hiſt. Eccleſ. cap. 7. *Chryſoſtomus* hom. 2. in Matth. *Hieronymus* comment. in Matth. *Hilarius* in cap.1. Matth. & *S.Thomas* 3.p. q.28. art.1. aſſerunt quippè omnes illi Patres: Joſephum, cùm eſſet juſtus, tranſgredi haud potuiſſe legem, quæ lib. Numerorum cap.36. occaſione filiarum Salphaad ſancita eſt, quâ jubetur ut puellæ, quæ hæreditatem adeunt, nubant ſuæ Tribus & familiæ hominibus, & quia caſus prædictæ legis in Beata Virgine contigit, quæ unica Joachimi proles, atque ex aſſe hæres erat, ideò neceſſe fuiſſe dicunt, ut, juxtà legem editam, Joſephus, qui erat ejuſdem Tribus & familiæ ac Maria, illam uxorem duceret. Quod autem Maria fuerit unica Joachimi & Annæ proles, ac ſubindè ex aſſe hæres, diſertè docent Sancti Patres, ſicut teſtatur Eminentiſſimus annalium parens *Baronius* in apparatu ad annales Eccleſiaſticos, ubi hæc habet: *Univitam fuiſſe beatam Annam, nec poſt obduratam ſterilitatem, ex voto conceptam, repromiſſione obtentam, ſuſceptamque in ſenectute filiam, alios noviſſe partus, tàm veteres, quàm orthodoxi Patres ſunt profeſſi*.

Nec valet ſi quis dicat: Mariam fuiſſe pauperrimam, adeòque non fuiſſe adſtrictam huic legi Numerorum cap. 36. quæ ſpectabat ſolas virgines, quæ amplam poterant ſortiri hæreditatem, ne poſſeſſiones in aliam Tribum vel familiam abirent. Non valet, inquam, ſi quis illud regerat; nam primò, conſtat ex Scriptura Sacra *Ruth*, licet extremè egena eſſet, nuptiarum tamen ſpe adiiſſe propinquum ſuum Boozum, cui juncta eſt matrimonio, juxtà legem Numerorum cap.36. Deindè *S. Epiphanius* hæreſi 78. quæ eſt *antidicomarianitarum*, aſſerit: Mariam virginem fuiſſe reverà hæredem, quamvis tenuis eſſet illius hæ-

hæreditas: *Beata Virgo*, inquit, *Joſepho tradita eſt, quò illam jura hæreditatis, quam poſſidebat, adegerant*. Non potuit ergo Maria, quæ fuit unica Joakimi proles & hæres, transgredi hanc legem, quam fuiſſe à Judæis ſummâ ac perpetuâ religione obſervatam, patet ex lib. Tobiæ cap. 6. ubi Angelus ſic Tobiam alloquitur: *Eſt hic Raguel nomine, vir propinquus de Tribu tua, & hic habet filiam nomine Saram. Sed neque maſculum, neque fœminam ullam habet aliam præter eam. Tibi debetur omnis ſubſtantia ejus, & oportet eam te accipere conjugem*. Auctor etiam, qui Judithæ hiſtoriam ſcripſit, ait: Maritum ejus non modò ejusdem Tribus, ſed etiam ejusdem familiæ fuiſſe. Denique hanc legem, de ineundis connubiis intrà eandem Tribum & familiam, perpetuo in uſu apud Judæos fuiſſe, ſcribit *Philo Judæus*, eamque temporariam fuiſſe non meminit *Joſephus* in antiquitatibus & ritibus Judæorum verſatiſſimus.

Arguitur ultimò, ſi Maria & Joſephus fuiſſent proximo agnationis gradu conjuncti, poſſent & deberent Theologi indicare quinam fuerit proximus ille agnationis gradus, atqui Theologi, & Scripturæ Sacræ Interpretes, nec ex ſcriptura, nec ex traditione Sanctorum Patrum aſſignare poſſunt proximum illum agnationis gradum, quo ſupponunt Mariam, & Joſephum fuiſſe conjunctos, gratis ergò dicitur Mariam, & Joſephum fuiſſe proximo agnationis gradu conjunctos.

Reſpondeo: quod licèt Theologi, & Scripturæ Sacræ Interpretes aſſignare non poſſint agnationis gradum, quo Maria, & Joſephus fuerunt conjuncti, attamen non ſolùm ex conſtanti Sanctorum Patrum traditione, ut ſuprà oſtenſum eſt, verùm etiam ex Scriptura Sacra luculentèr commonſtrant: Joſephum, & Mariam proximo fuiſſe agnationis gradu conjunctos. At enim *Matthæus* in exordio ſui Evangelii apertè profitetur ſe texere genealogiam Chriſti, & aliundè diſertis verbis aſſerit: Joſephum non fuiſſe Patrem naturalem Chriſti. Non potuit ergo *Matthæus* texere genealogiam Chriſti per Joſephum, niſi quia probè compertum habebat, idque omnibus tùm temporis notum erat, Joſephum proximo agnationis gradu fuiſſe cum Maria conjunctum. Ratio evidens eſt, nam cùm Joſephus ſe habuerit ergà Chriſtum ſicùt vitricus ad privignum, quemadmodum fatentur omnes: vitricorum Avos, Proavosque nullo prorsùs modò ad genealogiam privignorum pertinere, ità certum eſt: parentes, ſeù Avos, & Proavos Joſephi (factâ hypotheſi, quod Joſephus nullo cum Maria agnationis gradu fuerit conjunctus) ad Chriſti genealogiam pertinere minimè potuiſſe. Si ergo Joſephus non fuiſſet proximo agnationis, ſeù conſanguinitatis gradu cùm Maria conjunctus, ſequeretur: Matthæum, dùm Chriſti genealogiam per Jo-

Digitized by Google

Joſephum, ejuſque majores deſcripſit, vel imprudentem in ipſo Evangelii limine aberraſſe, vel de induſtria Lectoribus fucum facere voluiſſe, & cum evidenti famæ ſuæ periculo, cum pernicie credulitatis noſtræ genealogiam Chriſti pollicitum, non niſi verba dediſſe, & otioſam planè nominum ſylvam nihil ad Chriſtum pertinentium induxiſſe. Quod ſanè citrà impietatem, nè cogitari quidem poteſt de Sacro illo Evangeliſta, quem in conſcribendo Evangelio divinitùs afflatum, inſtructum, & adjutum fuiſſe certiſſimè conſtat. Manifeſtum igitur eſt: ideò Matthæum texuiſſe genealogiam Chriſti per Joſephum, quia pro comperto habebat Joſephum proximo cum Maria conſanguinitatis gradu eſſe conjunctum, ac ſubindè genealogiam Joſephi ad Chriſtum itidem pertinere, quod abundè ſufficit, etiamſi nec Theologi, nec Scripturæ Sacræ Interpretes aſſignare poſſint proximum agnationis gradum, quo Maria, & Joſephus erant conjuncti.

Non me latet tamen quoſdam eſſe doctiſſimos Theologos, & Scripturæ Sacræ Interpretes qui proximum conſanguinitatis gradum, quo Maria & Joſephus fuerunt conjuncti, aſſignare, ac præfigere volunt. ſed ut ingenuè fatear, conjecturæ, quibus indulgent, etſi ingenioſè, argutè, atque ſubtilitèr ſint excogitatæ, precariæ tamen ſunt, Jejunæ, nulloque ſolido nixæ fundamento, ſicut facili negotio judicabit Lector, ſi eas tantiſper expendere non gravetur.

In primis Petrus Poſſinus in *Diallactico Theogenealogico*, *Bollandus* ad diem 19. menſis Martii, & Dominus *de Marca* in Diſſertatione de *Stemmate Chriſti* inter ipſius opuſcula poſthuma à doctiſſimo Baluzio in lucem edita, aſſerunt Joakimum Patrem Mariæ Virginis, & Joſephum, ejuſdem ſponſum, fuiſſe filios *Heli*, quorum prior idemque primogenitus, uxore ductâ, ſerò tandem Mariam genuerit, alter verò, ſcilicèt Joſephus, raro tùm exemplo cælebs, & virgo vixerit; qui tamen Mariam pupillam relictam majoris fratris domum ſuam ducere, ſibique deſpondere lege ſit coactus. Unde colligunt prædicti Authores Joſephum fuiſſe Patruum Mariæ Virginis. Sed hæc conjectura ſtare non poteſt, nam ſi Joakin, & Joſephus fuerunt fratres, uti volunt prædicti Authores, neceſſe eſt ut Joſephus annoſus fuerit, & in ætate provecta quandò nupſit Mariæ, Joakin ſi quidèm tantùm in ſenectute ſua genuit Mariam Virginem. Porrò fabuloſum omninò eſt, ut jam obſervavimus, Joſephum fuiſſe ſenem quandò cum Maria connubium junxit.

Secundò, *Hugo Grotius* in annotationibus ad cap.3. Lucæ exiſtimat Joſephum fuiſſe proximo agnationis gradu cum Maria Virgine junctum, quia Joſephus erat fratruelis, ſeù conſobrinus *Bar-*

I *pan-*

pantheris, quem putat ille Author fuiſse Proavum Mariæ Virginis. At hæc conjectura præcedenti nihilò melior eſt, immò continet rem planè abſurdam quæ illicò in omnium incurrit oculos, nam ſi Joſephus fuit fratruelis, ſeù conſobrinus Proavi Mariæ Virginis, debuit ad minùs Joſephus eſse centenarius quandò matrimonium inivit cum Maria. Quis autem tam bonus, ut in animum inducere poſſit Mariam homini depontano, & pluſquam centenario fuiſse nuptam?

Tertiò denique, Author Gallicæ Analyſeos, & multi alii Scripturæ Sacræ interpretes affirmant: Joſephum fuiſse fratruelem ſeù conſobrinum Mariæ Virginis. Supponunt namque Mathanem, qui ex Davide per Salomonem deſcendebat, genuiſſe Jacob, & Annam, Jacob verò genuiſſe Joſephum, Annam autem, Sororem Jacob, fuiſſe Matrem Mariæ Virginis quæ proindè proximo agnationis gradu ex materno genere erat Joſepho conjuncta, & eumdem Avum, ſcilicèt Mathanem communem habebat cum Joſepho. Sed hæc conjectura non plus probabilitatis habet, nam primò, incertum eſt an Mathan fuerit Pater S. Annæ Matris Mariæ Virginis? de hoc ſi quidem altum eſt in ſacris litteris ſilentium, nec ullum antiqui Authoris probatæ fidei extat teſtimonium. Secundò, hujus ſententiæ patroni ſupponunt Mariam Virginem ſecundùm dumtaxât maternum genus ex Davide per Salomonem deſcendiſſe, ſecundùm verò paternum genus dicunt eam ex Davide per lineam Nathanis originem traxiſse, ita ut pater naturalis Mariæ Virginis fuerit *Heli*, qui ex Davide per Nathanem genus ſuum ducebat. Quod ſanè penitùs abhorret à pervulgata ſententiâ Theologorum, qui docent promiſſiones factas à Deo, Abrahamo, & Davidi Regi de naſcituro Meſſia impletas fuiſſe non in linea Nathanis, ſed in linea Salomonis; At ſi *Heli*, qui ex Davide per Nathanem deſcendebat, fuiſſet pater naturalis Mariæ Virginis, ut cenſent illi Authores, promiſſiones à Deo factæ de naſcituro Meſſia fuiſſent impletæ non in linea Salomonis, ſed in linea Nathanis, quod cùm Scripturæ Sacræ nullo nitatur teſtimonio, & communi Theologorum opinioni adverſetur, non multùm ponderis apud viros eruditos habere poteſt hæc precaria recentiorum conjectura.

Rejectis itaque his conjecturis, quibus nonnulli Theologi, & Scripturæ Sacræ Interpretes proximum agnationis gradum, quo Maria, & Joſeph fuerunt conjuncti, aſſequi ſe poſſe confidunt; potiùs ſtandum eſt ſententiæ Theologorum, qui, licèt fateantur Mariam, & Joſephum proximo fuiſſe agnationis gradu conjunctos, qui nam tamen fuerit proximus ille agnationis gradus? nec curioſiùs inveſtigari debere, nec certò aſſignari poſſe conſultiùs eſſe putant.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO QUARTA

In qua conciliatur antilogia, ſeu apparens contradictio, quæ videtur eſſe Matthæum inter & Lucam in ea, quam deſcribunt, genealogia Chriſti.

MAtthæus cap. 1. & *Lucas* cap. 3. texunt ſtemma genealogicum Chriſti Domini, illudque perducunt, uſque ad Joſephum virum Mariæ. At in quibusdam conveniunt, in aliis verò diſcrepare, & quaſi datâ operâ ſeſe mutuò inteſtinâ conflictatione collidere videntur. In primis Matthæus, & Lucas conſentiunt in numerandis majoribus Chriſti ab Abrahamo, uſque ad Davidem Regem, parem ſiquidem generationem numerum, & easdem exhibent perſonas, cum iſto tamen diſcrimine, quod Matthæus incipiat ab Abrahamo, & deindè deſcendat uſque ad Chriſtum, Lucas verò vice verſâ auſpicetur à Chriſto, dein aſcendendo generationum numerum non terminet in Abrahamo, ſed ad Deum uſque perducat. Verùm vbi ad Davidem Regem pervenerunt ambo illi Euangeliſtæ, diuerſam planè in deſcribenda genealogia Chriſti viam ineunt. Matthæus namque per Salomonem Davidis filium texit genealogiam Chriſti, & ſtirpem Davidicam perducit, uſque ad *Jacob*, quem Joſepho patrem tribuit, Lucas autem per prolem Nathanis alteriùs Davidis filii aſcendit à Joſepho, uſque ad Davidem Regem, totamque ſtirpem Davidicam terminat in *Heli*, quem Joſepho patrem adſcribit; quò fit, ut Matthæus, & Lucas diverſos Chriſti avos, atque proavos à Davide Rege ad Joſephum, uſque recenſeant. Scio nonnullos eſſe Scripturæ ſacræ Interpretes, qui autumant in Salathiele, & Zorobabele utramque Salomonis, & Nathanis lineam coaluiſſe, ſive per nuptias, ſive aliquâ ratione legali; poſt Zorobabelem verò utramque decurrari lineam, & Matthæum genealogiam Joſephi ex Abiude filio primogenito Zorobabelis texere, Lucam verò ex Rheſa filio Zorobabelis ſecundo genito; ſed ipſe haud levibus adductus rationibus, quas infrà in medium proferam, probabiliùs arbitror: Salathielem, & Zorobabelem, quos in genealogia Chriſti inſerit Matthæus, alios eſſe ab illis, quos recenſet Lucas, adeòque omnes Chriſti avos, atque proavos, quos à Davide Rege ad Joſephum uſque numerat Matthæus, eſſe omninò diverſos ab his, quorum meminit Lucas. Hæc autem avorum Chriſti diverſitas juncta cum neceſſitate duos Joſepho aſſignandi patres *Jacob*, ſcilicèt, & *Heli*; veterum Scriptorum ab ipſis Eccleſiæ incunabilis vehementer torſit, & tantùm non oppreſſit ingenia, ſummſque etiamnùm graviſſimi Theologis

Digitized by Google

logis faceſſit negotium, ità ut candidè fateantur: ſe, ob multas, quas in utraque Matthæi, videlicèt & Lucæ genealogia Chriſti nanſciſcuntur difficultates, hærere ad aquas, & quà ſibi vadum tentandum ſit prorsùs ignorare. Quod ſanè nemini mirum videri debet, nam etſi temporibus Euangeliſtarum genealogia Chiſti Domini omnibus fuerit notiſſima, modò tamen ſæculorum caligine quaſi involuta, nec ampliùs extantibus antiquis Judæorum tabulis genealogicis, unde lux aliqua affulgere poſſet, implexa, ac perobſcura evaſit, amplamque ſuppeditat viris eruditis diſputandi materiam. Non is certè ego ſum, qui tantas velim componere lites, omnesque eximere ſcrupulos, qui animum ſubire poſſunt circà genealogiam Chriſti, ex qua Ilias diſputationum enata eſt; ſed ſolùm ſtatui breviter, quoad ejus fieri poterit, rationem, quam ad conciliandum utrumque Euangeliſtam, tradit Julius Africanus, proponere, eamque à cavillis quibus recentiores quidam critici eam audaciùs, quàm par eſſet, impetere ſolent, vindicare. Difficultas autem, quam in præſentia ventilandam ſuſcipio, in hoc potiſſimùm ſita eſt, cur Matthæus Joſepho viro Mariæ patrem tribuat *Jacob*, Lucas verò Joſepho patrem tribuat *Heli*? hæc eſt famoſa Euangeliſtarum in origine Joſephi antilogia, ſeu apparens contradictio, quam olim *Celſus*, *Porphyrius*, *Julianus* apoſtata, cæterique hujus furfuris homines, ut Euangeliſtarum fidem, & authoritatem labefactarent, Chriſtianis objecerunt.

Dico itaque: *Ad conciliandum utrumque Euangeliſtam Matthæum, videlicet, & Lucam in origine Joſephi, nullam rationem efficaciorem, expeditioremve eſſe eâ quam tradit Julius Africanus antiquiſſimus Author in Epiſtola ad Ariſtidem, apud Euſebium* lib. 1. Hiſtor. Eccleſ. cap. 7.

Ut efficaciùs hæc noſtra ſtabiliatur aſſertio, in primis proponenda eſt ratio, quam affert Julius Africanus ad conciliandum utrumque Euangeliſtam in origine Joſephi. Ait igitur antiquiſſimus ille Author loco mox laudato: quod *Mathan*, qui ex Davide per Salomonem deſcendebat, uxorem duxit nomine *Eſtham*, & ex ea filium ſuſtulit *Jacob* appellatum, Mathane autem mortuo, eandem Eſtham, viduam Mathanis, matrimonio ſibi ſociavit *Melchi*, ſeu potiùs *Mattath*, qui ad Davidem per Nathanem ſuam referebat originem (lex quippè minimè vetabat ne mulier vidua, viro ipſius mortuo, alteri nuberet) *Melchi* autem, ſeu potiùs *Mattath*, ſecundus maritus *Eſthæ*, ſuſcepit ex ea filium *Heli* dictum. Hoc modo Jacob, & Heli diverſo licèt genere prognati, fratres erant uterini, quorum alter, ſcilicèt *Jacob*, cum frater ipſius uterinus *Heli* ſine liberis deceſſiſſet, viduam ejus conjugem ſibi accipiens, ex ea Jo-

ſephum

ſephum genuit naturali quidem ratione filium ſuum, ſed ſecundùm legem filium *Heli*, quia ejus ſemen Jacob frater jure leviratus ſuſcitaverat, juxta legem, quæ habetur *Deuteronomii* cap.25. quocircà Joſephus, juxtà Julium Africanum, duos Patres habuit, naturalem unum ſcilicèt *Jacob*, qui ex Davide per Salomonem deſcendebat, legalem alterum videlicèt *Heli*, qui ex Davide per Nathanem procedebat. Undè quià Lucas deſcribit legalem dumtaxat ſucceſſionem parentum Joſephi, ideò patrem ipſi tribuit *Heli*; Matthæus verò, quia naturalem parentum Joſephi genealogiam texit, ipſi Patrem aſſerit *Jacob*. Hæc eſt ratio, quâ ad conciliandum utrumque Euangeliſtam in origine Joſephi uſus eſt Julius Africanus, & quam ex cognatis Servatoris noſtri, ſe apud Euſebium, loco mox citato, accepiſſe profitetur his verbis: *Cognati enim Servatoris noſtri, ſive ad oſtendendam generis ſui nobilitatem, ſive vt ſimpliciter rem docerent, veraci utique ſermone hæc nobis tradiderunt.*

Fuerunt nonnulli, qui putarunt Juſtinum martyrem ante Julium Africanum eamdem utrumque conciliandi Euangeliſtam rationem tradidiſſe in libro reſponſionum ad Orthodoxos ad quaſdam quæſtiones. Sed illos Authores, pace eorum dixerim, criticæ diſciplinæ ignorantia fefellit, nam hic liber reſponſionum ad Orthodoxos Juſtinum martyrem non habet Authorem, quia non ſolùm Irenæus Epiſcopus Lugdunenſis, Juſtino poſterior, in eo citatur, ſed etiam ad Origenis libros, ut ex eis nominum hebraicorum interpretationes edoceantur, Lectores ſuos Author remittit, nemo autem neſcit Juſtinum eſſe Origene antiquiorem. Quin etiam Manichæi, ipſo etiam Origene recentiores, ibidem notantur. Undè Sixtus Senenſis, Bellarminus, & alij hujus temporis periti critici hunc librum Juſtino martyri meritò abjudicant.

Hactenùs propoſuimus rationem, quam Julius Africanus profert ad conciliandum utrumque Euangeliſtam in origine Joſephi, nunc paucis expendamus, & remoto omnium partium ſtudio libremus, momenta quibus graviſſimi Theologi, poſt Sanctum Thomam, hanc Julii Africani rationem cæteris omnibus ad conciliandum utrumque Euangeliſtam longè efficaciorem, atque expeditiorem eſſe docent.

Primò, certum eſt in hanc Julii Africani rationem omnes antiquos Ss. Patres tàm Græcos, quàm Latinos, ad conciliandum utrumque Euangeliſtam, manibus, pedibusque iviſſe. Idque non negat *Petrus Poſſinus* Soc. Jeſu ſcriptor doctiſſimus in libro ſuperiùs citato, in quo, licèt hanc Julii Africani rationem omnibus ingenii, & eloquentiæ ſuæ viribus oppugnet, disertè attamen fatetur: eam omnibus Patribus fuiſſe probatam, quorum authoritate ſe nihil planè contur-

conturbari elato ſupercilio, ac fronte perfricta pronunciat; ſic enim loquitur: *Itaque nihil nos conturbat authoritas Patrum quo minùs omni metu, ac reverentia ſoluto animo, ad examen iſtius ſententiæ accedamus, qua obiter dumtaxat uſi ſunt, periculo ejus in ſe minimè ſuſcepto*. Qua in re modeſtiam, ac reverentiam Poſſini Sanctis Patribus debitam deſiderare cogor, quam penitùs exuiſſe videtur, dùm inflatis tibiis ſententiam ſuam, leviſſimis, ut mox oſtendam, fultam conjecturis, totius retrò antiquitatis judicio anteponit, ſeque, ut ajunt, cornicum confixiſſe oculos ineptè gloriatur.

Secundò, hanc Julii Africani rationem ad conciliandum utrumque Euangeliſtam in origine Joſephi unam inſtar omnium eſſe, cæteriſque longè expeditiorem, evidentiùs patebit, ſi hic tantiſper expendamus alias rationes, quas ad conciliandam apparentem iſtam Euangeliſtarum contradictionem moderni excogitarunt critici, & Scripturæ Sacræ Interpretes, eaſque paucis confutemus.


Fuerunt in primis aliqui Theologi, qui, ut conciliarent utrumque Euangeliſtam in origine Joſephi, affirmarunt *Jacob*, & *Heli* non fuiſſe diverſos homines, ſed eumdem binominem, quomodò alios binomines, immò, & quoſdam trinomines in ſacris litteris legere eſt.

Sed hæc ſententiâ, inquit *S. Thomas* 3. part. quæſt. 31. artic. 3. *Stare minimè poteſt, quia Matthæus ponit unum filiorum David ſcilicèt Salomonem, Lucas autem ponit alium ſcilicèt Nathan, quos ſecundùm hiſtoriam libri Regum conſtat fratres fuiſſe*. Prætereà, Matthæus alios *Jacob*, Lucas verò alios *Heli* parentes aſſignant, nec parentes modò, ſed etiam Avos, Proavos, Atavos, & Tritavos. Quis autem credat omnes iſtos fuiſſe binomines, ac de induſtria voluiſſe Lucam ſemper eos iſto vocare nomine, quo viderit abſtinuiſſe Matthæum. Hæc itaque ſententia, ſeu ratio conciliandi utrumque Euangeliſtam in origine Joſephi, omni probabilitate caret.

Aliam viam, utrumque in origine Joſephi conciliandi Euangeliſtam, iniit *Hugo Grotius* vir peritiſſimus, acerrimique judicii in cap. 3. *Lucæ*. Supponit quippè prædictus Author: *Mathanem*, qui ex Davide per Salomonem deſcendebat, uxorem duxiſſe nomine *Eſtham*, Mathane autem mortuo abſque liberis, *Melchi*, qui ex Davide per Nathanem procedebat, nupſiſſe Eſthæ viduæ Mathanis, & ex ea tres ſuſcepiſſe filios, videlicèt *Jacob*, *Heli*, & *Levi*, ſed Jacobo mortuo etiam ſine prole, *Heli*, qui erat frater *Jacob*, genuiſſe *Joſeph*, qui ſubindè fuit filius naturalis *Heli*, & hæres *Jacob*. Unde concludit *Grotius*: ideò Matthæum Joſepho Patrem aſſignaſſe *Jacob*, quia Joſephus fuit hæres *Jacob*, Lucam vero tribuiſſe Joſepho Patrem *Heli*, quia Joſephus fuit filius naturalis *Heli*. Deniq; ſupponit Grotius, *Levi*, quem dicit fratrem fuiſſe *Jacob*, & *Heli*, genuiſſe *Barpanthe-*

rem,

rem, quem putat eſſe Proavum Mariæ Virginis, Barpantherem autem genuiſſe *Pantherem*, Pantherem verò genuiſſe *Joakimum* Patrem Mariæ Virginis. Hoc eſt Grotii de genealogia Chriſti ſyſtema, quod, ut clariùs percipiatur, illud in ſequenti ſchemmate oculis Lectoris ſubjicio.



Hoc ſyſtema, quod ad conciliandum utrumque Evangeliſtam in origine Joſephi induxit *Grotius*, meo calculo probare non poſſum. Primò, quia, ut in ſuperiori diſſertatione obſervatum eſt, ſi Joſephus fuiſſet fratruelis, ſeù conſobrinus Barpantheris, quem Mariæ Proavum putat eſſe Grotius, neceſſe eſſet, ut Joſeph, quandò nupſit Mariæ Virgini, eſſet ad minùs centenarius, quô quid abſurdiùs dici, aut fingi poſſit certè non video. Secundò, non ſolùm gratis, ſed etiam falsò ſupponit *Grotius* Mathanem qui ex Davide per Salomonem deſcendebat, obiiſſe abſque liberis. Nam ſi reverà *Mathan*,

Mathan, abſque prole è vivis exceſſiſſet, non debuiſſet Matthæus recenſere Mathanem in genealogia Chriſti, ad cujus generationem nihil prorsùs contuliſſet Mathan. Non debuiſſet etiam idem Evangeliſta tam longam exhibere ſeriem Avorum Mathanis, ex quibus Chriſtus non deſcendiſſet ſi Mathan fuiſſet abſque liberis demortuus. Idem dicendum eſt de Jacob, quem fruſtrà itidem Matthæus in genealogia Chriſti inſerviſſet, ſi abſque liberis è vita migraſſet, ut dictitat *Grotius*. Tertiò, ſine ullo prorsùs fundamento Grotius ſupponit *Jacob*, *Heli*, & *Levi* fuiſſe filios Melchi, qui ex Davide per Nathanem deſcendebat; undè enim, amabo, illud colligit Grotius? certè non ex Scriptura Sacra, cùm potiùs Matthæus apertè dicat Jacob fuiſſe filium Mathanis, qui ex Davide per Salomonem genus ſuum ducebat, *Mathan genuit Jacob*. Conſtat etiam ex Evangelio Lucæ, *Levi* non fuiſſe fratrem Heli, ſed potiùs ipſius Avum, ſic enim habet Lucas: *qui fuit Heli*, *qui fuit Mattath*, *qui fuit Levi*. Quartò, ſi Joſeph non eſſet filius naturalis Jacob, ſed tantùm ipſius hæres, ſicut ait *Grotius*, quorsùm igitur Matthæus diceret: *Jacob genuit Joſeph*. Hic enim loquendi modus non ſolùm durus, ſed à communi loquendi uſu eſſet penitùs alienus, hæres ſi quidem, juxtà tritum, ac vulgarem loquendi uſum, non dicitur *genitus* ab eo cujus hæreditatem ſortitur. Denique *Levi* fuiſſe Patrem *Barpantheris*, Barpantherem patrem *Pantheris*, Pantherem verò genuiſſe *Joakimum* Patrem Mariæ Virginis, purum figmentum eſt, quod prodiit ex ſchola Rabinorum, qui vento, & fabuloſis traditionibus paſcuntur. Rejici itaque debet ſyſtema Grotii, cùm vanis dumtaxàt nitatur conjecturis, quæ in Sacri Evangelii interpretatione non ſunt admittendæ, ne infirmis vacillandi detur occaſio, & deſultoriis, ac procacibus ingeniis de Sacri Textus authoritate dubitandi, aut eum præter genuinum ſcopum aliò flectendi latiſſima porta pandatur.

Tertiam rationem, ſeù viam conciliandi utrumque Evangeliſtam in origine Joſephi ſuppeditat *Petrus Poſſinus* in libro, cui titulum dedit, *Diallacticon Theogenealogicum*, ſeù *de genealogia Chriſti Domini*. Vult etenim eruditus ille Author: Matthæum legalem tantùm ſucceſſionem, ſeù ordinem juris ad Regiam dignitatem fuiſſe ſecutum; Lucam autem naturalis generationis ordinem attendiſſe. Quo poſito aſſerit: Matthæum ideò Joſepho Patrem aſſignaſſe *Jacob*, quia Jacob Pater erat legalis Joſephi, habitâ ratione legalis ſucceſſionis, ſeù ordinis juris ad Regiam dignitatem; Lucam autem Joſepho Patrem tribuiſſe *Heli*, quia Heli Pater erat naturalis Joſephi. Eamdem viam conciliandi utrumque Evangeliſtam in origine Joſephi ſectantur *Bollandus* ad diem 19. menſis Martii. Dominus *de Marca* in diſſertatione *de Stemmate Chriſti*, Bernardus *Lamy* in ſua harmonia

niâ Evangelicâ, &c. Verùm quominùs huic ſententiæ calculum adjiciam, obſtant primò, verba quibus Matthæus, & Lucas in deſcribenda genealogia Chriſti utuntur, & quæ nullum omninò de eorum mente dubitandi locum relinquunt. Ecquid enim, ſodes, ſonant hæc verba, quæ uſurpat Matthæus: *Jacob genuit Joſeph*, niſi veram, & naturalem generationem? Quid verò indigitant iſta verba, quibus utitur Lucas, *Jeſus, ut putabatur, filius Joſeph, qui fuit Heli*, niſi filiationem legalem? Nullum ſi quidem in Scriptura Sacra poteſt proferri exemplum, quo verbum *genuit*, intelligatur de ſucceſſione in hæreditate, vel de adoptione, vel de filiatione legali, ſed ſemper determinatè ſumitur, ad veram, naturalem, & carnalem procreationem ſignificandam. Secundò, affirmant prædicti Authores: extincto abſque liberis Jechonia Rege Juda, ſtirpem Salomonicam penitùs exaruiſſe, & à Salomonidis ad Nathanitas, hoc eſt à linea Salomonis ad lineam Nathanis tranſiiſſe promiſſionem à Deo factam de naſcituro Meſſia ex ſemine David, adeò ut illa promiſſio non fuerit impleta in linea Salomonis, ſed in linea Nathanis alteriùs Davidis filii. Id autem, ut ſuprà obſervavimus, communi adverſatur antiquorum Patrum; & Theologorum ſententiæ, qui docent promiſſionem de naſcituro Meſſia ex ſemine David fuiſſe impletam in linea Salomonis, & non in linea Nathanis. Denique me ab illorum Authorum ſententia abducunt luculentiſſima teſtimonia Sanctorum Patrum, qui in prioribus Eccleſiæ ſeculis ad conciliandum utrumque Evangeliſtam in origine Joſephi unanimi conſenſu tradiderunt: Jacob fuiſſe Patrem naturalem Joſephi, cui tamen antiquæ Sanctorum Patrum traditioni apertè refragantur iſtius ſententiæ aſſertores, qui cenſent Jacob fuiſſe Patrem legalem Joſephi, Heli verò Patrem ipſius naturalem. Conjecturas, quas magno quidem, ſed inani ſtudio, ad ſuam adſtruendam ſententiam, congerunt hi Authores, opportuniùs inter ſolvendas objectiones refellemus.

Poſtremam rationem ſeu viam conciliandi *Matthæum* & *Lucam* in origine Joſephi tradit clariſſimus Auctor Gallicæ analyſeos diſſertatione quintâ, ubi cum multis Scripturæ Sacræ Interpretibus docet: *Matthæum* edidiſſe genealogiam Joſephi, cujus pater naturalis fuit *Jacob*, qui ex Davide per Salomonem deſcendebat, *Lucam* verò texuiſſe genealogiam Mariæ, cujus pater naturalis fuit *Heli*, qui idem eſt ac *Eliakim* ſeu *Joakim*, & qui fuit etiam pater civilis Joſephi, utpotè ipſius generi ratione veri & legitimi matrimonii cum Maria virgine contracti. Ex quo infert prædictus Auctor *Matthæum* ideò Joſepho patrem aſſignaſſe Jacob, quia *Matthæus* edidit genealogiam Joſephi, cujus pater naturalis fuit Jacob; *Lucam* verò Joſepho patrem tribuiſſe Heli, quia Joſephus fuit gener Heli patris naturalis Mariæ

virginis, cujus genealogiam deſcripſit *Lucas*. Itaque, juxtà doctiſſimum illum Auctorem, cùm Joſeph eſſet gener *Heli*, potuit à *Luca* appellari filius *Heli*; fatentur ſiquidem Scripturæ Sacræ Interpretes, interdùm generos appellari filios eorum, quorum ſunt generi. Addit etiam idem Auctor; quod quia non erat conſuetudinis Hebræorum texere genealogias per fœminas, & aliundè *Lucas* referre non potuerit patrem naturalem Chriſti Domini,quo in terris caruit, ſolà nimirùm Spiritus Sancti operatione conceptus; ideò *Lucas* gradum fecit à nepote ad avum, ita ut, quando *Lucas* dicit: *Jeſus erat incipiens quaſi annorum triginta, ut putabatur, filius Joſeph,qui fuit Heli*, illa dictio, *qui*, non referatur ad Joſephum, ſed ad Chriſtum, ut ſit ſenſus: Chriſtus putabatur filius Joſeph, qui tamen,Chriſtus,fuit *Heli*, ideſt nepos *Joakim* patris Mariæ virginis.Sed hæc ſententia,licet primâ fronte cæteris plauſibilior, & ad ſecandum nodum expeditior eſſe videatur, mihi tamen arridere non poteſt, ſupponit quippè *Lucam* texuiſſe genealogiam Chriſti per Mariam contra conſuetudinem Hebræorum, & patrem naturalem Mariæ virginis fuiſſe *Heli*,qui ex Davide per Nathanem deſcendebat, quod etiam nullum in Scriptura & traditione Patrum fundamentum habet, ut ſupra diximus.

Prolixior fortaſſis fui in referendis & confutandis rationibus, quas ad conciliandum utrumque Euangeliſtam in origine Joſephi excogitarunt moderni quidam critici, & Scripturæ ſacræ Interpretes, at hæc prætermittere non debui,ut Lector clariùs intelligeret: omnibus illis recèns adinventis rationibus præponendam eſſe *Julii Africani* rationem omnium antiquorum Patrum auctoritate munitam, & ad conciliandam apparentem iſtam Euangeliſtarum antilogiam magis appoſitam, & efficacem.

Diluuntur objectiones.

Arguitur primò: *Julius Africanus* loco ſupra citato ait: *Melchi* fuiſſe patrem *Heli*, nullâ vel *Mattath*, vel *Levi* mentione factâ, atqui hoc eſſe falſum conſtat ex Scriptura ſacra, quæ *Lucæ* cap.3. ſic habet: *Qui fuit Heli, qui fuit Mattath, qui fuit Levi, qui fuit Melchi*. Ergo admitti non debet hæc Julii Africani ratio.

Reſpondeo: quod licet audaciores quidam critici, quos inter numerantur *Cordeſius* Canonicus Lemovicenſis, & *Hugo Grotius*, ex ea omiſſione factâ à *Julio Africano*, occaſionem ſumpſerint ſuſpicandi *Levi*, & *Mattath* in textum *S. Lucæ* irrepſiſſe, aut oſcitantiâ Librariorum fuiſſe intruſos, ac ſubindè expungendos eſſe; nullus tamen dubito quin ſtandum ſit lectioni noſtræ editionis vulgatæ, in qua legimus *Melchi* fuiſſe patrem *Levi*, *Levi* autem patrem eſſe *Mattath*, *Mattath* pa-

patrem eſſe *Heli*. Omnibus quippè Theologis & Scripturæ ſacræ Interpretibus religio eſſe debet, citrà antiquorum Codicum, aut tranſlatorum fidem, vel minimum apicem in ſacris litteris antiqui & novi fœderis ex ingenio immutare. Unde *S.Hieronymus*, qui novum Teſtamentum juſſu Damaſi Summi Pontificis Græcæ fidei reddidit, *Mattath*, & *Levi* in textu *S.Lucæ* agnovit & ſervavit. Quapropter ipſe probabiliùs cenſeo cum doctiſſimo *Valeſio* in annotationib. ad cap. 7. hiſt. Eccl. Euſebii, *Julium Africanum* eò loci memoriâ fuiſſe lapſum, dum dicit: *Heli* fuiſſe filium *Melchi*, quem potius filium *Mattath* dicere debuiſſet. Cæterùm hic lapſus ne tantillum quidem ſententiæ *Julii Africani* labefactat fundamentum, in eo præcipuè poſitum, quod *Jacob* & *Heli* fuerint uterini fratres ex eadem matre, patre tamen diverſo prognati. Nodum ergo in ſcirpo quærunt, qui, ex hoc *Julii Africani* memoriæ lapſu, rationem, quam tradidit ad conciliandum utrumque Euangeliſtam in origine Joſephi, infringere ſe poſſe putant.

Arguitur ſecundò: *Julius Africanus* aſſerit naturalem à *Matthæo* exhiberi ſucceſſionem parentum Joſephi, legalem verò à *Luca*; atqui hoc apertè falſi convincitur, nam *Matthæus* legalem tantùm ſucceſſionem, ſeu ordinem juris ad regiam dignitatem deſcribere voluit; *Lucas* autem naturalis generationis ordinem ſecutus eſt, ergo concidit *Julii Africani* ratio. Prob. min. ex modo, quo uterque Euangeliſta deſcripſit genealogiam Chriſti. *Matthæus* ſiquidem, quia oſtendere duntaxat voluit jus regnandi nepotibus Abrahæ & Davidis Regis promiſſum ad Chriſtum Dominum pertinere, ideò genealogiæ Chriſti exordium ducit ab Ahrahamo, cui primùm promiſſiones factæ ſunt, poſteà Davidem ipſum, cæteroſque Reges Judæorum invicem ſibi ſanguinis jure ſuccedentes proponit uſque ad Jechoniam, & ejus fratres ſub ipſa Babilonici exilii tempora. Dein ſubjungit ſucceſſionem Principatus Judaici in Salathiele, & Zorobabele, qui ex Davide per Nathanem deſcendebant, quia ad eos extinctâ ſtirpe Jechoniæ Regis Juda, qui ex Davide per Salomonem genus ducebat, jus ad regiam dignitatem fuit devolutum. Denique quia jus regnandi à Zorobabele transmiſſum eſt ad Abjudem primogenitum Zorobabelis, ideò *Matthæus* Abjudis poſteros perſequitur uſque ad Jacob, quem, habitâ ratione ſucceſſionis ad regiam dignitatem, patrem aſſignat Joſepho. At ex adverſo *Lucas*, cùm in deſcribenda genealogia Chriſti ordinem naturalis ſucceſſionis ſibi propoſuerit, orſus eſt ab Adamo primo omnium parente, deinde ſtirpem Davidicam perduxit uſque ad Salathielem & Zorobabelem, non per lineam Salomonis, & aliorum Regum vel Principum, ſed per lineam Nathanis, ejuſque poſterorum, qui jure ad regiam dignitatem non potiebantur. Denique poſtquàm

Digitized by Google

Lucas pervenit ad Zorobabelem, totam ſtirpem Davidicam per Rezam filium ſecundogenitum Zorobabelis, ejusque poſteros, qui jus ad regiam dignitatem non habebant, terminat in Heli, quem, attento ſolùm ordine generationis naturalis, patrem tribuit Joſepho. Patet itaque ex modo, quem uterque Euangeliſta in deſcribendo ſtemmate Chriſti tenuit, *Matthæum* voluiſſe dumtaxat exhibere legalem ſucceſſionem, ſeu ordinem juris ad regiam dignitatem; *Lucam* verò, prætermiſsâ illâ ſucceſſione ad regium ſceptrum, naturalis tantùm generationis ordinem fuiſſe ſecutum.

Reſpondeo primò: *Matthæum* genealogiæ Chriſti exordium duxiſſe ab Abrahamo, cui promiſſiones de Meſſia naſcituro datæ ſunt, eamque continuaſſe per Davidem, Salomonem, cæterosque Reges ac Principes Judæorum, non ſolùm ut oſtenderet jus ad regiam dignitatem pertinere ad Chriſtum, ſed etiam ut demonſtraret Chriſtum non legali, ſed verâ & naturali ratione ortum eſſe ex ſtirpe Abrahæ, & Regum Juda, ac ſubindè ipſum eſſe verum Meſſiam; quia promiſſiones de Meſſia naſcituro fuerunt potiſſimùm factæ Abrahamo & Davidi Regi, ſicut expendit *S.Thomas* 3.p. q.31. art. 2. *Lucam* verò genealogiam Chriſti ab Adamo fuiſſe auſpicatum, ut doceret beneficia Meſſiæ, qui pro ſalute omnium erat venturus, non ſolùm pertinere ad Abrahamum, ejusque poſteros, ſed ad ipſum etiam Adamum totius generis caput, ac proindè ad omnes omninò homines, qui ab Adamo propagantur.

Reſpondeo ſecundò: Quædam ab adverſariis in objectione ſupponi tanquam certa & indubitata, quæ tamen non ſolùm precaria ſunt, ſed penitùs abludunt à vero. Supponunt enim primò, extinctâ ſtirpe Jechoniæ Regis Juda, qui ex Davide per Salomonem deſcendebat, jus ad Regium ſceptrum, quod in poſteris Salomonis ad Jechoniam uſque fuerat jugiter conſervatum, devolutum tandem eſſe ad Salathielem & Zorobabelem, qui ex Davide per Nathanem procedebant, & hanc volunt fuiſſe rationem, ob quam *Matthæus* immediatè poſt Jechoniam ſubjunxerit ſucceſſionem Principatus Judaici in Salathiele & Zorobabele, qui jure regnandi in ſe devoluto, quantùm per Aſſyrios licebat, potiebantur. Verùm mox oſtendam falſam eſſe hanc adverſariorum ſuppoſitionem, nec fuiſſe extinctam ſtirpem Jechoniæ, nec jus regnandi, quod erat aſſertum nepotibus Salomonis, fuiſſe unquam tranſlatum ad poſteros Nathanis. Secundò, ſupponunt adverſarii, *Abjudem*, per quem *Matthæus* ſtirpem Davidicam perduxit uſque ad Jacob, eſſe filium primogenitum Zorobabelis, *Rezam* verò, per quem *Lucas* ſtirpem Davidicam perduxit uſque ad Heli, eſſe filium ſecundogenitum Zorobabelis. Sed hanc ſuppoſitionem itidem falſam eſſe contendo cum multis peritis Scripturæ ſacræ In-

Interpretibus, qui docent Abjudem fuiſſe filium Zorobabelis, qui ex Davide per Salomonem deſcendebat, Rezam autem fuiſſe filium alterius Zorobabelis, qui ex Davide per Nathanem genus ſuum ducebat, quò fit, ut, juxtà doctiſſimos Scripturæ ſacræ Interpretes (quorum ſententiæ utroque pollice ſubſcribo) Salathiel, & Zorobabel, quos in genealogia Chriſti reponit *Matthæus*, ſint plane diverſi à Salathiele & Zorobabele, quos in genealogia Chriſti recenſet *Lucas*, quamvis iisdem nominibus inſigniantur, quod ſanè non eſt inſolens in ſacris litteris.

Arguitur tertiò: *Matthæus* dicit Jechoniam fuiſſe patrem Salathielis, *Lucas* verò ſcribit *Neri* fuiſſe patrem Salathielis, atqui Jechonias non fuit pater naturalis Salathielis, ſed ſolùm legalis, *Neri* autem fuit reverà pater naturalis Salathielis, ergo *Matthæus* non eſt ſecutus naturalis generationis ordinem, ſed potius *Lucas*. Prob. min. ex Jeremiæ cap.22. ubi Propheta prædixit Jechoniæ Regi Juda & deportationem in Babylonium ſolum, & orbitatem, ita ut nullus ex ejus ſtirpe, Davidis ſolium inſeſſurus, vel poteſtatem in Juda nacturus eſſet, *Scribe virum ſterilem, &c.* quibus verbis, inquit *Poſſinus*, abſoluta atque irrevocabilis damnatio exprimitur, palamque declaratur: neminem Jechoniæ ſuperſtitem filiorum, nepotumve fuiſſe, qui generis ſeriem poſt ipſum propagaverit. Quapropter, ne falſa ſit divini illius oraculi comminatio, neceſſe eſt, ut dicatur: Jechoniam non fuiſſe patrem naturalem Salathielis, ſed ſolùm legalem. Undè quando *Matthæus* dicit: Jechoniam genuiſſe Salathielem, vult tantùm oſtendere ſacer ille Euangeliſta, extinctâ ſtirpe Jechoniæ, qui ex Davide per Salomonem deſcendebat, jus ad regiam dignitatem fuiſſe devolutum ad Salathielem filium naturalem *Neri*, qui ex Davide per Nathanem procedebat; & quia Salathiel ordine juris ad regiam dignitatem ſucceſſit Jechoniæ, ideò *Matthæus* Salathielem appellat filium Jechoniæ, habitâ ſcilicet ratione legalis ſucceſſionis, ſeu ſpectato dumtaxat ordine juris ad regiam dignitatem; quod quidem manifeſtò probat: *Matthæum* in conſcribenda genealogia Chriſti legalem tantùm ſucceſſionem, ſeu ordinem juris ad ſceptrum exhibuiſſe, *Lucam* verò ad naturalem ſucceſſionem, ſeu ad naturalis generationis ordinem attendiſſe.

Reſpondeo: Jechoniam fuiſſe patrem naturalem Salathielis, nec contrarium evinci poſſe ex prædictione Jeremiæ, in qua adverſarii ſuæ conjecturæ proram puppimque conſtituunt. At enim quamvis Deus per ſuum Prophetam denunciaverit Jechoniam futurum ſterilem, hæc tamen divina maledictio non orbitatem prolis, ſed dumtaxat Regni, proſperitatiſque negationem ſignificat, hæc dicit Dominus; *Scribe virum ſterilem, virum, qui in diebus ſuis non proſperabitur:*

neque

neque erit de ſemine ejus vir, qui ſedeat ſuper ſolium David & poteſtatem habeat ultra in Juda. Idque conſtat ex ipſomet Jeremia, qui cap. 18. teſtatur Jechoniam filios reverà procreaſſe,& ex lib.1. Paralip. cap.3. ubi numerantur octo filii Jechoniæ, quorum ſecundus appellatur *Salathiel*, quæ ſanè Scripturæ ſacræ loca omni tergiverſationi, & comminiſcendi libidini aditum præcludunt. Cæterùm quamvis Jechonias filios genuerit, non fuit attamen caſſa ſacri oraculi comminatio, nam in Jechoniæ filios de facto incubuit divina maledictio, quando quidem, ſicut refert Scriptura ſacra, è regio faſtigio exciderunt, & in ſtatum inferiorem ſunt redacti,illumque maximam partem luctuoſum, probroſum, variiſque adverſæ fortunæ caſibus & calamitatibus obnoxium. Ita hunc *Jeremiæ* locum interpretantur sancti Patres, potiſſimùm *Hieronymus* in cap.22. illius Prophetæ, & *S. Thomas* 3. p. q.31. att.2. ad 3. prætereà, etſi darem Jechoniam obiiſſe improlem, falſum tamen eſſet, quod aſserunt adverſarii, videlicet extinctâ ſtirpe Jechoniæ, qui ex Davide per Salomonem deſcendebat,jus regnandi ad poſteros Nathanis fuiſse devolutum. Enim verò qui credibile eſt, nullos, mortuo Jechonia,extitiſse ſuperſtites nepotes Salomonis? Legimus cap.11.lib.2. Paralip. Roboamum,filium Salomonis, genuiſſe viginti octo filios, Abiam, filium Roboami, genuiſse viginti duos cap.12. Joſaphat procreaſse ſeptem cap.21. & ſic de cæteris Regibus Juda uſque ad Jechoniam, veroſimile autem non eſt numeroſam ſtirpem tot nepotum Salomonis, qui à tempore Roboami uſque ad obitum Jechoniæ in plures familias ſuccreſcere & ſoboleſcere potuerunt, ità poſt obitum Jechoniæ fuiſse extinctam, ut ne ullus quidem ex ſtirpe Salomonis reſiduus fuerit, qui jus haberet ad regiam dignitatem, & ad eam neceſsarium fuerit aſciſcere poſteros Nathanis. Denique, quamvis *Matthæus* dicat Salathielem eſſe filium Jechoniæ, *Lucas* verò Salathieli patrem aſſignet *Neri*, inde tamen nullo pacto colligi debet Jechoniam fuiſse patrem dumtaxat legalem Salathielis, *Neri* autem fuiſse patrem naturalem Salathielis, ſed potiùs inde colligitur id, quod mox dicebamus, duos videlicet extitiſse Salathieles, unum,qui fuit filius Jechoniæ, qui ex Davide per Salomonem deſcendebat; alterum, qui fuit filius *Neri*, qui ex Davide per Nathanem ſuam originem trahebat, illius meminiſse *Matthæum*, iſtius *Lucam*. Et certè cùm alii fuerint Salathielis majores apud *Lucam*, quàm apud *Matthæum*, longè probabilius eſt utrumque Euangeliſtam diverſarum perſonarum mentionem feciſse. Idem dicendum puto de Zorobabele, quem in genealogia Chriſti reponit *Matthæus*, & quem alium fuiſse arbitror à Zorobabele, cujus, in deſcribendo ſtemmate Chriſti, mentionem facit *Lucas*. Ita poſt *Julium Africanum* docent antiqui sancti Patres, qui conſtanter affirmant: *Jacob* ex Davide per lineam

Sa-

Digitized by Google

Salomonis deſcendiſse, & promiſſiones de Meſſia naſcituro in linea itidem Salomonis fuiſse impletas; porrò ſi Salathiel & Zorobabel, quos ex Davide per Nathanem deſcendentes exhibet *S. Lucas*, eſsent iidem ac Salathiel,& Zorobabel,quos *Matthæus* in genealogia Chriſti recenſet; Jacob non ex Davide per lineam Salomonis, ſed per lineam Nathanis deſcendiſset, & promiſſiones à Deo factæ Davidi de naſcituro ex ejus ſemine Meſſia, non in linea Salomonis, ſed in linea Nathanis fuiſsent adimpletæ. Sicut ergo duo diſtingui debent Salathieles, quorum unus pertinet ad lineam Salomonis, & fuit filius naturalis Jechoniæ, cujus meminit *Matthæus*,alter pertinet ad lineam Nathanis, & fuit filius naturalis *Neri*, quem *Lucas* recenſet: ſic duo diſcerni debent Zorobabeles, quorum unus ex Davide originem habet per lineam Salomonis, & fuit filius naturalis Salathielis, ut ait *Matthæus*; alter verò ex Davide per Nathanem deſcendit, & eſt filius naturalis alterius Salathielis, quem inter poſteros Nathanis *Lucas* reponit. Idque duplici momento confirmari poteſt, primò, quia Zorobabel,cujus meminit *Matthæus*, diù poſt captivitatem Babylonicam genitus fuit, Salathiel namque pater ipſius fuit genitus in captivitate Babylonica, at Zorobabel, quem exhibet *Lucas*, fuit vel ante captivitatem Babylonicam, vel ſaltem primis annis captivitatis genitus, utpotè qui jam annis maturus populum Judaicum è captivitate ad patrium ſolum reduxit, ſicut legitur lib.2. Eſdræ cap.2. deindè à Zorobabele, quem refert *Matthæus*, uſque ad Joſephum, novem duntaxat putantur generationes, ſed à Zorobabele, quem producit *Lucas*, ſeptemdecim numerantur generationes, ex quibus apparet utrumque Zorobabelem non unum, ſed duos planè diverſos homines fuiſse.

Arguitur quartò: *Matthæus* texendo genealogiam Chriſti aſserit Joſiam fuiſse patrem Jechoniæ: *Joſias*, inquit, *genuit Jechoniam*. Atqui Joſias non fuit verus & naturalis pater Jechoniæ, nam conſtat ex lib.4. Reg. cap.24. lib.2. Paralip. cap.36. & Jeremiæ cap. 22. Joakimum fuiſſe patrem naturalem Jechoniæ, ergo *Matthæus* non eſt ſecutus naturalis generationis ordinem.

Priuſquàm diluam hanc objectionem, quam olim *Porphyrius*, ſicut teſtatur *S. Hieronymus* in cap. 1. Danielis, Chriſtianis tanquam inextricabilem objiciebat, præſtat obſervare, quod interfecto Joſiæ Regi Juda in prælio Mageddonenſi ſuffectus eſt *Joachaz* filius Joſiæ, ſed cum paulò poſt *Joachaz* exutus Regno objiſſet captivus in Ægypto, victor *Pharao Nechao* ſucceſſorem Joachazo dedit *Eliakim* fratrem ejus, alterum ſcilicet Joſiæ filium, qui etiam *Joakim*, & *Jechonias* eſt nuncupatus. Hic regnum per annos undecim variâ & ancipiti fortuna tenuit, ſed tandem ab Ægyptiorum ſervitute recedens, Nabu-

bu-

Digitized by Google

buchodonoſori Chaldæorum Regi cùm ſe addixiſſet, fidem ei datam violare, & impoſitum ſibi jugum excutere tentavit, at id non impunè tulit, nam Syrorum & vicinarum gentium incurſionibus vexatus, tot inter diſcrimina, acerboſque caſus vitâ functus eſt, filiumque reliquit, qui Binomius fuit, dictus ſcilicet *Joakin*, & *Jechonias*. Hic, tribus menſibus in Principatu exactis, deportatus eſt in Babylonem, & in ejus locum ſubrogatus eſt Sedecias Joſię filius, & patruus Jechoniæ, qui poſt annos undecim oculis effoſſis abductus eſt Babylonem. Hac præmiſsâ obſervatione,

Reſpondeo: Duos debere diſtingui Jechonias, ptimum videlicet & ſecundum. Jechonias primus, qui & Eliachim, ac Joakim eſt appellatus, fuit filius Joſiæ, eum quippè Joſias genuit in tranſmigratione babylonis, hoc eſt, ſub tempora tranſmigrationis Babylonicæ, jam nutante ſtatu populi Judaici, & imminente deportatione Babylonicâ. Jechonias verò ſecundus, qui etiam dictus eſt Joakim, fuit filius Jechoniæ primi, nepos Oſiæ, & Pater Salathielis, quem genuit poſt tranſmigrationem Babylonis, ideſt, poſtquàm populus judaicus fuiſſet in Babylonem aſportatus. Quamvis enim iſte Jechonias ſecundus, poſt tres menſes in principatu exactos, fuerit, ut mox diximus, in captivitatem abductus, ibique catenis vinctus, & in carcere durè admodùm, vivente Nabuchodonoſore, habitus, illo tamen mortuo, & ab Evilmerodacho filio Nabuchodonoſoris è carcere eductus, regiè in illius aula habitus eſt, ſicut legitur *Jeremiæ* cap. 52. & lib. 4. Reg. cap. 25. quo tempore, perſtante adhuc captivitate Babylonicâ, Salathielem genuit. Utrumque Jechoniam accuratè diſtinguit Matthæus in genealogia Chriſti, nam quando dicit: *Joſias genuit Jechoniam & fratres ejus in tranſmigratione Babylonis*, indicat Matthæus his verbis Jechoniam primum, qui *Eliakim*, ac *Joakim* eſt appellatus, quem Joſias citcà tranſmigrationis tempora genuit, quique fratres habuit *Joachazum*, *Sedeciam*, *&* *Sellum*. Quandò verò ſubdit idem Evangeliſta: *& poſt tranſmigrationem Babylonis Jechonias genuit Salathiel*, his verbis deſignat Matthæus Jechoniam ſecundum, qui fuit filius Jechoniæ primi, nepos Oſiæ, Pater Salathielis, nulloſque fratres habuit. *Non ergò*, inquit *S. Ambroſius* lib. 3. in *Luc. Suppreſſit alterum Evangeliſta, ſed utrumque ſignavit, quod uterque Jechonias dictus ſit*. Idem docent ſſ. Patres Epiphanius hæreſi VI. *Hieronymus* in cap. 1. *Matthæi*, & *Sanctus Thomas* 3. part. quæſt. 31. art. 3. ad 3. ubi aſſerunt in Jechoniam primum, qui fuit filius Joſiæ, deſinere ſecundam teſſaredecadem, ſeù numerum quatuordecim perſonarum, quas in ſecunda claſſe exhibet Matthæus, & à Jechonia ſecundo, qui fuit filius Jechoniæ primi, & nepos Oſiæ, tertiam incipere teſſaredecadem quæ deſinit in Chriſtum.

Digitized by Google

ſtum. Quapropter audiri non debent moderni quidam critici, qui ſuſpicantur mendoſum eſſe codicem Matthæi, putantque Joakimum patrem Jechoniæ omiſſum eſſe in ſecunda claſſe, ita ut vera ſic debeat reſtitui lectio, *Joſias genuit Joakim, Joakim genuit Jechoniam.* Refellitur etiam conjectura *Petri Poſſini*, qui exiſtimat Matthæum unius dumtaxàt Jechoniæ patris Salathielis mentionem feciſſe, alterum verò ſilentio penitùs obruiſſe. Refellitur, inquam, hæc vana Poſſini conjectura, nàm ſi Matthæus unius tantùm Jechoniæ patris Salathielis mentionem feciſſet, tredecim ſolùm perſonæ reperirentur in tertia claſſe, ſeu in tertia teſſarecade à transmigratione Babylonis, uſque ad Chriſtum, cùm tamen certum ſit quatuordecim numerari à Matthæo. Nec valet, quod reponit *Poſſinus*, ad complendum numerum quatuordenarium in tertia claſſe, præter Joſephum numerari debere etiam Mariam Matrem Chriſti; futilis, inquam, eſt hæc reſponſio; nàm primò, moris non erat apud Hebræos, ſicut anteà obſervavimus, ut fœminæ in genealogiis hominum cenſerentur. Secundò, cùm pater, & mater unius dumtaxàt generationis ſint authores, Joſephus, & Maria non potuerunt, reſpectu Chriſti, niſi unius generationis numerum conficere. Non potuit ergò Lucas, ad complendum in tertia claſſe numerum quatuordenarium, Mariæ generationem computare quaſi diverſam à generatione Joſephi. Quapropter ut plenæ, & integræ ſtent tres claſſes, ſeu tres teſſaredecades, quas in genealogia Chriſti exhibet Matthæus, neceſſariò dicendum eſt: eum utriusque Jechoniæ mentionem feciſſe, idque Lector facilè intelliget ex ordine genealogiæ Chriſti ſecundùm Matthæum, quem in fine hujus Diſſertationis attexam.

Arguitur quintò: Matthæus in genealogia Chriſti ait: Achazum Regem Juda genuiſſe Ezechiam, atqui tamen Achaz non fuit pater naturalis Ezechiæ, ergò Matthæus, in deſcribenda genealogia Chriſti, non eſt ſecutus naturalis generationis ordinem, ſed ſolùm ſucceſſionem, ſeu ordinem juris ad Regiam dignitatem. Prob. min. Legitur lib.4. Reg. c.16. Achazum Regem Juda Joathami filium regnare cœpiſſe anno ætatis ſuæ vigeſimo, eumque ſexdecim annis Regnum occupaſſe, ſicque in integrum vixiſſe triginta ſex annis. Et cap.18. ejuſdem libri dicitur: Ezechiam, Achazi filium, & immediatum in Regno ſucceſſorem, viginti quinque fuiſſe annorum cùm regnare cœpit, ſi ergò viginti quinque anni, quos natus erat Ezechias, dùm Regni habenas moderari cœpit, detrahantur de annis triginta ſex, quos habebat Achazus quandò mortuus eſt, conſtabit Ezechiam fuiſse conceptum ab Achazo dùm adhùc puerulus deceunis erat, & anno undecimo vitæ Achazi natum eſſe Ezechiam, quòd ſanè tam experientiæ, quàm conſueto naturæ ordini omninò repugnare videtur, nemo

quippè in tota hiſtoria, ſeu ſacrâ, ſeu exoticâ, auditus eſt, qui genuerit decennis. Longè ergò verò ſimilius eſt: Achazum non fuiſſe verum, & naturalem patrem Ezechiæ, ſed Achazo abſque liberis mortuo, proximum Regii ſanguinis Principem, ſeu Ezechiam, ritu generis, & jure recepto, ſucceſſiſſe. Quod quidem jus ad Regiam dignitatem attendens Matthæus, dicit Achazum genuiſſe Ezechiam, quia Ezechias in Regia dignitate ſucceſſit Achazo, quamvis non eſſet filius ipſius naturalis.

Præterea, lib.4.Reg. cap.16. legitur Achazum tranſtuliſſe filium ſuum per ignem, ſecundùm idola gentium, ideſt, eum flammis combuſſiſſe ſacrilego gentium ritu, ergò Achazus nullum poſt ſuum obitum reliquit ſuperſtitem filium, ac ſubindè eſſe non potuit pater naturalis Ezechiæ.

Huic objectioni reſpondet *S. Hieronymus* epiſt.132. ad Vitalem, Achazum anno decimo ætatis ſuæ reverà genuiſſe Ezechiam, pleraque adducit exempla, ut probet Achazum impotentis libidinis æſtu abreptum, hac in juvenili ætate procreare potuiſſe Ezechiam tanquàm præcocem protervæ, & luxuriantis pueritiæ fructum. Huic S. Hieronymi reſponſioni ſubſcribit *Fridericus Spanhemius* par.1. dubiorum Euangelicorum, dubio 5. ubi ætatem undecim annorum quandoque fœturæ habilem eſſe probat exemplo, quod *Scaligerus* memoriâ ſuâ contigiſſe narrat in Civitate Lectoratenſi novem populaniæ, in qua puer minor annorum undecim genuit ex puella conſobrina ſua, quæ nondùm decimum annum expleverat. Verùm quia difficile creditu eſt Achaz antè pubertatis ânos genuiſſe Ezechiam, ideò

Reſpondeo cum multis Scripturæ ſacræ Interpretibus: Achazum fuiſſe quatuordecim annorum quando genuit Ezechiam. Ratio eſt, quia in Scriptura ſacra tacentur anni incompleti Achazi; erat enim Achaz, cùm regnare cœpit, viginti annorum & unius incompleti, quem non numerat Scriptura, rursùm Achaz regnavit ſexdecim annis ſcilicet integris,& decimo ſeptimo incompleto: quare, juxtà hunc computum, Achaz mortuus eſt anno ætatis ſuæ trigeſimo octavo. Similiter Ezechias erat tantùm viginti quatuor annorum completorum cùm regnare cœpit, ſed inchoarat annum vigeſimum quintum. Si ergo numerus viginti quatuor annorum completorum, quos natus erat Ezechias, quando regnum capeſſivit, detrahatur de annis triginta octo, quos habebat Achaz, quando è vivis exceſſit, perſpicuum erit Achazum anno ineunte decimo quarto ætatis ſuæ genuiſſe Ezechiam, quod ſanè non eſt incredibile, utpotè nec experientiæ, nec naturæ ordini contrarium.

Ad aliam objectionis partem reſpondeo: Achazum non combuſſiſſe filium ſuum, ſed illum duntaxàt traduxiſſe per ignem, hoc eſt: filium

Digitized by Google

filium ſuum, juxtà ſacrilegum gentium ritum, luſtraſſe & conſecraſſe Idolo Moloch. Hinc lib.2. Paralip. cap. 28. dicitur de eodem Achazo, quod luſtravit filios ſuos in igne. Non eſt autem veroſimile Achazum truculentâ ſuperſtitione & feritate plusquàm Scythicâ in honorem Idoli Moloch filios ſuos holocauſto conſumpſiſſe.

Arguitur ſextò: *Matthæus* in genealogia Chriſti aſſerit: Zorobabelem genuiſſe Abjudem, atqui tamen lib.1. Paralipom. cap. 3. inter filios Zorobabelis nullus nominatur Abjud, igitur Zorobabel non fuit pater naturalis Abjudis, ac proinde *Matthæus* non eſt ſecutus naturalis generationis ordinem.

Reſpondeo: *Matthæum* non ex libris Paralip. recenſuiſſe in genealogia Chriſti Abjudem Zorobabelis filium,ejusque poſteros uſque ad Joſephum,ſed hanc ſeriem genealogicam Abjudis filii Zorobabelis legiſſe *Matthæum* in tabulis genealogicis, quæ, ut ſuperiùs diximus, maximâ curâ & religione apud Judæos ſervabantur, & quæ nunc omninò perierunt. Cur autem hæc ſeries genealogica Abjudis non fuerit à Scriptore ſacro lib. Paralip. obſervata? Hanc rationem probabilem aſſignant Scripturæ ſacræ Interpretes; dicunt enim genealogiam à *S.Matthæo* contextam, & ad Joſephum per Abjudem perductam, fuiſſe quidem hominum è Davidis familia progenitorum, ſed obſcuræ admodùm conditionis, & ſingularis Dei diſpenſatione ad ſtatum privatum, vilem & abjectum redactorum; & quia iſta declinatio in Abjude filio Zorobabelis facta eſt, indè fortè contigiſſe, ut Auctor librorum Paralip. nec Abjudis,nec poſterorum ejus majorum Joſephi obſcuram vitam agentium meminerit, ſed eos duntaxat filios Zorobabelis, illorumque poſteros memorarit, quorum tùm temporis nomen clarius & celebrius erat.

Arguitur ſeptimò: *Matthæus* in genealogia Chriſti ſcribit: *Joramum* genuiſſe *Oziam*, atqui tamen *Joram* non genuit *Oziam*, ſed potius *Joram* genuit *Ochoſiam*, Ochoſias genuit *Joaſum*, Joaſus genuit *Amaziam*, Amazias genuit *Oziam*, ut conſtat ex libris Regum & Paralip. ergo *Matthæus* tres generationes prætermiſit, cujus omiſſionis alia nequit afferri ratio, niſi quia *Matthæus* in genealogia Chriſti non naturalem ſucceſſionem exhibere voluit, ſed ſolùm proponere ordinem juris & ſucceſſionis ad regiam dignitatem.

Prætereà,*Matthæus* in genealogia Chriſti à *Salmone* filio *Naaſſon* uſque ad nativitatem Davidis regis, quatuor tantummodò numerat generationes, videlicet *Salmon,Booz,Obed*, & *Jeſſe*, atqui plures quàm quatuor debuerunt eſſe generationes à Salmone uſque ad nativitatem Davidis Regis, nam *Salmon*, poſtquam Iſraelitæ ingreſſi ſunt in terram Chanaan, ſeu paulò poſt excidium Urbis Jericho, uxorem duxit *Rahab*, & genuit Boozum. Chronologi autem ab ingreſſu Iſraelita-

rum in terram Chanaan uſque ad nativitatem Davidis Regis numerant ad minus trecentos ſexaginta ſex annos; porrò credibile non eſt quatuor tantummodò generationes implere potuiſſe ſpatium trecentorum ſexaginta ſex annorum, debuiſſent enim *Salmon, Booz*, & *Obed* in affecta & decrepita ſenectute, immò ultrà centeſimum ætatis annum procreandis liberis operam dare. Sed quis non videt abſurdum eſſe in tribus perſonis ejusdem familiæ ſibi invicem ſuccedentibus tàm tardas & intempeſtivas ponere generationes, iis propè temporibus, quibus dies annorum hominis *ſeptuaginta anni, ſi autem in potentatibus octoginta anni, amplius eorum labor & dolor*, ut habetur pſalm.89. Conſtat igitur *Matthæum* à Salmone uſque ad ortum Davidis Regis aliquas reticuiſse generationes, ac proindè illum naturalis generationis ordinem non fuiſse ſecutum.

Reſpondeo ad primam objectionis partem: *Matthæum* quidem in genealogia Chriſti tres prætermiſiſse Reges, *Ochoſiam* nimirùm, *Joaſum*, & *Amaſiam*; indè tamen non ſequi: *Matthæum* in genealogia Chriſti naturalem parentum Joſephi ſucceſſionem non exhibuiſse. Ratio eſt, quia licet *Ozias* immediatè non ſucceſserit Joramo, ei tamen mediatè & ſecundùm naturam, utpotè ipſius nepos, ſucceſſit. Nec *Matthæo* vitio verti debet, quod in genealogia Chriſti aliquas omiſerit generationes, in genealogiis namque aliquas perſonas reticeri poſſe fatentur omnes, quia ſalvâ recti ſermonis proprietate dici poteſt filium à pàtre, nepotem ab avo, & pronepotem à proavo genitum fuiſſe; unde ſicut nepotes dicuntur filii apud Hebræos, ita avi, proavi, & atavi, patres appellantur, qui cenſeri poſſunt nepotes genuiſſe, generatione videlicet mediatâ, quâ re verà ab illis genus ducunt. Cur autem *Matthæus* in texenda genealogia Chriſti tres illos Reges prætermiſerit? Hæc ratio afferri poteſt, voluit quippè *Matthæus* totam ſeriem progenitorum Chriſti tribus teſſaredecadibus, hoc eſt, quatuordecim perſonarum numero ter repetito, ſive rotundandi numeri, vel memoriæ juvandæ causâ, complecti. Cùm igitur in ſecunda claſſe majorum Chriſti ſeptemdecim occurrerent generationes, ut numerus quatuordenarius ſibi conſtare poſſet, tres illos Reges prætermiſit Euangeliſta, ob peculiarem Dei maledictionem domui Achab ſceleſtiſſimi Iſrael Regis per Eliam Prophetam 3. Reg. cap.21. & 4.Reg. cap.9. prædictam, & quia Deus ſolito furore exardeſcens in caſtigandis filiis ob peccata parentum ultrà tertiam, vel quartam generationem pœnam protendere non conſuevit, ſicut legitur Exodi cap.20. ideò *Matthæus* omiſſis tribus illis Regibus, recenſet alios Reges, qui in eadem linea ab Achabo per fœmineum genus, ideſt, per Athaliam Jorami uxorem,& filiam Achabi genus ducebant. Sunt nonnulli Auctores, qui dicunt: *Matthæum* ideò tres illos Reges, Ocho-

Digitized by Google

Ochoziam, Joazum, & Amaſiam ſilentio damnaſſe, quia in tabulis genealogicis, quas Judæi maximâ religione aſſervabant, trium illorum Regum nomina deſiderabantur, utpotè per quamdam veluti excommunicationis, quam viventes incurrerant, ſententiam ex iisdem Sacerdotali expunctà judicio, ignominiæ causâ, non ſecus ac deindè in Eccleſia Catholica mos uſurpatus eſt, nomina quorumdam Epiſcoporum mortuorum, qui ob fidem malè audiebant, & graviori macula notati erant, è ſacris dyptichis eradendi. Sed hæc conjectura, ut verum fatear, precaria eſt, nulliusque antiqui & probatæ fidei Auctoris teſtimonio nixa.

Ad alteram objectionis partem reſpondeo: *Matthæum* à tempore, quo *Salmon* duxit uxorem *Rahab*, hoc eſt, ab ingreſſu Iſraelitarum in terram Chanaan uſque ad ortum Davidis Regis, aliquas generationes ſilentio præteriiſſe. Enimverò a tempore, quo *Salmon* matrimonium inivit cum *Rahab* uſque ad ortum Davidis Regis, non ſolùm interfluxere trecenti ſexaginta ſex anni, ut vulgò opinari ſolent Chronologi, ſed potiùs elapſi ſunt quadringenti nonaginta duo anni, ſupputando videlicet annos ſervitutum Iſraelitarum diſtinctos ab annis præfecturæ Judicum, ſicut re verà diſtingui debere, infrà in Canone Chronologico probabo ex libro Judicum, in quo anni ſervitutum Iſraelitarum, qui poſt obitum Joſue, alienis interdum ſervierunt Regibus, accuratè recenſentur diſtincti ab annis Præfecturæ Judicum. Si ergo à tempore, quo Salmon ſibi matrimonio *Rahab* ſociavit, uſque ad ortum Davidis Regis, quadringenti nonaginta duo interfluxerunt anni, impoſſibile eſt, ut quatuor tantummodò generationes tàm diuturnum impleverint temporis intervallum, niſi dicatur Salmonem ſpeciali miraculo ultra centeſimum & vigeſimum quintum ætatis annum genuiſſe Boozum; idemque miraculum in eadem familia fuiſſe in *Boozo, Obede*, & *Ieſſe* iteratum, quod ſanè ægrè credi, ac multò difficiliùs perſuaderi poteſt. Quapropter ſtandum eſt ſententiæ virorum eruditorum, qui docent: *Matthæum*, à Salmonis tempore uſque ad nativitatem Davidis Regis, aliquas prætermiſiſſe generationes, ſive ut in omni claſſe numerum quatuordecim perſonarum ſibi præfixum retineret, ſive ob aliam rationem, quam Deus nobis ignotam & occultam eſſe voluit; quod tamen non impedit quin *Matthæus*, ſicut mox expoſuimus, naturalis generationis ordinem fuerit ſecutus.

Arguitur ultimò: Ideò *Julius Africanus* aſſerit: Joſephum filium fuiſſe naturalem *Jacob*, & filium legalem *Heli*, quia ſupponit, quod defuncto Heli abſque liberis, *Jacob*, qui erat frater ipſius uterinus, ei, juxtà legem Deuteronomii cap. 25. ſuſcitavit ſemen, & genuit Joſephum naturali quidem ratione filium ſuum, ſed ſecundùm legem filium *Heli*, atqui lex, quâ jubetur Deuteronomii cap. 25. ut frater de-

demortui fratris uxorem viduam ducat, atque prolem ſuſcitet, non intelligitur de fratribus uterinis, ſed ſolùm de fratribus conſanguineis, ad conſervanda ſcilicet familiarum jura, quæ ex ſola agnatione cenſentur; fratres autem uterini non ſunt inter agnatos, immò poſſunt eſſe ex diverſa Tribu & familia orti; igitur *Julii Africani* ratio falſo nititur fundamento.

Reſpondeo: Legem latam Deuteronomii cap. 25. eſſe intelligendam, juxtà SS. Patres, qui *Julii Africani* rationem ſecuti ſunt, non ſolùm de fratribus germanis, ſed etiam de fratribus uterinis, qui tenebantur uxorem ducere fratris defuncti abſque liberis, eique jure leviratus ſuſcitare prolem. Quocircà cùm in hoc conſentiant SS. Patres, flocci fieri debet hæc recentium criticorum conjectura.

Prætereà, negari non poteſt hanc legem, de ſuſcitando ſemine fratris abſque liberis demortui, extendi etiam ad propinquos, ut conſtat ex facto *Ruth*, quæ in matrimonium ducta fuit à *Boozo*, ut hic ſuſcitaret ſemen *Mahaloni* propinquo ſuo; falſum igitur eſt hanc legem reſtringi ad ſolos fratres, qui ex eodem patre geniti ſunt.

Denique, quamvis hæc lex Deuteronomii cap. 25. fratres uterinos ab hæreditate fratris, & ab uxoris ejus viduæ nuptiis removeret; neceſſariò tamen hujus legis exceptio eſſet admittenda in ſpecie propoſita *Jacob*, & *Heli*, qui erant duo fratres uterini. Ratio eſt, quia Heli fuit ultimus eorum, qui ex Davide per Nathanem deſcendebant; mortuo itaque Heli abſque liberis, & in eo extinctâ ſtirpe Davidis per Nathanem, hæreditas Heli devoluta fuit ad Jacobum fratrem ipſius uterinum, qui ex Davide per Salomonem deſcendebat; quamobrem Jacob ad capeſſendam hæreditatem Heli fratris ſui uterini abſque liberis defuncti, fuit lege Deuteronomii adactus inire cum vidua Heli matrimonium, cujus matrimonii onus, unà cum hæreditatis honore fuit conjunctum, & ſic, extinctâ ſtirpe Davidis per lineam Nathanis, hæreditas Heli, qui fuit illius lineæ poſtremus, conſervata eſt in familia Jacob, qui ex Davide per lineam Salomonis originem ducebat.

Inſtabis, ſi Joſephus fuiſſet filius legalis Heli, debuiſſet ejus nomine appellari, nam *Deuteronomii* cap. 25. in deſcriptione juris, & exercitii Leviratus præcipitur, ut primogenitus ſuſcitatus fratri defuncto nomen ejus ſuſcipiat; atqui conſtat Joſephum non fuiſſe appellatum nomine Heli, argumento itaque eſt Joſephum non fuiſſe filium legalem Heli.

Reſpondeo cum *Sancto Auguſtino* quæſt. 46. in *Deuteron.* hac lege Leviratus præcipi, non ut filius procreatus nomen defuncti Patris, cui ſuſcitatur, obtineat, ſed quod ille non ſine poſteritate mortuus eſſe videatur, & ideò permaneat ejus nomen, hoc eſt, me-

Digitized by Google

memoria. *Neque etiam ſi ipſe filium genuiſſet*, inquit Aquilinus ille Doctor, *nomen ſuum ei fuerat impoſiturus, ut nomen ejus non deleretur ex Iſrael; ſed ex hoc utique non deleretur, quia non ſine liberis ex hac vita emigraret. Et hoc jubetur in ejus uxore frater ejus implere, quod ille non potuit, nam etſi frater non fuiſſet, & propinquus ducebat uxorem ejus, qui ſine filiis mortuus eſſet ad ſuſcitandum ſemen fratri ſuo: ſicut fecit Booz ducendo Ruth ut ſemen excitaret propinquo ſuo*, Mahaloni ſcilicet; *cujus fuerat uxor, nec de illo pepererat, & tamen qui de illa natus eſt, ex nomine quidem defuncti conſtitutus eſt, quia filius ejus eſt dictus, atque ità factum eſt, ut nomen defuncti non deleretur ex Iſrael, nec tamen ejus nomine appellatus eſt*, ſed dictus eſt *Obed*. His gemina habet *S. Auguſt.* lib.2. Retract. cap.7. & 12.

ORDO GENEALOGIÆ CHRISTI ſecundùm Matthæum.

Prima Teſſaredecas.	*Secunda Teſſaredecas.*	*Tertia Teſſaredecas.*
1 Abraham.	1 Salomon.	1 Jechonias ſecundus.
2 Iſaac.	2 Roboam.	2 Salathiel.
3 Jacob.	3 Abias.	3 Zorobabel.
4 Juda.	4 Aſa.	4 Abjud.
5 Phares.	5 Joſaphat.	5 Eliacim.
6 Efron.	6 Joram.	6 Azor.
7 Aran.	7 Oſias.	7 Sadoc.
8 Aminadab.	8 Joathan.	8 Achim.
9 Naaſſon.	9 Achaz.	9 Eliud.
10 Salmon.	10 Ezechias.	10 Eleazar.
11 Booz.	11 Manaſſes.	11 Mathan.
12 Obed.	12 Amon.	12 Jacob.
13 Jeſſe.	13 Joſias.	13 Joſeph.
14 David.	14 Jechonias primus.	14 CHRISTUS.

ORDO GENEALOGIÆ CHRISTI ſecundùm Lucam.

1 Adam.	6 Jared.
2 Seth.	7 Enoch.
3 Enos.	8 Mathuſale.
4 Cainan.	9 Lamech.
5 Malaleel.	10 Noe.

11 Sem.

Digitized by Google

11 Sem.
12 Arphaxad.
13 Cainan.
14 Sale.
15 Heber.
16 Phaleg.
17 Ragau.
18 Sarug.
19 Nacor.
20 Thare.
21 Abraham.
22 Iſaac.
23 Jacob.
24 Juda.
25 Phares.
26 Efron.
27 Aram.
28 Aminadab.
29 Naaſſon.
30 Salmon.
31 Booz.
32 Obed.
33 Jeſſe.
34 David.
35 Nathan.
36 Mathata.
37 Menna.
38 Melca.
39 Eliakim.
40 Jona.
41 Joſeph.
42 Juda.
43 Simeon.
44 Levi.
45 Mattath.
46 Jorim.
47 Eliezer.
48 Jeſu.
49 Her.
50 Elimadan.
51 Coſan.
52 Addi.
53 Melchi.
54 Neri.
55 Salathiel.
56 Zorobabel.
57 Reſa.
58 Joanna.
59 Juda.
60 Joſeph.
61 Semei.
62 Mathatias.
63 Maath.
64 Nagge.
65 Hesli.
66 Nahum.
67 Amos.
68 Mathatias.
69 Joſeph.
70 Janne.
71 Melchi.
72 Levi.
73 Mattah.
74 Heli.
75 Joſeph.
76 CHRISTUS.

In hac Genealogia CHRISTI, quam texit *S. Lucas*, ſeptuaginta ſex enumerantur generationes. At ſi Deus, ad quem *S. Lucas* generationum numerum perducit, his generationibus accenſeatur, erunt generationes ſeptuagintaſeptem, ut optimè obſervat *S. Thomas* 3. part. quæſt. 31. art. 3. ad 3. ubi myſticam illius numeri ſeptuaginta ſeptem generationum expoſitionem tradit.

DIS-

DISSERTATIO QUINTA

In qua evincitur in putatione annorum, qui à mundi primordio ad Natale uſque Chriſti Domini interfluxerunt, ſtandum eſſe ſacri Textus Hebræi, & editionis noſtræ vulgatæ Chronologiæ, non autem calculo verſionis LXX. *Interpretum.*

QUamvis tàm ex ſacra, quàm ex prophana hiſtoria ſupputari poſſint anni, qui à mundi exordio ad natale Chriſti Domini effluxerunt, fateri tamen neceſſe eſt: hanc temporum notitiam hiſce præſertim temporibus lubricam nimis, implexam & operoſam evaſiſſe, ob incredibilem Chronologorum opinandi diverſitatem, & penè inexplicabiles, quas invexerunt difficultates, quæ plurimùm laboris & negotii etiam viris doctis exhibere ſolent. Alii ſiquidem, quos inter hac tempeſtate celebriores fuerunt *Jo. Morinus* in ſuis *exercitationibus Biblicis*, *Iſaacus Voſſius* Vintonienſis in Anglia Canonicus, in *Syntagmate de* LXX. *Interpretibus*, & Pater *Paulus Pezronus* Ordinis Ciſtercienſis, ſacræ facultatis Pariſienſis Doctor, in gallico libro anno 1687. edito, cui titulus eſt: *Antiquitas temporum reſtituta, & propugnata adversùs Judæos, & recentiores Chronologos*, contendunt LXX. Interpretum Chronologiam, in putandis annis, qui à conditu mundi ad natale uſque Chriſti interfluxere, longè præferendam eſſe ſacri Textus Hebraici, & editionis vulgatæ Chronologiæ, idque potiſſimùm probant ex Chaldæorum, Ægyptiorum, Sinarumque antiquitatibus, quæ cum ſacri Textus Hebræi Chronologia, utpotè contractiori, nullo pacto cohærere poſſunt. Sed non advertunt ſagaciſſimi illi antiquitatis indagatores, nationum Orientalium populos ignorantiæ, & idololatriæ tenebris immerſos, ut gentis ſuæ primordia anguſtiora redderent, ſplendida mendacia adornaſſe, nullaſque, præter ſacram, eſſe Hiſtorias, quæ primas ſuas origines fabulis permixtas non habeant. Alii ex adverſò viri doctiſſimi ſacri Textus Hebræi Chronologiam, cui apprimè conſona eſt noſtra editio vulgata, pro aris, ac focis tuentur, eamque in putandis annis, qui à mundi creatione uſque ad natale Chriſti elapſi ſunt, LXX. Interpretum Chronologiæ anteponendam eſſe aſſerunt. Hæc autem Chronologorum opinandi diverſitas nata eſt ex diſcrepantia Hebræorum, Græcorumque Codicum in numerandis annis primæ, & ſecundæ ætatis, ſeu in recenſendis annis

Digitized by Google

Patriarcharum antè, & poſt diluvium. Græcus ſiquidem Codex, ſeu Verſio LXX. Interpretum addit ſupra Textus Hebræi calculum mille fermè & quingentos annos, quæ diſcrepantia multos hujus temporis doctiſſimos Chronologos ad ſcribendum impulit, aliis calculum Hebræorum calculo Græcorum, ſeu LXX. Interpretum anteponentibus, aliis ſtantibus pro calculo LXX. Interpretum. Accedit ad difficultatis cumulum, quod eorum, qui vel LXX. Interpretum, vel Hebræorum ſequuntur Chronologiam, non una ſit omnium ſententia. Nàm primò, inter eos, qui LXX. Interpretum ſectantur Chronologiam, alii ſunt, qui à creatione mundi uſque ad natale vulgare Chriſti numerant annos 5493. ſicut Græci Antiocheni, alii numerant annos 5501. ſicut Græci Alexandrini, alii recenſent annos 5509. ut Græci Conſtantinopolitani, alii denique, cum *Paulo Pezrono* mox citato, computant à conditu mundi uſque ad natale Dionyſianum, ſeu vulgare Chriſti annos 5873. Secundò, non minùs inter ſe diſſident hi, quibus probatur ſacri Textus Hebræi Chronologia. Sunt etenim, qui cum doctiſſimo *Petavio* ſubducunt à creatione mundi uſque ad natale vulgare Chriſti annos 3983. Sunt alii, qui cum *Uſſerio* numerant annos 4003. uno verbo, quilibet Chronologus in conſignando anno mundi, quo natus eſt Chriſtus Dominus, ſuis indulget conjecturis, adeò ut in re tam obſcura quidquam certi definiri poſſe non videatur. Verùm, ut quod ipſe probabilius eſſe cenſeo, aperiam; multis argumentis hac in diſſertatione probandum aggredior ſacri Textus Hebræi Chronologiam in conſignando anno mundi, quo natus eſt Chriſtus Dominus, præferendam eſſe LXX. Interpretum Chronologiæ. Quoto autem mundi anno natus ſit Chriſtus Dominus opportuniùs oſtendam in Canone Chronologico, quem ad calcem hujuſce tractatus in rem Chronologiæ ſtudioſorum attexam, & in quo per ſingulas mundi decurrendo ætates, & ſupputando annos ſervitutum Iſraelitarum (quos nonnulli Chronologi, tempora plùs juſtò contrahentes, cum annis præfecturæ judicum perperam confundere ſolent) natale vulgare Chriſti conſignabo anno mundi 4138.

DICO ITAQUE: *In putatione annorum, qui interfluxerunt à creatione mundi uſque ad natale Chriſti Domini, præferendam eſſe ſacri Textus Hebræi Chronologiam calculo* LXX. *Interpretum, ac ſubinde Chriſtum Servatorem noſtrum natum eſſe expleto quarto mundi millenario, juxtà ſacri Textus Hebræi calculum, non verò in ſexto mundi millenario, ſicut habent mendoſi, & interpolati Codices Græci.*

Hæc aſſertio probatur primò, convellendo præcipuum fundamentum, quo nituntur LXX. Interpretum Chronologiæ patroni. Huic ſiquidem ſtandum eſt Chronologiæ, quæ à Moſis tempore ad hanc uſque ætatem ſemper pura, integraque permanſit, nec à Judæis fuit

fuit unquàm corrupta, atqui ſacri Textus Hebræi Chronologia à Moſis tempore ad hanc uſque ætatem pura, integraque permanſit, nec unquàm Judæorum malitiâ fuit corrupta, ergò ſtandum eſt ſacri primigenii Textus Hebræi Chronologiæ. Prob. min. Multis momentis, primò, quia credibile non eſt Judæos, odio licèt in Chriſtianos percitos, in depravandam ſacri Textus Hebræi Chronologiam incumbere, & certatim conſpirare potuiſſe. Quæ enim, amabo, ſpes eſſe potuiſſet neminem inter ipſos alieno animo fore, neminem interceſſurum, neminem fraudem proditurum? Ecquis tam bonus, ut in animum inducat Judæos, qui longè, latèque per Orbem terrarum erant diſperſi, & inter ſe factionibus diviſi, qui etiam ſacras Litteras tantâ veneratione proſequebantur, ut earum causâ, ſi opus eſſet, mortem oppetere non detrectaſſent, ſicut teſtatur *Philo* apud *Euſebium* libro 8. de præparat. Euangel. cap. 2. & *Joſephus* apud eumdem *Euſebium* lib. 3. cap. 10. hiſt. Eccleſ. Clàm id funeſti conſilii inire, tamque horribile potuiſſe patrare ſacrilegium, quod ſi Chriſtianis innotuiſſet, ſicut erat neceſſe (cùm à Judæis ad Chriſtianos aliqui nullo non die perfugerent, ut prodit *Euſebius* lib. 3. hiſt. Eccl. cap. 31.) nonne prævidebant Judæi, fore ut cùm nihil omninò aſſequerentur, ſuæ prætereà parti præjudicium afferrent, ſi ſe faterentur eam defendere, & fovere cauſam, quam ſibi conſcii eſſent non aliter poſſe ſe quàm ſacrorum Codicum depravatione defendere. Secundò, quis credat Judæos tàm effusè temerarios, & audaciæ tam projectæ fuiſſe, ut ſacram immutarint Chronologiam, quæ nihil, aut parùm adjumenti Chriſtianæ Religioni afferebat, dùm tamen ſacra Prophetarum oracula, aliaque id genus luculentiſſima teſtimonia, quibus Meſſiæ adventus, & Chriſtianæ Religionis veritas luce meridianâ clariùs demonſtrantur, nunquàm adulterarunt, ſed, teſte S. Hieronymo, inviolabili temporum ſerie jugiter ſarta tecta conſervarunt? Certè Judæos ab hoc nefando crimine ſemper fuiſſe alienos liquidò probat ſumma illa diligentia peritiorum ſcholæ Tyberiadis Rabbinorum, qui vulgò *Maſſorethæ* nuncupantur, quique circa quintum Eccleſiæ ſæculum, ut volunt multi Critici, vel circa octavuum ſæculum, ut cenſet doctiſſimus Pater *Thomaſſinus* in ſuo *Gloſſario Hebraico*, omnia Scripturæ ſacræ capita, vocabula, verſus, radices, & litteras Herculeo labore, & accuratiſſimo Criterio cenſuerunt, ut, genuinam Scripturæ ſacræ lectionem ab omni corruptione ſervarent immunem, undè opus ſuum *Maſſoram* * appellarunt.

* Maſſora *nihil aliud eſt, quàm critica Hebræorum doctrina in ſacra Scripturæ litteris, vocibus, verſibus, accentibus, & punctis vocalibus occupata, ut ſic genuina permaneat Scripturæ ſacræ lectio. Indè* Maſſora *à Rabbinis* ſegimentum Legis *appellitatur.*

Digitized by Google

Eamdem diligentiam in deſcribendis libris ſacris ſemper adhibuerunt Judæi, ut videre eſt in libro *Sopherim*, ſeu Scribarum, in quo de maximis, & minimis præceptis ad rectam ſacrorum librorum deſcriptionem requiſitis, de litteris majuſculis, & minuſculis, ſuſpenſis, intortis, &c. ſcrupuloſè, & tantùm non ſuperſtitiosè pertractatur, ſicut obſervat clariſſimus Pater *Morinus* Hebræis licèt infenſus cap. 3. exerc. 14. lib. 2. *de Hebræi, Græcique textus ſinceritate*. Denique ſi Judæi ſacri Textus Hebræi Chronologiam de induſtria corruperunt, ſicut contendunt moderni quidam Chronologi, quorsùm igitur Chriſtiani, quorum plurimi intererat Judæorum detegere, ac propalare fraudem, nunquàm reclamarunt? Quorsùm Sancti Patres tam immane ſcelus ipſis nunquàm exprobarunt, ſed potiùs illos Capſarios noſtros, & librorum ſacræ Fidei Bajulos ſæpiùs appellant? Quare etiam S. Hieronymus ſacri Textus Hebræi Chronologiam ſic immutatam, & vitiatam in nova, quam lucubravit Scripturæ ſacræ verſione, ſectatus eſt? Ut quid Patres Concilii Tridentini Spiritus Sancti lumine, quo erant congregati, affuſi, editionem vulgatam, quæ ſacri Textus Hebræi Chronologiæ adamuſſim reſpondet, autenticam declararunt, ſuoque calculo comprobarunt? Addo etiam, nec addidiſſe pigebit, credibile non eſſe Providentiam Divinam permiſiſſe, ut ſacri libri, omniaque Scripturæ ſacræ exemplaria Judæorum malitia corrumperentur. Concidit ergò ruinoſum fundamentum, quo, ceu baculo arundineo, nituntur LXX. Interpretum Chronologiæ defenſores, dùm aſſerunt ſacri Textus Hebræi Chronologiam à Judæis datâ operâ fuiſſe corruptam.

Probatur ſecundò hæc noſtra aſſertio argumento petito ex auctoritate Eccleſiæ. Huic ſtandum eſt Chronologiæ, quam ſua auctoritate approbat Romana, ſeu Catholica Eccleſia, atqui Eccleſia Romana ſuâ auctoritate approbat ſacri Textus Hebræi Chronologiam, eamque præponit calculo LXX. Interpretum, ergo uni Textus Hebræi Chronologiæ ſtandum eſt. Prob. min. primò, quia Eccleſia Romana editionem vulgatam à mille & trecentis circiter annis à *Sancto Hieronymo* concinnatam, atque à ſacra Synodo approbatam, etiamnùm retinet, & fideliter cuſtodit; porrò editio vulgata, nemine refragante, in annorum calculo optimè cohæret cum ſacri Textus Hebræi Chronologia, & è contra ab epilogiſmo LXX. Interpretum, quàm longiſſimè diſtat. Prætereà, hunc ſenſum Eccleſiæ Romanæ expreſſit ſacræ Indicis Congregatio, quæ, dùm *Cenſorio* ſtigmate confixit tertium *Sancti Juliani* Archiepiſcopi Toletani librum, declaravit certum, & exploratum omnibus eſſe debere Eccleſiam Catholicam in editione vulgata approbare annorum rationem, quæ eſt in Codicibus Hebræis. Hæc ſacræ Cardinalium Congregationis cen-

Digitized by Google

cenſoria nota legitur (teſte noſtro *Malvenda* lib.2. de *Antichriſto* c.8.) in margine operis *Sancti Juliani* in editione poſteriori operum *Bibliothecæ Patrum*. Eadem etiam Congregatio, damnando Annotationes, quas *Antonius Contius* Doctor Bituricenſis in Chronologiam Nicephori Patriarchæ Conſtantinopolitani edidit, hunc Auctorem ideò cenſurâ perſtrinxit, quod, dùm nimio ſtudio LXX. Interpretum Chronologiam tuebatur, non videret ſe incautè Hebraici fontis, & editionis vulgatæ Chronologiam labefactare, & Sanctos Patres corruptelam Chronologiæ LXX. Interpretum ingenuè profiteri. Hæc cenſoria nota tomo ſeptimo *Bibliothecæ Patrum* editionis Pariſienſis anni 1585. in Chronologia Nicephori affixa eſt. Denique ſacra Bibliorum Congregatio ſub Gregorio XIV. Summo Pontifice, cujus acta manuſcripta Romæ in Bibliotheca Angelica aſſervantur, ſanxit ut in emendandis ſacris Bibliis, quotieſcumque Codices Græcos inter & Hebræos aliqua occurrit diſſonantia, Codices Hebræi ſemper præponantur Græcis, juxtà regulam, quam tradit *S. Auguſtinus* cap.13. lib.15. *de Civitate Dei.* Patet itaque calculo LXX. Interpretum ſacri Textus Hebræi Chronologiam eſſe præferendam, quia Eccleſia Catholica, ut ait ſacræ Indicis Congregatio, in editione vulgata approbat annorum rationem, quæ eſt in Codicibus Hebræis, & Sancti Patres corruptelam Chronologiæ LXX. Interpretum ingenuè profitentur.

Probatur ultimò: LXX. Interpretum Chronologia multis mendis ſcatet, quorum expers eſt ſacri Textus Hebræi Chronologia, ergò Textus Hebræi calculus anteponendus eſt calculo LXX. Interpretum. Probatur ant. Primò, in Chronologia LXX. Interpretum Patriarchis primæ, & ſecundæ ætatis multæ adduntur annorum centuriæ, quæ non extant in editione vulgata Textui Hebræo omninò conſonâ. Secundò LXX. Interpretum Chronologiam in cap. 4. *Geneſeos* ſub mendo cubare obſervant periti Chronologi. Ibi nàmque, juxtà calculum LXX. Virûm, Mathuſalem invenitur vitâ functus annis quatuordecim poſt diluvium, quod, ut nemo non videt, apertè adverſatur Scripturæ ſacræ, quæ primæ epiſt. *Petri* cap. 3. diſertè aſſerit octo tantùm animas, Noemum ſcilicet & uxorem ejus, tres ejus filios, cum tribus eorum uxoribus univerſalis diluvii exitium evaſiſſe. Quod quidem, ut clariùs intelligatur, ſciendum eſt Mathuſalem, juxtà Chronologiam LXX. Interpretum, genuiſſe Lamechum, cùm eſſet annorum 167. & rursùm Lamechum, cùm eſſet 188. annorum, genuiſſe Noemum; fiunt itàque ad diem nativitatis Noemi, anni vitæ Mathuſalem trecenti quinquaginta quinque, diluvium autem univerſale contigit anno ſexcenteſimo vitæ Noemi, & ſic, habitâ ſupputatione per partes,

anno

anno nongenteſimo quinquageſimo quinto vitæ Mathuſalem dilu-vium accidiſſe convincitur: cùm autem Mathuſalem, nemine recla-mante, nongentis ſexaginta novem annis vixerit, nulli dubium eſt quin Mathuſalem, juxtà Codices Græcos, quatuordecim annis vixerit poſt diluvium. At in ſacri Textus Hebræi Chronologia omnia ſunt plana, expedita, & optimè ſibi cohærentia, nam juxtà Hebræos Codices, ſicut argumentatur *S. Hieronymus* in lib. *quæſt. Hebraicarum in Geneſim*, Mathuſalem genuit Lamechum, cùm eſſet annorum 187. Lamechus autem genuit Noemum, cùm eſſet anno-rum 182. à die ergo nativitatis Mathuſalem vſque ad nativitatem Noemi, ſunt trecenti ſexaginta novem anni, quibus ſi addas ſex-centos annos, quos natus erat Noemus, quando diluvium in totum quà latè patet orbem graſſari cœpit, comperietur Mathuſalem anno vitæ ſuæ nongenteſimo ſexageſimo nono obiiſſe, eodem videlicet anno, quo contigit diluvium. Hic eſt profectò nodus implicatiſſimus, in quo diſsolvendo, poſtquam *S. Auguſtinus*, verſioni LXX. Interpre-tum alioquin addictiſſimus, omnes ingenii ſui vires exacuiſset, ipſâ tandem difficultatis mole oppreſſus fatetur candidè lib. 15. *de Ci-vitate Dei* cap. 13. LXX. Interpr. Chronologiam fuiſſe adulteratam, & in generatione Mathuſalem correctione indigere, immò ibidem aſserit *hunc errorem non caſum redolere, ſed induſtriam*. Et cap. 11. ejusdem libri ſic loquitur *Sanctus Doctor*: *Sed inquiunt Judæos, dum nobis invident, quod lex, & Prophetæ ad nos interpretando tranſierunt, mutaſſe quædam in Codicibus ſuis, ut noſtri minueretur auctoritas; hanc opinionem, vel ſuſpicionem accipiat quisque ut putaverit, certum eſt tamen non vixiſſe Mathuſalem poſt diluvium, ſed eodem anno fuiſſe de-functum*.

Reſpondent moderni quidam Chronologi: Hoc mendum circa annos vitæ Mathuſalem irrepſiſse quidem in nonnulla exemplaria Græca, ſed non omnia pervaſiſse. Teſtatur quippè *S. Auguſtinus* ſe tria exemplaria Græca vidiſse, in quibus legebatur Mathuſalem vitâ functum eſse ſex annis antè diluvium.

Sed hæc reſponſio falſi conuincitur. *Euſebius* ſiquidem Cæſa-rienſis in Chronico profitetur ſe legiſse in omnibus Codicibus Græ-cis Mathuſalem genuiſse Lamechum, cùm eſset annorum 167. adeò-que illum ſuperſtitem fuiſse quatuordecim annis poſt diluvium. Ita etiam cum *Euſebio* legerunt Theophylus Antiochenus, & Geor-gius Syncellus, ita etiam legitur in verſione LXX. Interpretum, quæ extat in *Hexaplis Origenis*, & quam *S. Hieronymus* in ep. 135. ad *Suniam & Fretellam* ſcribit fuiſse cæteris omnibus exemplaribus Græcis cor-rectiorem. Ita denique ſcriptum eſt in omnibus Scripturæ ſacræ verſionibus Latinis, quæ ad normam verſionis LXX. Interpretum

ſunt

ſunt factæ, præſertim in editione Italica, quæ ante Hieronymianam, ſeu vulgatam editionem publicè in Eccleſia legebatur, & quam doctiſſimus *Flaminius Nobilius* è tineis, cum quibus extremum agonem agebat, eruit, lucique deuuò reſtituit. Quod autem ſpectat tria illa exemplaria græca, in quibus *Sanctus Auguſtinus* aſſerit ſe legiſſe Mathuſalem è vivis exceſſiſſe ſex annis antè diluvium, dici poteſt tria illa exemplaria græca, quæ ſine hoc mendo extabant tempore *Sancti Auguſtini*, fuiſſe ex Textu Hebræo correcta, & emendata. Nàm quemadmodum *Aquila*, *Symmachus*, *Theodotion*, *Origenes*, *Heſychius*, & *Lucianus* Martyr benè multa in verſione LXX. Interpretum omiſſa addiderunt ex Textu Hebræo, aut mutilata caſtigarunt ad normam Textus Hebræi, ità non abſimili ratione fieri potuit, ut nonnulli deprehenſum in verſione LXX. Interpretum circà annos ætatis Mathuſalem errorem, juxtà veritatem Hebraicam, in tribus illis exemplaribus græcis correxerint, atque repurgarint.

DILUUNTUR
Oppoſitæ ſententiæ argumenta.

Arguitur primò: Huic Chronologiæ ſtandum non eſt, quam à Judæis fuiſſe corruptam certis argumentis evinci poteſt, atqui certis argumentis evinci poteſt ſacri textus Hebræi Chronologiam fuiſſe à Judæis vitiatam, ergo &c. Prob. min. primò, quia conſtans eſt, & uſu apud Judæos recepta hæc traditio, fore ut Meſſias appareat in ſexto mundi millenario, quâ Judæorum traditione cùm Chriſtiani in primis Eccleſiæ temporibus uterentur ad probandum Chriſtum eſſe verum Meſſiam, utpotè natum in ſexto mundi millenario, *Akibah* famoſus Rabbinus, qui ſub Hadriano Imperatore, ſeu in ſecundo vivebat ſæculo, ut ſe ſe faciliùs ab illo Chriſtianorum argumento, quod Judæorum jugulum petebat, expediret, mille ac quingentos circiter annos ex textus Hebræi Chronologia de induſtria expunxit, ne Chriſtum verum eſſe Meſſiam, fateri cogeretur. Quâ factâ annorum detractione, accidit, ut ſacri textus Hebræi Chronologia modò contractior ſit mille ac quingentis fermè annis calculo LXX. Interpretum; hinc igitur prima labis origo. Secundò, Judæi in primo, vel ſecundo Eccleſiæ ſæculo facilè admodùm depravare potuerunt textus Hebræi Chronologiam, nam tum temporis ſoli Judæi linguam Hebraicam callebant; Chriſtiani verò linguæ Hebraicæ penitùs ignari ſolam verſionem Septuaginta Interpretum legebant & ſectabantur, cùm igitur Chriſtiani, ob linguæ hebraicæ imperitiam, reclamare, & impiis Judæorum obſiſtere conatibus haud poſſent; quid mirum ſi Judæi id temporis textus Hebræi corruperint Chrono-

no-

nologiam, ex qua Chriſtiani invictum poterant adverſus illos petere argumentum ad probandum Chriſtum eſſe verum Meſſiam ?

Reſpondeo: Has conjecturas, quas ad ſacri textus Hebræi Chronologiæ auctoritatem elevandam adducunt moderni quidam Chronologi, non ſolùm inanes & futiles eſſe, verùm etiam apertè falſas. Primò ſiquidem falſum eſt hanc traditionem, de naſcituro Meſſia in ſexto mundi millenario, fuiſſe apud Judæos pervulgatam, cùm potiùs apud illos vigeret traditio huic planè oppoſita & inſerta in *Talmude* tractatu *Sanhedrin*, juxtà quam Meſſias naſciturus eſt in quarto mundi millenario. Porrò antequam *Talmud* Babylonicum eſſet à Rabbinis ſeptimo Eccleſiæ cadente ſæculo editum, (ſicut ex Judæorum traditionibus colligit *Morinus* lib.2. exercit.6. cap.4.) nulla erat apud Judæos traditio de naſcituro Meſſia ſive in quarto, ſive in ſexto mundi millenario. Præterea, falſum itidem eſt Rabbinum *Akicah* è ſacri textus Hebræi Chronologia mille & quingentos expunxiſſe annos, quò faciliùs ab eo ſe extricaret argumento, quod in ipſum intorquebant Chriſtiani, ad probandum Chriſtum eſſe verum Meſſiam. Enimverò Chriſtiani & antiqui Patres nunquam contra Judæos calculatoriis diſputarunt argumentis, ſed potiùs clariſſima uſurparunt Prophetarum vaticinia, quæ in Chriſtum Dominum mirum in modum quadrant, & ad quæ Judæi, licet in omne latus ſe ſe verſent, ac miſerè torqueant, nihil hactenus ſolidi hiſcere, atque muſſitare potuerunt. Unde ſi Judæi, ut Sanctorum Patrum eluderent argumenta, ſcripturas ipſas depravare voluiſſent, procul omni dubio non in Chronologia veterum Patriarcharum primæ & ſecundæ ætatis, quæ ad eorum diſputationem nihil omninò conferebat, ſed in prophetiis Iſaiæ, Danielis, & aliorum id tentaſſent, quod tamen eos nunquam tentaſſe compertum eſt. Tertiò, Rabinus *Akibah* quemdam nomine *Barcochebam* tanquam verum Meſſiam propalavit, ſicut teſtatur *S. Hieronymus* in cap.8. Iſaiæ, at non ſolùm imprudens, ſed poſt homines natos ſtultiſſimus fuiſſet Rabinus *Akibah*, ſi, dum *Barcochebam* tanquam Meſſiam Judæis obtrudebat, detraxiſſet è Chronologia Hebræorum mille & quingentos annos, ne fateri cogeretur Chriſtum eſſe verum Meſſiam, factâ ſiquidem illâ annorum detractione, ludibrium dediſſet Rabbinus *Akibah*, ſeque unà cum ſuo Pſeudo-Meſſia Judæis perindè ac Chriſtianis plenis buccis deridendum propinaſſet. Denique *S. Auguſtinus* cap.13. lib. 15. de Civitate Dei, ait: Hanc diſcrepantiam, quæ Codices Hebræos inter & Græcos reperitur in putatione annorum, non eſſe refundendam in malitiam Judæorum, ſed acceptam referri debere huic Scriptori, qui è Bibliotheca *Ptolomæi Philadelphi* Ægyptiorum Regis ſacrum Codicem, ſeu verſionem adornatam à LXX. Interpretibus deſcribendam primus accepit. Ille quip-

quippe Scriptor perſuadere volens Ægyptiis annos, quibus genuerunt, vel vixerunt Patriarchæ primæ & ſecundæ ætatis, non fuiſſe Solares, ſed potiùs à Moſe accipi tanquam menſtruos, hoc eſt, Lunæ ſenio definitos, quales Ægyptii numerabant (uti aſſerunt *Plutarchus* in Numa, *Plinius* lib.7.& *Diodorus Siculus* in Bibliotheca) multis centenariis Patriarcharum ante & poſt diluvium vitas auxit, ut eorum ætas habilis, ſeu tempeſtiva ad generandum inveniretur, juxtà ſupputationem brevium illorum annorum. *Nimirum*, inquit Sanctus ille Pater, *cùm vellet perſuadere, qui hoc fecit, ideò numeroſiſſimos annos vixiſſe antiquos, quod eos breviſſimos nuncupabant, & hoc de maturitate pubertatis, qua idonea filii gignerentur, conaretur oſtendere; atque in illis centum annis decem noſtros inſinuandos putaret incredulis, ne homines tamdiù vixiſſe recipere in fidem nollent; addidit centum, ubi habilem gignendis filiis non invenit ætatem; eoſdemque, poſt genitos filios, ut congrueret ſumma, detraxit. Sic quippè credibiles voluit facere idonearum generandæ prolis convenientias ætatum, ut tamen numero non fraudaret univerſas ætates viventium ſingulorum. Quod autem in ſexta generatione id non fecit, hoc ipſum eſt, quod magis movet illum ideò feciſſe, cùm res, quam dicimus, poſtulavit, quia non fecit ubi non poſtulavit. Invenit namque in eadem generatione apud Hebræos vixiſſe Jared, antequam genuiſſet Enoch, centum ſexaginta duos annos, qui ſecundùm illam rationem brevium annorum fiunt anni ſexdecim, & aliquid minus quàm menſes duo; quæ jam ætas apta eſt ad gignendum: & ideò addere centum annos breves, ut noſtri viginti ſex fierent, neceſſe non fuit.* Ex quibus *S. Auguſtini* verbis exſufflatur inanis illa conjectura, quâ nituntur moderni quidam Chronologi aſſerentes: Rabbinum *Akibah* Codices Hebræos in annis Patriarcharum primæ & ſecundæ ætatis interpolaſſe, cumque mille & quingentos annos è ſacri textus Hebræi Chronologia expunxiſſe, ne fateri cogeretur: Chriſtum eſſe verum Meſſiam.

Ad alteram objectionis partem reſpondeo: Falsò ab adverſariis ſupponi nec in primo, nec in ſecundo Eccleſiæ ſæculo fuiſſe Chriſtianos, qui linguam Hebraicam callerent, & impiis Judæorum poſſent intercedere conatibus in temerandis Scripturis ſacris. Legimus quippè apud *Euſebium* lib.3. hiſt.Eccl. cap.31. & lib. 4. cap. 5. Judæos, qui à paſſione Chriſti Domini ad tempus uſque Rabbini *Akibah* Chriſtianæ Religioni nomen dederunt, in maximo numero fuiſſe, adeo ut univerſa Eccleſia Hieroſolymitana ex ſolis Hebræis ad fidem Chriſti converſis eſſet conflata; ſic enim loquitur Euſebius: *Tùm temporis univerſa Hieroſolymitana Eccleſia conflata erat ex Hebræis fidelibus, qui jam inde ab Apoſtolorum ætate ad illam uſque obſidionem permanſerunt, qua Judæi iterùm à Romanis deficientes, maximis præliis domiti ſunt atque expugnati.* Fuerunt ergo tàm in primo, quàm in ſecundo Eccleſiæ

N ſæ-

ſæculo benè multi Chriſtiani, qui Hebraicæ linguæ notitiâ erant exculti, utpotè genere Hebræi, quique in Eccleſia Hieroſolymitana permanſerunt uſque ad Imperatorem Hadrianum, qui in ſecundo Eccleſiæ ſæculo Civitatem Hieroſolymitanam armis occupavit, & ex ea Judæos, & Chriſtianos expulit, ſicut refert *Baronius* ad annum Chriſti 137. quo anno etiam Rabbinus *Akibah*, unà cum ſuo inſigni impoſtore *Barcocheba* pſeudo-Meſſia, fuit ab exercitu Imperatoris Hadriani occiſus, vel, ut alii referunt Hiſtorici, in anguſtiſſimum ac teterrimum conjectus carcerem, in quo paulò poſt fœtidam animam expuit. Nullam ergo vel leviſſimam veritatis umbram habet hæc adverſariorum conjectura.

Arguitur ſecundò: Textus Samaritanus à diluvio uſque ad Abrahamum, exceptâ generatione ſecundi Cainanis, quam omittit, aliorum Patriarcharum numerat annos juxtà calculum LXX. Interpretum, ergo præferendus eſt epilogiſmus Septuaginta Intepretum calculo Hebræorum.

Reſpondeo: Pentateuchum Samaritanum, quem doctiſſimus *Joannes Morinus* poſt tot annorum ſilentium è tenebris eruit, eruditis exercitationibus illuſtravit, ipſumque cæteris antiquioribus verſionibus admiſcuit in Heptaplis Pariſienſibus, & in Bibliis Polyglottis Londinenſibus, fuiſſe in annis Patriarcharum mutilatum. Id conſtat primò, quia *S. Hieronymus* in lib. quæſt. Hebr. in Geneſim, ait: ſe legiſſe in Pentateucho Samaritanorum Mathuſalem genuiſse Lamechum anno ætatis ſuæ 187. & tamen *Morinus* ſpecimen exhibet Samaritani Codicis, ubi Mathuſalem vixiſse dicitur annis 67. antequàm genuit Lamechum; *Joſephus* etiam *Scaliger* affirmat in exemplari Samaritano, quod præ manibus habebat, reperiri annos 77. nempè quos habebat Mathuſalem quando genuit Lamechum. Quæ profectò legendi varietas plurimùm derogat Codicis Samaritani ſinceritati, immò apertè demonſtrat eum fuiſse vitiatum. Oportet ſiquidem, ut aliud fuerit exemplar Samaritanum *Sancti Hieronymi*, aliud *Patris Morini*, aliud *Scaligeri*. Non me latet *Seldenum* præfatione in Marmora Arundelliana, memoriæ lapſum impingere *S. Hieronymo*, quod in textu Samaritano ſectatus fuerit numeros diverſos ab illis, quos ante ipſum ſequutus fuerat *Euſebius*; at inanem eſse hanc *Seldeni* conjecturam, ex eo maximè conſtat, quod Sanctus ille Doctor famoſam illam quæſtionem *de annis Mathuſalæ* enodaturus, libros non tam Hebræorum, quàm Samaritanorum indefeſso labore, & accurato criterio examinaverit. Potiùs ergo dicendum eſt apud Samaritanos varia & diſcrepantia extitiſſe exemplaria, præſertim in numeris; adeòque aliud *Euſebium*, aliud *Hieronymum* nactos eſse exemplar Samaritanum. Secundò, Codicem Samaritanum in annis Patriarcharum ante diluvium

vium fuiſſe vitiatum nullus negare poteſt, quando quidem à creatione mundi uſque ad diluvium in Codice Samaritano numerantur dumtaxat anni 1307. quem quidem numerum contractiorem eſſe convenit inter omnes Chronologos. Sicut ergo in annis Patriarcharum ante diluvium depravatus eſt text. Samarit. ita & in annis Patriarcharum poſt diluvium potuit corrumpi. Nec deſunt viri eruditi, qui autumant Samaritanos vel propter idololatriam, vel propter vatinianum illud odium, quo Judæos proſequebantur, eosque cane pejus & angue oderant, ſuum Pentateuchum etiam in annis Patriarcharum interpolaſſe. Ut ut ſit, inconfeſſo eſt apud omnes, non aliam Pentateucho Samaritano auctoritatem concedi debere, quàm aliis antiquis exemplaribus, quæ injuriâ temporum, vel negligentiâ Scribarum, vel ignorantiâ Sciolorum nævos & maculas quasdam contrahunt, quæ ex aliorum primigeniorum, ſeu Hebraicorum Codicum collatione corrigi & emendari debent. Cum igitur hodiernus Samaritanus Pentateuchus in annis Patriarcharum primæ & ſecundæ ætatis ſit mendoſus, ad normam textus Hebræi originarii Codicis eſt caſtigandus.

Arguitur tertiò: in ſerie Chronologica Patriarcharum poſt diluvium nulla in textu Hebræo *Cainanis* ſit mentio, cujus tamen meminit verſio LXX. Interpretum, atqui Cainanem verum fuiſſe Patriarcham, & filium Arphaxad, apertè teſtatur *S. Lucas* cap. 3. ſui Euangelii, ubi hæc habet: *qui fuit Sale, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad*; ergo LXX. Interpr. Chronologia præponenda eſt textus Hebræi calculo.

Reſpondent huic objectioni periti quidam hujus temporis Critici: Cainanem juniorem eſſe Patriarcham inſititium, idque probant primò, quia illius Cainanis, ne vola, ne veſtigium quidem extat in textu ram Hebræo, quàm Samaritano, nec in antiquis Scripturæ ſacræ verſionibus, Syriacâ, Arabicâ, Chaldaicâ, vulgatâ, & LXX. Interpretum verſione, quæ extabat in Hexaplis Origenis, & quæ, teſte S. Hieronymo epiſt. 135. ad Sunniam & Fretellam, erat emendatiſſima. Secundò, quia Philo, & Joſephus peritiſſimi Judæi, necnon auctores prophani *Beroſus* Chaldæus Græcis Interpretibus antiquior, & *Eupolemus* citatus ab Alexandro Polyſthore apud Euſebium lib. 9. præp. Euang. prædictum Cainanem alto ſilentio prætermittunt. Tertiò, quia Sancti Patres illius Cainanis nullam mentionem faciunt. Irenæus lib. 3. adverſus hæreſes cap. 33. Theophylus Antiochenus lib. 3. ad Autolycũ, Epiphanius hæreſi 55. quæ eſt Melchiſedechianorum, Origenes, Julius Africanus, & Euſebius Cæſarienſis, qui in ſuo Chronico à Scaligero edito veterum Patriarcharum ante, & poſt diluvium annos ex triplici textu Hebræo nimirum, Græco, & Samaritano recenſens, in nullo eorũ juniorem Cainanem reponit, unde Georgius Syncellus carpit Julium Africanum & Euſebium, quod Cainanem in ſerie Patriarcharum, qui poſt diluvium vixere, non numerando centum & triginta annis in ſuo

N 2 cal-

Digitized by Google

calculo fuerint hallucinati: Denique, certum eſt, inquiunt illi auctores, Moyſem temporum hiſtorias, & Patriarcharum annos integrè, exactè, ac perfectè in libro Geneſeos deſcribere voluiſſe, porrò ſi Cainan junior, cujus generationem prætermiſit Moſes, verus eſſet Pattiarcha, perturbatam, ac confuſam Chronologiam reddidiſſet Moſes, & ſus deque miſcuiſſet hiſtorias temporum, nemo quippè inficias ire poteſt junioris Cainanis adjectione, vel detractione haud parū variari Chronologiam, quę diluvium inter & Abrahamū à Moyſe deſcribitur.

Huic reſponſioni, quæ multis probatur viris doctiſſimis, quominùs calculum adjiciam, vetat auctoritas S.Lucæ, qui cap. 3. Euangelii texens Genealogiam Chriſti Domini diſertè Cainanem inter Salem, & Arphaxad medium reponit. Nemini igitur fas eſſe puto Cainanem juniorem velut Patriarcham ſuppoſititium ex Euangelio expungere, quem vetuſtiſſimi, ſanctiſſimique Doctores, & Scripturarum Interpretes, potiſſimùm Auguſtinus lib.16.de Civit.Dei cap.10. & S.Hieronymus in translatione Euangelij ſecundùm Lucā, legerunt, agnoverunt, retinuerunt, quemque etiam Romana poſt ſacrorum Codicum emendationem juſſu Summorum Pontificum Sixti V. & Clementis VIII. adornatam legit, agnòſcit, & retinet Eccleſia.

Scio laudari à peritiſſimis quibuſdam Criticis vetuſtiſſimum Codicem manuſcriptum Græco-latinum B.Lucæ Euangeliſtæ in antiquiſſimis membranis literis majuſculis ſine ſpiritibus, & accentibus deſcriptum, in quo Cainanis illius junioris reticetur generatio. Hic autem Codex quatuor Euangeliorum & Actuum Apoſtolorum complectitur hiſtorias, & ex Græcia olim in Gallias aſportatus In Monaſterio S.Irenæi in ſuburbio Lugdunenſi repoſitus eſt, ibique aſſervatus, donec exorto civili bello anno 1562. repertus eſt à Theodoro Beza, qui eum Cantabrigenſis Academiæ Bibliothecæ dono dedit an. 1581.

Sed, ut candidè fatear, huic manuſcripto Codici, cui majorem, quam par ſit, auctoritatem quidam Critici conciliare moliuntur, duo graviſſima momenta fidem derogare debent. Primò, quia Codex ille nullo pacto præponi poteſt editioni vulgatæ à ſacroſancto, & œcumenico Tridentino Concilio, & à Sede Apoſtolica probatæ, & emendatæ, in qua cap.3.Euangelii S.Lucæ conceptis verbis legitur Cainan inſertus Arphaxad inter & Salem: veroſimiliùs ſiquidem eſt negligentiâ alicujus amanuenſis juniorem Cainanem fuiſſe omiſſum in illo manuſcripto Codice, quàm ipſum, nemine reclamante, irrepſiſſe in Euangelium S.Lucæ, eumque ſic intruſum legi, & retineri ab Eccleſia Rom. Secundò, hic manuſcriptus Codex fuit dumtaxat exaratus circa ſextū ſæculum, ſicut probant eruditi Critici Richardus Simon cap. 30. hiſt. textus novi Teſtamenti, & Elias Dupin §. 2. cap.3. lib.2. to.3. diſſert. prælim. in ſacra Biblia, adeòque manuſcriptus ille Codex poſterior eſt translatione, quam lucubravit S.Hieronymus Euangelii ſecundùm Lu-

Digitized by Google

Lucam, in qua S. Doctor, poſt accuratam antiquorum Scripturæ ſacræ Codicum lectionem,Cainanem repoſuit Arphaxad inter & Salem. Nec ullam veri ſpeciem habet conjectura Friderici Spanhemii,qui prima parte dubiorum Euang. dubio 23. ariolatur Cainanem in Euangelium S.Lucę fuiſſe intruſum à quodam Sciolo hiſce temporibus,quibus Eccleſia ſub Imperatoribus Decio, Valeriano, Diocletiano, & Tyrannis alijs exagitata, vexata, & diſſipata fuit, atque non ſolùm in Corpora Chriſtianorum, ſed & in libros ſacros, præſertim ſub Diocletiano, & Maximiano Collegis ferro, flammâque id ætatis ſævitum eſt. Hæc inquam Spanhemii conjectura nullam veri ſpeciem habet; incredibile namque eſt Providentiam Divinam permiſiſſe unquam ut falſaretur S.Lucæ Euangelium, quod eo fine conſcribi voluit, ut ex illo ſacro fonte omnes gentes ſalutares Chriſtianæ Religionis, vitæ, & doctrinæ Chriſti haurirent aquas.

Ad objectionem itaque breviter ipſe reſpondeo: Moyſem nullam quidem in textu Hebræo Geneſis cap.11. Cainanis junioris mentionē feciſſe,inde tamen inferri haud poſſe Cainanem è numero Patriarcharum fuiſſe à Moſe ſublatum, alioqui quia S. Matthæus in Genealogia Chriſti tres omiſit Reges Juda,dicendum itidem eſſet tres illos Reges ab Euangeliſta omiſſos, nunquam in rerum natura extitiſſe, ſed planè commentitios eſſe, quod tamen tam falſum eſt, quàm quod maximè. Nemini autem mirum videri debet, quod in antiquis Scripturæ ſacræ verſionibus Cainanis junioris reticeatur generatio,illæ ſiquidem Scripturæ ſacræ verſiones exactæ ſunt ad normam textus Hebræi, in quo Moyſes Cainanem illum prætermiſit. Idem judicium ferendum eſt de his SS.PP. & de Scriptoribus tam Judæis,quàm profanis, qui Cainanis junioris non meminerunt; hi ſiquidem omnes Scriptores textum Hebræum, in quo deſideratur Cainanis generatio ſectati ſunt. Cæterum inter SS.Patres,& Scriptores, ſeu Judæos, ſeu profanos, nullum reperire eſt, qui diſertis verbis Cainanem ex albo Patriarcharum poſt diluvianorum expungat, & ex adverſo multi ſunt Sancti Patres, & Scriptores Eccleſiaſtici, qui poſt S.Lucam cap.3. Euangelii, Cainanem juniorem inter Patriarchas reponendum eſſe autumant.

n.2. Ut autem Cainanis junioris adjectio non variet Chronologiam, quæ diluvium inter & Abrahamum à Moſe in Geneſi deſcribitur, dicendum eſt cum Genebrardo lib.1. Chronographiæ, quod Arphaxad genuit Cainanem anno ætatis ſuæ 18. & quod Cainan genuit Salem anno ætatis ſuæ 17. quâ ratione dici poteſt Salem natum eſſe ipſi Arphaxad, cùm Arphaxad annum ætatis ſuæ ageret trigeſimumquintũ, ſicut legitur in textu Hebræo,& in edit.vulg.Geneſis cap.11.v.12.nam & more loquendi ſacris literis non inuſitato genuiſſe nepotem avus verè dicitur, quamvis eum immediatè non genuerit. In eamdem Genebrardi ſententiã deſcendit P.Jo:Harduinus recens Soc. Jeſu Scriptor

in

Digitized by Google

in Chronologia vet.Teſtam.ad vulgatam verſionem exacta, inter ſelecta illius opera edita Amſtelodami anno MDCCIX. Hunc igitur Genebrardi modum conciliandi generationem Cainanis junioris cum Chronologia textus Hebræi, & editionis vulgatæ, obviis ulnis ipſe amplector, quandoquidem ad illam concordiam ineundam, nulla alia, meâ quidem ſententiâ, expeditior ſuppetit via.

Arguitur quartò: Benè multi SS.Patres, quos laudant *Baron. in appar.ad Annal.Eccleſ.Morinus* cap.1.exercit.7. lib.1.*de Hebræi,Græciq; Textus ſinceritate, Pezronus* in lib.*de antiquitate temporum reſtituta &c.* annos ab origine mundi juxtà LXX. Interpretum calculum ſubduxerunt, ergo potiùs ſtandum eſt LXX. Interpretum Chronologiæ, quàm ſacri Textus Hebræi calculo. Præterea, Eccleſia Romana ſuâ authoritate etiamnum approbat Chronologiam LXX. Interpretum, quippè quæ ſingulis annis in pervigilio Natalis Chriſti in Martyrologio, quod publicè recitatur, numerat annos ab exordio Mundi uſque ad Natale Chriſti Dom.juxtà calculum LXX.Interpr. quem ſequitur *Euſeb.* in ſuo Chronico à *S.Hieron.*latinitate donato. Denique ſexta Synodus œcumenica Conſtantinop. celebrata, iiſdē numeris ſua acta conſignavit, à mundi ſiquidem origine uſque ad illud tempus celebrati Concilii, anni numerantur ſex mille centum nonaginta novem anni. Ergo tam ex SS.PP. quàm ex Tabulis Eccleſiaſticis conſtat Chronologiam LXX.Interpr. anteponendam eſſe ſacri Textus Hebræi Chronologiæ.

Reſpond.ad ſingula illa momenta, & primò, quod ſpectat SS. PP. dico: Eorum authoritati præponendam eſſe authoritatem Eccleſiæ, quia, ut optimè obſervat *S.Thomas* 2.2. qu.10. art.12. *Doctrina Catholicorum Doctorum ab Eccleſia auctoritatem habet, adeòque magis ſtandum eſt auctoritati Eccleſiæ, quàm auctoritati Auguſtini, vel Hieronymi, vel cujuſcumque Doctoris*. Quapropter cum Eccleſia Catholica, ut ſupra probatum eſt, Hebræorum Chronologiam in noſtra editione vulgata approbaverit, auctoritati Eccleſiæ, velut ſacræ anchoræ indiviſulsè adhærere debemus, & ab ea ne latum quidem unguem deſciſcere. Nemini autem mirùm videri debet, quod SS.PP. in primis Eccleſiæ temporibus Chronologiam LXX. Interpretum ſectati fuerint, nam Eccleſia id ætatis nullâ aliâ Scripturæ ſacræ verſione utebatur præterquàm verſione LXX. Interpretum, quæ proindè, ut ait *Morinus*, Eccleſiam Chriſtianam peperit, lactavit, educavit, fovit, ac inſtituit. Quapropter SS.PP.tempori ſervientes, & Fideliū utilitati conſulere volentes, verſionem, & Chronol. LXX.Interp. in tanto tum temporis pretio habitam immutare, aut non ſequi religioni duxerunt. At propagatâ ſemel Chriſtianâ Religione, Sancti Patres, & præcipuè Hieronymus, & Auguſtinus, poſtquam hanc quæſtionem maturo, & accurato criterio examinaſſent, Textum Hebræum, ejusque Chronologiam verſioni, & calculo LXX.Interp.prçponi debere diſertè pronunciarunt, multiſq; argumentis com-

comprobarunt; quorum judicio ſtetit Eccleſia Latina, quæ, repudiatâ verſione LXX. Interpretum, quam olim in editione, vulgò dictâ *Itala*, ſequebatur, obviis ulnis amplexa eſt editionem vulgatam, quam *Sanctus Hieronymus* ad normam ſacri, & primigenii Textus Hebræi concinnavit.

Secundò, quod attinet ad Martyrologium Romanum, quod in pervigilio Natalis Chriſti Domini recitari ſolet, breviter reſpondeo: Hoc Martyrologium in Eccleſia recitari juxtà Chronologiam LXX. Interpretum, non quod veram, & incorruptam eam eſſe Chronologiam cenſeat Eccleſia, cùm potiùs huic è diametro adverſantem, ut veram, & genuinam, quæ in editione vulgata conſignata eſt, omnibus recipiendam proponat; ſed quia vult Eccleſia, ut ait noſter *Malvenda* lib. 2. de Antichriſto cap. 16. vetus aliquod exhibere venerandæ antiquitatis monumentum, tametſi lacerum, ac deforme, & pannis, annisque obſitum; omnibusque palàm facere, quam olim Scripturæ ſacræ verſionem ſecuti fuerint antiqui Patres in numerandis annis ab orbe condito ad Chriſtum naſcentem. Solent enim vetera antiquitatis monumenta, quantumvis corroſa, & attrita, gratum inſpectantibus præſtare intuitum. Addo etiam Eccleſiam non multò ab hinc tempore uti prædicto Martyrologio, nam olim Eccleſia utebatur alio Martyrologio, quod ab *Heriberto Roſuveido* Pariſiis anno 1613. fuit typis excuſum, in quo abſque annorum numero hæc tantùm modò verba leguntur: *Nativitas Domini ſecundùm carnem*.

Denique ad auctoritatem ſextæ Synodi generalis, dico: Concilia œcumenica convocari ad dirimendas emergentes tam circa fidem, quàm circa mores controverſias, in quibus definiendis infallibili pollent auctoritate, at non congregari Concilia ad expendendas Chronologicas quæſtiones, de quibus ſalvâ fidei regulâ hinc indè diſceptari poteſt. Præterquamquod oppidò falluntur adverſarii, dùm hanc Synodum appellant ſextam generalem, quæ tamen reverà non fuit ſexta Synodus generalis, ſed potiùs Pſeudo-ſynodus dicta *trullana*, vel *quini-ſexta*, tempore Juſtiniani Imperatoris celebrata, quæ nullam prorsùs in Eccleſia Latina, ut multis probat noſter *Melchior Canus* lib. 5. *de locis*, obtinet auctoritatem.

Arguitur quintò: Joſephus peritiſſimus Judæus lib. 1. antiqu. cap. 4. & cap. 7. annos Patriarcharum antè diluvium recenſet juxtà Chronologiam LXX. Interpretum. *Philo* etiam Judæus annos à creatione mundi numerat juxtà calculum LXX. Interpretum; ergò præponenda eſt LXX. Interpretum Chronologia calculo Hebræorum.

Reſpondeo: Joſephum in putatione annorum non aliam, quàm ſacri Textus Hebræi Chronologiam eſſe ſectatum, ſicut ex multis locis

Digitized by Google

locis operum Joſephi evincunt periti hujus temporis Chronologi, potiſſimùm doctiſſimus *P. Lequien* cap. 5. partis 2. *Defenſionis Textus Hebræi*, & *Fridericus Spanhemius Chronolog. Sac.* par.2. cap. 3. idque probant viri illi eruditi primò, quia ſi annos, quos Joſephus in lib.7. antiq. cap.2. & in lib.10. antiq. cap.11. numerat à creatione mundi uſque ad fabricam Templi, quæ facta eſt anno quarto Salomonis, accuratè quis ſupputare velit, reperiet à creatione mundi uſque ad ſtructuram Templi effluxiſſe dumtaxàt, juxtà calculum Joſephi, ter mille & quadraginta quinque annos, qui Joſephi calculus optimè conſentit cum epilogiſmo Hebræorum. Secundò, idem Joſephus lib. 1. contrà *Appionem* cap. 2. ab exordio mundi uſque ad Moyſis obitum ſcribit interfluxiſſe tria propè annorum millia, ſic enim loquitur: *Neque innumera apud nos habentur volumina, inter ſe invicem diſcordantia, ſed duo tantùm & viginti ſunt libri, ex quibus quinque ſunt Moyſis continentes Leges, vitæ, & ſucceſſionis humanæ proſapiam, quod quidem tempus tria propè annorum millia comprehendit*. Porrò ſi Joſephus in putatione annorum ſequutus fuiſſet LXX. Interpretum Chronologiam, numeraſſet à creatione Mundi uſque ad Moyſis obitum non tantùm tria propè annorum millia, ſed quatuor annorum millia, nàm juxtà calculum LXX. Interpretum, ſicut fatetur doctiſſimus *Pezronus*, à creatione Mundi uſque ad Moyſis obitum numerantur anni ter mille nongenti octogincta tres anni. His, & aliis momentis, quæ adducunt viri eruditi, liquet Joſephum annos Mundi juxtà ſacri Textus Hebræi Chronologiam ſubduxiſſe. Fateor tamen Joſephi Chronologiam, in annis Patriarcharum antè, & poſt diluvium, fuiſſe deindè à Græcis datâ operâ interpolatam ut tanti viri patrocinio in fabuloſa ſua antiquitate gloriari poſſent. Hujus corruptionis factæ à Græcis multa deprehenduntur veſtigia. Duo hîc dumtaxàt, brevitatis ergò, indicabo, ut prudens Lector, tanquàm ex ungue leonem, prædictæ labis originem compertam habere poſſit. In primis cap. 4. lib. 1. antiq. ſcriptum legimus à creatione mundi ad diluvium uſque effluxiſſe annos bis mille ſexcentos quinquaginta ſex, & tamen ſi anni Patriarcharum in eodem capite, & textu hodierno Joſephi ad calculum revocentur, ſummam dumtaxàt, à creatione mundi uſque ad diluvium, conficient bis mille ducentorum quinquaginta ſex annorum. Quis autem non videt Joſephum reverà ſcripſiſſe à creatione mundi uſque ad diluvium mille ſexcentos quinquaginta ſex interfluxiſſe annos, & poſteà à Græcis hunc Joſephi calculum in annis Patriarcharum antè diluvium interpolatrice manu fuiſſe depravatum, ità ut tamen apertum reliquerint ſuæ corruptionis veſtigium. Non enim qui ad fraudem callidi ſunt, tantùm audent, quantùm excogitant; ſæpèque acci-

Digitized by Google

accidit, ut hi, qui audaciâ cæteris eminent, imprudentiâ labantur. Deindè Joſephus à diluvio uſque ad ortum Abrahami ait: ſe numerare dumtaxàt annos ducentos nonaginta duos, & tamen ſi anni Patriarcharum poſt diluvianorum accuratè computentur, ſicut in hodierno Joſephi textu ſunt deſcripti, ſummam dabunt à diluvio uſque ad ortum Abrahami annor. nongentorum nonaginta duorum. Hinc clar. *Arnaldus Dandilly* in ſua gallica verſione operum Joſephi fatetur ingenuè Joſephi calculum in annis Patriarcharum antè, & poſt diluvium fuiſſe de induſtria à Græcis vitiatum. Immò *Morinus* cap.1. exercit.7. lib.1. *de Hebræi, Græcique Textus ſinceritate*, aſſerit à quodam Sciolo multos textui Joſephi additos eſſe centenarios: *Nàm*, inquit, *cùm videret, ille Sciolus, Joſephum in priori diſtributione antè diluvium vitas Patriarcharum* LXX. *Interpretibus æquales feciſſe, idem exiſtimavit in poſteriori diſtributione poſt diluvium eſſe faciendum*. Hæc habet *Morinus*, qui tamen falsò ſupponit Joſephum in priori diſtributione antè diluvium vitas Patriarcharum calculo LXX. Interpretum æquales feciſſe, cùm potiùs dicere debuiſſet textum Joſephi tàm in priori diſtributione antè diluvium, quàm in poſteriori poſt diluvium fuiſſe à Græcis in annorum numeris interpolatum, ſicut mox oſtendimus, idque etiam apertè declarant innumeræ contradictiones, quibus, in annorum numeris, ſcatet hodiernus Joſephi textus; neque enim credibile eſt Joſephum in ſcribendo diligentiſſimum, atque graviſſimum Auctorem tot contradictionibus in notandis temporibus ſeſe implicuiſſe, uti obſervat noſter *Melchior Canus* lib.11. *de locis* cap.5. ad argum.9. *Sed in numeris Joſephi libri menda habent innumera, quæ ego menda viro diligentiſſimo, atque graviſſimo aſſignare nec volo, nec debeo*.

Quod ſpectat *Philonem* Judæum, teſtantur *Sixtus* Senenſis lib.5. *Bibliothecæ Sanctæ*, & *Ricciolius* cap.2. lib.7. *Chronologiæ reformatæ*, eum Patriarcharum annos numeraſſe juxtà calculum Hebræorum. nec contrarium probari poteſt ex libro, qui *de temporibus* inſcribitur, & quem noſter *Joannes Annius* Viterbienſis *Philoni* Judæo perperàm aſſerit. Conſtat enim apud viros eruditos hunc librum ſpurium eſſe *Philonis* Judæi fœtum, tùm quia *Euſebius* lib.2. *Hiſtor. Eccleſ.* cap.18. & *S.Hieronymus in Cathalogo Scriptorum Eccleſ. Philonis* Judæi opera diligenti criterio cenſuerunt, & tamen nullum memorant opus, in quo *Philo* res geſtas Regni cujusquam, temporaque notarit; tùm quia etiam liber ille multa falſa, multa abſurda, nonnulla contrà Scripturam ſacram profert, totque mendis, & anilibus fabulis à capite ad calcem refertus eſt, ut nemo, qui eum tantiſper lectitare voluerit, confeſtim non fateatur hunc librum malè conſarcinatum, *Philoni* Judæo vindicari haud poſſe.

O Ar-

Digitized by Google

Arguitur ſextò: Multi Ethnici Hiſtorici, qui antè Chriſtum vixerunt, videlicèt *Demetrius Phalereus*, *Eupolemus*, *Philo ſenior*, & *Alexander Polyſthor*, in conſcribendis ſuis hiſtoriis, & numerandis annis, qui elapſi ſunt ab exordio mundi, LXX. Interpretum Chronologiam ſunt ſecuti, & ad eam ætatem, in qua floruerunt, quinque mille ſupra ducentos, & ampliùs annos numerarunt, ut videre eſt apud *Clementem Alexandrinum* lib. 1. *Stromatum*, & apud *Morinum* cap. 2. exercit. 7. lib. 1. *de Hebræi*, *Græcique Textus ſinceritate*, atqui ille annorum numerus, quem ſecuti ſunt prædicti Hiſtorici Græci, cohærere non poteſt cum Hebræorum Chronologia, benè tamen cum Chronologia LXX. Intetpretum; ergò potiùs ſtandum eſt LXX. Interpretum Chronologiæ, quàm Hebræorum calculo.

Reſpondeo: Hoc argumentum petitum ex teſtimoniis Hiſtoricorum Græcorum elumbe, immò nullius eſſe momenti. Primò, quia illi Hiſtorici, utpotè Græci, gentis Judaicæ Chronologiam hauſerunt ex verſione LXX. Interpretum, quæ tunc in illa regione vulgata erat. Secundò, quia in hac cauſa audiri minimè debent Hiſtorici illi prophani, qui in ſacris Codicibus Hebræis peregrini, & hoſpites fuerunt, ſicut optimè obſervat *Joſephus* lib. 1. contrà *Appionem* cap. 8. ubi ſermonem habens *de Demetrio Phalereo*, *Philone ſeniore*, & *Eupolemo*, hoc de illis fert judicium: *Plurimi namque prædictorum virorum veritate quidem antiquarum cauſarum fruſtrati ſunt........ non enim inerat eis, ut noſtras litteras poſſent omni ſcrupuloſitate ſequi*. Quid igitur mirum ſi errarint illi Hiſtorici Græci veram Codicum Hebræorum ignorantes Chronologiam, & ex ea, quæ apud ipſos promulgata erat, LXX. Interpretum verſionis Chonologiâ, gentis Judaicæ hiſtoriam deſcribentes. Rejectis ergò horum Græcorum teſtimoniis, uni textui Hebręo, cui conſona eſt noſtra editio vulgata, mordicùs adhęrere debemus, quia, ut ait *Tertullianus* in libro *de Præſcriptionibus Hæreticorum* cap. 12. *Nemo indè inſtrui poteſt, undè deſtruitur, nemo illuminatur à quo contenebratur; quæramus ergò in noſtro, & à noſtris, & de noſtro; idque dumtaxàt, quod ſalva regula fidei poteſt in quæſtionem devenire*.

Arguitur ſeptimò: Juxtà ſacri Textus Hebræi Chronologiam *Geneſeos* cap. 11. à diluvio uſque ad ortum *Phaleg* filii Heberis, quo tempore facta eſt diviſio terræ, & diſperſio hominum, centum tantummodò numerantur anni, atqui credibile non eſt, *Sem*, *Cham*, & *Japhet*, tres Noemi filios, potuiſſe intrà centum annos tot gignere filios ex quibus regna, populi, & numeroſæ coloniæ ad univerſam terram incolendam formarentur; ergò ſacri Textus Hebræi Chronologia paulò contractior eſſe videtur, ac ſubindè minùs accurata in conſignatione temporum.

Præ-

Prætereà, à diluvio uſque ad nativitatem Abrahæ, ducenti nonaginta duo anni, juxtà calculum hebræorum, dumtaxat effluxerunt, veroſimile autem non eſt in tàm exiguo temporis intervallo tot Reges, qui Abrahamo fuerunt Coętanæi, ex quatuor hominibus Noemo videlicet, & tribus ejus filiis à diluvio ſuperſtitibus prodire potuiſſe. Enim verò, ut nihil dicam de Aſſyriorum, Ægyptiorumque Regibus, qui etiam ante ortum Abrahami ampliſſima jam regna occupabant, & multa ſæviſſima bella movebant; Scriptura Sacra *Geneſis* cap. 14. mentionem facit novem Regum, qui Abrahamo coævi & ſuppares fuerunt, quorum uni, ſcilicet *Chodorlabomor*, quinque Reges annis duodecim ſervierunt, annoque decimo quarto redintegratum eſt bellum, quo *Loth* captus eſt, & ab Abrahamo ſervatus. Cum igitur, juvene adhùc Abrahamo, tot extiterint Reges, multaque exarſerint bella, intellectu difficillimum eſt, quomodò tot Reges, totque nationes longè à ſe invicem ſeparatæ, ex quatuor hominibus intra ſpatium ducentorum nonaginta duorum annorum pullulare, & exurgere potuerint. Chronologia igitur hebræorum æquò brevior eſt, ac proindè ipſi anteponenda eſt LXX. Interpr. Chronologia, quæ à diluvio uſque ad nativitatem Abrahami numerat annos mille, centum & ſeptuaginta tres. Facillimè quippè juxtà hunc LXX. Interpr. calculum intelligitur tempore Abrahami fuiſſe ampliſſima regna, potentiſſimos extitiſſe Reges, conſertiſque inter ſe præliis acriter dimicuiſſe.

Reſpondeo ad primam objectionis partem: Scripturam Sacram non aſſignare confuſionem linguarum, ſicut & diviſionem terræ, ac diſperſionem hominum nativitati *Phaleg*, ſed tantùm innuere Patriarcham *Heber* filio ſuo indidiſſe nomen *Phaleg*, eo quod in diebus ejus diviſa fuerit terra. Cæterùm an in nativitate Phaleg, an verò in ejus morte, an denique in medio ipſius vitæ intervallo factum id fuerit? Scriptura non indicat. Probabiliùs autem ipſe exiſtimo confuſionem linguarum, ac terræ diviſionem accidiſſe anno nonageſimo ſecundo ætatis Phaleg, hoc eſt, anno mundi 1848. ſic enim fiet ut à diluvio ad diviſionem uſque terræ anni ſint 192. non eſt autem incredibile intrà ſpatium 192. annorum, tres Noemi filios, divinâ maximè favente, ac fæcundante benedictione, pares fuiſſe procreandis hominibus, qui ad Turrim Babylonicam ſtruendam, & diverſa regna, quæ initio admodùm anguſtia, & tenuja fuerunt, condenda, ſufficere potuerunt; idque eò facilius credi poteſt, quod poſt diluvium fuerit à Deo permiſſa Polygamia ad Sobolis humanæ incrementum, ad Orbis vaſtitatem inſtaurandam. Undè homines id ætatis, cum propter vivax, & vegetum corporis robur ad multos annos ſuperſtites eſſent, multis procreandis liberis operam dederunt,

O 2

runt, & quot annis ſingulos filios ſuſceperunt, aliquandò geminos, non nunquam ter geminos habuerunt. Addo etiam, non deeſſe Auctores graves, qui per regulas Arithmeticæ evidentèr probant tempore, quo facta eſt Orbis diviſio, extare potuiſſe numerum trecentorum octoginta octo millium, ſexcentorum & quinquaginta marium, totidemque fæminarum, quæ demonſtratio legi poteſt apud Petavium, & alios Chronologos. Qui hanc rem ex profeſſo tractarunt.

Ad alteram objectionis partem; Reſpondeo: à diluvio, uſque ad ortum Abrahami fluxiſſe annos 352. non verò annos tantùm 292. ut conſtabit ex his quæ dicturus ſum in Canone Chronologico, ubi oſtendam Abrahamum juxtà calculum hebræorum natum eſſe non anno ſeptuageſimo ætatis *Thare*, ut non nulli putant Chronologi, ſed anno centeſimo trigeſimo vitæ *Thare* prodiiſſe in lucem, ex quo, factâ annorum ſupputatione, colligitur, à diluvio uſque ad ortum Abrahami numerari debere annos 352. Et rursùs à diluvio uſque ad vocationem Abrahami interceſſiſſe annos 426. non eſt autem creditu difficile intra ſpatium 352. vel 426. annorum, à tribus filiis Noemi, eorumque poſteris ſic homines fuiſſe propagatos, ut Abrahami tempore multi extiterint Reges, jamque conditæ fuerint Aſſyriorum, Ægyptiorumque Monarchiæ, quæ tamen in ortu ſuo parvæ fuerunt, tenues, & anguſtæ. Quò fit ut fabulis accenſeri debeat, id quod *Diodorus* de Aſſyriorum imperii amplitudine, ac potentia ſub *Nino* refert lib. 2. ubi ait: Ninum, ampliſſimâ ſui nominis conditâ Urbe, Armeniam, Mediam, Syriam, Aſiam, Ægyptum, Phœniciam, & Aſianos tractus omnes, præter Indiam, occupaſſe; poſtremò Bactrianos infinitis copiis fuiſſe aggreſſum, ita ut in ejus exercitu peditum eſſent deciès ſeptiès centena millia, equitum ducenta & decem millia, falcatorum curruum centum millia cum ſexcentis. In qua narratione Diodorus, ut Aſſyriorum Imperii, cujus hiſtoriam deſcribebat, originem auguſtiorem redderet, de Nini potentia, ejuſque Regni amplitudine multa finxit, &, ut vulgò ajunt, ex Muſca Elephantem fecit.

Arguitur ultimò: Ægyptiorum Dynaſtiæ, Aſsyriorum, ſeù Chaldæorum, atque Sinenſium antiquitates, nullo pacto conciliari poſsunt cum textus hebræi Chronologia, benè tamen cum calculo LXX. Interpretum, ergo potiùs ſtandum eſt LXX. Interpr. Chronologiæ, quam calculo hebræorum. Prob. ant. Aſsyriorum, ſeù Chaldæorum Regnum cæpit ter mille annis, & ampliùs ante Chriſtum. Regnum verò Ægyptiorum conditum eſt annis pluſquam 2960. ante Chriſtum. Regnum denique Sinenſium præceſſit natale Chriſti annis pluſquam 2950. atqui certum eſt à diluvio uſque ad natale Chriſti nume-

numerari non poſse , juxtà calculum hebræorum , niſi annos circitèr bis mille , & quadrigentos annos , cùm tamen , juxtà LXX. Interpr. Chronologiam , à diluvio uſque ad ortum Chriſti ter mille , & ampliùs effluxerint anni . Ergo Ægyptiorum , Aſsyriorum , ſeù Chaldæorum , & Sinenſium antiquitates cum arctiori textus hebraici calculo cohærere haud poſsunt , benè tamen cum LXX. Interpr. Chronologia .

Reſpondeo primò : nullam fidem habendam eſse Ægyptiorum, & Chaldæorum hiſtoriis , teſte *S. Auguſtino* lib. 12. de Civitat. Dei cap. 10. ubi dicit non eſse credendum litteris quas Chaldæi , & Ægyptii plenas fabuloſis antiquitatibus proferunt contra authoritatem vetuſtiſſimorum , divinorumque librorum . Idem aſserit *Lactantius* lib. 7. Divinarum Inſtitutionum cap. 14. Idque triplici momento confirmari poteſt . Primò , quia *Calliſthenes* , qui ſe Alexandro Magno in expeditione Babylonica comitem adjunxit, retulit Ariſtoteli , teſte Simplicio lib. 2. de Cælo , Chaldæos aſtronomicas habere obſervationes annorum 1903. uſque ad tempus quo Alexander M. Dario devicto Babylone potitus eſt. Qui annorum computus, ſicut fatentur omnes Chronologi , optimè conſentit cum hebræorum Chronologia , fabuloſaſque oſtendit antiquitates quas jactant Chaldæi . Secundò , peritiſſimi Aſtronomi illas immenſi temporis aſtronomicas obſervationes , quas venditant Chaldæi , tanquam omninò fabuloſas explodunt , quia de illis nullam prorsùs mentionem fecerunt veteres aſtronomi *Ptolomæus*, ſcilicet, *Hyparchus* , *Ariſtarchus* , & alii , quas tamen non omiſiſsent , ſi reverà factæ fuiſsent, cùm omnibus exploratum ſit obſervationes aſtronomicas , quò antiquiores ſunt , eò eſse utiliores & aptiores motibus cæleſtium corporum rimandis , ac detegendis illis qui ſunt tardiores , & qui non niſi magno ſpatio deprehendi , & dignoſci poſsunt . Denique hiſtorici , qui de Aſsyriorum Imperii exordio , ac duratione ſcripſerunt , adeò inter ſe diſſident , ut nihil certi , meâ quidem ſententiâ , ſuper hac re ſtatui , aut definiri poſſit . *Cteſias* namque Aſsyriorum Imperium à prima ſui origine , uſque ad Sardanapalum , hoc eſt , uſque ad defectionem Medorum , perduraſse ait annis 1306. *Diodorus* 1360. *Georgius Syncellus* 1460. *Æmilius Sura* , & *Juſtinus Trogi* breviator 1300. *Caſtor Rhodius* 1280. *Euſebius* 1240. denique *Herodotus* , quem peritiſſimi hujus temporis critici veriùs , & accuratiùs hiſtoriam Aſsyriorum deſcripſiſse affirmant , Aſsyriorum Imperio , à prima ſui fundatione , uſque ad defectionem Medorum , tribuit dumtaxat annos 520. hæc autem hiſtoricorum , circa Aſsyriorum Chronologiam , tam patens diſsonantia manifeſtò evincit : Aſsyriorum , ſeù Chaldæorum hiſtorias Cimme-

riis

riis pluſquàm tenebris eſse involutas, eorumque Imperii originem incertam planè & incompertam eſse.

Reſpondeo ſecundò: Chaldæorum, & Ægyptiorum hiſtorias non ſolùm hebræorum calculo, ſed etiam LXX. Interpr. Chronologiæ adverſari. Nam Chaldæi, ut Auctores ſunt *Diodorus* lib. 2. Bibliothecæ, & *Cicero* lib. 1. de Divinatione, tempore expeditionis Alexandri Magni in Aſiam, numerabant quadringenta, & ſeptuaginta tria annorum millia, ex quo apud ipſos ſydera obſervari cæptum eſt. Ægyptii verò, teſte eodem Diodoro, viginti tria annorum millia, immò nonnulli apud ipſos centum annorum millia numerabant, quandò Alexander M. Aſiam ingreſsus eſt. Quod quidem commentum his verbis refellit *Sanctus Auguſtinus* lib. 18. de Civitat. Dei cap. 40. *Fruſtrà vaniſſima præſumptione garriunt quidam dicentes, ex quo rationem ſyderum comprehendit Ægyptus, ampliùs quam centum annorum millia numerari. In quibus enim libris iſtum numerum collegerunt, qui non multùm ante annorum duo millia litteras Magiſtra Iſide didicerunt.* Cùm igitur fictitiæ Regnorum illorum antiquitates tàm hebræorum calculo, quàm LXX. Interpr. Chronologiæ adverſentur, inter Aniles fabulas jure meritò computari debent, quippè quæ à regula veritatis omninò diſcrepant, & eò tantùm modò tendunt, ut ei inſulſæ fabulæ de hominibus ante Adamum exiſtentibus aliqua addatur authoritas, eò ſi quidem argumento, petito ex incompertiſſimis & fabuloſis Nationum Orientalium originibus, potiſſimùm uſus eſt Auctor ſyſtematis præadamitarum.

Reſpondeo ultimò: tam ex ſacra, quàm ex profana hiſtoria evinci poſse Ægyptiorum, & Chaldæorum Regna poſt diluvium condita fuiſse. Nam primò Ægyptus vocatur *Cham* non tantùm in ſacris litteris, verum etiam in gentilium libris, hoc enim nomine inſignitùr à Plutarcho. Ideò autem Ægyptus vocatur *Cham*, quià data fuit Chamo Noemi filio, qui ibi habitavit, & cujus poſteri Africam implevere. Undè *Chamus* Noemi filius fuit primus Ægypti Rex, quem *Menem* appellant *Herodotus*, *Diodorus Siculus*, *Eratoſthenes*, & ex Manethone *Julius Africanus*, *Euſebius*, & *Georgius Syncellus*. Ægyptus etiam appellatur *Miſraim*, propter *Miſraim* filium Chami, ſicut teſtantur *Georgius Syncellus* in ſua Chronopraphia, & *Joſephus* lib. 1. Antiq. c. 12. duo itaque illa nomina, *Cham*, & *Miſraim* Ægypto impoſita, apertè demonſtrant Ægyptiorum originem non altiùs, quàm à filiis Noemi poſt diluvium eſse arceſsendam. Nulla ergo fides adhibenda eſt Manethoni, qui, origines Ægyptiacas deſcribens, triginta Dynaſtias Deorum, Semideorum, mortaliumque Regum pro arbitrio finxit. Hinc Euſebius ſuum Canonem Chronicum à nativitate Abrahæ prætexens, quindecim Ægyptiorum Dynaſtias

Digitized by Google

naſtias à Manethone, & à Julio Africano recenſitas expunxit, quod quidem argumento eſt, Euſebium ſentiiſse hujuſmodi Regum Ægyptiorum Dynaſtias maximam partem fabuloſas eſse. Quin etiam Julius Africanus, & Georgius Syncellus in Regum Ægyptiorum Dynaſtiis deſcribendis longè latèque à Manethone diſcrepant. Addo etiam multos eſse hujus temporis doctiſſimos Chronologos, qui aſſerunt Dynaſtias Ægyptiorum Regum non fuiſse ſucceſſivas, ſed collaterales, hoc eſt, non complecti ſeriem propriè Regum qui ſibi continuò in Ægypti Regno ſucceſserint, ſed exhibere dumtaxàt diverſos regulos qui in diverſis Ægypti nomis, ſeù præfecturis ſimul, & eodem tempore regnarunt. Conſulere poteſt Lector Chronicum Canonem Ægyptiorum editum à Cl. *Marshamo*, in quo Ægyptiorum Dynaſtiæ, cum hebræorum calculo conciliantur, & tabulas Chronologicas Regni Ægyptiorum, quas doctiſſimus *Elias du Pin* Doctor Sobornicus inſeruit in ſua Bibliotheca univerſali hiſtoricorum.

Secundò, Chaldæos, ſeù Aſsyrios diluvio poſteriores eſse, ex eo maximè liquet, quod Chaldæi, referente Diodoro, ex Ægyptiis ſuam ducunt originem, in quo cum Moſe Diodorus conſentit, nam *Moſes* cap.10.*Geneſeos*, Chaldæorum originem repetit à *Chus* filio Chami. Quapropter Aſsyriorum hiſtoriæ, etiam in ſententia eorum, qui Cteſianam ſectantur Chronologiam, conciliari poſsunt cum hebræorum calculo, ſi ſemel è ſerie Regum expungantur ſeptem Reges Chaldæi, & ſex Reges Arabes, quos *Georgius Syncellus*, *Julius Africanus*, & *Euſebius* Beroſi fabuloſi Auctoris teſtimonio nixi aſserunt regnaſse annis 444. ante belum, ſeù Nembrodum. Non deſunt attamen periti hujus temporis Chronologi, qui, repudiatâ Cteſianâ Aſsyriorum Chronologiâ, docent, juxtà Herodoti de Aſſyriorum Imperii duratione calculum, poſse cum hebræorum Chronologia optimè cohærere tempora quæ Georgius Syncellus, & alii mox laudati Auctores adſcribunt ſeptem Regibus Chaldæis, & ſex Arabibus. Herodotus ſiquidem, quem Cicero appellat *Hiſtoriarum Patrem*, ſcribit lib. 1. cap.95. Aſsyriorum Imperium perſtitiſse dumtaxàt annis 520. uſque ad defectionem Medorum, qui contra Aſſyrios rebbellantes, *Dejocem* ſibi Regem præfecerunt, novumque Imperium condiderunt. Medorum autem Imperium, juxtà eumdem Herodotum, centum & quinquaginta duravit annis, uſque ad Aſtyagem ultimum Medorum Regem, quem vicit, ejuſque Regnum occupavit Cyrus Perſa anno periodi Julianæ 4155. ante Chriſtum 559. Imperium itaque Aſsyriorum, juxtà Herodoti chronologiam cœpit anno periodi Julianæ 3485. ante Chriſtum 1229. ac ſubindè longè poſt diluvium. Falluntur ergo illi chronologi, qui aſſerunt

ferunt Aſsyriorum Imperii exordium natale Chriſti antevertiſse annis 3000. Herodotum in chronologia Aſsyriorum præferendum eſse Cteſiæ, multis momentis evincunt Dom. *Bernardus Monfaucon* in ſua hiſtoria Judith. P. *le Quien* in reſponſione ad defenſionem antiquitatis temporum, & *Elias du Pin* in Bibliotheca univerſali hiſtoricorum, in *Herodoto*, & in *Cteſia*.

Denique, quod ſpectat Sinenſium antiquitates, non eſt quod in his refellendis diutiùs immorer, maximè cùm ipſimet Sinenſes, teſte P. *Martinio* S. J. lib. 1. hiſtoriæ Sinicæ, pro dubiis, & ſuſpectis habeant omnia quæ de Imperii ſui exordio ante Imperatorem dictum *Fobi* narrantur, ut potè quæ quamplurima falſa, & ridicula complectuntur, nullæque antè prædictum Imperatorem eſsent apud Sinas, litteræ, nullæ leges, nullæ artes, nulla religio. Quin etiam aſserit idem Auctor, è Sinenſium Annalibus delendos eſse ſex primos Imperatores, & ab Imperatore dicto *Yao* ducendum eſse initium, quia omnia, quæ antè illum Imperatorem in Annalibus geſta produntur, fabularum loco haberi debent, & à ſapientibus, apud Sinas, tanquam mera vulgi deliria exſibilantur. Idem teſtatur P. *Philippus Cuppletus* S. J. qui cum tribus aliis ejuſdem Soc. Patribus Sinarum Imperium perluſtravit, in declaratione proemiali ad opera Confucii, quæ latino idiomate donavit. Ut ut ſit, etiam ſi Sinenſium, aliarumque Nationum Orientalium hiſtoriæ cum ſacri Textus Hebræi chronologia nullo pacto conciliari poſsent, ſemper tamen & indivulsè ſtandum eſset hebrçorum chronologiæ, quam in noſtra editione vulgata etiamnùm retinet, & ſequitur Eccleſia Catholica: nam, ut ait *Sanctus Auguſtinus* lib. 18. de Civitat. Dei cap. 40. *Quomodò non iſti ridendi potiùs, quàm refellendi ſunt, qui de ſpatio temporum tam diverſa, & huic tam exploratæ veritati contraria perſuadere conantur, cui etenim meliùs narranti præterita credamus, quàm qui futura prædixit, quæ præſentia jam videmus, nam & ipſa hiſtoricorum inter ſe diſſonantia copiam nobis præbet, ut ei potiùs credere debeamus, qui divinæ quam tenemus non repugnat veritati.*

DIS-

DISSERTATIO SEXTA

De anno natalis proprii Chriſti, ſeù quoto Imperii Auguſti anno natus ſit Chriſtus Dominus?

AD hanc celeberrimam dignè, uti par eſt, pertractandam difficultatem, de qua ab ipſo naſcentis Eccleſiæ exordio diverſæ fuerunt Sanctorum Patrum ſententiæ, & magno animorum æſtu, etiamnùm digladiantur inter ſe periti hujus temporis chronologi; neceſſarium foret notitiam præmittere principiorum quibus potiſſimùm nititur doctrina temporum. Verùm, ne nimiâ prolixitate Lectoribus faſtidium ingereret hæc diſſertatio, conſultiùs facturum me eſſe duxi, ſi hanc principiorum chronologiæ notitiam traderem in apparatu chronologico, quem ad calcem hujuſce tractatus ſubnectam, & in quo diſſeram de cyclis, periodis, æris, & epochis, quæ ſunt ſicut fixi cardines, & indices quibus rerum geſtarum indigitantur tempora. Hanc autem difficultatem de anno cui illigari debet proprium natale Chriſti, eò lubentiùs hìc excutiendam aggredior, quod illius elucidatio ad vitam Chriſti Domini illuſtrandam plurimùm juvare poteſt. Enim verò Sacri Evangeliſtæ, dùm vitæ Chriſti hiſtoriam deſcribunt, annum ipſius natalitium tribus præcipuè characteribus conſignant. Primò, notatione Regni *Herodis*, *Matth.* cap. 2. deindè notatione Imperii *Auguſti*, & deſcriptionis primæ inſtitutæ à *Cyrino*, ſeù *Quirinio* Præſide Syriæ, *Lucæ* cap. 2. denique notatione anni decimi quinti Imperii *Tiberii*, & ætatis quam habebat Chriſtus dum acceſſit ad baptiſmum *Lucæ* cap. 3. quæ omnia rectè explicari, & intelligi haud poſſunt, niſi Faſtorum Conſulum Romanorum, & hiſtoriæ Imperatorum habeatur notitia, quia, ut obſervat *S. Auguſtinus* lib. 2. de Doctrina Chriſtiana cap. 28. *per olympiades, & Conſulum nomina, multa ſæpè quæruntur à nobis, & ignorantia conſulatus, quo natus eſt Dominus, & quo paſſus eſt, non nullos coegit errare*. Hinc viri doctiſſimi *Onuphrius*, *Baronius*, *Petavius*, *Noriſius*, *Pagius*, *Gruterus*, *Vaillantius*, *Spanhemius*, aliique benè multi diù multùmque inſudarunt, ut ex nummis, inſcriptionibus, cæteriſque id genus venerandæ vetuſtatis monumentis è terræ ruderibus effoſſis præcipuas explanarent epochas, faſtoſque Romanorum Conſulum digererent, & in optimo lumine collocarent. Hæc igitur difficultas, quam in præſentia verſamus, cùm ad vitam Chriſti illuſtrandam plurimùm lucis ex hiſto-

ria profana afferre poſſit, debet à nobis accuratè pertractari, & majori, quâ fieri poterit, perſpicuitate explicari. Quamobrem præmittam quaſdam obſervationes, ut omnia, quæ deinceps dicturus ſum, nullo negotio Lector aſſequi poſſit.

Obſervandum itaque primò, duplicem præſertim à chronologis diſtingui epocham Imperii *Auguſti*, ſub quo natus eſt Chriſtus Dominus. Prima epocha Imperii *Octaviani Auguſti* ſumit exordium ab anno ſecundo Juliano, ſeù ab anno Urbis Romæ conditæ ſeptingenteſimo decimo, ante æram vulgarem quadrageſimo quarto. Hoc ſiquidem anno, die xv. Martii, *C. Julius Cæſar* in curuli ſedens à Senatu occiſus eſt, eoque occiſo *Octavianus Auguſtus*, Julii Cæſaris nepos, Imperium iniit, ſicut diſertè oſtendit *Cl. Pagius* in apparatu chronologico ad Annales Baronii ex locupletiſſimis teſtimoniis *Joſephi* lib. 18. antiq. cap. 3. *Euſebii* lib. 1. Hiſt. Eccleſ. cap. 9. & celeberrimorum Scriptorum qui annos Imperii Auguſti numerant, ab anno ſecundo Juliano, ſeù ab anno Romæ conditæ ſeptingenteſimo decimo. Altera Imperii *Auguſti* epocha auſpicatur anno Urbis Romæ conditæ ſeptingenteſimo vigeſimo tertio, ſeù anno Juliano decimo quinto, ante æram vulgarem trigeſimo primo, quo anno Imperator *Auguſtus* die 2. Septembris de *Antonio*, & *Cleopatra* victoriam in pugna actiaca reportavit, quemadmodum, refert *Dio* lib. 51.

Obſervandum ſecundò, duplicem itidem a chronologis diſtingui epocham Regni *Herodis*, quo in Judæa regnante, natus eſt Chriſtus Dominus. Prima regni Herodis epocha ducit initium ab anno quinto Imperii *Auguſti*, ſeù ab anno ſexto Juliano, ab anno Urbis Romæ conditæ ſeptingeſimo decimo quarto, & periodi Julianæ quater milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo quarto, Conſulibus *Cn. Domitio Calvino*, & *C. Aſinio Pollione*, in Autumno, ſeù menſe Octobri, ſicut multis momentis evincit Cardinalis *Noriſius* in Cenotaphiis Piſanis diſſertatione ſecunda, maximè ex ludis Appollinaribus quos Aggrippa Prætor, teſte Dione, exhibuit menſe Julio dimidiâ ſui parte jam exacto, ideſt, quarto idus Julias anni Urbis Romæ conditæ ſeptingenteſimi decimi quarti, quo tempore *Sextus Pompejus* Thurios, ac coſentiam obſidebat, *Antonius* verò Brunduſium militari coronâ vallatum premebat. Conſtat enim menſe Septembri ejuſdem anni *L. Coccejum* Imperatori Auguſto, & Antonio ex æquo gratum, ultrò citròque ad eos commeantem certis quibuſdam conditionibus pacem diù in Italia exoptatam inter utrumque felicitèr conciliaſſe, Senatum verò ob initam concordiam decreviſſe, ut ambo ovantes Romam ingrederentur, quod quidem totâ plaudente, & gratulante Italiâ factum

Digitized by Google

ctum eſt.Sub idem tempus Herodes,inſtructâ apud Rhodum trireme, Brunduſium appulit, indè Romam profectus narravit Antonio ea omnia quæ ſibi in Judæa contigerant, quomodò videlicèt *Antigonus* palæſtinam invaſiſſet, & à Pacoro Parthorum Rege fuiſſet Judæis Rex impoſitus, *Hircanus* verò è ſolio deturbatus eſſet & in vincula conjectus; quomodò etiam ipſe malâ alite, variiſque jactatus procellis Romam veniſſet, ut ejus pro afflicta, atque tum ab hoſte obſeſſa familia patrocinium imploraret, melioraque fata poſt tot adverſos fortunæ caſus ſperare poſſet. *Antonius* miſeratione mutatæ fortunæ Herodis permotus, vicemque amici dolens, re cum collega triumviro, ideſt, *Auguſto*, communicatâ, communi conſilio decreverunt ambo Herodem Judæorum Regem deſignare; itaque convocatis Patribus Regnum Paleſtinæ, ſeu Judeæ Herodi delatum eſt. Hæc refert *Joſephus* lib. 14. Antiq. cap.26. ex quo liquidò patet Herodem fuiſſe Regem Judææ declaratum anno quinto Imperii Auguſti, ſeù anno Urbis Romæ conditæ 714. ac proindè ab illo anno putandos eſſe Regni Herodis annos, ſicut illos hoc modo computarunt *Joſephus*, qui hiſtoriæ judaicæ peritiſſimus, & ipſius Herodi tempori valdè proximus fuit, *Philo* etiam Judæus, qui Herodi temporibus fuit Joſepho proximior, & *Nicolaus Damaſcenus* ſcriptor egregius, qui Herodi contemporaneus, & familiariſſimus fuit, eidemque ſuperſtes. Fallitur ergo Cardinalis Baronius, dùm aſſerit annos Regni Herodis putari debere à pugna actiaca, ſeù ab anno Urbis Romæ conditæ ſeptingenteſimo vigeſimo tertio, quando videlicèt Imperator Auguſtus navali prælio Antonium, & Cleopatram debellavit.

Altera regni Herodis epocha cœpit à morte Antigoni, ſeu ab expugnatione Hieroſolymorum, quæ facta eſt ab Herode, & Soſio Kalendis Januarii, ſicut videtur *Uſſerio*, vel ut putat *Bucherius* ſub finem menſis Junii anni Urbis Romæ conditæ ſeptingenteſimi decimi ſeptimi, & periodi Julianæ quater milleſimi ſexcenteſimi ſeptuageſimi ſeptimi, *M. Agrippa*, & *Caninio Gallo* Conſulibus. Hoc eſt, tribus annis poſtquam Herodes fuit à Senatu Romano Rex Judææ ſalutatus. In hac epocha regni Herodis diſſentit ab aliis Chronologiis Cardinalis *Noriſius* in Cenotaphiis Piſanis, putatque cum *Dione* Hieroſolymorum expugnationem factam ab *Herode*, & *Soſio*, incidiſſe in annum Urbis Romæ conditæ ſeptingenteſimum decimum ſextum,ac ſubindè ab illo anno cœpiſſe alteram regni Herodis epocham. At non debuiſſet doctiſſimus ille Cardinalis propter Dionis teſtimonium recedere à communi Chronologorum ſententia, fides namque potiùs adhibenda eſt Joſepho,qui Hieroſolymorum expugnationem refert ad annum Urbis Romæ conditæ 717. quàm *Dioni*, qui lib.49. eam incidiſſe ſcri-

Digitized by Google

bit in annum Urbis Romæ conditæ 716. *Joſephus* quippè res Judaicas apprimè callebat, easque diligentiùs executus eſt exicribens vitam Herodis ex voluminibus *Nicolai Damaſceni*, à quo illa fuit exarata. *Damaſcenus* autem, ut mox diximus, fuit Amicus fideliſſimus, & intimus Herodis Conſiliarius, cujus nomine legatione functus eſt ad Cæſarem.

Obſervandum denique, duplex à Chronologis diſtingui natale Chriſti. Aliud eſt natale Chriſti, quod appellatur *Dionyſianum*, vel *vulgare* ſeu commune. Et aliud eſt natale Chriſti, quod dicitur *verum* & proprium. Natale Chriſti Dionyſianum, ſeu vulgare ac commune conſignari debet anno quadrageſimo quarto Imperii Auguſti. Sic autem appellatur, quia licet vulgò putetur Chriſtum natum eſſe anno quadrageſimo quarto Imperii Auguſti; periti tamen Chronologi invictis argumentis demonſtrant in hunc annum incidere non potuiſſe *verum* & *proprium* natale Chriſti, ſicut falsò ſibi perſuaſit *Dionyſius Exiguus* æræ vulgaris, ſeu Chriſtianæ Auctor. Nam hoc anno quadrageſimo quarto Imperii Auguſti jam è vivis exceſſerat Herodes, ut ex his, quæ mox dicturus ſum, manifeſtò patebit. Conſtat autem Chriſtum natum eſſe in diebus Herodis Regis *Matth.* cap. 2. Deindè hoc anno quadrageſimo quarto Imperii Auguſti immenſum in Germania bellum erupit, & *Cajus Cæſar* adversùs Parthos pugnavit, ſicut ex *Vellejo Paterculo* probant Cardinalis *Noriſius* in Cenotaphiis Piſanis, & *P. Pagius* in fine Apparatus Chronologici ad Annales *Baronii* porrò anno, quo Chriſtus Servator noſter in lucem prodiit, totum Orbem in pace compoſitum fuiſſe in ſequenti Diſſertatione commonſtrabo. Erravit ergo *Dionyſius Exiguus*, dum natale Chriſti conſignavit anno quadrageſimo quarto Imperii Auguſti, & in hoc conſentiunt omnes Chronologi, quamvis in aſſignando anno *veri* & *proprii* natalis Chriſti varient linguis & ſenteutiis. Alii enim cum *Antonio Capello, Keplero, Bollando, Pagio, Harduino,* & *Schelſtrato* aſſerunt proprium natalem Chriſti illigari debere anno 39. Imperii Auguſti, ſeu anno Juliano 40. anno 3. olymp. 193. Urbis Romæ conditæ 748. Periodi Julianæ 4708. ante æram vulgarem, ſeu Chriſtianam quinquennio ſolido, Conſulibus *Lælio Balbo*, & *Antiſtio vetere*. Alii cum *Dionyſio Petavio, Bucherio, Uſſerio, Seneſcallo, Natali Alexandro, Noriſio &c.* Sentiunt proprium natale Chriſti conſignandum eſſe anno 40. Imperii Auguſti, ſeu anno Juliano 41. anno 4. olymp. 193. Urbis Romæ conditæ 749. Periodi Julianæ 4709. ânte æram vulgarem quadriennio ſolido, Conſulibus *Auguſto Cæſare XII.* & *L. Cornelio Sylla*. Alii cum *P. Bernardo Lamy* in apparatu Chronologico part. 1. cap. 11. autumant proprium natale Chriſti præfigendum eſſe anno 41. Imperii Auguſti, ſeu anno Juliano 42. anno 1. olymp. 194. Urbis Romæ conditæ

Digitized by Google

ditæ 750. Periodi Julianæ 4710. ante æram vulgarem triennio ſolido, Conſulibus *C. Salviſio Sabino II.* & *L. Paſſieno Rufo*. Alii denique cum Eminentiſſimo Annalium parente *Baronio*, *Joſepho Scaligero*, *Setho Calviſio, Guillelmo Langio*, & *Joanne Gerardo Voſſio* cenſent proprium natale Chriſti incidiſse in annum Imperii Auguſti quadrageſimum ſecundum, ſeu in annum Julianum 43. in annum ſecundum olymp. 194. Urbis Romæ conditæ 751. Periodi Julianæ 4711. ante æram vulgarem biennio ſolido, Conſulibus *Cn. Cornelio Lentulo*, & *M. Valerio Meſſalino*. Quænam ex tot diverſis circa natale proprium Chriſti ſententiis probabilior ac verior ſit, etſi definire non ſit ita facilè, eam tamen opinionem, quæ mihi præ cæteris magis probatur, hîc proponam, multiſque adſtruam argumentis.

DICO ITAQUE: *Verum & proprium natale Chriſti conſignari debere anno quadrageſimo Imperii Auguſti, anno quadrageſimo primo Juliano, anno quarto Olympiadis centeſimæ nonageſimæ tertiæ, à pugna Actiaca anno vigeſimo ſeptimo, regni Herodis trigeſimo ſexto, à morte Antigoni trigeſimo tertio, Urbis Romæ conditæ ſeptiugenteſimo quadrageſimo nono, Periodi Julianæ quater milleſimo ſeptiugeſimo nono, quadriennio integro ante æram vulgarem, Conſulibus Auguſto Cæſare XII. & L. Cornelio Sylla.*

Probatur hæc aſsertio: Chriſtus natus eſt in diebus Herodis Regis, ideſt, regnante adhuc Herode in Judæa, atqui Herodes è vivis exceſſit anno quadrageſimo primo Imperii Auguſti, ergo proprium & verum natale Chriſti conſignari debet anno quadrageſimo Imperii Auguſti, &c. Maj. Certa eſt, & à nullo in dubium revocari poteſt, cùm Scriptura Sacra *Matthæi* cap. 2. conceptis verbis dicat: Chriſtum natum eſse in diebus Herodis Regis. Totius itaque difficultatis cardo vertitur in minori propoſitione, in qua ſupponimus: Herodem Regem mortuum eſse anno quadrageſimo primo Imperii Auguſti, ſeu anno à condita Roma ſeptingenteſimo quinquageſimo. Probatur igitur minor multis, iiſque efficaciſſimis momentis.

Primò: Auctoritate Joſephi, teſtis, ut fatetur *Euſebius*, probatiſſimæ fidei, & omni exceptione majoris, cuique inter omnes, qui hiſtoriam Herodianam conſcripsêre, palma citrà controverſiam debetur. *Joſephus* itaque lib. 17. antiq. capitibus 8. & 9. de morte Herodis Regis Sermonem texens, ait: eum quinto die poſt occiſum filium ſuum Antipatrum, extremum diem clauſiſſe, anno videlicet, ex quò à Romanis Regnum Judææ obtinuit trigeſimo ſeptimo, anno vero, ex quo vicit Antigonum, & cœpit Hieroſolymam trigeſimo quarto. *Moritur Herodes*, inquit Joſephus, *cùm regnaſſet poſt ſublatum Antigonum, triginta quatuor annos, poſtquam verò renunciatus fuerat à Romanis, triginta ſeptem*. Porrò Herodes, ſicut ſupra obſervavimus, Regnum

gnum Judææ à Romanis obtinuit anno quinto Imperii Auguſti, ſeu anno Urbis Romæ conditæ 714. & vicit Herodes Antigonum tribus annis poſtquàm à Romanis Regnum Judææ obtinuiſſet, hoc eſt, anno octavo Imperii Auguſti, ſeu anno Urbis Romæ conditæ 717. Si igitur anno quinto Imperii Auguſti, quo Herodes in Judæa regnare cœpit, addas annos triginta ſeptem (incluſo tamen, in hoc 37. annorum numero, Imperii Auguſti anno quinto, hoc enim anno regnare cœpit Herodes) incides in annum quadrageſimum primum Imperii Auguſti, & in annum Urbis Romæ conditæ 750. quo anno è medio ſublatus eſt Herodes. Similiter ſi anno octavo Imperii Auguſti, quo Herodes, devicto Antigono ſolus in Judæa Regnum obtinuit, addas triginta quatuor annos (incluſo tamen, in hoc 34. annorum numero, Imperii Auguſti anno octavo, quo anno Herodes vicit Antigonum) incides itidem in annum quadrageſimum primum Imperii Auguſti, & in annum Urbis Romæ conditæ 750. quo extinctus eſt Herodes poſtquam Regnum Judææ ſolus, devicto Antigono, triginta quatuor annis occupaſſet. Patet itaque ex illo locupletiſſimo Joſephi teſtimonio, Herodem in vivis eſſe deſiiſſe anno quadrageſimo primo Imperii Auguſti, ſeu anno Urbis Romæ conditæ 750. ante æram vulgarem quadriennio integro.

Secundò: Herodem mortuum eſſe anno quadrageſimo primo Imperii Auguſti, ſeu anno Urbis Romæ conditæ 750. certò colligitur ex eclipſi Lunæ, quæ Hieroſolymis conſpicua viſa eſt, teſte *Joſepho* lib. 17. antiq. cap. 8. quæ quidem eclipſis Herodis fatalis fuit, illiusque mortis, pœnas ipſius impietatis exigente Numine, prænuncia.

Eodem ſiquidem anno, quo Hieroſolymis accidit hæc eclipſis, è vivis raptus eſt Herodes. Atqui hæc eclipſis Lunæ Hieroſolymis accidit anno quadrageſimo primo Imperii Auguſti, ſeu anno Urbis Romæ conditæ 750. ergo eodem anno occubuit Herodes.

Advertendum tamen eſt cum doctiſſimo *Schelſtrato* in lib. de antiq. Eccl. duas Lunæ eclipſes Hieroſolymis accidiſſe anno 41. Imperii Auguſti, quarum primam laudatus Auctor aſſerit incidiſſe in diem 12. menſis Martii, & non in diem 13. ut viſum eſt *Petavio*, aliisque Chronologis. Alteram verò Lunæ eclipſim, cenſet *Schelſtratus*, accidiſſe die quinta menſis Septembris ejusdem anni quadrageſimi primi Imperii Auguſti, & poſt illam ſecundam Lunæ eclipſim Herodem vitâ functum fuiſſe die 25. menſis Novembris. Hæc *Schelſtrati* ſententia mihi videtur probabilior opinione illorum, qui aſſerunt Herodem mortuum eſſe circa Paſchatis feſtum, hoc eſt, poſt primam Lunæ eclipſim. Nam primò, Judæi mortem Herodis aſſignant *in volumine jejunii* ſeptimo menſis *Casleu*, ideſt, diei vigeſimæ quintæ menſis Novembris, quæ dies ideò à Judæis feſtiva habetur, quod in ea He-

Herodes, qui ſapientes odio proſecutus eſt, mortem obiit. Hujus autem *voluminis jejunii* auctoritatem & antiquitatem commendant *Uſſerius* in ſuis Annalibus, & *Schelſtratus* in libro mox citato. Præterea vix fidem faciunt, qui Herodem circa Paſchatis feſtum anni quadrageſimi primi Imperii Auguſti mortuum eſſe aſſeverant. Enim verò inter hanc Lunam, quæ defecit die 12. vel 13. Martii, & alteram Lunam, quæ feſti Paſchatis propria fuit, unicus dumtaxat interfuit menſis. Veroſimile autem non eſt in tantulo ſpatio, ſeu intra breviſſimum menſis intervallum, Herodem hæc omnia gerere potuiſſe, quæ ab illo poſt eclipſim Lunæ geſta fuiſſe narrat *Joſephus*. Herodes ſiquidem, teſte *Joſepho*, poſt Lunæ defectionem non ſtatim mortuus eſt, ſed morbus ipſius ingraveſcere cœpit, & poſt varia, quæ fruſtrà adhibuit remedia, ut deploratæ valetudini conſuleret, profectus eſt ultrà Jordanem, ubi calidis ſe ſe fovebat aquis, ibi cùm viſus eſſet efflare animam, Jerichuntem repetiit, atque huc nobiliſſimos inter Judæos ferali edicto accerſiit, & in circo concluſit, datis mandatis Salomæ ſorori ſuæ, ut, poſtquàm expiraſſet, per milites occiderentur. Interim Romà accepit litteras, quibus ab Imperatore Auguſto ipſi poteſtas permittebatur animadvertendi in filium ſuum Antipatrum, quem irâ percitus trucidari juſſit, & quintâ die poſt occiſum Antipatrum è vita deceſſit. Profectò hæc omnia intra menſis ſpatium ab Herode fieri potuiſſe difficile creditu eſt. Denique, ſi Herodes mortuus eſſet circa Paſchatis feſtum, non ſibi conſtaret *Joſephus*, dum ſcribit: Herodem, poſtquam à Romanis fuiſſet Rex Judææ renunciatus, triginta ſeptem regnaſſe annis. Herodes namque Rex Judææ à Romanis eſt renunciatus anno quinto Imperatoris Auguſti, in menſe Octobri, ac proindè annus trigeſimus ſeptimus Regni Herodis inire dumtaxat potuit menſe Octobri anni quadrageſimi primi Imperii Auguſti; ſi ergo Herodes mortuus eſſet ante Paſchatis feſtum, non regnaſſet annos 37. imò nec trigeſimum ſextum omninò complevíſſet. Probabilius itaque eſt: Herodem mortuum eſſe non poſt primam Lunæ eclipſim, quæ Hieroſolymis die 12. vel 13. Martii accidit, ideſt, in ipſa nocte, quâ Herodes Judam Sariphæi filium, & Mathiam Margolothum, eorumque ſocios vivos exuri juſſit ob deturbatam Aquilam auream, quam ſupra majorem portam Templi ipſe contra legem erexerat, ſed mortuum eſſe poſt alteram Lunæ eclipſim, quæ eodem anno, die Septembris quintâ Hieroſolymis accidit.

Tertiò: Herodem mortuum eſſe anno quadrageſimo primo Imperii Auguſti, ſeu anno à condita Roma 750. facilè probatur ex epocha, ſeu ex initio Regni Archelai, qui, teſte Joſepho, ſeptem diebus poſt obitum Patris Herodis regnare cœpit in Judæa, ſed anno ſequenti, cùm fuiſſet coram Auguſto Imperatore accuſatus, quod, illo inſcio,

inſcio, regnum patris occupaſſet, Romam profectus eſt, eumque Auguſtus dimidia parte ditionis patris donavit,& Ethnarcham Judeæ declaravit, ei etiam pollicitus regiam dignitatem, ſi virtutem exhiberet regno convenientem. Scribit autem Joſephus, quod poſtqnam Archelaus regnaſſet in Judæa decem annis (computando illius regni exordium ab obitu Herodis patris ejus) vel, ut alibi Joſephus dicit, poſtquam Archelaus regnaſſet novem annis (illius videlicet regni initium ducendo ab anno poſt obitum patris Herodis, quando nimirum Archelaus ab Imperatore Auguſto dimidia parte ditionis paternæ donatus eſt) omnes proceres tam Judæi, quàm Samaritani tyrannidem Archelai ægrè ferentes, eum apud Imperatorem Auguſtum denuò accuſarunt, quò factum eſt ut Imperator Archelaum omni pecuniâ multatum Viennam in Galliis in exilium amandarit. Hæc refert Joſephus lib. 2. de bello Judaico cap. 6. & lib. 17. antiq. cap. 15. Hæc autem exauctoratio, ſeu Archelai abdicatio ab Imperatore Auguſto facta, incidit, teſte *Dione* lib. 55. in annum Imperii Auguſti quinquageſimum, quo anno Conſules erant *M. Æmilius Lepidus*, & *L. Arruntius*. Jam verò ſi ex annis quinquaginta Imperii Auguſti decem eximas annos, per quos Archelaus ſtatim ab obitu patris ſui Herodis regnavit in Judæa, comperies Archelaum in Judæa regnare cœpiſſe anno quadrageſimo primo Imperii Auguſti, ac ſubindè eodem anno Herodem Archelai patrem mortuum fuiſſe. Similiter ſi ex annis quinquaginta Imperii Auguſti novem ſemoveas annos, per quos Archelaus fuit Ethnarcha Judeæ, invenies Archelaum fuiſſe ab Imperatore Auguſto Ethnarcham Judeæ inſtitutum anno Imperii Auguſti quadrageſimo ſecundo, ideſt anno jam elapſo ab obitu patris ſui Herodis. Ex quo evidenter ſequitur Herodem patrem Archelai obiiſſe anno quadrageſimo primo Imperii Auguſti, ſeu anno Urbis Romæ conditæ 750. quadriennio integro antè æram vulgarem.

Quartò: Herodem mortuum eſſe anno quadrageſimo primo Imperii Auguſti probat initium regni *Herodis Antipæ*, qui fuit frater Herodis Archelai. Repertus quippè eſt nummus æneus minimi moduli, quem Cardinalis *Noriſius* in præfatione operis ſui de epochis Syro-Macedonum publicâ luce donavit, & quem etiam exhibent *Pagius*, *Harduinus*, *Schelſtratus*, *Lamy*, & alii periti hujus temporis Chronologi; in parte autem priore illius nummi ænei legitur intra *Lauream* inſcriptio græca, ſic latinè reddita: CAIVS CÆSAR GERMANICVS. In altera verò parte exhibetur ramus palmæ cum altera inſcriptione græca, ſic latinè reddita: HERODES TETRARCHA ANNO XLIII. ex hac gemina nummi ænei inſcriptione conſtat primò, Herodem Antipam Galileæ Tetrarchiam obtinuiſſe

per

Digitized by Google

per annos 43. deindè, hunc nummum fuiſſe cuſum anno tertio Caii Imperatoris, nàm, teſte Joſepho, Herodes Antipas anno quarto Caii Imperatoris fuit Tetrarchiâ Galileæ privatus, & unà cum uxore Herodiade Lugdunum in Galliis pulſus in exilium. Oportet ergò ut annus quadrageſimus tertius Herodis Tetrarchæ Galilęæ referatur ad annum tertium Caii Imperatoris, quo anno Herodes Antipas Tetrarchiâ Galilęæ adhuc potiebatur. Hoc autem ſemel ſuppoſito, liquet Herodem Antipam occupare cœpiſſe Galilęæ Tetrarchiam anno quadrageſimo primo Imperii Auguſti. Ab eo ſiquidem anno uſque ad annum tertium Caii Imperatoris numerantur ab omnibus Chronologis anni quadraginta tres, per quos Herodes Antipas Tetrarchiam Galilęæ rexit. Porrò ſi Herodes Antipas Tetrarchiâ Galilęæ potiri cœpit anno quadrageſimo primo Imperii Auguſti, neceſſe omninò eſt, ut Herodes pater ipſius eodem anno vitâ functus fuerit, nam *Herodes Antipas* Galilęæ Tetrarchiam obtinuit dumtaxàt poſt obitum Herodis patris ſui, qui eum primò per teſtamentum ſuum regem Judęæ deſignaverat, ſed mutatâ voluntate regnum Judęæ Archelao reliquit, Herodi verò Antipæ Tetrarchiam Galilęæ adjudicavit.

Quintò: Herodem mortuum eſſe anno quadrageſimo primo Imperii Auguſti, ſeu anno à condita Roma ſeptingenteſimo quinquageſimo, probari poteſt ex his, quæ refert Joſephus de Philippo filio Herodis, & fratre *Archelai*, & *Herodis Antipæ*. Philippus enim, ut ſcribit *Joſephus* lib. 18. antiq. cap. 3. cùm eſſet Tetrarcha Traconitidis, Gaulanitidis, ac Bataneæ, *rebus ſuæ Tetrarchiæ ordinatis, & diſpoſitis, vico Bethſaide in ripa lacus Geneſarethini Urbis ſpeciem addidit, frequentato incolis, & aucto opibus, quem Juliæ Cæſaris filiæ cognominem eſſe voluit*. Veroſimile autem non eſt Philippum hanc Urbem voluiſſe dedicare Juliæ Auguſti Imperatoris filiæ, poſtquam evulgata eſt ejus infamia, ejusque adulteria fuerunt propalata, quæ auguſti animum ita ab illa abalienarunt, ut ne minimam quidem ipſius mentionem ferre poſſet, ſicut *Suetonius* in Octavio, & *Tacitus* lib. 1. annalium memoriæ prodiderunt. Omnes verò Chronologi fatentur Juliæ flagitia, ſeu propudioſa adulteria fuiſſe detecta anno quadrageſimo tertio Imperii Auguſti, & Urbis Romæ conditæ ſeptingenteſimo quinquageſimo ſecundo, Conſulibus *Auguſto XIII.* & *M. Plautio Silvano*. Negari etiam non poteſt Philippum biennio integro opus habuiſſe tùm ad res ſuæ Tetrarchiæ ordinandas, tùm ad novam, quam moliebatur, Urbem perficiendam. Oportet igitur ut Philippus jam cœperit eſſe Tetrarcha Traconitidis anno quadrageſimo primo Imperii Auguſti, ſeu anno Urbis Romæ conditæ ſeptingenteſimo quinquageſimo, eodemque anno

Digitized by Google

è vita migrarit Herodes pater Philippi.

Denique, Herodem mortuum eſſe anno quadrageſimo primo Imperii Auguſti, ſeu anno Urbis Romæ conditæ ſeptingenteſimo quinquageſimo, evinci poteſt ex eo judicio, quod tulit Imperator Auguſtus ad dirimendam litem exortam inter filios Herodis de paterni regni ſucceſſione. Teſtatur ſiquidem Joſephus lib. 17. antiq. cap. 12. filios Herodis de paterni regni ſucceſſione litigantes, Romam ad Auguſtum integram detuliſſe cauſam, Auguſtum verò in amicorum conſilio rem diſcuſſiſſe, quos inter Joſephus recenſet *Cajum* Agrippæ, & Juliæ filium ab Imperatore Auguſto jàm adoptatum. Illud autem judicium habitum eſt, ſicut ſolidè probat Cardinalis *Noriſius* in Cenotaphiis Piſanis, anno Urbis Romæ conditæ ſeptingenteſimo quinquageſimo primo, ſeu Imperii Auguſti quadrageſimo ſecundo, adeò ut in annum proximè inſequentem protrahi nullatenùs poſſit, nàm ſi illud judicium habitum fuiſſet anno Urbis Romæ 752. ſeu Imperii Auguſti 43. procul omni dubio *Lucius Cæſar*, qui hoc anno virilem togam induit, Princeps juventutis, omnibusque honorum titulis Cajo majori natu fratri æquatus eſt, Conſulque deſignatus, unà cum Cajo fratre ſuo ad idem judicium fuiſſet ab Imperatore Auguſto admiſſus; cùm igitur *Lucius* ad illud conſilium non fuerit adſcitus, argumento eſt, filios Herodis anno ſuperiori, ſeu Urbis Romæ conditæ 751. & Imperii Auguſti anno 42. hoc eſt, anno ab obitu patris Herodis jam emenſo, Romam veniſſe, eodemque anno litem de ſucceſſione paterni regni inter ipſos enatam in conſilio Imperatoris fuiſſe Romæ dijudicatam, atque compoſitam.

Patet itaque ex omnibus illis momentis, quæ hactenus adduximus, Herodem mortuum fuiſſe anno quadrageſimo primo Imperii Auguſti, ſeu anno Urbis Romæ conditæ ſeptingenteſimo quinquageſimo, ac ſubindè verum, & proprium Natale Chriſti conſignandum eſſe anno ſuperiori, quo adhùc vivebat Herodes, ſcilicet anno quadrageſimo Imperii Auguſti, ſeu anno Urbis Romæ conditæ ſeptingenteſimo quadrageſimo nono, antè æram vulgarem quadriennio integro. Sic enim ſtat Scripturæ ſacræ veritas, dùm *Matth.* cap. 2. dicit Chriſtum natum eſſe *in diebus Herodis Regis*.

Diluuntur objectiones.

Arguitur primò: Eccleſia latina in numerandis annis, qui ab Incarnatione Chriſti Domini ad hanc uſque ætatem interfluxerunt, utitur ærâ vulgari, ſeu Chriſtianâ, cujus auctor fuit circa initium ſexti ſæculi *Dionyſius* natione Scytha, & Abbas, cognomento *Exiguus*; atqui juxtà æram Dionyſianam, ſeu vulgarem, Natale Chriſti conſignari

Digitized by Google

gnari debet anno quadrageſimo quarto Imperii Auguſti, ergo Natale Chriſti non eſt illigandum anno quadrageſimo Imperii Auguſti.

Reſpondeo primò: Duplex, ut antehàc obſervatum eſt, Natale Chriſti eſſe diſcernendum, unum quod dicitur *proprium*, alterum quod *vulgare* nuncupatur. Natale proprium Chriſti illud eſt, quod reverà contigit in diebus Herodis Regis, ſive, ſicut mox latè probavimus, quod incidit in annum quadrageſimum Imperii Auguſti, quo anno adhùc in vivis erat Herodes. Natale vulgare Chriſti illud dicitur, quod *Dionyſius Exiguus* conſignavit anno quadrageſimo quarto Imperii Auguſti. Quâ in re *Dionyſium* fuiſſe hallucinatum inconfeſſo eſt apud omnes Chronologos, qui Sole clariùs oſtendunt, Herodem jam vita functum eſſe anno quadrageſimo quarto Imperii Auguſti. Mortuus eſt enim Herodes anno quadrageſimo primo Imperii Auſti, ſicut ex his, quæ ſupra diximus manifeſtò patet. Quapropter *Dionyſius exiguus* in aſſignando anno Natalitio Chriſti Domini quadriennio integro à recta via aberravit. Nec aſſertioni noſtræ officit conſuetudo Eccleſiæ, quæ annos Chriſti juxtà æram à *Dionyſio exiguo* excogitatam numerare ſolet, dùm ex. gr. hunc annum, quem decurrimus, dicit eſſe ab Incarnatione Domini milleſimum ſeptingenteſimum undecimum. Enim verò Eccleſia latina æram Dionyſianam, ſeu vulgarem in uſum tranſtulit, non quod eam omni ex parte accuratam eſſe judicaverit, ſed quod eam Chriſtiani à tempore *Dionyſii Exigui*, qui eam invexit, in numerandis annis Chriſti communiter uſurpaverint. Has etenim temporum, annorumque minutias, & quisquilias non moratur, aut penitiùs expendit Eccleſia, ſed potiùs hujusmodi tricas gravitate, & auctoritate ſua indignas permittit Chronologis diſcutiendas, ac dirimendas. Non ſecus ac licèt Eccleſia in Martyrologio, quod in pervigilio Natalis Chriſti ſingulis annis recitatur, calculum LXX. Interpretum retineat, hoc tamen peran-tinquo non obſtante Eccleſiæ latinæ uſu, omnes fermè periti hujus temporis Chronologi conſtanter docent calculum LXX. Interpretum multis ſcatere mendis. Quamvis ergo Eccleſia latina numeret annos Chriſti juxtà æram Dionyſianam, ſeu vulgarem, indè tamen hanc æram accuratam eſſe evinci minimè poteſt.

Reſpondeo ſecundò: Hanc conſuetudinem ſubducendi annos Chriſti juxtà æram Dionyſianam non ſemper viguiſſe in Eccleſia latina, ſiquidem antè *Dionyſium Exiguum* mos in Eccleſia obtinebat notandi annos per Olympiades Græcorum, per annos Imperatorum, & Conſulum Romanorum, ſed potiſſimùm per æram Alexandrinorum Martyrum, ſeu per æram Diocletiani Imperatoris, qui in Chriſtianos ferro, flammâque ſæviit, & maximam ipſorum ſtragem edidit. *Dionyſius* autem ægrè ferens, quod Chriſtiani

ab exordio Imperii Diocletiani ſuos notarent annos, æram illam, quæ dicitur *vulgaris*, aut *Chriſtiana*, adinvenit, quam tamen Eccleſia non confeſtim in uſum tranſtulit. Obſervat quippè doctiſſimus *Pagius* in diſſertatione de periodo Græco-Romana, in Galliis, primâ dumtaxàt Francorum Regum ſtirpe deficiente, hanc *æram Dionyſianam* in uſum vocatam eſſe, ſicut videre eſt in Capitularibus Regum Francorum ab erudito *Baluzio* publicatis, quorum etiam mentionem facit doctiſſimus *P. Mabillonius* in libro *De re Diplomatica*. Hiſpani quoque, & Luſitani nonniſi paucis ab hinc ſæculis æram Hiſpanicam antiquarunt, & in ejus locum *Dionyſianam*, ſeu *vulgarem* ſubrogarunt; quin & Summi Pontifices eamdem æram tardiùs in ſuis Diplomatibus expreſſerunt, Eugenius quippè IV. ſuaſu *Blondi* æram Dionyſianam adhibere cœpit.

Arguitur ſecundò: Ideò maximè proprium Natale Chriſti conſignari deberet anno quadrageſimo Imperii Auguſti, quia Herodes, quo in Judæa regnante,natus eſt Chriſtus Dominus, ſupponitur mortuus, juxtà calculum Joſephi, anno quadrageſimo primo Imperii Auguſti, atqui Herodes non eſt mortuus anno quadrageſimo primo Imperii Auguſti, ſed potiùs anno quinquageſimo, ergò concidit præcipuum, & unicum ſententiæ noſtræ fundamentum. Prob. min. anni triginta ſeptem, quos Regno Herodis tribuit Joſephus, putari non debent ab anno quinto Imperii Auguſti, ſed ab anno decimo quarto illius Imperii, quando videlicet Imperator Auguſtus in pugna Actiaca vicit Marcum Antonium, qui ſpretâ Octaviâ ſorore Auguſti, quam, pace apud Brunduſium factâ, uxorem duxerat, deindè cum Cleopatra Regina Ægypti matrimonium iniit. Ab eo ſiquidem anno Imperii Auguſti decimo quarto numerari debere annos triginta ſeptem Regni Herodis, ex co præſertim ſuaderi poteſt, quod cum Herodes vafro, ac politico eſſet ingenio præditus, maximuſque Cæſaris adulator, ubi primùm intellexit Marcum Antonium patronum, & Mœcenatem ſuum in pugna Actiaca fuiſſe profligatum, omniaque illius acta ab Imper. Auguſto fuiſſe omninò reſciſſa, tunc ut gratiam victoris Auguſti faciliùs aucupari, & in ejus amicitiam blandiùs irrepere poſſet, ipſum Rhodi degentem convenit, depoſitoque diademate veniam ſupplex flagitavit, quod Antonio contrà Auguſtum ſuppetias tuliſſet, quo quidem obſequio Herodes benevolentiam Auguſti ſibi conciliavit, & ab ipſo confirmatum Judęæ Regnum recepit. Quapropter Herodes ab hoc anno decimo quarto Imperii Auguſti annos Regni ſui deinceps numerare cœpit. Cùm igitur Herodes, teſte Joſepho, regnaverit annis triginta ſeptem, mors ipſius incidit in annum quinquageſimum Imperii Auguſti, nàm ſi ab anno decimo quarto Imperii Auguſti numeres annos triginta ſeptem

tem

Digitized by Google

tem Regni Herodis, comperies Herodem obiiſſe anno quinquageſimo Imperii Auguſti. Hanc conjecturam urget Cardinalis Baronius in Apparatu ad Annales Eccleſiaſticos, & poſtquàm multa congeſſit ad fidem elevandam Joſephi, qui annos triginta ſeptem Regni Herodis numerat ab anno quinto Imperii Auguſti, ſic tandem ſermonem concludit: *Si Joſephum, quis ſibi ſequendum proponat, deſerat neceſſe eſt Evangelicam veritatem, utpotè qui Judæus auctor (ut oſtendimus) antè Chriſtum natum ponat Herodis ſenioris obitum. Sed redarguimus ejusdem auctoris levitatem, & inconſtantiam ex ipſiusmet ſcriptis recitatis. Porrò ſi quis eidem ſecum ità pugnanti, & Evangelicæ veritati penitùs repugnanti fidem adhibendam putaverit, hac ex parte Celſum, Porphyrium, Julianum ſe ſuperaſſe cognoſcat, cùm iidem licèt Chriſtianæ Religionis hoſtes infenſiſſimi, & contradictores acerbiſſimi, nunquàm tamen auſi reperiantur præponere Joſephum Evangeliſtis, &c.*

Reſpondeo: Hanc Eminentiſſimi Annalium Parentis conjecturam ſolidam non eſſe, nec ullo probatæ fidei auctoris teſtimonio fultam. Nulla quippè proferri poteſt ratio cur Herodes Regni ſui annos numerarit ab eo tempore, quo Auguſtus in pugna Actiaca Antonium expugnavit. Nàm quod ait Baronius, Herodem ab ea Auguſti victoria annos Regni ſui numeraſſe, quia Auguſtus omnia Antonii acta reſciderat, à veri veſtigiis longiſſimè abeſt. Conſtat ſiquidem Imperatorem Auguſtum non reſcidiſſe poſt pugnam Actiacam decretum illud, quo anno quinto ipſius Imperii Herodes fuerat Senatus Romani auctoritate Rex Judeæ declaratus. Eccur, quæſo, illud decretum reſcidiſſet Auguſtus, cùm ipſemet unà cum Antonio, ſicut refert Joſephus, hanc regiam dignitatem ultrò Herodi conceſſiſſet? Prætereà, hallucinatur Baronius, dùm ait Herodem, eodem anno, quo apud Actium pugnatum eſt, adiiſſe Auguſtum in inſula Rhodo, veniam ab ipſo ſupplicem petiiſſe, & Regnum denuò ab eo impetraſſe. In hoc, inquam, hallucinatur Baronius, primò, quia Joſephus cap.10. lib.15. antiq. diſertis verbis aſſerit Herodem etiam poſt pugnam Actiacam partes Antonii adhùc ſequutum fuiſſe. *Herodes*, inquit Joſephus, *properavit Rhodum, ut illic Cæſari occurrat. Quò poſtquàm appulit, poſito tantùm diademate, de cætero apparatu regio nihil mutavit: admiſſusque ad colloquium tùm maximè oſtendit animi ſui magnitudinem, neque ad ſupplicationes (ut in tali forma mos eſt) verſus, neque preces adhibens quaſi rogandi veniam, ſed facti ſui rationem reddens intrepidè*. Secundò, ex hiſtoria Romana liquet, Imperatorem Auguſtum non fuiſſe in Aſiam profectum illo ipſo anno, quo ad Actium victus eſt Antonius, ſed poſt hanc inſignem victoriam petiiſſe Italiam, & anno demùm ſequenti in Græciam, & inſulam Rhodum conceſſiſſe, ubi eum Herodes inviſit, & nihil de regio apparatu

ratu mutans Judææ Regnum ab Imperatore Auguſto precariò obtinuit. Debuiſſet ergo Baronius initium novæ hujus epochæ Regni Herodis ducere non ab anno decimo quatto Imperii Auguſti, ſeu ab anno Juliano xv. quo pugnatum eſt ad Actium, ſed ab anno decimo quinto Imperii Auguſti, ſeu ab anno Juliano xvi. quo Conſules fuerunt *Auguſtus IV.* & *M. Licinius Craſſus*. Denique Herodem annos Regni ſui numeraſſe ab anno quinto Imperii Auguſti, quo Senatus Romani auctoritate Judææ Regnum obtinuit, non verò ab eo anno, quo Auguſtus vicit Antonium, luculento probari poteſt exemplo Archelai, qui ab Antonio Cappadociæ Regnum obtinuerat anno Urbis Romæ conditæ ſeptingenteſimo decimo octavo, ſicut ſcribit *Dio* lib. 49. quique in Antonii caſtris contrà Auguſtum ſtetit, huic tamen Auguſtus poſt victoriam Actiacam veniam dedit, eique regiam dignitatem, ac nomen reliquit. Verùm demortuo Auguſto, Tiberius Imperator eumdem Archelaum, qui jam per quinquaginta annos regnaverat in Cappadocia, Romam evocavit, *Tacito* hæc ſcribente: *Rex Archelaus quinquageſimum annum Cappadocia potiebatur inviſus Tiberio, quod eum Rhodi agentem nullo officio coluiſſet*. Porrò conſtat Archelaum Cappadociæ Regem, fuiſſe Romam à Tiberio accitum anno Urbis conditæ 770. *Cæcilio Rufo*, ac *Pomponio Flacco* Conſulibus, quemadmodum teſtantur *Cornelius Tacitus*, & *Dio Caſſius*; non potuit ergo Archelaus annos Regni ſui numerare ab eo tempore, quo poſt victoriam Actiacam fuit ab Auguſto in Regno Cappadociæ confirmatus, quandò quidem à victoria Actiaca, quam retulit Auguſtus anno Urbis Romæ conditæ ſeptingenteſimo vigeſimo tertio, uſque ad annum, quo Archelaus Romam venire juſſus eſt, hoc eſt, uſque ad annum Urbis Romæ conditæ ſeptingenteſimum ſeptuageſimum, interceſſerunt tantùm anni ſeptem ſupra quadraginta, cùm tamen *Tacitus*, & *Dio* ſcribant Archelaum jàm quinquaginta ab hinc annis Cappadocia potitum eſſe, quandò à Tiberio Romam fuit vocatus. Sicut ergo *Archelaus* annos regni ſui ab eo tempore computavit, quo regnum Cappadociæ obtinuit ab Antonio, non verò ab eo tempore, quo in regno Cappadociæ fuit ab Auguſto poſt pugnam Actiacam confirmatus; ità, non abſimili ratione, Herodes annos regni ſui ab eo tempore numeravit, quo à Romanis Judææ regno donatus eſt, ideſt ab anno quinto Imperii Auguſti, non autem ab eo tempore, quo poſt victoriam Actiacam in regno Judææ fuit ab Imper. Auguſto confirmatus. Standum itaque eſt calculo Joſephi, qui cùm Euangelica veritate optimè conſentit, & à quo dùm receſſit *Baronius*, in multos circà Chronologiam errores impegit, quos in ſua Critica doctiſſimus *Pagius* obſervavit, & accuratè emendavit.

Ar-

Arguitur tertiò: non ſibi conſtat Joſephus in numerandis annis vitæ Herodis, ergò nullam omninò meretur fidem. Probat. ant. *Joſephus* lib. 14. Antiq. cap. 17. ſcribit Antipatrum commiſiſſe filio ſuo Herodi curandam, ſeù regendam Galilæam, quandò Herodes adhuc juvenis erat, ideſt, natus dumtaxàt annos quindecim idque contigiſſe, ait ſeptem annis, antequam Herodes fuiſſet à Romanis, ideſt, anno quinto Imper. Auguſti, Rex Judææ ſalutatus. Inſuper idem Auctor lib. 17. Antiq. cap. 8. dicit Herodem vitâ functum eſſe circitèr annum ætatis ſuæ ſeptuageſimum. In quo calculo Joſephus ſe ſe manifeſtâ implicat antilogiâ, nam juxtà Joſephum Herodes quindecim annos erat natus, quandò Antipater ei tradidit curandam Galilæam, quibus quindecim annis ſi addas annos illos ſeptem qui effluxerunt ab eo tempore, quo Herodi ab Antipatro tradita eſt curanda Galilæa, uſque ad quintum Imperii Auguſti annum, quo Herodes fuit à Romanis Rex Judææ renunciatus, ſummam habebis annorum viginti duorum, quos natus erat Herodes quandò Rex Judææ anno quinto Imperii Auguſti fuit deſignatus. Si ergo Herodes mortuus eſt anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo, ſicut ſcribit Joſephus, neceſſum eſt ut Herodes, qui juxtà calculum Joſephi natus erat annos viginti duos, quando à Romanis anno quinto Imp. Auguſti Rex Judææ fuit ſalutatus, regnaverit annis quadraginta octo: & objerit anno quinquageſimo tertio Imper. Auguſti, & tamen Joſephus exertè pronunciat Herodem mortuum eſſe anno trigeſimo ſeptimo Regni ſui. Secùm igitur apertè pugnat Joſephus, & calidum, ac frigidum ſimul ex eodem ore perflat, ac proindè in numerandis annis vitæ Herodis ſibi omnem omninò abrogat fidem. Hæc & alia hujuſmodi ad labefactandam authoritatem Joſephi objicit *P. Harduinus* Societ. Jeſu, in Proluſione de Nummis Herodiadum.

Reſpondeo primò: cum doctiſſimo *Schelſtrato* in lib. de Antiq. Eccl. Herodem reverà fuiſſe dumtaxàt annos quindecim natum, quandò Antipater illi regendam Galilæam demandavit, mendum tamen in textum Joſephi irrepſiſſe, circa annos vitæ Herodis. Conjicit quippè ſagaciſſimus ille Auctor, Herodem non eſſe mortuum anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo, ſicut nunc legitur in textu Joſephico, ſed mortuum eſſe anno ineunte ætatis ſuæ ſexageſimo. Quæ quidem Schelſtrati conjectura, ſi vera ſit, omnem ſolvit difficultatem, nam ſi Herodes mortuus eſt anno ineunte ſexageſimo vitæ ſuæ, facili negotio intelligitur Herodem fuiſſe annorum quindecim, quandò Antipater illi regendam Galilæam concredidit, eumque è vivis exceſſiſſe anno trigeſimo ſeptimo regni ſui, ſeù anno quadrageſimo primo Imperii Auguſti.

Re-

Digitized by Google

Reſpondeo ſecundò cum aliis doctiſſimis hujus temporis chronologis: mendum irrepſiſſe in hodiernum textum Joſephi, & loco *quindecim*, legendum eſſe *viginti quinque annos*, quos natus erat Herodes, quandò ipſi ab Antipatro curanda fuit tradita Galilæa. Enim verò cùm in Codice Græco Joſephi omni procul dubio ſcriptum eſſet κέ, idest, 25. in ιέ, hoc eſt, 15. Librariorum errore facilè mutari potuit. Hanc conjecturam probat Cardinalis Noriſius ex ipſomet Joſepho, qui lib. 14. Antiq. cap. 12. aſſerit Antipatro quatuor filios fuiſſe, videlicet *Phaſaelum*, *Herodem* ſecundo genitum, *Pheroram*, ac *filiam Salomem*, quos idem Antipater apud *Aretam* Regem Arabum depoſuit, dum bellum contrà Ariſtobulum gereret, hoc eſt, anno Urbis Romæ conditæ 688. Herodes ergo filius Antipatri anno Urbis Romæ conditæ 688. vivebat Obſes Regi Arabum datus, atque tum temporis natus erat annos circitèr quinque, Herodes namque major natu erat ipſo Pherora. Antipater autem, juxtà Joſephum, curandam Herodi tradidit Galilæam anno Urbis Romæ conditæ 707. Hoc eſt, viginti annis poſtquam Herodem filium ſuum Quinquennem Regi Arabum Obſidem dediſſet, annos itaque viginti quinque, juxtà calculum Joſephi, natus erat Herodes, quandò ipſi Antipater regendam commiſit Galilæam. Et ſanè tot egregia facinora, quæ Joſephus ibidem refert ab Herode geſta, poſtquam illi Antipater curandæ Galilææ Provinciam demandaſſet, apertè innuunt Herodem tum temporis attigiſſe annum ætatis ſuæ vigeſimum quintum, in qua robuſta ætate ſat virium, fortitudinis, & prudentiæ habere potuit, ut par eſſet tot exantlandis laboribus, & arduis ſuſcipiendis, atque felici exitu perficiendis expeditionibus. Addo inſuper perdoctum *Uſſerium* in Annalibus veteris Teſtamenti rectè obſervare primos vitæ Herodianæ deſcriptores *Ptolomæum*, ſcilicet, & *Nicolaum Damaſcenum*, ex quibus ſua Joſephus hauſit, non quindecim, ſed viginti quinque annos tribuiſſe Herodi, quandò illi Antipater curandam tradidit Galilæam. Hoc autem errore, qui textum hodiernum Joſephi pervaſit, ſemel emendato, planum ac expeditum eſt Herodem obiiſſe anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo, ſicut ſcribit Joſephus. Enim verò ad calculos, ſi placet, revocemus Herodis annos. Herodes viginti quinque annos natus erat, quandò ab Antipatro illi tradita fuit curanda Galilæa anno Urbis Romæ conditæ 707. his ergo annis viginti quinque Herodis adde alios ſeptem annos, qui elapſi ſunt à tempore quo Herodi tradita fuit ab Antipatro curanda Galilæa, uſque ad annum Urbis Romæ conditæ 714. ſeù uſque ad annum quintum Imp. Auguſti, quo anno Herodes regnum Judææ à Romanis obtinuit, & fiet ſumma annorum triginta duorum, quos natus erat Herodes, quandò

Digitized by Google

quandò à Romanis Rex Judææ fuit ſalutatus. Adde denique triginta ſeptem annos Regni Herodis, & ſummam habebis vitæ Herodis ſexaginta novem annorum, quibus ſi adjicias aliquot menſes qui prætermiſſi ſunt, liquidò conſtabit Herodem mortuum eſſe anno ineunte ætatis ſuæ ſeptuageſimo, anno verò Regni Judææ ſibi à Romanis conceſſi trigeſimo ſeptimo, quemadmodum ſcribit Joſephus. Faceſſat itaque *Harduinus*, qui meritò apud viros eruditos malè audit, eò quòd tam in ſua *Chronologia veteris Teſtamenti*, quàm in Proluſione *de Nummis Herodiadum*, Joſephi in Herodiana deſcribenda hiſtoria fidem elevat, omnium penè Sanctorum Patrum, & hiſtoricorum auctoritatem sùs dèque habet, & omne genus monumentorum, quibus apud nos res hiſtorica nititur, convellere auſu temerario aggreditur. Sed *Harduinum*, ejuſque ſocium *Germonium*, totius venerandæ antiquitatis memoriam abolere geſtientes, pro meritis caſtigarunt, plautinoque ſale aſperſerunt viri hujus temporis eruditi, qui nobiliſſima tàm ſacræ, quàm prophanæ antiquitatis monumenta, quibus Chriſtiana religio cæteris omnibus antecellit, à paradoxis, quibus ambo illi Auctores ſeipſos, quaſi cœli convexa tetigerint, ſuperbiùs jactant, egregiè vindicarunt, *Joannes Mabillonius*, *Bernardus Lamy*, *Juſtus Fontaninus*, *Dominicus Lazarinus*, *Spanhemius* in lib. de Uſu, & Præſtantia Numiſmatum Antiquorum Diſſertationibus 5. 7. & 8.

Arguitur quartò: verum, & proprium natale Chriſti huic anno conſignari debet, quo exiit edictum à Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus Orbis, ſicut teſtatur Sacer Evangeliſta *Lucas* c.2. atqui cenſus, ſeù hæc univerſalis deſcriptio facta eſt anno quadrageſimo ſecundo Imp. Auguſti, ut videre eſt apud Euſebium in chronico, ergo verum, & proprium natale Chriſti illigari non debet anno quadrageſimo Imp. Auguſti, ſed potiùs anno quadrageſimo ſecundo.

Reſpondeo negando minorem: hæc quippè univerſi Orbis deſcriptio, cujus mentionem facit *S. Lucas* cap. 2. non incidit in annum quadrageſimum ſecundum Imp. Auguſti, ſicut perperàm viſum eſt Euſebio, ſed fieri cæpit anno trigeſimo ſeptimo Imp. Auguſti, hoc eſt, octo annis ante æram Dionyſianam, ſeù Chriſtianam. Quod quidem, ut clariùs intelligatur.

Obſervandum eſt Imperatorem Auguſtum, teſte *Svetonio* in *Octavio* cap. 82. ter cenſum, ſeù deſcriptionem populi egiſſe, primum, ac tertium cenſum egiſſe cum collega, medium verò ſine collega. Id ipſum teſtatur Imperator Auguſtus in Indice, ſeù Breviario vitæ ſuæ in monumento apud Suburbium Ancyræ reperto, quod *Augerus Gislenius Busbequius* Turcarum immanitati ereptum, ſicut narrat *Caſaubonus*, in Europam aſportavit, & ab *Andræa*

dræa Scotto, *Lipſio*, *Grutero*, aliiſque clariſſimis viris publicatum fuit. Ex hac, inquam, inſcriptione Ancyrana manifeſtò conſtat primum cenſum ab Auguſto, & collega Agrippa peractum fuiſſe, dum ambo conſulatum gererent, hoc eſt anno decimo ſeptimo Imp. Auguſti, & anno vigeſimo octavo ante æram vulgarem. Alterum cenſum eadem inſcriptio Ancyrana indicat fuiſſe peractum ab Auguſto ſolo, ſeù anno trigeſimo ſeptimo Imp. Auguſti, & anno octavo ante æram vulgarem, Conſulibus *C. Mario Cenſorino*, & *C. Aſinio Gallo*. Tertius denique cenſus, juxtà inſcriptionem Ancyranam, peractus eſt ab Auguſto, & collega Tiberio, anno quinquageſimo ſeptimo, ſeù anno ultimo Imp. Auguſti, & anno decimo quarto, æræ vulgaris, Conſulibus *Sexto Pompejo Magno*, & *Sexto Apulejo*. Hoc autem ſemel ſuppoſito, certum eſt apud omnes, nec per primum, nec per tertium cenſum indicari poſſe verum, & proprium natale Chriſti, ſed tantùm per ſecundùm cenſum, qui, ut mox diximus, ab Auguſto, abſque collega editus eſt, anno trigeſimo ſeptimo ipſius Imperii, quo anno *Cyrinus*, ſeù *Quirinius* miſsus eſt ab Imperatore Auguſto, cum plena, & extraordinaria poteſtate in Syriam, aliaſque Orientis Provincias, ut indiceret cenſum, quem hoc anno incepit quidem *Quirinius*; ſed eum paulò poſt intermittere coactus eſt, ut Homonadenſes, qui contra Romanos rebellarant, in ordinem redigeret; ſicut teſtatur *Cornelius Tacitus* lib. 3. Annalium, ubi ſcribit *Quirinium, mox expugnatis per Ciliciam Homonadenſium Caſtellis, inſignia triumphi fuiſſe adeptum*. Idem de *Quirinio* teſtatur *Strabo* lib. 12. ubi teſte *Lipſio* in Commentario ad Annales *Taciti*, hæc habet: *Homonadenſes autem Quirinius fame expugnavit, quatuor millia virorum cæpit, & in vicinas Urbes diſtribuit, regione ſpoliata omni juventute*. Hic itaque cenſus, ſeù hæc populi deſcriptio, quæ, ut perhibet Sanctus Lucas, facta eſt tempore natalis Chriſti Domini, incepta fuit à Cyrino, ſeù Quirinio, anno trigeſimo ſeptimo Imperii Auguſti, ſed cùm hæc deſcriptio ob tumultum Homonadenſium fuiſset à Quirinio intermiſsa, deindè à *Sentio Saturnino*, tum temporis Præſide Syriæ fuit continuata, & denique abſoluta eſt anno quadrageſimo Imperii Auguſti à *Quintilio Varo*, qui in Syriæ præfectura ſucceſſit Sentio Saturnino. Quapropter hoc anno Imp. Auguſti quadrageſimo, quo abſoluta eſt hæc populi deſcriptio, natus eſt Chriſtus Dominus.

Arguitur quintò: *Joſephus* ſub finem lib. 17. Antiq. narrat quo pacto Archelaus filius Herodis ab Imperatore Auguſto fuerit Viennam Allobrogum relegatus, & lib. 18. antiq. cap. 1. ait: Quirinium poſt exilium Archelai miſſum fuiſſe ab eodem Imperatore in Syriam, ut illam adminiſtraret, & facultates cenſeret omnium etiam Judæorum,

rum, atqui conſtat Archelaum fuiſſe Viennam in Galliis pulſum in exilium anno Imperii Auguſti quinquageſimo, ſeu anno Urbis Romæ conditæ ſeptingenteſimo quinquageſimo nono, & anno ſexto æræ vulgaris; ergo hæc deſcriptio, quæ indicta eſt ab Imperatore Auguſto paulò ante ortum Chriſti, non eſt facta à Cyriuo, ſeu Quirinio.

Reſpondeo: Duplicem à Cyrino, ſeu Quirinio factam eſſe Judææ deſcriptionem. Prima Judææ deſcriptio facta eſt à Cyrino, ſeu Quirinio, anno trigeſimo ſeptimo Imperii Auguſti, ſeu anno Urbis Romæ conditæ ſeptingenteſimo quadrageſimo ſexto, & anno octavo ante æram vulgarem. Hoc ſiquidem anno, ut mox diximus, *Quirinius* miſſus eſt ab Imperatore Auguſto cum plena & extraordinaria poteſtate in Syriam. Altera Judææ deſcriptio facta eſt ab eodem Quirinio poſt relegatum Archelaum Viennam in Galliis. Tunc enim, uti refert *Joſephus* lib. 18. antiq. cap. 1. *Ipſe Quirinius in Judæam venit jam attributam Provinciæ Syriæ, & ut percenſeret facultates ejus regionis civium, & Archelai pecuniam in poteſtatem ſuam redigeret*. Prima Judææ deſcriptio, facta à Quirinio, dum adhuc in vivis eſſet Herodes, non fuit propriè cenſus, qualis erat cæterorum populorum, qui ſui juris non erant, & omnem amiſerant libertatem. Judæi ſiquidem, quamdiù in Judæa regnavit Herodes, fuerunt immunes à perſolvendis tributis, non ſecùs ac ſocii, & amici Romanorum, qui non cenſebantur, ſeu quibus vectigalia aut tributa Romani non imponebant. At altera deſcriptio Judææ, facta à Quirinio poſt exilium Archelai, fuit verus cenſus; tunc namque Judæa, dejecto Archelao poteſtate ſua & in exilium miſſo, fuit attributa Provinciæ Syriæ, teſte *Joſepho*, ſuæque libertatis jacturam omninò fecerunt Judæi. *Fridericus Spanhemius* part. 2. dubiorum Euang. dub. 3. dilucidè exponit primam deſcriptionem factam à Quirinio paulò ante ortum CHRISTI Servatoris noſtri eſſe planè diverſam ab altera deſcriptione factâ ab eodem Quirinio poſt exilium Archelai. Hanc autem diverſitatem repetit ex ſex capitibus. Primò, ex ratione cauſæ impulſivæ. Secundò, ex ratione formæ. Tertiò, ex ratione finis. Quartò, ex ratione temporis. Quintò, ex ratione latitudinis. Sextò, ex ratione ſucceſſus. Prioris deſcriptionis cauſa impulſiva, fuit vel curioſitas, vel ambitio Auguſti, vel utraque conjunctim. Poſterioris deſcriptionis cauſa impulſiva, fuit Judæorum criminationes, Auguſti indignatio, & Archelai tùm abdicatio, tùm relegatio. Forma prioris deſcriptionis erat ſine cenſu, hoc eſt, ſine penſitatione, & tributi cujuſdam conſueti exactione. Poſterioris deſcriptionis forma, fuit cum cenſus pecuniarii exactione. Finis prioris deſcriptionis erat vel oſtentatio potentiæ Imperii Romani, vel ejus ſecuritas. Finis poſterioris deſcriptionis, incremen-

tum ærarii ex Archelai facultatibus. Prior deſcriptio facta eſt tempore, quo adhuc vivebat Herodes. Poſterior deſcriptio facta eſt novennio jam completo à morte Herodis, Archelao ejus filio jam Viennam Galliæ relegato. Prior deſcriptio fuit univerſalis & œcumenica. Poſterior deſcriptio particularis fuit, nec attigit niſi Syriam, & Judæam. Prior denique deſcriptio peracta eſt ſaltem in Judæa ſine tumultu. Poſterior deſcriptio multos in Judæa excitavit tumultus, ſicut refert *Joſephus* lib.18. antiq. cap.1. Patet itaque primam Judææ deſcriptionem factam à Quirinio paulò ante Chriſti ortum diverſam eſſe ab altera Judææ deſcriptione factâ ab eodem Quirinio poſt exilium Archelai. Quam etiam diverſitatem haud obſcurè inſinuare videtur *S. Lucas* his verbis: *Hæc deſcriptio prima facta eſt à Præſide Syriæ Cyrino*. Vocat enim *S.Lucas* hanc deſcriptionem factam à Cyrino, ſeu Quirinio, *primam*, ut eam diſcernat à ſecunda Syriæ deſcriptione, quæ facta eſt ab eodem Quirinio poſt exilium Archelai, ſeu anno Urbis Romæ conditæ 760. anno Imperii Auguſti quinquageſimo primo, anno ſeptimo æræ Chriſtianæ. Conſulibus *A. Licinio Nerva Silano, & Q. Cæcilio Metello Cretico*. Sunt nonnulli Critici, qui putant textum *S. Lucæ* in mendo cubare, nec legendum eſſe: *Præſide Syriæ Cyrino*, ſeu *Quirinio*; ſed legendum eſſe: *Præſide Syriæ Quintilio*. Verùm hæc Criticorum conjectura admitti non debet, tùm quia falſi convincitur ex omnibus *S. Lucæ* Codicibus, in quibus legitur: *Præſide Cyrino*, ſeu *Quirinio*. Tùm quia Sancti Patres, & Scriptores veteres *Quirinium* legunt, non *Quintilium*. Tùm quia denique nefas eſt omninò quidquam Sacris Codicibus addere, mutare, aut expungere.

Arguitur ultimò, *Tertullianus* lib. 4. contra Marcionem cap. 19. ait: cenſum, qui paululùm præceſſit nativitatem Chriſti, peractum fuiſſe ſub *Sentio Saturnino* Syriæ Præſide, atqui Sentius Saturninus non erat Syriæ Præſes anno quadrageſimo Imperii Auguſti, ſeu anno Urbis Romæ conditæ 749. ſed Quinctilius Varus, qui Sentio Saturnino in Syriæ Præfectura ſucceſſit, ſicut compertum eſt ex multis nummis, quos exhibent periti hujus temporis Chronologi; ergo verum & proprium natale Chriſti conſignari haud debet anno quadrageſimo Imperii Auguſti, ſeu anno Urbis Romæ conditæ 749.

Hoc argumento convicti *Pagius, Harduinus, Schelſtratus, Bollandus, &c.* autumant verum & proprium natale Chriſti conſignandum eſſe anno trigeſimo nono Imperii Auguſti, ſeu anno Urbis Romæ conditæ ſeptingenteſimo quadrageſimo octavo, & anno Juliano quadrageſimo, quo anno putant Saturninum fuiſſe adhuc Syriæ Præſidem. Sed hæc ſententia ſtare non poteſt. Primò, quia conſtat Quinctilium Varum ſucceſſiſſe Sentio Saturnino in Præfectura Syriæ anno trigeſimo

Digitized by Google

mo octavo Imperii Auguſti, ſeu anno Urbis Romæ conditæ ſeptingenteſimo quadrageſimo ſeptimo, & anno Juliano trigeſimo nono. Id, inquam, conſtat ex nummo, qui cuſus eſt anno, quo *Quinctilius Varus* ſucceſſit Saturnino, & Syriæ Præfecturam ſuſcepit. Hic autem nummus, teſte Cardinali *Noriſio* diſſert. 2. de Epochis Syro-Macedonum aſſervatur Florentiæ in ſcriniis Marchionis *Franciſci Richardi*, & in eo hæc legitur inſcriptio Græca:

ΕΠΙ ΟΥΑΡΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΕΚ.

Hoc eſt: *Sub Varo Antiochenſium anno vigeſimo quinto*: ſeu anno vigeſimo quinto à pugna Actiaca. Antiochenſes enim partes Auguſti ſecuti æram ſuam deducebant à victoria, quam de Antonio in pugna Actiaca reportavit Imperator Auguſtus die 2. Septembris anni Urbis Romæ conditæ DCCXXIII. ſicut latè probat Card. *Noriſius* diſſert. 3. de epochis Syro-Macedonum, ex pluribus nummis Præſidum Syriæ, quos ibidem exhibet. Patet itaque ex hoc nummo Quinctilium Varum ſucceſſiſſe Saturnino, & Syriæ Præfecturam ſuſcepiſſe anno vigeſimo quinto à pugna Actiaca; ſeu anno vigeſimo quinto Regni Auguſti in Syria. Porrò annus vigeſimus quintus Regni Auguſti in Syria, hoc eſt, à pugna Actiaca, incidit in annum trigeſimum octavum Imperii Auguſti, ſeu in annum Urbis Romæ conditæ DCCXLVII. & in annum Julianum 39. ſicut fatetur ipſemet Cl. *Pagius* in ſua Critica Baronii. Cùm igitur juxtà *Pagium*, & alios ſupra memoratos Auctores, Chriſtus natus fuerit anno trigeſimo nono Imperii Auguſti, ſeu anno Urbis Romæ conditæ DCCXLVIII. nullâ ratione aſſeri poteſt: Chriſtum natum fuiſſe ſub Sentio Saturnino Syriæ Præſide, ſiquidem Saturninus ante diem 2. Septembris anni 39. Imperii Auguſti, ſeu Urbis Romæ conditæ DCCXLVIII. debuit è Syriæ Præfectura abire, & Varo locum cedere, quia annus æræ Antiochenæ vigeſimus quintus, quo currente Varus ſucceſſit Saturnino, fuit die 2. Septemb. anni 39. Imperii Auguſti, ſeu anni Urbis Romæ conditæ DCCXLVIII. completus. Quapropter in ſententia *Pagii*, & aliorum, qui aſſerunt Sentium Saturninum fuiſſe Syriæ Præſidem, quando Chriſtus natus eſt, neceſſariò dicendum eſt: aut Chriſtum natum eſſe anno 38. Imp. Auguſti, ſeu anno Urbis Romæ conditæ DCCXLVII. quo anno Sentius Saturninus adhuc erat Syriæ Præſes. Vel dicendum: Chriſtum natum eſſe ante menſem Septembrem anni 39. Imperii Auguſti, ſeu anni Urbis Romæ conditæ DCCXLVIII. nam ante menſem Septembrem ejuſdem anni jam Varus ſucceſſerat Saturnino in Præfectura Syriæ. Hinc non benè ſibi conſtare videtur doctiſſimus *P. Pagius*, quippe qui ex una parte affirmat Saturninum fuiſſe Syriæ Præſidem, quando natus eſt Chriſtus, & ex alia parte aſſerit: Chriſtum natum eſſe die vigeſimâ quin-

Digitized by Google

quintâ Decembris anni trigeſimi noni Imperii Auguſti, ſeu anni Urbis Romæ conditæ ſeptingenteſimi quadrageſimi octavi, quo tempore fatentur omnes periti Chronologi Sentium Saturninum jam è Syria abſceſſiſse, eique Quinctilium Varum in Pręfectura Syriæ ſucceſſiſse.

Hanc difficultatem ſubodoratus eſt *P.Harduinus*, & ut ab ea ſe ſe expediret, ait: Chriſtum natum eſse menſe Septembri anni Imperii Auguſti trigeſimi noni, dum adhuc Sentius Saturninus eſset Syriæ Pręſes. Sed hoc inane *Harduini* effugium adverſatur antiquæ traditioni Eccleſiæ. Quâ, ſicut teſtantur Sancti Patres *Chryſoſtomus*, & *Auguſtinus*: Chriſtus natus creditur die vigeſimâ quintâ menſis Decembris. In qua traditione conſentit tàm Orientalis, quàm Occidentalis Eccleſia. Hac itaque relictâ Auctorum ſententiâ.

Reſpondeo ad argumentum propoſitum, vel omninò deſerendum eſse Tertullianum, cujus auctoritas, ſicut docent *Noriſius* in Cenotaphiis Piſanis, & *Bernardus Lamy* in apparatu Chronologico, tanti non eſt, ut à nobis aſsenſum impetrare debeat, vel ſic explicandum eſse Tertullianum, ut velit dumtaxat cenſum indictum ab Imperatore Auguſto, inceptum fuiſse a Cyrino, ſeu Quirinio, quem Auguſtus anno 37. Imperii ſui miſit in Syriam cum poteſtate extraordinaria, dum adhuc Sentius Saturninus eſset Pręſes Syriæ. Potuit enim Tertullianus hunc cenſum Sentio Saturnino adſcribere, tum quia Saturninus Syriæ Pręſes erat, quando ad illum cenſum incipiendum cum plena & extraordinaria poteſtate *Cyrinus* ſeu *Quirinius* miſsus eſt in Syriam. Tum quia *Saturninus*, Quirinio in debellandis Homonadenſibus occupato, cenſum ab eo inceptum continuavit, quem poſtea abſolvit *Quinctilius Varus*, qui Saturnino in Syriæ prefectura ſucceſſit.

Advertendum eſt primò in fine hujusce Diſsertationis, *Baronium*, virum alioquin de hiſtoria Eccleſiaſtica optimè meritum, lapſum eſse nõ ſolùm in aſſignando anno Natalis proprii Chriſti, verùm etiam in pręfigendo exordio æræ Dionyſianæ, ſeu vulgaris, aut Chriſtianæ. Nam primò *Baronius* aſserit: Chriſtum natum eſse die vigeſimâ quintâ menſis Decembris anni quadrageſimi ſecundi Imperii Auguſti. Quod tamen oppidò falſum eſt, nam anno quadrageſimo ſecundo Imperii Auguſti jam è vivis exceſserat Herodes, ſicut conſtat ex his, quæ ſupra diximus: Chriſtum autem natum eſse regnante in Judæa Herode ſacrum perhibet Euangelium. Secundò, erravit Baronius in præfigendo exordio æræ Dionyſianæ, ſeu vulgaris. Nam annum primum æræ vulgaris orſus eſt Kalendis Januarii anni quadrageſimi tertii Imperii Auguſti, Conſulibus *C. Cæſare Auguſto XIII.* & *M. Plautio Silvano*. Cùm tamen in confeſso ſit apud omnes Chronologos annum primum æræ Dionyſianę ſeu vulgaris initium habuiſ-

ſe

Digitized by Google

ſe Kalendis Januarii anni quadrageſimi quinti Imperii Auguſti, Conſulibus *Cajo Cæſare Auguſti nepote*, & *L. Æmilio Paulo*. Hinc Eminentiſſimus ille Annalium Parens duobus integris annis in præfigendo exordio æræ vulgaris à vero deflexit uſque ad annum ejusdem æræ ducenteſimum quinquageſimum primum, ubi ſuis annalibus inferendo primum Decii Imperatoris Conſulatum, quem tamen non ordinarium, ſed ſuffectum fuiſſe diſertè oſtendit doctiſſimus *Pagius* ad annum æræ vulgaris, ſeu Chriſtianæ 251. non ampliùs biennio, ſed triennio ſolido ab æra vulgari exorbitavit *Baronius*, qui tamen ubi primùm animadvertit ſe integro triennio in adornandis Eccleſiæ annalibus ab æra vulgari receſſiſſe, ut deprehenſum corrigeret errorem; primò expunxit è faſtis Conſularibus Conſulatum *Fulvii Æmiliani*, & *Pomponii Baſſi*, quos anno æræ vulgaris 259. Conſules fuiſſe teſtantur faſti Græci tàm Theonis, quàm Heraclii, faſti Idatiani, quos *Sirmundus*, & *Labbæus* publici juris fecerunt, fragmentum etiam Conſulare, quo uſus eſt *Cuſpinianus*, quodque Cardinalis *Noriſius* egregiis notis illuſtravit ad calcem lib. *de Epochis Syro-Macedonum*; varia denique reſcripta Codicis Juſtinianæi, quæ laudat idem Cardinalis in diſſertatione *de votis decennalibus*. Secundò, *Baronius* expunxit è faſtis Conſularibus Conſulatum *Cornelii Sæcularis*, & *Julii Donati*, quos tamen anno æræ vulgaris 260. fuiſſe reverà Conſules, convenit inter omnes eruditos. Porrò, omiſſo utroque illo Conſulatu, *Baronius* anno Chriſti 261. æram Dionyſianam ſeu vulgarem eſſet aſſecutus, niſi, ut mox diximus, primum Decii Imperatoris Conſulatum, quem ſuffectum eſſe certiſſimè conſtat, tanquàm ordinarium intruſiſſet. Quapropter *Baronius* anno Chriſti 261. ab æra Chriſtiana adhuc integro anno recedebat, quam poſt longum erroris curſum, ut tandem aliquando attingere poſſet, anno Chriſti 278. Probi Imperatoris II. Collega Lupo Conſulatum abdicavit, quem tamen Conſulatum ordinarium fuiſſe *Noriſius* cap.3. diſſert.2. *de Epochis Syro-Macedonum*, & *Pagius* ad annum Chriſti 278. latè probant ex libello de Præfectis Urbis, & ex faſtis Idatii, Proſperi, Victorii, Caſſiodori, &c. Hoc autem prætermiſſo ſecundo Probi Imperatoris Conſulatu, *Baronius* æram Chriſtianam aſſecutus eſt anno Chriſti 280.à qua deinceps in ſuis Annalibus nunquam receſſit. Obſervant etiam *Noriſius* & *Pagius* locis mox citatis, *Baronium* ad aſſequendam æram vulgarem non ſolùm tres Conſulatus ordinarios è faſtis Conſularibus abraſiſſe, ſed etiam Imperatori *Probo* duos ademiſſe annos, ut videlicet Imperatorum annos cum æra vulgari connectere poſſet. Nam cùm *Baronius* mortem Imperatoris Auguſti illigaſſet anno 16. æræ vulgaris, ideſt, duobus annis eam poſtpoſuiſſet (mortuus quippè eſt Imperator Auguſtus anno 14. æræ vulgaris) hunc errorem in conſignandis Imperatorum

Digitized by Google

torum annis cum æra Chriſtiana retinuit *Baronius*, donec in æram Imperatoris Diocletiani impingens, animadvertit initium Imperii Diocletiani amoveri non poſſe ab anno æræ Chriſtianæ, ſeu vulgaris 284. Quamobrem, ut in viam redire poſſet *Baronius*, & annos Imperatorum cum æra vulgari connectere, Imperium Probi aggreſſus duos illi eripuit annos, dans ei dumtaxàt annos quatuor, cùm tamen ſex annis eum imperaſſe, Auctores ſint *Euſebius* in Chronico, *Caſſiodorus*, *Idatius*, *Eutropius*, *Victor Scotticus*, multaque indubitatæ fidei evincant antiquitatis monumenta. Sic *Baronius* ſublatis illis duobus annis Imperii Probi in viam rediit anno Chriſti 280. ab eo ſiquidem anno non ſolùm faſti Conſulares, ſed & Imperatorum anni cum æra vulgari ſeu Chriſtiana perfectè in Annalibus *Baronii* conſentiunr.

Advertendum ſecundò: Erraſſe itidem *Baronium*, dum annum quadrageſimum quintum Imperii Auguſti, qui fuit primus ærę vulgaris ſeu Chriſtianæ annus, conſignat per Conſulatum Auguſti XIV. & Æmilii Pauli. Hunc errorem refellit Cardinalis *Noriſius* diſſert. 2. *de Cenotaphiis Piſanis* cap. 13. ubi invictis argumentis demonſtrat Imperatorem Auguſtum tredecim dumtaxat Conſulatus egiſſe. Doctiſſimus etiam *Pagius* bono hiſtoriæ Eccleſiaſticæ natus, in Critica *Baronii* ad annum primum æræ Chriſtianæ, luculenter oſtendit Conſulatum decimum quartum Imperatoris Auguſti eſſe planè commentitium, & in vetuſtis ac correctis Dionis Codicibus legi *Cajum Cæſarem* fuiſſe Conſulem cum Æmilio Paulo, non verò *Cæſarem Auguſtum*, quo fit, ut interpolata fuerint illa Dionis exemplaria, quæ conſulit Cardinalis *Baronius*, & in quibus legit Imperatorem Auguſtum Conſulatum egiſſe decimum quartum cum Æmilio Paulo.

DISSER-

DISSERTATIO SEPTIMA

De vaticinio Jacob, Geneſis cap. 49. Non auferetur ſceptrum de Juda, &c. *& de circumſtantiis Nativitatis Chriſti Domini.*

HAnc Diſſertationem partiar in duos Paragraphos. In primo oſtendam hoc vaticinium Jacobæum Geneſeos cap. 49. *Non auferetur ſceptrum de Juda, &c.* fuiſse impletum in Nativitate Chriſti. In altero adversùs Judæos commonſtrabo ex circumſtantiis Nativitatis Chriſti invictè probari eum eſse verum Meſſiam Prophetarum oraculis prædictum.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Utrùm hoc Jacobi vaticinium: Non auferetur ſceptrum de Juda, &c. *fuerit impletum in Nativitate Chriſti?*

EA eſt Judæorum pervicacia, ut in lectione Moyſis ultrò velamen cordi ſuo obducant, & in tanta Prophetarum, Euangeliique luce ſicut noctuæ ad Solem cęcutiant. Hinc omnibus Prophetarum oraculis, quæ in Chriſto Domino fuere adamuſſim completa, tenebras conſultò offundunt, ſuosque oculos ad tot affulgentes veritatis radios deploranda cæcitate occludunt. *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude, ne fortè videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & convertatur, & ſanem eum.* Iſaiæ cap. 6. Quapropter, ut eorum obſtinatio magis ac magis retundatur, hoc in Paragrapho probandum ſuſcipio in Chriſti Nativitate fuiſse completum illud vaticinium Patriarchæ Jacobi morientis his verbis conceptum: *Non auferetur ſceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium.* Simulquè oſtendam omnia tela, quæ adversùs tam evidentem Jacobi prædictionem intendunt increduli Judæi, adeò infirma, frigida, & obtuſa eſse, ut eam potiùs confirment, quàm labefactent.

DICO ITAQUE: Hoc vaticinium Jacobi morientis, *non auferetur ſceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium, &c.* fuiſse impletum in Nativitate Chriſti Domini.

Probatur hæc aſſertio unico, ſed efficaciſſimo argumento. Patriarcha *Jacob* hoc vaticinio prędixit venturum Meſſiam eo tempore,

Digitized by Google

quo, poteſtate Judæorum deficiente, Sceptrum, ſivè Regia, vel Ducalis dignitas ad alienigenam tranſire debebat, atqui Chriſtus Dominus natus eſt eo tempore, quo Sceptrum, ſeù Regia, vel Ducalis dignitas Judæis ablata ad alienigenam tranſivit, ergo hoc vaticinium Jacobi morientis fuit reverà impletum in nativitate Chriſti. Major conſtat ex tenore vaticinii Jacobæi, quod juxtà editionem vulgatam ſic habet: *non auferetur ſceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium.* In textu verò hebræo ſic legitur: *non recedet ſceptrum de Juda, neque Dux de inter pedes ejus, donec veniat Siloh, & ipſi obedientia populorum*. Hoc eſt, ejus doctrinam populi recipient, illiuſque præceptis, ac mandatis obtemperabunt. Voce autem *Siloh* Meſſiam ſignificari conſentiunt Chaldæi paraphraſtæ, videlicet *Thargum Onkeloſi*, *Hieroſolymitanum*, & *Jonathanis*. Sicque etiam unanimi calculo interpretantur omnes Sancti Patres, qui licèt in Jacobæi oraculi interpretatione in varias abeant ſententias, in eo tamen concordes ſunt, quod velint, illud oraculum venturi Meſſiæ prædictionem continere, & ad ipſum eſſe referendum. Probatur igitur minor, videlicèt Chriſtum natum eſſe eo tempore, quo Sceptrum, ſeù Regia, vel Ducalis dignitas non ſolùm à tribu Juda, ſed ètiam à tota gente judaica ablata tranſivit ad alienigenam. Chriſtus natus eſt Herode regnante in Judæa, ſicut legitur *Matth.* cap. 2. atqui Herodes fuit alienigena; ergo Chriſtus natus eſt eo tempore, quo Regia, vel Ducalis dignitas non tantùm à tribu Juda, ſed etiam à tota gente judaica ablata tranſivit ad alienigenam. Quòd Herodes fuerit alienigena, liquet ex multis momentis. Primò, quia Herodes nec poſtulato, nec expectato judæorum conſenſu, ſed ſolo favore, atque ope Romanorum adjutus Judææ Regnum obtinuit anno quinto Imperii Auguſti. Secundò, Joſephus paſſim in lib. 14. Antiq. & in lib. 1. de Bello Judaico cap. 25. aſſerit Herodem Antipatri filium genere idumæum fuiſſe. Tertiò, idem teſtantur veteres Ss. Patres, & Scriptores Eccleſiaſtici, qui Herodem alienigenam, & *allophylum*, ſeù extraneum, & peregrinum ſummo conſenſu pronunciant, quamvis quidam illum *Aſcalonitam*, quidam *Idumæum* appellent. Ita ſentiunt *Origenes* hom. 17. in Geneſim, *Euſebius* lib. 1. Hiſtor. Eccleſ. cap. 6. *Ambroſius* lib. 3. in Lucam, & libro *de Benedictionibus Patriarcharum* cap. 9. *Hieronymus* Commentario in cap. 3. Oſeæ, *Auguſtinus* lib. 18. de Civitat. Dei cap. 45. *Theodoretus* dialogo primo, *Sulpicius Severus* lib. 2. Hiſt. Sacræ cap. 27. & alii quamplurimi, quorum ſententiæ ſubſcribit *S. Thomas* 3. part. quæſt. 35. art. 8. ad 2. porrò tam Cano, tamque venerando totius antiquitatis conſenſui, citrà temeritatem reclamare non licet. Quartò, Herodem fuiſſe

fuiſſe alienigenam , & non genere judæum , colligitur ex ſecta Herodianorum , qui , ſicut docent *Tertullianus* ; *Epiphanius* , & *Philaſtrius* , ità appellabantur , quòd Herodem haberent pro Meſſia , eò quòd , cùm eſſet alienigena , Regnum Judęæ occupaſſet ; Regno quippè Judęæ ad extraneum hominem tranſlato , ſibi perſuaſerunt Herodiani, Herodem eſſe Meſſiam, quod ex eo Scripturæ loco conſequi videbatur : *non auferetur ſceptrum de Juda, donèc veniat , qui mittendus eſt* . Quintò , Herodem fuiſſe alienigenam apertè declarant ea quæ , teſte *Joſepho* lib. 15. Antiq. cap. 11. geſſit poſtquàm fuit à Romanis Regia dignitate auctus . Nam Judæorum inſtituta peregrinis ritibus violavit , inſtituit Athletica certamina , quinto quoque anno, in honorem Cæſaris , theatrum in Urbe , & amphiteatrum in campo extruxit , Sacerdotio , aut abdicavit , aut promovit quos voluit , ſibi omne jus , Supremam , atque Regiam in Judęa authoritatem arrogavit , & exercuit ; Samariam *Sebaſten* dictam Auguſti honori dicavit , Davidis ſepulchrum recluſit , interemit eos , qui ex ſtirpe Regia erant oriundi , & omnes libros , qui de Judææ Regum genealogia conſcripti erant , ſedulò conquiri , & comburi juſſit , ne videlicet genti Herodianæ , ut pote quæ nec ex Davidis familia , nec ex judaico genere prodierat , aditus ad Regnum Judææ præcluderetur . Hac potiſſimùm de cauſa Herodes politicis artibus inſignis , ſuæque ignobilitatis conſcius, in omnes proſapiæ Regiæ Judæos graſſari , eorumque genealogias penitùs abolere ſibi neceſſarium duxit *exiſtimans* , inquit Euſebius lib. 1. Hiſtor. Eccleſ. cap. 6. *Se nobilem videri poſſe , ſi novicius eſſe , & advena Iſraelitici generis nullis conſcriptionum Faſtibus urgeretur* . Sextò , tàm conſtans erat , apud Judæos fama, Herodem non eſſe Judæum , ſed alienigenam , adeòque nullum ipſi jus ad Regnum Judęæ eſſe aſſertum , ut benè multi ex eſſenis , aliiſque judæorum ſectis adduci nunquam potuerint , ut in ejus fidem jurarent , plurimique etiam tormentis , & comminatione ad juramentum illud præſtandum fuerint compulſi . Denique quî credibile eſt Herodem fuiſſe genere Judæum , quem conſtat intenſiſſimum fuiſſe hoſtem judæorum, eoſque odio pluſquam vatiniano ſemper fuiſſe proſecutum , ita ut etiam in illos ultrà funus ſuum ſævire voluerit , dùm *Salomæ* ſorori ſuæ , & *Alexæ* Salomæ viro ferale illud dedit mandatum occidendi poſt ſuum obitum omnes nobiles judæos , quos in hunc finem paulò antequàm animam efflaret , in circo concludi juſſerat ? Ex his itaque momentis manifeſtò patet Herodem non fuiſſe genere judæum , ſed alienigenam , ac ſubindè reverà in Nativitate Chriſti fuiſſe impletum hoc Jacobæum oraculum : *non auferetur ſceptrum de Juda , & Dux de femore ejus , donec veniat , qui mittendus eſt , &c.*

Digitized by Google

Scio quoſdam eſſe Theologos, qui putant illud Jacobi oraculum non fuiſſe reapſè completum regnante Herode, ſed eo dumtaxàt tempore, quo omnis magiſtratus Civilis, & Hierarchicus, apud Judæos abolitus eſt, quod quidem contigit anno æræ vulgaris LXX. quandò videlicèt captâ per *Titum* Imperatorem Jeroſolymorum Urbe, & ſolo æquatâ, templum quoque funditùs dirutum eſt. Verùm, etſi ipſe non inficias eam, Judæos non deſtitiſſe efficere populum diſtinctum à reliquis gentibus, eoſque leges, & mores ſuos ſervaſſe, donec à *Tito*, & *Veſpaſiano* vaſtati per totum Orbem diſperſi ſunt; contendo attamen Sceptrum, ſeù Regiam, & Supremam poteſtatem è tota judaica gente fuiſſe ſublatam tempore Herodis, qui Regnum Judææ Romanorum auctoritate invaſit. At enim tunc non ſolùm Judæi Romanorum Imperium, ac jugum ſubjerunt, duramque ſervitutem ſervierunt, ſed & Regem habuerunt Herodem non origine Judæum, ſed idumæum; eo itaque regnante completum eſt illud Jacobæum oraculum: *non auferetur Sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus donec veniat, qui mittendus eſt*, &c. quo oraculo prænunciare voluit Jacob, ſublato ſemel è gente judaica ſceptro, & ad alienigenam tranſeunte, venturum Meſſiam.

Hoc argumentum judæorum jugulum petit. Inficiari ſi quidem non poſſunt, Regiam poteſtatem è tota gente judaica, regnante Herode, fuiſſe ad peregrinum, ſeù alienigenam translatam, ſeque omnes poſt Cladem Jeroſolymitanam fuiſſe quo quo verſùm diſſipatos, alienis parere coactos legibus, nihil eorum prorsùs habentes quibus conſtat Regia poteſtas, putà jus reos morte plectendi, belli denunciandi, ac gerendi, monetam cudendi, leges ferendi. Imò inviti licèt nunc experiuntur, ſe tanquam bipedum viliſſimos contemptui, & ludibrio haberi, ſine rege, ſine ſacrificio, exules, & in ſumma rerum omnium penuria vivere, adeò ut teſte *Tertulliano* Apologetici cap. 21. *Diſperſi, palabundi, & cæli, & ſoli ſui extorres vagentur per Orbem ſine homine, ſine Deo Rege, quibus nec advenarum jure terram patriam ſaltèm veſtigio ſalutare conceditur*. Quæro ergo nunc à Judæis; quænam tot calamitatum quibus impræſentiarum tantùm non opprimuntur, potuerit eſſe cauſa? Certè idololatriam cauſari non poſſunt, ob quam Deus interdùm illos in captivitatem abduxit, nam conſtat Judæos poſt captivitatem Babylonicam nunquàm fuiſſe in idololatriam prolapſos, ſemperque totis obſtitiſſe viribus, ne in Dei templum imagines quævis Deorum, hominumque inferrentur, vel illud templum, alteri quam vero Deo ſacraretur. Quid etiam egerint, quidvè paſſi fuerint Judæi, nè *Cajus Caligula* in templo ſuam imaginem poneret, aut illud ſuo Numini, nomine Jovis illuſtris, dedicaret, uberrimè exponunt Philo *de legatione*

tione ad Cajum, & *Joſephus* lib. 18. Antiq. cap. 11. quin etiam *Cornelius Tacitus* lib. 5. Hiſtoriarum de Judæorum ritibus loquens hæc habet: *Judæi mente ſola, unumque numen intelligunt, ſummum illud, & æternum, neque mutabile, neque interiturum. Igitur nulla ſimulachra vrbibus ſuis, nedùm templis ſunt. Non Regibus, hæc adulatio, non Cæſaribus honor ...... juſſi à Cajo Cæſare effigiem ejus in templo locare, arma potiùs ſumpſere*. Undè ergo, amabo, in tot mala inciderunt Judęi quibus à tempore paſſionis Chriſti Domini continuò vexantur? niſi quia Chriſtum verum Meſſiam, in cujus ortu impletum eſt Jacobi oraculum, ſuſcipere, & agnoſcere detrectarunt, & etiamnùm perſequentem, ut ità loquar, fugiunt veritatem, dum Prophetarum de Chriſto vaticinia vanis argutiis incruſtare, & obſcurare moliuntur. Sed difficile non eſt futiles rationes, ac ſiniſtras interpretationes, quibus judæi Chriſtianorum argumenta eludere tentant, confutare; & Jacobi vaticinium, quòd præcipuè impetunt, ab eorum cavillis vindicare.

DILUUNTUR
Judæorum objectiones.

ARguitur primò: Jacobi morientis vaticinium ſic exprimitur in textu hebræo, *non recedet Sceptrum de Juda, neque Dux de inter pedes ejus donec veniat Siloh*. Atqui *τό Siloh* ad Meſſiam referri minimè debet, ſed potiùs ad Urbem *Silo*, in qua *Saul*, & *Jeroboam* Reges inaugurati ſunt; adeò ut hic ſit genuinus prophetiæ Jacobi ſenſus, non auferetur ſceptrum de Juda, donec veniat tempus, quo vel Saul, vel Jeroboamus inungetur Rex in Urbe *Silo*. Ergo hæc Jacobi prædictio ad Meſſiam nullatenùs pertinet.

Reſpondeo: Judæos in meridie planè cæcutire, dùm hoc Jacobi vaticinium ad Saulem, vel ad Jeroboamum referendum eſſe pervicacitèr contendunt: Nam primò, præter quàm quod nec Saul, nec Jeroboamus in Urbe *Silo* poteſtatem Regiam acceperunt (ſi quidem Saul electus eſt Rex in *Maſpha*, confirmatus in *Galgala*, & unctus à Samuele in *Ramathain Sophin*, ſicut legitur lib. 1. Reg. cap. 10. Jeroboamus verò in Sichem Rex fuit conſecratus, ut habetur 3. Reg. cap. 12.) prætèr hòc, inquam, manifeſtum eſt, ſceptrum Juda, tum temporis, necdùm defeciſſe, cùm potiùs poſt mortem Saulis in Davide emicuerit, immò poſt mortem Salomonis in duabus tribubus, uſque ad captivitatem Babylonicam perſeveraverit. Secundò, antequàm regnaret Saul, ſceptrum nondum erat in tribu Juda, ſed in tribu Levi, nam *Heli*, & poſt ipſum *Samuel* Judæis tanquam judices præfuerunt. Non potuit ergo Principatus è tribu Juda transferri ad Saulem..

Tertiò,

Tertiò, non dixit Jacob, non auferetur ſceptrum de Juda, donec veniat aliquis ungendus in *Silo*, ſed, inquit, donec veniat ipſe *Siloh*, ideſt, Meſſias, ſicut paraphraſes Onkeloſi, & Jonathæ, nec non Targum Hieroſolymitanum exponunt, ſic enim habet Onkelos: *uſque dum veniat Meſſias*. Jonathas verò, & Targum Hieroſolymitanum, *uſque ad tempus quo veniet Rex Meſſias*. Verſio LXX. Interp. *non deficiet Princeps ex Juda, & Dux de femore ejus, donec veniant quæ repoſita ſunt ei. Et ipſe eſt expectatio gentium*. Textus Samaritanus, *non auferetur ſceptrum de Juda, & Dux de vexillis ejus donec veniat pacificus, & ad ipſum congregabuntur populi*. Denique hoc Jacobi vaticinium non de alio quàm de Meſſia intelligi debere fatentur ipſi Rabbini in Talmude tractatu *Sanhedrin* cap. 11. *Rabba* in Geneſim, *Raſchi*, *Salomon Jarchi*, *David Kimki*, & alii. Ex quo patet frivolas omninò eſſe interpretationes recentiorum judæorum, quorum alii hanc Jacobi prædictionem ad Moſem, alii ad Saulem, alii ad Davidem, alii ad Jeroboamum, alii ad Nabuchodonoſorem, alii ad Ahiam Silonitem, alii ad Herodem, alii ad Veſpaſianum referunt, quibus tamen omnibus hæc Jacobæi oraculi verba, *& ipſe erit expectatio gentium*, nullatenùs convenire poſſunt, ſed ſoli Meſſiæ, ſeù Chriſto Domino.

Arguitur ſecundò: ſenſus vaticinii Jacobi non eſt ille, quem ipſi violentâ interpretatione affingunt Chriſtiani, videlicèt, quod in gente judaica permanſurum ſit ſceptrum Regium donec veniat Meſſias, ſed potiùs hic eſt oraculi Jacobæi ſenſus, quod premendi, ac vexandi ſint Judæi, virgâque afflictionis puniendi, donec veniat Meſſias, à quo in priſtinam libertatem ſunt aſſerendi. Ergo ex eo Jacobi vaticinio colligi non poteſt, Chriſtum eſse verum Meſſiam, licèt in ejus ortu fuerit è gente judaica ablatum ſceptrum, & ad alienigenam, ſeù Herodem tranſierit. Prob. ant. in fonte, ſeù in textu hebræo ſic legitur: non recedet *Scheveth d Juda*, hæc autem vox *Scheveth* non ſignificat Regium ſceptrum, ſed virgam afflictionis, quâ Judæi cædi debent, donec veniat Meſſias, ergo verus ſenſus Jacobi vaticinii hic eſt, quod Judæi virgâ afflictionis premi, & flagellari debent, donec veniat Meſſias eorum liberator.

Reſpondeo: Hoc vaticinio Jacobi reverâ prædici permanſurum in gente Judaica ſceptrum regium, donèc veniat Meſſias, ac ſubindè vanam, frivolam, tortam, & impiam eſſe expoſitionem, quam adhibent Neoterici Judæi aſſerentes per *Scheveth* ſignificari virgam afflictionis, quâ Judæi cædi debent, donèc veniat Meſſias. Id ex multis momentis demonſtrare proclive eſt. Primò, quia conſtat Patriarcham Jacob, dùm benedixit filio ſuo Judæ, imprecari ei noluiſſe, nèc quidquam infauſti ominari, ſed potiùs ei aliquid fauſtum, ac ſingu-

Digitized by Google

ſingulare prædicere voluiſſe. Secundò, in hoc vaticinio Jacobæo de ea virga ſermo eſt, quæ ſpectat ad Regiam, vel Ducalem dignitatem, nàm habetur: *Non auferetur ſceptrum de Juda, & Dux &c.* Porrò virga, quæ ad Regiam, vel Ducalem ſpectat dignitatem, non eſt virga afflictionis, ſed virga Principatus, & dominationis. Tertiò, certum eſt Judæos non fuiſſe ſemper virgâ afflictionis punitos, ſed potiùs temporibus Regum Davidis, & Salomonis res eorum maximè floruiſſe, regnum ſiquidem Salomonis fuit opibus abundans, ditione auguſtum, pacis munere fortunatum. Quartò, illa prædictio Jacobi de perpetua afflictione non ſtat cum eo, quod dicit idem Patriarcha, videlicèt manum Judæ fore in cervicibus inimicorum ſuorum, nèc illa perpetuæ afflictionis virga convenit cùm voce hebræa, *Mechokek*, quæ non indicat tyrannum, ſed legiſlatorem, & ſcribam, ſicut fatentur periti Rabbini. Quintò, vox *Scheveth* ingerit non afflictionis, ſed dignitatis notionem, ſeu ſignificat Principatum, Imperium, Magiſtratum, Regiam dignitatem, ſicut ex Hebræorum dictionariis, & ex quampluribus Scripturæ ſacræ locis compertum eſt, immò hanc vocem *Scheveth* eo in ſenſu non ſemel uſurpavit Pſalmiſta, *reges eos in virga ferrea*. Pſalm. 3. *virga directionis, virga regni tui*. Pſalm. 44. Sextò, hanc vocem *Scheveth* LXX. Interpretes, qui diù antequam Chriſtus oriretur, ſacra Biblia Hebraica græcè reddiderunt, de regia, ſeu ſummâ auctoritate ſunt interpretati. Hos ſecuti ſunt *Theodotion*, *Aquila*, & *Symmachus*, quibus ſuccinunt paraphraſtæ Chaldæi, ſic enim vertit *Onkeloſus*: *Non deficiet exercens dominium*. Paraphraſis Jonathanis ſic habet: *Non ceſſabunt Reges, & Principes*. Targum Hieroſolymitanum: *Non ceſſabunt Reges*. Sic etiam legendum eſſe docent celebriores Rabbini, nimirum R. *Raſchi*, R. *Rabba* auctor libri Bereſcith, R. *Maimonides*, R. *Bechai*, R. *David Kimki*, R. *Hiſchia*, R. *Salomo Urbinas*, & alii. Undè patet Judæos negare non poſſe hanc vocem *Scheveth* in oraculo Jacobi ſceptrum, ſeu regiam dignitatem ſignificare, quin ſuas paraphraſes Scripturæ ſacræ, quas tamen in ſummo pretio habent, explodant, & celebriores gentis ſuæ Magiſtros, quos tam impensè venerantur, & tantùm non adorant, erraſſe contendant. Abeant ergò nunc Judæi, quorum tanta eſt impudentia, ut quaſcumque abſurdiſſimas licèt interpretationes, quas ad eludenda Chriſtianorum argumenta adducere poſſunt, non abhorreant; tantùm ne colla veritati ſubdere, atque Chriſtum, ceù verum Meſſiam fateri, atque agnoſcere cogantur. Digni profectò homines, qui, divino cum ſint rebelles lumini, & clariſſimis Prophetarum oraculis fidem habere nolint, ſuis pluſquam cimmeriis tenebris perpetuò obvolvantur. Verùm pergamus alias Judæorum argutias proponere, atque diluere.

Ar-

Digitized by Google

Arguitur tertiò : Tempore quo Jeſus Chriſtus natus eſt, ſceptrum è gente Judaicâ nondùm erat ablatum, nec ad alienigenam tranſierat, ergo hoc Jacobi vaticinium : *Non auferetur ſceptrum de Juda, &c.* Exitum non habuit in Nativitate Chriſti. Prob. ant. Chriſtus natus eſt in diebus Herodis Regis in Judæa, atqui Herodes non erat alienigena, ſed Judæus genere, *Nicolaus* ſiquidem *Damaſcenus*, qui genus, & ſtemma Herodis apprimè noverat, illum genere Judæum eſſe ſcripſit, nec ab eo diſſentit Joſephus, qui lib. 20. antiq. cap. 6. referens contentionem ortam Cæſareæ Syros inter & Judæos, ait : Judæos, qui Cæſareæ erant, ideò Syris præponi voluiſſe, quod Urbis Cæſareæ conditor Herodes Rex fuerit Judæus genere. Non ergò è gente Judaica ablatum fuit ſceptrum, quandò in Judæa regnavit Herodes.

Reſpondeo : Me jam ſatis ſupèrque inter probandam aſſertionem, tàm ex teſtimonio Joſephi, & Sanctorum Patrum, quàm ex multis aliis momentis oſtendiſſe, Herodem, quo in Judæa regnante, natus eſt Chriſtus Dominus, alienigenam fuiſſe reſpectu Judæorum, quapropter nulla fides habenda eſt *Nicolao Damaſceno*, dùm, aſſentandi, palpandique ſtudio ductus, finxit Herodem eſſe genere Judæum, & à Judæis oriundum, qui Babylone captivi fuerunt, immò eum è tribu Juda genus ſuum duxiſſe ait. Quæ fabuloſa Herodis genealogia jure meritò reiicitur à Joſepho, qui aſſerit Herodem non fuiſſe genere Judæum, ſed Idumæum; undè *Nicolaum Damaſcenum* contrarium effutientem, tanquàm ignavum Herodis aſſentatorem perſtringit. Nec ſibi contradicit Joſephus, quando refert, loco in obiectione laudato, Judæos Cæſarienſes, ut jus Civitatis contra Syros ſibi aſciſcere poſſent, dixiſſe Herodem genere Judæum fuiſſe : non in hoc, inquam, ſibi contradicit Joſephus, quia id dumaxàt hiſtoricè refert, ut reverà à Judæis Cæſarienſibus dictum, illud tamen ſuo calculo non probat, quin potiùs, ſicut mox diximus, invehitur in *Nicolaum Damaſcenum*, qui, ut Herodi palpum obtruderet, eum genere Judæum fuiſſe commentus eſt. Cæterùm quamvis Herodes non fuerit genere Judæus, negari tamen haùd poteſt illum fuiſſe religionis profeſſione Judæum. Erat quippè Idumęus; Idumęi autem, ex quo *Joannes Hircanus* Judæorum Pontifex atque Rex ipſos edomuit, circumciſione acceptâ ad Judæos aggregati ſunt, quamvis nihilominùs diverſos ritus, & inſtituta habuerint. Hinc *Idumæi* in Scriptura ſacra alienigenæ reſpectu Judæorum appellantur, *in Idumæam extendam calceamentum meum, mihi alienigenæ amici facti ſunt*. Sed quorsùm, dicet fortaſſe aliquis, ritus, ac leges *Idumæorum* Judæis non impoſuit Herodes, ſi eſſet ipſemet Idumæus? Huic quæſtioni facilè fit ſatis, dicendo Herodem, licèt genere Idumæum, id tamen

men non auſum eſſe tentare, tùm quia probè ſciebat, Judæos legi, ac ritibus ſuis addictos, quidvis potiùs toleraturos, quàm eorum immutationem. Undè ne, intempeſtivâ rituum mutatione, eorum animos jàm ſatis commotos exaſperaret, in Judaicis ritibus nihil immutandum eſſe duxit. Tùm quia etiam Herodes, utpotè vir politicus, fortunæ tantùm, ac tempori ſerviens, de religione parùm admodùm curabat, undè quamvis genere eſſet Idumæus, Judaico tamen more ſemper vixit, ut conſtat ex dicto Imperatoris Auguſti, quod refert *Macrobius* lib. 2. *Saturn*. cap. 4. *Meliùs èſt porcum Hero dis eſſe, quàm filium*, eo quippè dicto inſinuatur Herodem Moſaicæ legis ritus obſervaſſe, & à porcis, aliiſque id genus animalibus à lege prohibitis, abſtinuiſſe. Conſulat Lector opuſculum, quod *Serarius* edidit *de Herode*.

Arguitur quartò: Tamdiù ſceptrum regium permanſit in gente Judaica, quamdiù penès eam fuit jus vitæ, & necis, atqui penès gentem Judaicam fuit jus vitæ, & necis, etiam poſt paſſionem Chriſti Domini, ergo è gente Judaica non fuit ablatum ſceptrum tempore Nativitatis Chriſti. Prob. min. Pilatus compellans Judæos, *Matth.* cap. 27. ait: *Habetis cuſtodiam, ite, cuſtodite ſicut ſcitis*. Dumque eum inſtigarent Judæi, ut Jeſum in crucem ageret, reſpondit: *Accipite eum vos, & ſecundùm legem veſtram judicate eum*. Joannis cap. 18. prætereà, Judæi, poſt paſſionem Chiſti, poteſtatem judiciariam exercuerunt in *Stephanum*, quem lapidibus obruerunt, ſæpiùs etiam Apoſtolos in vincula conjecerunt. Denique Paulus, qui tùm temporis appellabatur *Saulus*, cum mandatis Principum Sacerdotum profectus dicitur Damaſcum, ut, ſi quos nactus fuiſſet Judæos Chriſtianis adhærentes, vinctos perduceret Hieroſolymam. Quæ omnia apertè probant Judæos, etiam poſt paſſionem Chriſti, exercuiſſe judiciariam poteſtatem, & habuiſſe jus vitæ, & necis.

Reſpondeo: Hanc poteſtatem judiciariam, quam Judæi poſt natum Chriſtum exercuerunt, non fuiſſe ſupremam, ſed umbratilem, precariam, & fiduciariam, quam videlicèt Romani Judçæ procuratores ipſis Judæis indulgebant, ut eis omnem tumultuandi occaſionem adimerent, vel hanc poteſtatem judiciariam fuiſſe à Judæis uſurpatam inſciis procuratoribus Romanis: Hæc reſponſio triplici momento confirmari poteſt. Primò, quia conſtat ejecto Archelao, qui poſt obitum patris ſui, Ethnarchæ Judçæ titulum ab Imper. Auguſto obtinuit, Judçam fuiſſe à Romanis in provinciam redactam, ſummamque illius adminiſtrandæ auctoritatem fuiſſe penès procuratores, qui Româ mittebantur. Teſtatur enim Joſephus lib. 18. antiq. cap. 1. & lib. 2. de bello Judaico cap. 12. *Coponium*, qui primus, poſt abdicatum Archelaum, in Judæam à Romanis miſſus eſt, jus habuiſſe vitæ,

Digitized by Google

& necis, *miſſus eſt*, inquit Joſephus, *Coponius eques Romanus in Judæam cum poteſtate occidendi*. Secundò, legimus in Euangelio Joannis cap. 18. quod poſtquam Pilatus Judæis Chriſtum ad mortem poſtulantibus dixiſſet: *Accipite eum vos, & ſecundùm legem veſtram judicate eum*, incunctanter ei reſponderunt Judæi: *Nobis non licet interficere quemquam*. Tertiò, Joſephus lib. 20. antiq. cap.8. refert, quod poſtquàm junior *Ananus* Summus Pontifex mortuo *Feſto* Judęæ præſide, & *Albino* ejus ſucceſſore adhùc agente in itinere, Synedrium advocaſſet, & fratrem Jeſu Chriſti Jacobum nomine, & unà quoſdam alios reos impietatis peractos lapidandos tradidiſſet, quidam Judæi Albino occurrentes venienti ab Alexandria, docuerunt eum, non licuiſſe Anano Synedrium ſine ipſius conſenſu advocare, quorum verbis ille perſuaſus ſcripſit Pontifici daturum ſibi pœnas minitans. Ex quo Joſephi loco colligitur Synedrium à Summis Judæorum Pontificibus convocari haud potuiſſe abſque conſenſu eorum, qui ad procurandam Judęam à Romanis mittebantur. Addo etiam, fateri ipſosmet Judæos in Talmude tractatu Sanhedrin cap. 5. quadraginta annis ante everſionem, ſeu devaſtationem Templi, judicium animarum, ut loquutur, ſeu poteſtatem judicandi in cauſis criminalibus Synedrio fuiſſe ablatam, porrò Templum everſum eſt anno ęræ Chriſtianæ ſeptuageſimo. Undè manifeſtum eſt Judæos, nato ſemel Chriſto Domino, ſupremâ poteſtate judicandi fuiſſe exutos, nèc aliam niſi umbratilem, & precariam exercere potuiſſe.

Arguitur quintò: *Rabbi Beniamin Tudelenſis*, qui tempore Alexandri III. Summi Pontificis, & Friderici Ænobarbi Imperatoris varias Orbis regiones perluſtravit, in ſui Itinerarii hiſtoria aſſerit ſe propriis inſpexiſſe oculis in Urbe *Bagdad*, maxima, & ampliſſima Civitate, multa millia Iſraelitarum ubertate rerum omnium affluentium, amœniſſima loca incolentium, & ab omni reliquorum hominum ſocietate, & aditu ſecluſorum propter vaſtiſſimas ſolitudines interjectas, aitque etiam ibi ſedem habere quemdam *Æcmalotarcham*, ſeu Principem è tribu Juda oriundum, & in Aſia Judaicum Imperium tenentem, cujus dignitatem perpetuâ ſucceſſione ad Meſſiam uſque duraturam ſcribit. Ergò etiamnùm perſeverat in gente Judaica regia, ſeu ſuprema poteſtas.

Reſpondeo: Hanc de Aſiatico Judæorum Imperio, & de Æcmalotarcha narrationem, puram, putamque fabulam eſſe vel ad Judæorum, qui, ut omnes norunt, chymæris, & commentis paſcuntur, miſerum ſolatium excogitatam, vel ad Chriſtianorum faciliùs eludenda argumenta à Rabbinis conſarcinatam. Quod quidem multis momentis evinci poteſt. Primò, quia poſt Hieroſolymorum expugnationem permixtæ adeò ſunt tribus, ac promiſcuè confuſæ familiæ, ut

ut earum origines, aut genealogiæ ne levi quidem ſuſpicione internoſci poſſint. Secundò, conſtat Judæos à tempore Nativitatis Chriſti jus ſceptri, ditionemve ullam, aut Imperium nuſquàm gentium obtinere, immò quicumque Orientem peregrinationibus luſtrarunt, & longinquarum, quas complectitur, regionum accuratam notitiam tradiderunt, inter aniles fabulas reponunt ea, quæ Judæi de Iſraelitarum in Oriente ampliſſimo Senatu, gloria, dominio, & regno ſplendidè mentiuntur. Legi poteſt ſuper hac re *Buxtorfius* in præfat. ad librum *Coſri*, in qua fabuloſas refert quorumdam Rabbinorum epiſtolas de gloria, potentia, & fictitio Judæorum regno, dicto *Cozar*, ex quibus, quàm fæcundum ſit Judæorum in commentis fingendis ingenium, quilibet facilè intelligere poteſt. Tertiò, Judæi tempore paſſionis Chriſti publicè proteſtati ſunt, ſe nullum habere Regem, niſi Cæſarem. Quartò, fatetur ipſemet Rabbi *Beniamin Tudelenſis*, Æcmalotarcham illum, ſeu Principem à Mahumedanorum Calipha poteſtatem per ſigilli traditionem accipere ſolitum eſſe. Non ergò proprium, & abſolutum, ſed precarium, ac fiduciarium eſt illius dominium. Denique præcipui Rabbini hujus Judaici Imperii Aſiatici nullatenùs meminerunt, immò potiùs ingenuè faſſi ſunt regiam poteſtatem è gente Judaica penitùs defeciſſe. *David* ſiquidem *Kimchi*, cujus auctoritas maximi ponderis eſt apud Judæos, explicans caput 3. *Oſeæ*, ubi dicitur, quod *dies multos ſedebunt filii Iſrael ſine Rege, ſine Principe, ſine ſacrificio, ſine Altari, ſine Ephod, & ſine Theraphim*. Hæc habet: *Hi ſunt dies exilii, in quo hodiè ſumus, nec Regem, nec Principem ex Iſraele habemus; ſed in poteſtate Gentilium ſumus, & in poteſtate Regum ipſorum, & Principum ipſorum. Abrabaniel*, alter Judæorum doctiſſimus Rabbinus, exponens verſum octavum cap. 33. *Iſaiæ*, ait: *Præterea meminit Iſaias tertii generis malorum, exilii nempè, quod penès Iſraelitas non ſit Regnum, nec dominium, nec ſceptrum judiciale*. His duobus Rabbinis aſſentiuntur Rabbi *Bechai*, Rabbi *David Ganz*, & Rabbi *Manaſſes*, ut videre eſt apud Illuſtriſs. Epiſcopum Abrincenſem Danielem *Huetium*, propoſitione 9. demonſtrationis Euangel. quem Lector adire poteſt, ſi plura hoc de argumento noſſe deſideret.

Arguitur ſextò: Hoc Jacobæum oraculum: *Non auferetur ſceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus eſt*. Ad ſolam tribum Juda reſtringi debet, cum excluſione Leviticæ, Beniamiticæ, & aliarum tribuum, ità ut illius Jacobæi oraculi hic ſenſus ſit: Non auferetur ſceptrum de tribu Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus eſt. Atqui ſceptrum ablatum eſt à tribu Juda multo tempore antequàm Chriſtus naſceretur, ergò illud Jacobi vaticinium in nativitate Chriſti non fuit completum.

Digitized by Google

Major videtur certa, nàm Patriarcha Jacob filium ſuum Judam alloquebatur, eique benedictionem impertiebatur, dùm hæc vaticinatus eſt, quò fit ut ad aliam tribum prædictum vaticinium pertinere non poſſit. Probatur itàque minor, tempore captivitatis Babylonicæ ſceptrum è tribu Juda ablatum eſt in Jechonia, & Sedecia; poſt ſolutam verò captivitatem Babylonicam, ariſtocratiæ formam aſſumpſit Judæorum Reſpublica, ità ut Judæi nunquàm ampliùs regiam, & abſolutam imperandi formam obtinuerint. Nàm primùm Perſarum Monarchis ſubditi fuerunt. Deindè poſtquàm *Alexander Magnus* Macedo, Dario Codomanno, & Perſarum ſimùl Imperio deleto, omnem hujus gloriam ad Græcos tranſtulit, Judæi Græcis paruerunt, ſeu Aſiæ minoris, & Ægypti Regibus, donec à Romanis devicti tandem Judæi ſub jugum miſſi ſunt. Atqui per totum illud temporis intervallum, quod à captivitate Babylonica fluxit uſque ad Chriſtum, nullos duces habuerunt Judæi è tribu Juda oriundos, ſed ſummâ rerum potiti ſunt Pontifices, quæ poteſtas per Aſſamonços in ordine Sacerdotali firmata eſt uſque ad tempus Herodis, qui devicto Antigono, genus Aſſamonçorum extinxit, & Regnum Judææ à Senatu Romano obtinuit. Patet igitur quingentis, & ampliùs annis antè Chriſtum, hoc eſt, à tempore captivitatis Babylonicæ fuiſſe ablatum ſceptrum à tribu Juda, ac proindè hoc Jacobi vaticinium in nativitate Chriſti non fuiſſe completum.

Antequàm huic argumento faciam ſatis, non abs re erit obſervare, eſſe quoſdam Theologos, qui Jacobi vaticinium non de tota gente Judaica, ſed de ſola tribu Juda exponendum eſſe docent, variaſque reſponſiones ad diluendum illud argumentum adhibere ſolent.

Primò, reſpondent illos Pontifices, qui poſt reditum captivitatis Babylonicæ uſque ad Herodem reipublicæ Judaicæ præfuerunt, iniſſe matrimonia cum filiabus ortis è tribu Juda, ac ſubindè ſceptrum ſemper hoc pacto permanſiſſe in tribu Juda, quia hi Pontifices, licèt paterno genere eſſent oriundi ex tribu Levi, materno tamen genere ex tribu Juda originem ducebant.

Secundò: Reſpondent fuiſſe apud Judæos Synedrium, ſeu Senatum, vel Collegium LXX. virûm, qui ex tribu Juda ſelecti erant. Hoc autem Synedrium, quod apud Judæos ſupremâ pollebat auctoritate, extitiſſe volunt uſque ad Herodem, & in eo ſenſu ſceptrum, ſeu ſupremam poteſtatem ſemper fuiſſe penès tribum Juda.

Tertiò: Reſpondent ſceptrum uſque ad adventum Chriſti permanſiſſe in tribu Juda, non quidem eo ſenſu, quod ſemper actu fuerit penès Duces ortos è tribu Juda, ſed quòd illa tribus, ex quo ſceptrum obtinuit, nuſquàm exciderit jure, quod in illud habebat, hoc eſt,

Digitized by Google

eſt, quamvis tribus Juda aliquandò regni uſumfructum non habuerit, illius tamen proprietatem non amiſerit; ſicut, exempli gratiâ, dici poteſt non ablatum fuiſſe Angliæ ſceptrum à Stuartorum gente, poſtquam in eam ſemel conceſſit, quamvis per multos annos Jacobus II. Rex patriâ, Regnoque depulſus vixerit, quia videlicèt tunc quoque jus ad Regnum, & Regni proprietatem habebat, etſi actu illo non potiretur.

Denique reſpondent, quod, quamvis tribus Juda ſceptrum amiſerit, quando extincto Sedecia ultimo Davidici ſanguinis Rege, gens Judæorum captiva ducta eſt Babylonem, vaticinium tamen Jacob reverà fuit impletum, quia, inquiunt, Jacob non prædixit filio ſuo Judæ, quod ab eo, ejusque tribu nunquàm recederet ſceptrum, ſed tantùm prædixit, quod à Juda, ejuſque tribu non recederet ſceptrum in perpetuum. Quod de facto impletum eſt, nàm etſi tribus Juda, mortuo Sedecia, ſceptrum amiſerit, illud tamen non in perpetuum amiſit, quia illud recuperavit in Chriſto, qui ex ſanguine, ſeu ex tribu Juda ſatus fuit.

Verùm, ut cordatè fatear, quatuor iſtæ Theologorum reſponſiones ad ſolvendam propoſitam difficultatem parùm ſolidæ eſſe videntur, nec ullo pacto mihi probari poſſunt.

Prima reſponſio non placet, quia, præterquam quod illi Theologi gratis, & citra ullam Scripturæ, aut Sanctorum Patrum auctoritatem affirmant Pontificum uxores fuiſſe de tribu Juda, certum eſt iſtam uxorum ſucceſſionem, ſi qua fuiſſet, ſufficere nequaquàm potuiſſe ad continuationem ſceptri in familia David, & in tribu Juda, quia familia matris apud Judæos non vocatur familia. Addo etiam, quod ſi Pontifices materno genere fuiſſent oriundi ex tribu Juda, paterno verò genere ex tribu Levi, Maria itidem, quæ Chriſtum genuit, paterno quidèm genere fuiſſet orta ex tribu Juda, materno verò ex tribu Levi, ac ſubindè Chriſtus in utraque tribu Juda ſcilicèt,& Levi cenſeri deberet, poſſetque dici Sacerdos ex tribu Levi, ideſt, ſecundùm ordinem Aaronis, quod tamen negat Apoſtolus cap.7. epiſt. ad Hebræos.

Altera reſponſio præcedenti nihilo ſolidior eſt. Nàm in primis incertum eſt, an illud Synedrium perſeveraverit uſque ad Herodem. Deindè gratis ſupponunt illi Theologi, Synedrium conflatum fuiſſe dumtaxàt ex viris ſelectis ex tribu Juda. Id quippè alienum eſſe videtur à conſuetudine Judæorum, quibus ſolemne ſemper fuit, ut quotiès ad reipublicæ pertractanda negotia certus aliquis virorum prudentum deligendus eſſet numerus, ii ex omnibus tribubus indiſcriminatim ſeligerentur, qui jus ſingulis tribubus dicturi eſſent. Undè Exodi cap. 18. Moſes, prudenti ſoceri ſui conſilio, conſtituit

Judi-

Judices ex ſingulis tribubus delectos; & in lib. Numerorum legimus ſeptuaginta viros, quos Moſes elegit, de ſenibus Iſrael, non autem de ſenibus tantùm tribus Juda delectos fuiſſe. Denique undè, amabo, habent illi Theologi, regiam auctoritatem, ſeu ſupremam poteſtatem in rebus politicis, & Judæorum negotiis pertractandis penès Synedrium fuiſſe?nullum ſiquidem hujuſce rei ſuppetit argumentum, vel minimum in Scriptura ſacra veſtigium,immò potiùs conſtat ſummam rerum apud Judæos fuiſſe ante captivitatem Babylonicam penès Reges, poſt verò reditum ex captivitate Babylonica fuiſſe penès Pontifices. Certè *Alexander Magnus*, cùm Tyrum oppugnaret, non ad Ducem aliquem,ſed adPontificem Judæorum litteras ſcripſit,& ab eo petiit commeatum, & alia, quæ Dario priùs pendebantur, eique Hieroſolymam ingredienti non Dux aliquis, ſed *Jaddus* Pontifex occurrit, ſicut narrat Joſephus lib. 11. antiq. cap. 8. quod ſanè argumento eſt, poſt captivitatem Babylonicam ſummâ rerum potitos fuiſſe Judæorum Pontifices.

Tertia reſponſio parùm etiam probabilitatis habet. Primò, quia ſi hæc vox, *ſceptrum*, de ſolo jure ad ſceptrum ſemel explicetur, quemadmodùm placet illis Theologis, infringitur robur demonſtrationis, quam ex eo oraculo Jacobæo petitam Chriſtiani Judæis proponunt ad probandum Chriſtum eſſe verum Meſſiam lege promiſſum. Siquidem pertinaces Judæi facili negotio reſpondere poterunt, ſceptrum in ſenſu, quo ſumitur, necdùm receſſiſſe à tribu Juda, ſeu dictitare poterunt, tribum Juda etiamnùm jure potiri ad ſceptrum, ac ſubindè nondùm eſſe completum Jacobi oraculum. Secundò, poterunt regerere Judæi, hoc Jacobi oraculum non fuiſſe ſaltem completum in nativitate Chriſti, ſeu eo tempore, quo Herodes in Judæa regnabat, nàm cùm Herodis tempore diſtinctio tribuum, & familiarum adhuc apud Judæos accuratè ſervaretur, tribus Juda jus habebat ad ſceptrum, quod Herodes alienigena uſurpaverat, ſpemque habebat illud aliquandò recuperandi.

Poſtrema reſponſio admitti non debet, quia vim apertè facit verbis Patriarchæ Jacobi, qui nullam in Juda ſceptri interruptionem prædicit, ſed potiùs vaticinatur perpetuam in Juda fore ſceptri continuationem, donec veniat Meſſias. Quapropter rejectis illis reſponſionibus Theologorum, qui hoc Jacobi vaticinium de ſola tribu Juda exponunt, ſupereſt, ut propoſito argumento faciam ſatis.

Reſpondeo itaque hoc Jacobi vaticinium: *Non auferetur ſceptrum de Juda &c.* de tota gente Judæorum, non verò de ſola tribu Juda eſſe intelligendum. Sic primò, cenſent Sancti Patres, *Juſtinus* Martyr in dialogo cum Tryphone, *Athanaſius* lib.de Incarn. *Euſebius* lib.8.

lib.8. demonſtr.Euang. *Chryſoſtomus* homilia 77. in Geneſim, *Ambroſius* lib. de benedictionibus Patriarcharum cap.4. *Auguſtinus* lib. 18. de Civitate Dei cap. 45. *Theodoretus* quæſt.110. in Geneſim, aliique Sancti Patres, & Scriptores Eccleſiaſtici, adeò ut vix ullum inter veteres, præter *Sanctum Cyrillum Alexandrinum*, reperire ſit, qui hanc ſententiam ſuo calculo non probaverit. Secundò, compertum habemus ex Scriptura ſacra à Jacobi morientis edito vaticinio uſque ad Chriſtum, plures extitiſſe gentis Judaicæ Duces, ac Principes, qui ex tribu Juda non fuerunt oriundi. *Moſes* namque, & *Joſue*, qui poſt egreſſionem ex Ægypto populo Judaico præfuerunt, ex tribu Juda originem non ducebant, ſed Moſes erat de tribu Levi, Joſue verò de tribu Ephraim. Inter Judices poſteà, qui apud Judæos ſummâ poteſtate præditi erant, duo tantùm fuere ex tribu Juda prognati, videlicèt *Othoniel*, & *Abeſan*. Et poſt captivitatem Babylonicam ſupremum dominium fuit penès Pontifices, qui ex tribu Levi ſuum genus ducebant. Quapropter ut huic vaticinio Jacob, de non auferendo ſceptro à Juda, veritas conſtet, neceſſum eſt, ut de tota Judæorum gente, & non de ſola tribu Juda exponatur. Tertiò, ſi hoc Jacobi vaticinium: *Non auferetur ſceptrum de Juda &c.* de ſola tribu Juda, & non de tota gente Judaica eſſet exponendum, ſequeretur Aſſamonæos, ſeu Machabæos, qui non erant de tribu Juda, ſed de tribu Levi, non fuiſſe legitimos Reges, aut Duces Judæorum, ſed potiùs tyrannos, quippè qui uſurpaſſent ſceptrum, & ſupremum dominium, quod ſoli tribui Juda erat aſſertum. Probabiliùs igitur eſt hoc Jacobi vaticinium eſſe de tota gente Judaica, & non de ſola tribu Juda exponendum.

Hac autem ſemel admiſsâ ſententiâ, proclive eſt oſtendere hoc Jacobi oraculum in ortu Chriſti fuiſſe completum. Nàm Judæi ad Herodem uſque ſemper habuerunt ex gente ſua, ſeu ex genere ſuo, & ex aliqua tribu, Reges, Duces, aut Principes. Regia ſiquidem poteſtas permanſit in tribu Juda, & in familia Davidica uſque ad captivitatem Babylonicam; à tempore autem captivitatis Judæi habuerunt Duces ex genere itidem ſuo, ſeu Principes exercitus, qui ipſis reducibus, & proprio ſolo, laxatâ captivitate, reſtitutis præfuerunt. His Ducibus ſucceſſerunt Pontifices, & Aſſamonæi, ſeu Machabæi, qui ex genere Judæorum erant, & quibus incumbebat totius reipublicæ Judaicæ cura. Denique hanc ſupremam reipublicæ Judaicæ adminiſtrandæ poteſtatem conſervarunt Aſſamonæi, donec Herodes genere Idumæus, devicto Antigono ultimo Aſſamonæorum Principe, Regnum Judææ à Romanis obtinuit. Quo tempore, cùm Judææ Regnum ad Herodem alienigenam tranſierit, advenit Meſſias juxtà Jacobi vaticinium.

Unum

Digitized by Google

Unum tamen eſt, ne quid diſſimulem, quod adversùs noſtram Jacobæi vaticinii expoſitionem opponi poteſt. Nam ſi hoc vaticinium Jacob *non auferetur ſceptrum de Juda, &c.* de tota gente Judaica, & non de ſola Tribu Juda eſt exponendum, nihil ergo, dicet fortaſſe aliquis, peculiare prædixit Patriarcha Jacob de filio ſuo Juda, dum ei, antequam moreretur, ſuam benedictionem largitus eſt. Et tamen legimus in Scriptura ſacra Patriarcham Jacob morti proximum convocatis filiis ſuis, ſingulis viritim, ſpeciatim, ac diſtinctè benedixiſſe, atque prædixiſſe ea, quæ ipſis, eorumque poſteritati olim obventura erant. Verùm hæc difficultas ſolvitur dicendo, hanc benedictionem, ſeu prædictionem Jacob morientis, *non auferetur ſceptrum de Juda, &c.* ſic toti Judæorum genti, ideſt, omnibus Tribubus eſſe communem, ut tamen ipſi Judæ peculiariùs accommodari debeat, ejuſque Tribum magis quam cæteras alias reſpiciat. Primò, in eo quod ſoli filii Judæ à Davide uſque ad captivitatem Babylonicam, hoc eſt, per annos circitèr quingentos Regnum obtinuerint, idque ſub Davide, & Salomone florentiſſimum. Secundò, in eo quod poſt captivitatem Babylonicam,cum ad aliam Tribum ſuprema poteſtas tranſire cœpit, nihilominùs univerſus populus Iſraeliticus à *Juda* nomen ſortitus ſit, tumque primùm Iſraelitæ cœperunt cognominari *Judæi*. Tertiò, in eo quod eodem tempore, quo ſuprema poteſtas penes Aſſamonæos, aliosve Sacerdotes futura erat, regio tamen ipſa, quâ Imperium, ſeu Regnum continebatur, tota, aut maxima ex parte ad ſortem Tribus Juda pertinere debebat. Quartò, in eo quod Tribus Juda ſive in caſtris ponendis, ſive in ordine offerentium,ſive in diviſione terræ Chanaan, cæteris Tribubus præſtantiâ quadam & excellentiâ ſingulari præire debebat. Quintò denique, in eo quod Chriſtus verus Meſſias ex ſtirpe Juda proditurus erat. Quapropter licet hoc Jacobi vaticinium omnibus Tribubus commune ſit, peculiari tamen ratione Tribui Judæ propter rationes mox adductas, accommodari debet. Conſulat Lector *Euſebium* lib. 8. demonſt. Euang. ubi hanc difficultatem perdoctè verſat, & dilucidè explanat.

Arguitur ſeptimò: Meſſias, juxtà vaticinium Jacob, venturus eſt eo ipſo tempore, quo ſceptrum à Juda, ſeu à tota gente Judaica auferetur. Atqui Chriſtus natus non eſt eo ipſo tempore, quo ſceptrum à Juda, ſeu à tota gente Judaica eſt ablatum; ergo Chriſtus non eſt Meſſias, quem venturum prædixit Patriarcha Jacob. Prob. minor: Sceptrum ablatū eſt à Juda, ſeu à tota gente Judaica ſtatim ac Herodes,qui fuit Alienigena, regnare cœpit in Judęa. Atqui Chriſtus non eſt natus ſtatim ac Herodes regnare cœpit in Judæa, ſed ſolùm anno trigeſimo ſexto Regni Herodis, ſicut in ſuperiori Diſſertatione oſtenſum eſt; ergo Chriſtus non eſt Meſſias, quem venturum prædixit Patriarcha Jacob.

Re-

Reſpondeo : Hoc Iacobi vaticinium : *Non auferetur ſceptrum de Juda, donec veniat, qui mittendus eſt, &c.* non deſignare aliquod momentum indiviſibile, in quo Meſſias, ablato à Juda, & à gente Judaica ſceptro, ſtatim proditurus eſſet, ſed aliquam temporis admittere latitudinem, adeò ut ſenſus ſit : venturum Meſſiam, quando ſceptrum à Juda, ideſt, à gente Judaica eſſet ablatum. Cùm igitur Chriſtus natus ſit regnante in Judæa Herode, qui utpotè alienigena ſceptrum à gente Judaica primus removit, verè dici poteſt, hoc Jacobi vaticinium in Chriſti ortu exitum habuiſſe. Addo etiam, quod cum ablatio ſceptri à gente Judaica ſignum eſſe deberet dignoſcendi adventum Meſſiæ, conveniens erat, ut hæc ſceptri ablatio paululùm anteverteret Nativitatem Chriſti, ut indè faciliùs intelligerent Judæi, complementum hujuſce vaticinii Jacobæi, tempuſque à Deo deſtinatum Natali Meſſiæ jam adveniſſe.

Arguitur ultimò : Si hoc Jacobæum vaticinium fuiſſet in Chriſto impletum, omni procul dubio Chriſtus, Apoſtoli, & Euangeliſtæ illud aliquando adduxiſſent, quò majorem dictis ſuis fidem conciliare poſſent. Atqui nec Chriſtus, nec Apoſtoli, nec Euangeliſtæ iſtud Jacobæum vaticinium unquam adduxerunt; argumento itaque eſt, præfatum Jacobæum oraculum in Chriſto non fuiſſe completum.

Reſpondeo : Neque Chriſto Domino, neque Apoſtolis, neque ſacris Scriptoribus propoſitum unquam fuiſſe, ſingula Prophetarum recenſere oracula; alioquin ſi Prophetarum vaticiniis, quæ in Chriſto exitum habuerunt, pugnare voluiſſent, totum vetus Teſtamentum in medium proferre debuiſſent. Id autem minimè erat neceſſarium, ſed abundè ſufficiebat, ut Chriſtus Judæos remitteret ad vetus Teſtamentum, quod ad Meſſiam ſpectare non inficiabantur. Porrò conſtat id à Chriſto ſæpiùs factitatum fuiſſe, dicendo Judæis: *Scrutamini Scripturas, & illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me . . . ſi enim crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi : de me enim ille ſcripſit. Si autem illius litteris non creditis, quomodo verbis meis credetis?* Joannis cap. 5. & rursùm Luc. cap. 16. *Habent Moyſem, & Prophetas, audiant illos.* Si igitur Judæi monenti Chriſto obtemperaſſent, & Moyſem, atque Prophetarum oracula eâ, quâ par erat, ſpiritus humilitate, & fuſis ad Deum precibus lectitaſſent, confeſtim intellexiſſent, hoc Jacobi vaticinium fuiſse in Chriſto completum. Sed illi ſuperbiâ tumidi, odio & invidiâ flagrantes, prophetias perperàm interpretabantur, Chriſtum docentem aut aſpernabantur, aut malignè auſcultabant, aut ſeditiosè interrogabant, ut eum caperent in ſermone. Unde non mirum ſi divino lumine non fuerint illuſtrati, & nunc tanquam cæci in meridie palpantes ſacrarum Scripturarum ſenſum non aſſequantur.

Paragraphus Secundus,

In quo ex circumſtantiis Nativitatis Chriſti probatur ipſum eſſe verum Meſſiam Prophetarum Oraculis prædictum.

QUales fuerint circumſtantiæ Nativitatis Chriſti Servatoris noſtri, breviter hîc tàm ex hiſtoria Euangelica, quàm ex perpetua Eccleſiæ traditione perſtringere neceſsarium eſt, ut deindè faciliùs ex his circumſtantiis adversùs Judæos probemus Chriſtum eſse Meſſiam Prophetarum vaticiniis prædictum.

Refert autem ſacer Textus, quod Beatiſſima Virgo propediem paritura, & caſtiſſimus ejus Sponſus Joſeph Bethleemum venerunt, ut morem gererent Imperatori Auguſto, qui, ſummâ pace terrarum Orbe compoſito, juſſit edicto promulgato deſcribi quidquid in eo erat ſuæ ditioni ſubjectum, ut in ſua quisque Civitate, unde originem duceret, & progenitores haberet, nomen daret publicis tabulis recenſendum; cumque caſtiſſimi Conjuges Bethleemum perveniſsent, ibique ob confertam multitudinem hoſpitum, & peregrinorum, qui Bethleemum ad profitendum appulerant, nullum in hoſpitii cubiculis locum nacti fuiſsent, ſeceſserunt in eam hoſpitii partem, quâ jumenta excipiebantur. Hunc locum appellat *S. Hieronymus* epiſt. 17. & 18. *Parvum terræ foramen*. Beda lib. de loc. ſanct. cap. 8. *Semiantrum*. Nicephorus lib. 1. hiſt. Eccl. cap. 12. *Tugurium humile*. Alii denique probabiliùs ſpeluncam eſse putant. Obſervat quippè ex Strabone *Caſaubonus* exercit. 2. in Baronium, totam regionem circa Hieroſolymam uſque ad ſexageſimum lapidem eſse petroſam, atque in illo tractu multas fuiſse domos ſaxis incluſas, vel potiùs cellas, in quibus homines religionis ergò ſe ſe includerent. Cæterùm an ſpelunca, in quam ſe receperint Maria, & Joſeph, fuerit in Bethleemo ſita, vel in ejus ſuburbiis, ſeu propè Bethleemum? Alii affirmant, alii negant; id, quia incertum eſt, in medio relinquo. Ut ut ſit, in hoc humili loco natus eſt Chriſtus mundi Salvator exacto à conceptione nonimeſtri ſpatio, media hyeme, die 25. menſis Decembris, ſub frigidam mediæ noctis auram. Qua in re obſervet Lector, & expendat illas Nativitatis Chriſti circumſtantias, quæ apertè demonſtrant admirabilem Dei in Filii ſui Nativitate providentiam. Nam primò ſtatuerat Deus, immò per Prophetam Michæam prædixerat, egreſsurum Meſſiam ex Bethleem, ut autem id fiat, indicitur ab Imperatore Auguſto deſcriptio totius Orbis, publicatur in Judæa, Maria virgo, ut obediat Imperatoris edicto, è Nazareth in Bethleem adverſo licèt anni ſydere venit, partus urget, & in Bethleem virgo Chriſtum enititur, quem domi,

domi, ſeu Nazareth parere conſtituerat. Secundò, Chriſtus in hyeme, & ſub obſcuræ noctis ſilentium naſcitur, ut omnes mortales, qui vitiis & erroribus impliciti per inextricabiles tenebras jamdudum oberrabant, intelligerent Chriſtum eſse verum Meſſiam, qui humanorum pectorum, in quibus refrixerat charitas, glaciem ſolvere, flammas in his Divini Amoris accendere, & tenebrarum caliginem, quâ obductus erat totus, quà latè patet, mundus, diſſipare debebat. Unde ait Iſaias cap.9. *Populus, qui habitabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis lux orta eſt eis.*

Scio Joſephum Scaligerum, Sethum Calviſium, Samuelem Baſnagium, & alios novatores negare Chriſtum natum eſse in hyeme, ſeu 25. menſis Decembris; dicunt enim hanc tempeſtatem aſperiorem fuiſse, quàm ut Paſtores ſub dio, & intempeſtâ nocte excubias in agris agere, & pecudes, quæ caulis clauſæ tum temporis latere ſolent, cuſtodire poſsent. Conſtat autem ex Luc.cap.2. Paſtores, quando natus eſt Chriſtus, in agris vigilaſse & cuſtodiiſse vigilias noctis ſuper gregem ſuum; ex quo inferunt prædicti novatores: Chriſtum vel menſe Septembri, vel menſe Aprili natum eſse. Verùm hanc conjecturam futilem eſse ex eo maximè patet, quod Judæa eſt regio temperatiſſima, quæ hyemis aſperitatibus non eſt obnoxia. Quapropter, ſi in Anglia, ſicut teſtantur *Caſaubonus* exercit.2. ad annum 1. Chriſti, & *Montacutius* in lib. de vita Chriſti pag. 48. armenta toto anno in agro pernoctare ſolent, & ſi in Dania, ut aſserit *Langius* ex ea regione oriundus lib.2. de annis Chriſti part.2. cap.2. oves totâ hyeme in agris degunt; nemini ſane mirum videri debet, quod in Judæa regione admodùm temperatâ eadem vigeat conſuetudo. Hinc etiam ſolvitur alia conjectura, quâ nituntur iſti novatores, dum dicunt Chriſtum natum eſse eo tempore, quo cenſus indictus ab Imperatore Auguſto agi commodè potuit, & quo itidem Judæi potuerunt aſcendere in loca ſibi aſſignata, quale non eſt tempus hybernum. Hæc, inquam, conjectura ex his, quæ mox diximus, abundè ſoluta manet. Nam cum regio, quam incolebant Judæi, fuerit temperata, facili negotio potuerunt Judæi, aut ſaltem abſque ullo gravi incommodo, ſub tempus hybernum iter peragere, maximè cùm menſes November & December in multis tractibus Europęis ſatis amœni ſint & temperati. Præterquam quod dici etiam poſset, Judæam totam exiguis finibus fuiſse circumſcriptam, adeòque non longinquo itinere opus fuiſse Judæis, ut Imperatoris obedirent mandato. Chriſtus ergo, juxtà perpetuam Eccleſiæ traditionem, natus eſt die 25. menſis Decembris, non verò ſub finem menſis Septembris, ut viſum eſt Scaligero, & Calviſio: nec menſe Aprili, ut putat *Niſbetus*; nec die ſexta Januarii, ſicut cenſet *S. Epiphanius* hæreſi 51. videſis, ſi plura hac de re ſcire aveas,

Baronium in notis ad Martyrologium ad diem 25. Decemb. & in apparatu ad annales Eccleſ. n.120. *Petavium* in notis ad mox citatum Epiphanii locum, & lib. 2. de doctrina temp. cap. 1. & ſeq. *Baillium* lib.2. operis hiſt. quæſt.1. 2. & 3. *Pagium* in apparatu chronologico n.138. *Schelſtratum* lib.1. de antiq. Eccl. *Montacutium* in apparatu ad origines Eccleſiaſticas apparatu 11. & complures alios.

Difficultas eſt inter Criticos, an ad latera Chriſti in fœno jacentis duo reverà procubuerint animalia, bos ſcilicet & aſinus? Id negat *Eraſmus* in notis ad hymnum Prudentii de Natali Chriſti, ubi hæc habet: *A priſcis uſque ſæculis manavit ad nos pictura, quæ Jeſu Præſepi addit bovem & aſinum, quod tamen in ſacris litteris nuſquam apertè proditum eſt; ſed occaſio ſumpta videtur ex Iſaiæ Prophetia, quæ dicit: Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui, populus autem Iſrael me non cognovit, & populus meus non intellexit. Certè huc ſpectavit Prudentius: bos enim & aſinus nihil crediderunt, ſed barbaræ gentes ſervientes dæmoniis & cupiditatibus ſuis, ac brutorum in morem viventes crediderunt Chriſto, quùm populus Iſraeliticus etiam hodiè Chriſto rebellet.* Hactenùs *Eraſmus*, cujus ſententiæ ſubſcribunt *Caſaubonus* exercit.2. ad 1. annum Chriſti, *Montacutius* in lib. de vita Chriſti pag.28. & 29. & *Samuel Baſnagius* tomo 1. annal. politico-Eccleſiaſt. cap.112. Sed hanc præpoſteram novatorum, aliorumque id genus intemperantioris criticæ hominum dubitationem damnat conſtans ac perpetua Eccleſiæ traditio, quam rectè exponit Eminentiſſimus annalium Parens *Baronius* ad annum 1. Chriſti, ubi citat Sanctos Patres *Hieronymum, Gregorium Nazianzenum, Gregorium Niſſenum, Prudentium*, & alios, qui affirmant, bovem & aſinum ad præſepe Domini fuiſſe alligatos, verbaque *Iſaiæ* mox adducta, non ad ſenſum allegoricum detorqueri debere, ſed in ſenſu litterali eſſe intelligenda. Ab hac igitur perantiqua Eccleſiæ traditione communi SS. Patrum interpretatione roborata fideles deſciſcere non debent.

Hactenùs ſatis ſuperque expendimus Nativitatis Chriſti circumſtantias, nunc operæ pretium eſt ex illis probare adversùs Judæos Chriſtum eſſe verum Meſſiam.

DICO ITAQUE: *Ex circumſtantiis Nativitatis Chriſti Domini invictè adversùs Judæos probari poſſe, Chriſtum eſſe verum Meſſiam Prophetarum oraculis prædictum.*

Prob. primò: Meſſias Prophetarum oraculis prędictus naſci debet eo tempore, quo, ſedatis omnibus bellis, ſumma pax per totum Orbē vigebat; atqui Chriſtus Dominus natus eſt eo tempore, quo ſumma pax per totum Orbem vigebat, ergo ex ea circumſtantia Nativ. Chriſti certò evinci poteſt ipſum fuiſſe verum Meſſiam Prophetarum oraculis prædictum. Major patet ex benè multis Scripturæ ſacræ locis, in qui-

quibus promittitur Meſſiæ adventus. *Orietur in diebus ejus juſtitia & abundantia pacis,* Pſalm. 71. *Miſericordia & veritas obviaverunt ſibi, juſtitia & pax oſculatæ ſunt*. Pſalm. 84. *Non levabit gens contra gentem gladium*. Iſaiæ cap. 2. *Vocabitur nomen ejus Princeps pacis*. Iſaiæ cap. 9. Probatur igitur minor: primò, ex S. Luca, qui cap. 2. ſui Euangelii ait exiiſſe *edictum à Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus Orbis*. Hæc autem œcumenica deſcriptio fructus fuit, ac univerſalis indicium pacis, nec enim imperari, aut executioni mandari potuiſſet, niſi totus Orbis fuiſſet in pace compoſitus. Deindè idem Euangeliſta ſcribit: Angelos immediatè poſt Nativitatem Chriſti pacem ſuis cantibus per aëra celebraſſe his verbis: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus, &c.* Tertiò, in faſtis Sanctorum, ſeu in Martyrologio Romano die 25. Decembris Natali Chriſti ſacra, legitur: Chriſtum natum eſſe *toto Orbe in pace compoſito*. Quartò, Chriſtum natum eſſe, pace ubique florente, una eſt omnium Sanctorum Patrum & Scriptorum Eccleſiaſticorum ſententia, *Origenis* lib. 2. contra Celſum, *Euſebii* lib. 1. de præp. Euang. cap. 3. *Ambroſii* comment. in Pſalm. 45. *Auguſtini* lib. 18. de civit. Dei cap. 46. ubi hæc habet: *Regnante ergo Herode in Judæa, apud Romanos jam Reipublicæ mutato ſtatu, imperante Cæſare Auguſto, & per eum Orbe pacato natus eſt Chriſtus*. Id ipſum legitur apud *S. Hieronymum* comment. in Iſaiam cap. 2. *Veteres*, inquit, *revolvamus hiſtorias, & inveniemus uſque ad vigeſimum octavum annum Cæſaris Auguſti, cujus quadrageſimo primo anno Chriſtus natus eſt in Judæa, in toto Orbe terrarum fuiſſe diſcordiam, & ſingulas nationes contra vicinas gentes arſiſſe ſtudio præliandi, ita ut cæderent, & cæderentur. Orto autem Domino Salvatore, quando ſub Præſide Syriæ Cyrino prima eſt in Orbe terrarum facta deſcriptio, & Euangelicæ doctrinæ pax Romano Imperio præparata tunc omnia bella ceſſaverunt, & nequaquam per oppida & vicos exercebantur ad prælia, ſed ad agrorum cultus: militibus tantùm, legionibuſque Romanis contra barbaras nationes bellandi ſtudio delegato, quando impletus eſt ille Angelorum concentus: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Hactenus *S. Hieronymus*. Denique Chriſtus natus eſt anno quadrageſimo Imperii Auguſti, ſeu anno Urbis Romæ conditæ 749. ſicut in ſuperiori Diſſertatione oſtenſum eſt, atqui hoc anno totus Orbis in pace erat compoſitus, ergo Chriſtus natus eſt eo tempore, quo pax per totum Orbem vigebat. Prob. minor ex *Suetonio* Hiſtorico Romano, qui in vita Auguſti cap. 22. hæc habet: *Janum Quirinum ſemel atque iterùm à condita Urbe memoriam ante ſuam clauſum, in multo breviore temporis ſpatio, terra marique pace parta, ter clauſit*. Nonnulli Critici putant in *Suetonio* non *ter*, ſed *tertiò clauſit*, legendum eſſe, ita ut ſenſus ſit Jani templum, quod ante Imperatoris Auguſti ævum bis clauſum fuerat, clauſum fuiſſe tertiò

ab

ab Auguſto. Sed *Baronius*, *Caſaubonus*, *Lipſius*, *Norifius*, *Pagius*, aliique ex *Dione* lectionem Suetonii confirmant, oſtenduntque Imperatorem Auguſtum ter Jani fores clauſiſſe. Enim verò *Caſſius Dio* lib.51. ad annum Urbis Romæ conditæ 725. ſcribit, inter cætera à Senatu Romano decreta ob victoriam Actiacam maximæ voluptati Auguſto fuiſse, *quod portæ Jani ab ipſis clauſæ ſunt*. Idem *Dio* lib.53. ait: Imperatorem Auguſtum anno Urbis Romæ conditæ 729. belli Cantabrici curis ac difficultatibus vexatum in morbum incidiſſe, cùm gereret Conſulatum IX. Collega *M. Junio Sylano*, barbaros tamen *C. Antiſtii* Legati operâ deviciſſe; túmque Auguſtum ſanitati reſtitutum, ac bellis ubique feliciter confectis, Jani templum, quod propter bella Cantabricum, & Germanicum fuerat reſeratum, clauſiſſe. Cæterùm quo anno Imperator Auguſtus Jani fores tertiò clauſerit? non convenit inter Scriptores, probabiliùs autem ipſe exiſtimo cum *Antonio Bynæo* lib.1. de Natali Chriſti cap.4. *Noriſio*, & *Pagio* locis mox laudatis, Jani fores ab Imperatore Auguſto fuiſſe tertiò obſeratas anno Imperii ſui triceſimo nono, ſeu anno Urbis Romæ conditæ 748. ab eo ſiquidem anno uſque ad annum Urbis Romæ conditæ 752. nulla à quoquam Scriptore Romanorum bella produntur. Cùm igitur Chriſtus natus fuerit anno quadrageſimo Imperii Auguſti, ſeu anno Urbis Romæ conditæ 749. manifeſtò ſequitur Chriſtum natum eſſe eo tempore, quo totus Orbis ſub uno Principe Auguſto ſummâ pace fruebatur. Non me latet *Joannem Maſſonum* Presbyterum Anglicanum in contrariam deſcendiſse ſententiam, eumque novitatis ſtudio abreptum, tota licet reclamante traditione, in libro quem inſcripſit: *Jani templum Chriſto naſcente reſeratum*, mordicùs contendere Jani templum tempore Nativitatis Chriſti non fuiſse clauſum, nec ſubindè pacis in ſinu quievisſe Imperium Romanum. Sed quàm infirmo tibicine nitatur novum iſtud, & hactenùs inauditum nuperi illius hæretici ſyſtema, opportuniùs inter diluendas objectiones commonſtrabo.

Hîc tantùm velim obitèr advertat Lector, erraſse *Paulum Oroſium* lib.6. cap.22. & *Caſaubonum*, qui ipſum ſecutus eſt in notis ad cap.22. Suetonii, dum ſcribunt: Chriſto nato Jani templi portas ab Auguſto fuiſse tertiò clauſas uſque ad cladem Varianam, quæ accidit anno Urbis Romæ conditæ 762. Conſulibus *Sulpicio Camerino*, & *Poppæo Sabino*, eâſque per duodecim fermè annos remanſiſse obſeratas. Quod ſanè procul abeſt à vero, & eſt purum *Oroſii* commentum, nam conſtat anno Urbis conditæ 752. erupiſse bellum Parthicum, ad quod conficiendum Imperator Auguſtus Cajum Cæſarem hoc anno deſtinavit. Immò varia bella, videlicet Germanicum, Dalmaticum, Pannonicum, Dacicum, Illyricum, &c. ſequentibus annis à Romanis geſta

Digitized by Google

geſta fuiſse, latè probant *Noriſius* in Cenotaphiis Piſanis cap. 8. & *Pagius* in apparatu chronologico ad annales Baronii.

Probatur ſecundò ex altera circumſtantia nativitatis Chriſti. Meſſias juxtà Prophetarum vaticinia in Bethleem naſci debet: *Et tu Bethleem Ephrata parvulus es in millibus Juda, ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſrael*, inquit *Michæas* cap. 5. Atqui Chriſtus natus eſt in Bethleem, idque conſtat ex locupletiſſimis teſtimoniis *Matth.* cap. 2. & *Lucæ* cap. 2. deindè ex tabulis cenſualibus Romanorum, ad quas olim provocarunt *Juſtinus* in Apologia 2. *Tertullianus* in libris adversùs Marcionem, & *Sanctus Chryſoſtomus*. Tertiò, *Origenes* lib. 1. contrà Celſum, & *Euſebius* libro 7. Demonſtr. Evang.cap.2. teſtantur ab ipſis Chriſtianæ Religionis hoſtibus oſtenſam fuiſſe Bethleemi ſpeluncam, in qua Jeſum peperit Maria. Illuſtre hic proferam *Origenis* teſtimonium: *Quod autem*, inquit, *in Bethleem ſit genitus Jeſus, ſi velit aliquis poſt Michææ teſtimonium, & poſt Evangelii per Jeſu diſcipulos conſcriptam hiſtoriam, fieri aliàs certior, intelligat, & in Bethleem ſpeluncam oſtendi, ubi ille ſit natus, quod utique, & in locis percelebre eſt, vel apud eos, qui à fide ſunt alieni, fama, & nomine circumfertur eadem & in ſpelunca Jeſum quemdam, quem adorent, & demirentur, genitum eſſe*. Denique ipſimet Judæi non negant Chriſtum Bethleemi natum eſſe, ſed id ultrò agnoſcit *R. David Ganz* in germine Davidis, ſicut obſervat Illuſtriſſimus Epiſcopus Abrincenſis Propoſ. IX. Demonſtr. Evang.

Nec valet, ſi quis dicat Chriſtum in Scriptura Sacra ſæpiùs appellari *Nazaræum*, & *Galilæum*, eumque à Pilato ad Herodem Galilææ Tetrarcham eſſe remiſſum, tanquam hominem Galilææ ditionis, ac ſubindè Chriſtum Nazarethi, & non Bethleemi eſſe natum. Non valet, inquam, ſi quis illud opponat: nam, ut optimè ait *Sanctus Thomas* 3. part. quæſt. 35. art. 7. ad 2. Chriſtus in Scriptura *Nazaræus* appellatur, non ad ſignificandum locum, in quo natus eſt, ſed quem parentes ejus incolebant, & in quo ipſe fuerat educatus. Porrò locum, in quo quis educatus eſt, patriam vulgò dici ſolere, benè multis prophanorum Auctorum teſtimoniis evincit Illuſtriſſimus Abrincenſis Epiſcopus loco mox laudato.

Probatur tertiò. Verus Meſſias, juxtà Prophetarum oracula, naſci debet ex virgine, & eo tempore quo à Juda, ideſt, à tota gente judaica ſceptrum eſt auferendum: atqui Chriſtus natus eſt ex virgine, ut in 2. Parag. primæ Diſſert. oſtendimus, natus eſt etiam eo tempore, quo à gente judaica ablatum eſt ſceptrum, ut abundè probatum manet ex his quæ in ſuperiori paragrapho diximus; ergo Chriſtus eſt verus Meſſias à Prophetis prædictus. Major conſtat ex *Iſaiæ* cap.7. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium &c.* & *Geneſis* cap.49.

Non

Non auferetur ſceptrum de Juda , & Dux de femore ejus , donec veniat qui mittendus eſt .

Probatur ultimò. Verus Meſſias, juxtà Judæorum traditionem, debet mundo apparere quatuor mille annis à mundo condito præteritis: legitur enim in *Gemara* ad tractatum *Sanhedrin* : *traditio domus Eliæ : ſex mille annos durat mundus : bis mille annis inanitas , & vaſtitas : bis mille annis lex : denique bis mille annis dies Chriſti* . Ex qua traditione, quæ paſſim in Judæorum libris occurrit, liquidò patet Meſſiam, fatentibus ipſiſmet Judæis, naſci debere expleto quarto mundi millenario à creatione mundi: atqui Jeſus Chriſtus reverà natus eſt expleto quarto mundi millenario, juxtà calculum codicis Hebræi, quem calculo LXX. Interpretum præponendum eſſe in diſſertatione quinta latè probavimus; ergò Chriſtus, juxtà pervulgatam hanc Judæorum traditionem verus eſt Meſſias. Hæc autem opinio de venturo Meſſia poſt expletum quartum mundi millenarium adeò Judæos circà tempora nativitatis Chriſti pervaſerat, ut palàm id temporis aſſererent inſtare tempus, quo toti Orbi dominarentur. Rem narrant ſcriptores Romani. *Cornelius Tacitus* lib. 5. Hiſtoriarum, oraculum, quod ad ſe trahebant Judæi, interpretatur de Imperatoribus Veſpaſiano, & Tito. *Pluribus* , inquit , *perſuaſio inerat* , nempè Judæis, *antiquis Sacerdotum litteris contineri , eo ipſo tempore fore ut invaleſceret Oriens , profectique Judæa rerum potirentur , quæ Ambages Veſpaſianum , ac Titum prædixerunt* . Idem vaticinium referunt *Svetonius* in Veſpaſiano, & *Joſephus* lib. 7. de Bello judaico cap. 31. falluntur tamen prædicti Scriptores, dum aſſentandi, palpandique ſtudio ejuſmodi vaticinium, quod jactabant Judæi, ad Veſpaſianos detorſerunt, quibus tamen convenire non poterat. Nam Regnum Meſſiæ, quem judæi id ætatis expectabant, & quem Prophetæ prædixerunt, toti Orbi ſalutare, ac ſempiternum eſſe debebat, at Veſpaſianorum principatus, nec fuerunt diuturni, nec toti Orbi multùm profuerunt : *Flavius* quippè *Veſpaſianus* pater, annis tantùm novem imperavit, *Titus* ejus filius natorum major tantùm annis duobus, *Domitianus* verò filiorum minor imperavit quindecim annis, & in hoc ultimò, qui fuit ſceleſtiſſimus, tota Veſpaſianorum domus extincta exaruit. Verùm quamvis illi Auctores hæc oracula, quæ ſolùm Chriſtum ſpectabant, de Veſpaſianis perperàm ſint interpretati, hoc tamen certò ex eorum teſtimoniis colligitur, Judæos expectaſſe Meſſiam eo ipſo tempore quo Chriſtus in lucem prodiit.

Hoc argumentum torquet Judæorum animos, & ut ab illo ſe ſe expediant, duo perquàm abſurda comminiſcuntur. In primis dicunt Meſſiæ adventum propter peccata populi fuiſſe retardatum.

Deindè

Deindè fatentur ſe planè ignorare, quandonam venturus ſit Meſſias? immò imprecantur illis,qui calculo ſubducunt tempus venturi Meſſię. Legitur quippè in Talmude dixiſſe Joachanem, *rumpantur ilia eorum, qui terminos captivitatis ſupputant*. At inania hæc Judæorum effugia facili negotio præcludi poſſunt. Nam primò, adventus Meſſiæ ex mera gratia, & miſericordia divina profluxit, ejuſque primarius ſcopus fuit peccatorum populi abſolutio, ac ſubindè nihil ex parte hominum adventum Meſſiæ procraſtinare potuit, maximè, cùm juxtà Prophetarum oracula, removendo, & deſtruendo peccato eſſet deſtinatus. Falſum igitur eſt Meſſiæ adventum ob populi peccata fuiſſe retardatum, ut dictitant Judæi, cùm potiùs divina bonitas ſua in peccatores acceleret beneficia, nunquàm retardet, ubi præſertìm definitum eſt tempus, quo Deus peculiare aliquod promiſit beneficium. Deindè ſtupenda eſt pervicacia Judæorum, quorum alii, cum Rabbino *Abarbanel* Comment. in Danielem, valere juſsâ Scriptura Sacra, adventus Meſſiæ tempus ex conſtellatione ſyderum, ſeù ex conjunctione Saturni, & Jovis in ſydere piſcium colligere ſe poſſe præſumunt. Alii verò profitentur ſe impręſentiarum omninò ignorare, quandònam venturus ſit Meſſias. Sed præterquamquod eorum ignorantia conclamatæ, quam obſtinatis animis defendunt, cauſæ manifeſtum eſt argumentum, convincitur inſuper eorum ignorantia luculentiſſimo vaticinio Danielis,qui ſpatio LXX.hebdomadum, nativitatis, vitæ, & mortis Meſſiæ tempus circumſcripſit. Convincitur etiamignorantia Judęorum ex Sybillinis oraculis,(non iis quidem quę nunc circumferuntur, & quæ ficta, ac ſuppoſititia eſſe probant periti hujus temporis critici,) ſed ex his quæ ſunt genuina, & ante Chriſti ortum vulgata,quæ magnum Regem oriturum portendunt,circa tempus, quo Chriſtus Servator noſter editus eſt, quæque paſſim citantur à Sanctis Patribus, *Lactantio*, *Juſtino*, aliiſque, qui adversùs gentiles pro defenſione Chriſtianæ Religionis apologias adornarunt.

Hæc ſi Judæi æquis, uti par eſſet, animis expenderent, facilè admodum intelligerent omnia Prophetarum oracula, quæ compluribus ſæculis ante Chriſti ortum fuſa fuerunt, ſuum in Chriſto exitum ſortita fuiſſe. Sive enim Judęi Chriſti originem velint, ſive requirant gentem, tribum, familiam, matrem, patriam, nativitatis locum, tempus, doctrinam, vitam, miracula, reſurrectionem, uno verbo, quid quid de Chriſto credimus, id totum invenient longè antehàc prædictum à ſacris Prophetis, qui in his omnibus præluſerunt ſacris Evangeliſtis; quò fit ut non tàm Prophetæ, quàm Evangeliſtæ ſint nuncupandi. *Venit Chriſtus*, inquit *Sanctus Auguſtinus* epiſt. 137. aliàs 3. ad Voluſianum, *complentur in ejus ortu, vita, dictis, factis, paſſionibus, morte, reſurrectione, aſcen-*

ſione, omnia præconia Prophetarum. Jam verò, ſi ad calamitates, quibus tot ab hinc ſæculis miſerrimè vexantur Judæi, tantiſper mentem adverterint; velint nolint, agnoſcent ſe non ob aliam cauſam nunc per univerſum Orbem eſſe diſperſos, miſeriis, & calamitatibus oppreſſos, laribus, & ſolio avito profligatos, Republica, & Civitate propriâ privatos, ſine Rege, ſine Duce, ſine templo, ſine ſacrificio, ſine Sacerdote, niſi quia, ut antè dicebamus, Chriſtum verum Meſſiam non agnoverunt, ſed in crucem egerunt. Nec enim Deus ad miſericordiam propenſus gentem illam ſibi olim tàm caram, populum prædilectum, quem tot tantiſque beneficiis cumulavit, & ſingulari protectione dignatus eſt, pateretur tot ab hinc ſæculis tribulationibus exagitari, innumeriſque ſubjacere pœnis, niſi ille populus reus eſſet nefandiſſimi poſt hominum memoriam ſceleris, quo ſe polluit, dum Chriſtum verum Meſſiam profiteri, ejuſque doctrinam auſcultare detrectavit. Certè tot calamitatibus juſto Dei judicio puniri Judæos, agnovit paulò poſt mortem Chriſti *Titus* Imperator in obſidione Hieruſalem, & excidio templi. Nam hìc Imperator, teſte *Joſepho* lib. 7. de Bello Judaico cap. 16. poſt expugnatos Judæos, Civitatem Jeruſalem ingreſſus, ejuſque munitiones, ac turrium cautes, altitudinem, & magnitudinem miratus, in hęc verba erupit: *Deo planè adjuvante pugnavimus, & Deus erat qui detraxit ab iſtis munimentis Judæos, nam quæ hominum manus, aut quæ machina ad iſta valerent?* Idem etiam *Joſephus* cap. ſeq. deſcribit tragædiam calamitatum, quas paſſi ſunt Judæi tempore obſidionis Hieruſalem, quâ durante, undecies centum millia fame conſumpta ſunt, captivorum numerus nonaginta, & ſeptem millium, tota inſuper Judęa ferro flammâque vaſtata, ac ſanguine judaico cruentata eſt, templum pollutum, & ſolo æquatum. Denique, ne quid deeſſet ad malorum omnium cumulum, poſt illam Urbis expugnatæ ſub *Veſpaſiano*, & *Tito* deſolationem, iterùm Urbs Hieruſalem ab *Adriano* Imperatore deſtruitur, nova Civitas Hieroſolymitanis in Ruderibus juſſu illius Imperatoris ædificatur, cujus ingreſſu prohibentur Judæi. Quis ergo non videt tot malorum agmina, quibus hactenùs vexantur Judæi, evidentiſſima eſſe argumenta divinæ ultionis, quam ipſis comminatus eſt Chriſtus, dicens *Lucæ* cap. 21. *Cùm autem videritis circumdari ab exercitu Hieruſalem, tunc ſcitote quia appropinquavit deſolatio ejus: tunc autem qui in Judæa ſunt, fugiant ad montes, & qui in medio ejus, diſcedant, & qui in Regionibus, non intrent in eam, quia dies ultionis hi ſunt, ut impleantur omnia quæ ſcripta ſunt.* Quid ad hæc mutire poſſunt obſtinati Judæi, quibus poſt univerſalem illam cladem nihil monumentorum ſupereſt ad ſecernendas Tribus ſuas, nihilque ſpei relictum eſt extruendi templi ſui in quo,

quo, juxtà Moyſis legem, religionem ſuam publicè exercere poſſint? Tentavit quidem Imperator *Julianus* Apoſtata in odium Chriſtianorum templum Hieroſolymitanum dirutum inſtaurare, ſed flammis è fundamentis erumpentibus, variiſque id genus portentis, quæ refert id ætatis ethnicus Scriptor *Marcellinus*, ab incepto opere deſiſtere coactus eſt. Hæc omnia, inquam, ſi obſtinati Judæi, ſemotis tantiſpèr præjudiciis, expendere non gravarentur, Chriſtum eſſe verùm Meſſiam non minùs clarè cernerent, quàm Solis radii meridianâ luce cernuntur. At nunc præ cæcitate videre non poſſunt juxtà terribilem illam Moyſis comminationem, quæ legitur *Deuteronomii* cap. 28. *Percutiat te Dominus amentia, & cæcitate, ac furore mentis, & palpes in meridie, ſicut palpare ſolet cæcus in tenebris, & non dirigas vias tuas, omnique tempore calumniam ſuſtineas, & opprimaris violentia, nec habeas qui liberet te.*

DILUUNTUR OBJECTIONES
Tàm Criticorum, quàm Judæorum.

Arguitur primò: Meſſias, juxtà Prophetarum oracula, eo tempore naſciturus eſt, quo pax per totum Orbem vigebit: atqui Chriſtus natus non eſt eo tempore, quo pax per totum Orbem vigebat; ergo vel Chriſtus non fuit verus Meſſias, vel ſaltem pax, de qua loquuntur Prophetæ, non debebat eſſe terrena, ut vulgò creditur, ſed ſpiritualis, quam Chriſtus naſcendo attulit hominibus, eos è captivitate diaboli aſſerendo in libertatem filiorum Dei. Prob. minor, Chriſtus, ut in ſuperiori Diſſertatione probatum eſt, natus eſt anno Urbis Romæ conditæ 749. ſeù anno Imperii Auguſti quadrageſimo: atqui hoc anno complura bella contra Parthos, Armenos, Arabes, Germanoſque à Romanis gerebantur, ergo Chriſtus natus non eſt eo tempore quo pax per totum Orbem florebat. Prob. minor, ex *Vellejo Paterculo*, qui lib. 2. cap. 100. hæc ſcribit de Tiberii Neronis ab Urbe Romæ diſceſſu: *Senſit terrarum Orbis digreſſum à cuſtodia Neronem Urbis. Nam Parthus deſciſcens à Societate Romana, adjecit Armeniæ manum, & Germania averſis domitoris ſui oculis rebellavit.* Quibus verbis diſertè innuit *Vellejus Paterculus*, ſtatim ac Tiberius Nero Rhodum ſeceſſit, bella Armeniacum, Parthicum, ac Germanicum contra Romanos erupiſſe. Porrò conſtat ex *Dione* lib. 55. idque fatentur *Noriſius*, & *Pagius*, Tiberium Româ Rhodum ſeceſſiſſe anno Urbis Romæ conditæ 748. *Antiſtio Vetere*, & *Lelio Balbo* Conſulibus. Bella igitur Armeniacum, Parthicum, & Germanicum exorta ſunt anno Urbis Romæ conditæ 748. quæ ſolùm poſt obitum Chriſti fuerunt compo-

 ſita,

Digitized by Google

ſita, nam ad Bellum Armeniacum, & Parthicum miſſus eſt *Cajus* anno Urbis Romæ conditæ 752. & ad bellum Germanicum miſſus eſt *Tiberius* anno Urbis Romæ conditæ 754. cùm itaque Chriſtus natus ſit anno Urbis Romæ conditæ 749. manifeſtò ſequitur illum inter bellorum motus, & armorum fragorem editum fuiſſe.

Reſpondeo, cum Cardinali *Noriſio*, ex verbis citatis Velleii Paterculi colligi non poſſe bella Armeniacum, Parthicum, & Germanicum ſæviiſſe, ſtatim ac Tiberius Româ Rhodum ſeceſſit, ſicut perperàm viſum eſt Joanni *Maſſono* Presbytero Anglicano. Enim verò *Vellejus Paterculus* volens eo loci Tiberio pro more ſuo adulari, aſſerit quidem illius abſentiam Barbaris addidiſſe animos, ut Romanorum jugum excutere tentarent, at eodem anno, quo Tiberius Româ Rhodum profectus eſt, hæc bella continuò erupiſſe, ne verbo quidem indicat Vellejus Paterculus. Immò hic Auctor lib. 2. cap. 104. ſcribit bellum Germanicum eſſe dumtaxàt inchoatum anno Urbis Romæ conditæ 754. ait quippè mortuo *Cajo* Cœſare anno Urbis Romæ conditæ 757. Tiberium v. kal. Jul. fuiſſe ab Imp. Auguſto adoptatum, & confeſtim in Germaniam miſſum, *ubi ante triennium immenſum exarſerat bellum*. Igitur juxtà Vellejum Paterculum bellum Germanicum non fuit inchoatum anno Urbis Romæ conditæ 748. ſed anno 754. quod verò ſpectat bellum Armeniacum, dico Armenos bis defeciſſe, ſeù rebellaſſe contrà Romanos. Primò, quidem rebellarunt anno Urbis Romæ conditæ 748. ſicut *Dio*, apud *Zonaram* refert, at Imperator Auguſtus ejectis è Regno Armeniæ filiis Tigranis, & *Artavaſde*, ſeù, ut alii dicunt, *Artabazano* Rege Armenis impoſito, hanc motam apud Armenos rebellionem eodem anno compeſcuit, ac ſedavit; quarè non fuit neceſſe proptèr exortam illam Armenorum ſeditiunculam, quæ ſtatim ſopita, & compreſſa eſt, Jani templum aperire. Altera autem Armenorum rebellio contigit anno Urbis Romæ conditæ 752. quandò nimirùm *Artavaſdes*, quem Auguſtus Armenis Regem impoſuerat, ab altero Tigrane, cum Phraate Parthorum Rege ſibi fæderato, fuit è ſolio dejectus, & è Regno pulſus. Hujus ſecundæ Armenorum rebellionis meminit *Dio*, apud *Zonaram*, quippè qui, cum narraſſet togam virilem anno Urbis Romæ conditæ 752. Lucio Cœſari ab Imp. Auguſto datam eſſe, addit: *Cùm Armenii defeciſſent, & à Parthis juvarentur, ea de re dolens*, ſcilicèt Imper. Auguſtus, *quid ageret, ambigebat, nec enim propter ſenectutem bellum gerere poterat, & Tiberius, ut dictum eſt, jam ſeceſſerat*. Hęc itaque ſecunda Armenorum rebellio locum dedit bellis Armeniaco, & Parthico, ad quæ gerenda templum Jani reſeratum eſt. Errant ergo illi Auctores, qui putant contrà Armenos, Parthos, & Germanos bella moviſse Romanos

manos anno Urbis Romæ conditæ 748. cùm potiùs ex prophanis Scriptoribus certiſſimè conſtet,nulla bella ab anno Urbis Romæ conditæ 748. uſque ad annum 752. à Romanis geſta fuiſse, ex quo ſequitur Chriſtum Dominum, cujus ortus conſignatur anno Urbis Romæ conditæ 749. natum eſse eo tempore, quo Jani templum erat occluſum, & univerſus Orbis altiſſimâ ſub Imp. Auguſto pace fruebatur.

Arguitur ſecundò: Vaticinium Prophetæ *Michææ* de proditurо Duce è Bethleem applicari, nec convenire poteſt Jeſu Nazareno; ergo ex eo Michææ vaticinio probari nequit Chriſtum eſſe verum Meſſiam. Prob. antec. primò, quia in eo Michææ vaticinio fit ſermo de Duce, qui Iſraelem liberaturus erat ab Aſſyriis, & filios Iſrael è captivitate Aſſyriaca ad patrium ſolum reducturus: at Jeſus Nazarenus illud minimè præſtitit. Secundò, loquitur Propheta de eo Duce, qui futurus eſſet dominator in Iſraele: at conſtat Jeſum Nazarenum non fuiſſe Judæis dominatum, ſed potiùs Judæos illi imperaſſe. Tertiò, de illo agit Propheta, qui paſcere debebat Iſraelem *in fortitudine Domini, in ſublimitate nominis Dei ſui*. Quod ſanè ad Jeſum Nazarenum pertinere non poteſt, vel ſi ad ipſum pertineat, ſequitur illum non fuiſſe Deum, ſed Deo ſubditum.

Reſpondeo neg.ant. ad cujus probationem dico liberationem ab Aſſyriis, de qua in prædicto Michææ vaticinio fit ſermo, non in litterali, ſed in myſtico ſenſu eſſe accipiendam, adeò ut hæc liberatio ab Aſſyriis ſignificet vindicationem Eccleſiæ ab omnibus hoſtibus ſuis, qui à Chriſto Domino expugnari, ac profligari debebant. Alioquin ſi de Iſraelis liberatione è captivitate Aſſyriaca ibi ſermo fieret, ſequeretur hoc Michææ vaticinium nunquàm fuiſſe impletum, conſtat enim ex Scriptura ſacra Iſraelem, ſive decem Tribus nunquàm reductas fuiſſe è captivitate Aſſyriaca, immò nec fuiſſe reducendas, dicente Propheta *Oſea* cap. 1. *Deum non additurum ultrò miſereri domus Iſrael*. Ad id verò quod ſubditur Jeſum Nazarenum non fuiſſe dominatum Judæis, ſed potiùs verſâ vice Judæos imperaſſe Chriſto. Dico Chriſtum, quà homo eſt, dominium temporale non exercuiſſe, ſed ſolùm dominium ſpirituale, & internum,quo Iſraeli dominabatur, ſed, quà Deus erat, utrumque dominium obtinuiſſe, quod nunc, velint nolint, experiuntur Judæi, qui ubique terrarum Chriſtianis ſunt obnoxii, eiſque ſerviunt. Ad tertium dico Chriſtum Dominum paviſſe Iſraelem: *In fortitudine Domini, in ſublimitate nominis Dei ſui*, per ſuam ſcilicèt doctrinam, miracula, & gloriam paſſionis. Non eſt autem inconveniens, quod Chriſtus ſecundùm ſuam generationem temporalem, & formam ſervi, quam aſſumpſit, Deo ſit ſubditus, cùm ipſemet *Joannis* cap. 20.

Patrem

Digitized by Google

Patrem æternum appellet Deum ſuum: *Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum*. Hoc itaque Michææ vaticinium in Chriſto fuit impletum, nec ad Zorobabelem, ut volunt Judæi, pertinere poteſt, quia *Zorobabel* non in Judæa, nedùm Bethleemi, natus eſt, ſed in captivitate Babylonica: Dux autem, de quo loquitur *Michæas*, naſci debebat in Bethleem. Secundò, quià Zorobabeli convenire non poteſt hæc pars vaticinii: *Egreſſus ejus ab initio, à diebus æternitatis*. Denique hoc Michææ vaticinium non de Zorobabele, ſed de Meſſia eſſe intelligendum ultrò fatentur Paraphraſtes Chaldæus Jonathan, auctores Talmudis in libro Sanhendrin cap. ult. & in lib. de Paſchate, Rabbi *Salomo*, & Rabbi *David Kimki*.

Arguitur ultimò: Multa ſunt Prophetarum oracula, quæ in Meſſiæ adventu adimpleri debent, & quæ tamen in nativitate Chriſti completa non fuerunt; ergo Chriſtus non eſt verus Meſſias Prophetarum oraculis prædictus. Prob.ant. primò, Meſſias proditurus eſt *in noviſſimis diebus*, *Iſaiæ* cap. 2. hoc eſt, ſeneſcente jàm mundo: Chriſtus autem jàm multis ab hinc ſæculis natus eſt. Secundò, prædicit Iſaias, quod ad Meſſiam *confluent omnes gentes*, id tamen in adventu Chriſti nullatenùs impletum eſt. Tertiò, quod *conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces*; quod *non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultrà ad prælium*: quod *habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit, leo & ovis ſimul morabuntur &c.* Tanta autem pax ſive inter homines, ſive inter bruta animantia necdùm viſa eſt. Denique verus Meſſias terreno regno potiturus eſt, juxtà illud Pſalmi 2. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ*: Chriſtus autem pauper in ſtabulo natus eſt, pauperculam Matrem habuit, & privatam vitam, ac ignobilem degere affectavit. Ergo multa Prophetarum oracula, quæ in Meſſiæ adventu adimpleri debent, non fuerunt completa in nativitate Chriſti.

Reſpondeo ad hæc ſingula Judæorum argumenta, & ad primum dico: Tempus Meſſiæ tribus de cauſis appellari ab Iſaia noviſſimum, & ultimum. Primò, quia in Meſſia, ſcilicèt in Chriſto, compleri debebant omnes veteris legis figuræ, ac Prophetiæ, quæ ad ipſum tanquàm totius legis finem collimabant. Secundò, quia Meſſias, ſeu Chriſtus, debebat eſſe ultimus Legiſlator, & Propheta, quem Moſes *Deuteron.* cap. 18. genti Judaicæ poſt ſe à Deo datum iri pollicitus fuerat. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus: ipſum audies*. Cujus oraculi veritatem in Chriſto Domino eluxiſſe, accuratâ, & luculentâ comparatione Moſem inter & Chriſtum inſtitutâ probat *Euſebius* lib. 3. de demonſtratione Euang. cap. 2. Denique tempus Meſſiæ dicitur noviſſimum,

ſimum, & ultimum, quia ætas, in qua Chriſtus verus Meſſias venit, eſt ultima, ſeu noviſſima reſpectu quinque aliarum præcedentium. Scilicèt prior mundi ætas ab Adamo ad diluvium fluxit, altera à diluvio uſque ad Abrahamum, tertia ab Abrahamo uſque ad Davidem, quarta à Davide uſque ad captivitatem Babylonicam, quinta à captivitate Babylonica uſque ad Chriſtum, ſexta tandem, quæ noviſſima eſt, quamque Prophetæ prænunciarunt, auſpicatur à Chriſto, & ad finem ſæculorum perdurabit. Addo etiam Chriſtum, ut mox oſtenſum eſt, eo veniſſe tempore, quo Meſſias à Judæis expectabatur, hoc eſt, jàm expleto quarto mundi millenario; congruo igitur tempore natus eſt Chriſtus.

Ad ſecundùm dico: Hæc Prophetæ Iſaiæ verba: *Fluent ad eum omnes gentes*, in Chriſto fuiſſe impleta. Tùm quia Chriſtus natus, & mortuus eſt ad redimendum omne genus hominum, & ad univerſas totius Orbis nationes à peccatis liberandas. Tùm quia etiam lex gratiæ, ſeu Euangelii ad omnes omninò gentes diffuſa eſt, illiuſque tuba, miniſterio Apoſtolorum, qui univerſum Orbem peragrarunt, inſonuit. Prętereà dici poteſt, quod ſæpiùs hæc vox *omnis* in Scriptura ſacra non ſingulos, ſed plurimos ſignificat.

Ad tertium, & quartum dico: *Iſaiam* his expreſſionibus uſum eſſe, ut denotaret altiſſimam illam pacem, quæ toto Orbe pacatis bellorum diſcordiis ſub Imperatore Auguſto vigere debebat, quod, ut ſupra commonſtravimus, Chriſto naſcente contigit. Ea autem, quæ Iſaias de pace inter bruta animantia futurâ vaticinatur, non ad litteram ſumi debent, ſed ad ſenſum quemdam myſticum ſunt potiùs trahenda, adeò ut ſit ſenſus, barbaras gentes, quæ morum ſævitiâ ante Incarnationem, & ortum Chriſti belluas æquabant, vel ſuperabant, Euangelii prædicatione in manſuetiſſimos agnos eſſe convertendas.

Ad ultimum dico: Meſſiam non caduco, & temporario regno potiri debere, uti ſibi perperàm perſuadent Judæi, qui etiamnùm expectant venturum Meſſiam opibus, copiis, reliquiſque mundanis præſidiis affluentem, ſed potiùs Meſſiæ regnum ſpirituale, & æternum fore, atque in eo præſertim poſitum, quod omnes gentes, & omnes linguæ nomen ejus venerentur, majeſtatem confiteantur, virtutes imitentur, præceptis ejus obtemperent, divinitatem adorent, ſuamque omnes ſalutem ipſi referant acceptam. Cæterùm Meſſiam pauperem futurum prædixerunt Prophetæ: dicitur enim in perſona Meſſiæ Pſalm. 35. *Ego autem mendicus ſum, & pauper*; & Zachariæ cap. 9. *ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum aſinæ*. Hæc Prophetarum de Meſſiæ paupertate oracula, ut eludant Judæi, aſſerunt duos Chriſtos, ſeu Meſſias in ſacris litteris eſſe

eſſe promiſſos, unum videlicèt, in quem conveniunt abjecta quæque, & humilia de Chriſto in ſacris libris prædicta, alterum, cui ſplendida, & magnifica omnia de eodem nunciata tribuunt. Priorem nominant Meſſiam filium Joſephi, poſteriorem vocant Meſſiam filium Davidis. Deindè dicunt Meſſiam filium Joſephi in certamine *Gog*, & *Magog* interfectum iri, ſed tamen à mortuis excitandum per virtutem alterius Meſſiæ filii Davidis, qui redimet Iſrael, ejusque regnum reſtituet. Verùm in hac, & in aliis hujusmodi fabulis, quas obtrudunt Rabbini, apertiſſimo documento probant, quàm mala, & deplorata ſit Judæorum cauſa, quam nonniſi putidis commentis tueri, ac defendere poſſunt. At enim nihil inſulſiùs eſt, quàm duos fingere Meſſias, cum nullibi Scriptura ſacra duos Meſſias commemoret, ſed unius tantùm Meſſiæ duplicem notet adventum, unum quidem ut Redemptoris in humilitate, alterum verò in majeſtate ut Judicis. Sed Judæi, qui vento, & chymæris paſcuntur, Scripturam ſacram tot inanibus figmentis corrumpunt, ut faciliùs eſſet Augiæ ſtabulum repurgare, quàm fabulas, quibus eorum libri ſcatent retegere, & confutare.

DISSERTATIO OCTAVA

De manifeſtatione, ſeu ſignis Nativitatis Chriſti, de Magis qui ad ipſius cunas acceſſerunt, & de ſtrage Infantium ab Herode edita.

MAgnum illud pietatis Sacramentum, quod, ſicut ait Apoſtolus 1. ad Timotheum cap. 3. *Manifeſtatum eſt in carne, juſtificatum eſt in ſpiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt gentibus, creditum eſt in mundo, aſſumptum eſt in gloria*, nihil aliud eſt quam ineffabile Incarnationis myſterium, quod *Paſtoribus* oſtenſum eſt in ipſa Nativitate Chriſti, *magis* in die Epiphaniæ, *Simeoni*, & *Annæ* in Templo Hieroſolymitano. Decebat autem, ut probat *S. Thomas* 3. p. q. 36. art. 2. ut Nativitas Chriſti Domini ſecundùm carnem quibusdam à Deo præordinatis conſpicua fieret, ad fidem adſtruendam tanti myſterii abſconditi à ſæculis in Deo: nam quemadmodum, juxtà Sanctum illum Doctorem, extincta fuiſſet ratio fidei, aut ſaltem diminutum maximè illius meritum, ſi omnibus promiſcuè Chriſti Servatoris noſtri innotuiſſet nativitas, immò impedita eſſet generis humani redemptio, quia nullus Chriſto mortem inferre voluiſſet,

ſet, juxtà illud 1. ad Cor. cap. 10. *Si cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*; ità non abſimili ratione, fides haud quaquàm ſtabiliri potuiſſet, niſi Nativitas Chriſti aliquibus innotuiſſet, per quos tam ſublimis & incomprehenſibilis myſterii notitia ad cæteros propagaretur; *fides* enim *ex auditu*, ut dicitur ad Rom. cap. 10. quâ de cauſa, juxtà *Sanctum Thomam*, principiò Mariæ, & Joſepho manifeſtata fuit Nativitas Chriſti, etiam antequam naſceretur, ut proli conceptæ reverentiam exhiberent. Sed quia eorum teſtimonium, utpotè domeſticum, ſuſpectum haberi potuiſſet, ideò oportuit, ut Chriſti Nativitas etiam extraneis proderetur, quò eorum teſtimonia majorem apud omnes Nativitati Chriſti fidem conciliarent. Ex omnibus autem hominum conditionibus ſelegit Deus teſtes Nativitatis Filii ſui, qui omnibus ſalutem erat allaturus. *Paſtores* ſelegit, quia ſimplices erant; *Magos*, quia ſapientes, & ſcrutandis rerum cauſis, ſyderumque conſiderationi intenti; *Simeonem*, quia vir juſtus; denique *Annam*, quia mulier Prophetiſſa. Angelum tamen ad Paſtores delegavit, quia Paſtores Judæi erant, apud quos frequenter fiebant apparitiones Angelorum; *Magis* verò, quia motus, & ortus ſyderum, annique tempeſtates ſedulò obſervabant, Chriſti Nativitatem indicavit per Stellam radiantem in cœlis, quæ portendebat natum eſſe hunc eximium Regem, quem Judæi expectabant, & de quo vaticinatus fuerat Propheta *Balaam* Numerorum cap. 24. *Orietur Stella ex Jacob*. Poſtremò, quia viris juſtis familiare & conſuetum eſt interiori Spiritus Sancti inſtinctu edoceri abſque ſignorum ſenſibilium demonſtratione; ideò *Simeon* & *Anna* per interiorem Spiritus Sancti inſtinctum Nativitatem Chriſti perſpectam habuerunt, juxtà illud *Lucæ* cap. 2. *Reſponſum acceperat*, Simeon, *non viſurum ſe mortem, niſi priùs videret Chriſtum Domini*. Hæc & alia id genus ſigna, quæ ſacra narrat hiſtoria, divinam CHRISTI Servatoris noſtri majeſtatem, quam paupertas, & humilis ortus celabant, indicarunt, atque illuſtrarunt.

Verùm quia moderni Theologi, & Scripturæ ſacræ Interpretes narrant alia ſigna & prodigia variis in regionibus accidiſſe, vel eodem anno, vel in ipſa nocte, quâ Chriſtus Dominus natus eſt, illa ad criſim hîc revocare, & quàm parùm veritatis habeant, paucis demonſtrare non pigebit.

In primis dicunt: Ipsâ nocte Nativitatis Chriſti, Romæ Templum Pacis ſubitò corruiſſe. Sed id abludere à vero, & purum otioſorum hominum figmentum eſſe fatetur ipſemet *Baronius* in apparatu ad Annales Eccleſiaſticos, ubi ait: *Nullum Templum Pacis Romæ ante Chriſtum natum apud claſſicos Scriptores reperiri extructum, ſed ſolùm ab Imperatore Veſpaſiano poſt captam Hieroſolymam, & Judæos in ordinem redactos illud Romæ fuiſſe conſtructum*; idque diſertè aſſerit *Joſephus*

lib. 7. de bello Judaico cap. 24. deindè, mirabilis illius & repentinæ Templi Pacis ruinæ, quæ omnium proculdubio ſermone celebrata fuiſſet, nec Hiſtorici Romani, nec *Hieronymus*, nec *Euſebius*, nec *Oroſius*, nec alii antiqui Patres vel leviter meminerunt, eam utique non omiſſuri, ſi reverà contigiſſet.

Alterum ſignum ſeu prodigium, quod refert *Nicephorus* lib. 1. hiſt. Eccleſ. cap. 17. & ex quo poſtea hauſerunt *Svidas*, *Cedrenus*, *Baronius*, & alii, eſt ceſſatio oraculorum. Fertur enim, quod cùm Imperator Auguſtus ad Delphici Apollinis Templum veniſſet, ut ſciret quiſnam poſt ipſum Romani Imperii clavum regere deberet, hunc in modum fuerit ei ab oraculo reſponſum.

Me Puer Hebræus, Divos Deus ipſe gubernans,
Cedere ſede jubet, triſtemque redire ſub orcum,
Aris ergo debinc tacitus abſcedito noſtris.

Quo reſponſo accepto Imperator Auguſtus Romam reverſus eſt, atque ibi in Capitolio aram maximam extrui juſſit cum ejuſmodi Latina inſcriptione: *Ara Primogeniti Dei*. Verum quin huic prodigio fidem præbeam, hæc obſtant. Primò, quia conſtat à benè multis poſt Nativitatem Chriſti oracula Delphis petita fuiſſe, neque deſiiſſe illa oracula omninò eo loco reddi, ſed deſiiſſe duntaxat reddi verſibus, ſicut ex *Plutarcho*, qui duos de ceſſatione oraculorum libros edidit, luculenter probat *Caſaubonus* exercitatione primâ ad apparatum annalium Baronii. Certè nemo negare poteſt imperante Veſpaſiano, *Velledæ* oraculum magno in pretio apud Germanos fuiſſe, & Imperatorem *Julianum* Apoſtatam longè poſt Natale Chriſti conſuluiſſe oracula, & ab ipſis reſponſa accepiſſe. Denique, nulla ſunt antiquitatis, non ſolùm prophanæ, ſed Eccleſiaſticæ etiam monumenta, nulla Hiſtoricorum, aut Sanctorum Patrum teſtimonia, ex quibus evinci poſſit, anno, quo Chriſtus natus eſt, ceſſaſſe penitùs oracula. Immò *Juſtinus Martyr*, *Tertullianus*, *Lactantius*, *Minutius Felix*, *Origenes*, & multi alii veteres Patres, qui pro Fidei Chriſtianæ defenſione apologias concinnarunt, tanti pro firmanda Fide, & à Gentilium calumniis vindicandâ ponderis argumentum non adhibuerunt, illud utique non prætermiſſuri, ſi oraculum ejuſmodi reverà editum fuiſſet, aut ara primogenito Dei conſecrata in Capitolio ab Auguſto poſita eſſet.

Tertium ſignum ſeu prodigium, quod à nonnullis accidiſſe memoratur, eſt apparitio Virginis, quam Puerum gremio geſtantem Sybilla Imperatori Auguſto in aëre oſtenderit. Sed hoc prodigium falſi convincitur. Primò, quia Auguſti temporibus, ut eſt in confeſſo apud omnes, nulla Sybilla ſuperſtes erat. Secundò, illius prodigii nullam omninò mentionem fecerunt antiqui Sancti Patres, quamvis Sybillina ſæpiùs laudent oracula. Tertiò, ipſemet *Baronius* in apparatu

ratu ad Annales Eccleſiaſticos nullam huic prodigio, aut ſaltem exiguam fidem habendam eſſe cenſet. *Ajunt*, inquit, *Genitricem Dei Mariam Infantem in ulnis habentem, monente Sybilla, ſublimem in aere ab eodem Auguſto illic eſſe conſpectam. Quod tamen ita velim intelligant, qui ei rei majorem fidem adhibendam putant, quàm his, quæ ex Græcis Auctoribus recenſuimus: non quod Sybilla aliqua Auguſti temporibus, quæ illum hæc docuerit, ſuperſtes fuerit: ſiquidem Cumæa, quæ noviſſimè omnium fuiſſe traditur, quinquageſima olympiade (Auctore Solino) vixit, temporibusque Tarquinii Regis Romæ fuit: ſed ſic accipiendum, ut ea ipſa Auguſtus à Sybilla, hoc eſt, Sybillinis carminibus, quæ Sybillæ nomine citari à majoribus conſueverunt, non à Sybilla, quaſi adhuc vivente vate, ei oſtenſa fuerint.*

Quartum ſignum ſeu prodigium, eſt olei fons, quem putant nonnulli Romæ manaſſe eadem nocte, quâ Chriſtus natus eſt, eumque inſtar torrentis ſe mari junxiſſe, atque per aliquot dies perduraſſe. Cui prodigio aliud addunt de tribus ſcilicet Solibus, qui paulatim in eumdem Orbem coiverunt. At utrumque prodigium quadraginta circiter annis ante Nativitatem Chriſti contigiſſe teſtantur *Euſebius* in Chronico, & *Oroſius* lib. 6. cap. 18. quibus aſſentitur *Baronius* in apparatu ad Annales Eccleſiaſticos, quapropter non potuit eſſe Nativitatis Chriſti indicium.

Denique, ut prætermittam alia ejusmodi, quæ circumferuntur Nativitatis Chriſti ſigna, de quibus latè diſſerunt *Barradius* lib. 8. Concordiæ Euang. cap. 13. *Ludovicus de Dieu* in animadverſionibus in excerpta ex hiſtoria Chriſti Perſicè ſcripta, à *P. Hieronymo Xavier* s.I. *Caſaubonus* exercit. 1. ad appar. Baronii, & *Montacutius* in analectis exercitatione quarta; inter ſigna, & prodigia Nativitatis Chriſti nonnulli ponunt obſerationem Templi Jani, quod ante Nativitatem Chriſti erat reſeratum. Sed licet ipſe fatear Templum Jani anno, quo Chriſtus natus eſt, fuiſſe occluſum, exiſtimo tamen id prodigii loco non eſſe habendum, quia Templum Jani tempore Nativitatis Chriſti, more ſolito, fuit ab Imperatore Auguſto poſt expugnatos ſui Imperii hoſtes obſeratum. Quod ergo tempore, quo Chriſtus natus eſt, Templum Jani fuerit clauſum, non tam prodigium dici debet, quàm complementum vaticinii Prophetarum, qui Chriſtum eo tempore proditurum cecinerunt, quo pax per totum, quà latè patet, Orbem, vigere debebat.

Miſſis itaque ementitis fictiſque illis portentis, quibus non indiget Chriſti Domini Nativitas, quæ tot tantiſque certis & indubitatis miraculis fulget; nam, ut inquit *S. Ambroſius* lib. 2. in Lucam, *An mediocribus ſignis Deus probatur, quod Angeli miniſtrant, quod Magi adorant, quod Martyres confitentur? ex utero funditur, ſed coruſcat è Cælo:*

 ter-

terreno in diverſorio jacet, ſed cæleſti lumine viget. Nupta peperit, ſed virgo concepit: nupta concepit, ſed virgo generavit. Miſſis, inquam, aliis confictis prodigiis, nunc pauca dicenda ſunt de *Magis*, qui ductu Stellæ radiantis in Cœlis ad cunas Chriſti proni ipſum adoraturi acceſſerunt. Quatuor autem dubia de *Magis* potiſſimùm moveri ſolent. Primò, an tres dumtaxat ad cunas Domini venerint? Secundò, an regiâ dignitate fuerint inſigniti? Tertiò, quænam ſint eorum nomina? Denique ex qua patria ſint oriundi? Quę dubia hîc breviter diſcutienda ſuſcipio. Et primò, quod ſpectat numerum Magorum, qui ad cunas Chriſti Domini acceſſerunt, probabiliùs eſt illos tres tantùm fuiſſe, tùm quia, ut ſacer perhibet Euangeliſta *Matthæus*, tria tantùm munera infanti Deo obtulerunt *Magi*, aurum videlicet, thus, & myrrham: ut auro Regem, thure Deum, myrrhâ mortalem Chriſtum profiterentur, ſicut interpretantur Sancti Patres; cùm igitur tria dumtaxat munera *Magi* obtulerint Chriſto Domino, argumento eſt: non plures quàm tres fuiſſe Magos, & à quolibet ſpeciale munus Chriſto fuiſſe oblatum. Tùm quia etiam in perantiquis Catholicorum Templorum totius Orbis monimentis & picturis nonniſi tres Magi repræſentantur Chriſtum Dominum adorantes, eique munera viritim offerentes. Tùm quia denique in hanc ſententiam omnes Sancti Patres, & Eccleſiæ Doctores conſpirant, quorum teſtimonia recenſere nimis longum eſſet. Quod ſpectat ſecundum dubium, an ſcilicet Magi Reges fuerint? Paulò major eſt difficultas. Sunt quidam doctiſſimi Theologi, & Scripturæ ſacræ Interpretes, qui docent illos non tàm Reges, quàm Regulos fuiſſe, quales etiam dici poſſunt Toparchæ quicumque, ſive unius tantùm loci Principes. Certè *Matthæus* hanc regiam Magorum dignitatem, comitatum, apparatum, & alios, quibus ab Herode fuiſſent excepti, honores ſilentio non prætermiſiſſet: nec aliundè veroſimile eſt, Herodem, quem *Joſephus* lib. 1. de bello Judaico cap. 19. dicit, timore pavidum fuiſſe, & ad omnes ſuſpiciones excitari ſolitum, tàm facilè permiſiſſe, ut ignoti Reges in propriam ditionē irrūperent. His conjecturis nititur hæc ſententia. At ſunt alii Theologi & Scripturæ ſacræ Interpretes, qui ex adverſo contendunt tres Magos, qui ad cunas Chriſti Domini acceſſerunt, fuiſſe Reges; idque probant ex multis teſtimoniis Sanctorum Patrum, qui tribus Magis hæc accommodant Pſalmi 71. verba: *Reges Tharſis & Inſulæ munera offerent, Reges Arabum & Saba dona adducent.* Utrique opinioni præjudicare nolo, nec cum viris eruditis contentioſum funem ducere, ſua ergo cuilibet ſententiæ conſtet probabilitas; ſive enim hæc, ſive illa opinio vera ſit, perindè eſt, nec ullo modo elevatur, aut imminuitur ſacræ hiſtoriæ auctoritas, cum neutra harum opinionum ſacræ hiſtoriæ veritate, ſed probabili dumtaxat conjectura fulciatur. Ad tertium, quod

Digitized by Google

quod attinet dubium de Magorum nominibus, conſultiùs eſſe judico ea curioſiùs non eſſe inquirenda, cùm nulla planè tàm ſacræ, quàm Eccleſiaſticæ ſuppetant antiquitatis monumenta, ex quibus aſſignari poſſint; undè meritò à viris doctis ſugillantur moderni quidam Auctores, qui incredibili quælibet fingendi prurigine titillati, ficta, & adſcititia tribus Magis nomina imponere, multaque hiſtoriæ Euangelicæ ariolando addere præſumunt. Adire poteſt Lector *Theophylum Raynaldum* in diptychis Marianis parte 5. puncto 8. num.25. ubi ſolidè refellit vanum commentū cujusdam Auctoris, qui anno 1638. eo temeritatis prorupit, ut aſſereret ſub nomine Magorum tres ad cunas Chriſti veniſse inſignes in ſacris litteris viros, *Enochum* videlicet, *Melchiſedechum*, & *Eliam Thesbitem*. Quod ſanè quàm vanum, ineptum, ac inſulſum ſit, nemo eſt, qui ſtatim non videat. Pergamus nunc ad ultimum dubium, ex qua videlicet patria *Magi* ſint oriundi? an ex Chaldæa? an ex Perſide? an ex Arabia felice venerint? quæ difficultas cùm inter Theologos, & Scripturæ ſacræ Interpretes celebrior ſit, eam hîc operoſiùs ventilare neceſsum eſt.

DICO ITAQUE PRIMÒ: *Magos nec ex Chaldæa, nec ex Perſide veniſſe, ac ſubindè nec Chaldææ, nec Perſidi ſuos natales debere.*

Probatur hæc aſsertio: *Chaldæa* ab Urbe Hieroſolyma diſtat 370. leucis, & *Perſia* 500. ut videre eſt apud doctiſſimum Auctorem Gallicæ analyſeos diſsertatione tertiâ. Porrò creditu difficile eſt Magos intra 13. dies, qui à die Natali uſque ad eorum adventum numerantur, tàm longum ac diuturnum iter emetiri potuiſse, etiamſi demus eos perniciſſimis equis, dromedariis, & camelis fuiſse vectos, tùm quia veriſimile non eſt Magos, ubi primùm Stella in Oriente apparuit, ſe ſe accinxiſse ad iter, ſed potiùs credibile eſt eos antehàc de novæ & inſolitæ Stellæ apparitione invicem contuliſse, conſultationem adhibuiſse, conſenſum firmaſse, res ad iter conficiendum præparaſse, comites ordinaſse, ſic enim factitare ſolent Magnates, maximè quando longum & arduum iter ſunt aggreſsuri. Tùm quia etiam *Magi*, antequàm Bethleemum accederent, Hieroſolymis paululùm temporis ſunt commorati. Refert ſiquidem Euangeliſta *Matthæus*: Herodem ad Magorum adventum turbatum & anxium de loco, in quo naſciturus erat Meſſias, accerſiiſse primores Sacerdotes & Legisperitos, qui ei reſponderunt, locum Nativitatis Meſſiæ deſignari à Propheta Michæa in Bethleem Juda, quæ erat Civitas Davidis Regis ortu celebris, inſuper Herodem interrogaſse Magos de tempore apparitionis Stellæ, eosque rogaſse, ut ad Urbem redirent, ſibi omnia, quæ Puerum ſpectabant, narraturi, ut ipſe eodem adorationis officio defungi poſset. Jam verò quis credat Magos ſe ſe ad tam longum iter præparare, illud per tot populos, ac diverſas regiones adornare,

Hu-

Digitized by Google

Hieroſolymis paululùm temporis commorari, & intra 13. dierum ſpatium ad cunas Domini accedere potuiſse. Id profectò ab omni veri ſpecie abhorrere videtur, etiamſi fingamus Magos curſorum inſtar mutatis ac concitatis equis iter maturare voluiſse.

Reſpondent primò quidam Theologi ut ab hoc argumento ſeſe expediant, Stellam apparuiſſe quidem in Oriente die quâ natus eſt Chriſtus, ideſt, die 25. menſis Decembris, Magos tamen Bethlemum dumtaxàt adventaſſe biennio poſt natale Chriſti. Idque probant, tùm quia ità cenſet *S. Epiphanius* hæreſi 51. cui ſuffragantur quamplurimi recentiores; tùm quia etiam Beata Virgo in die Purificationis ſuæ non agnum, ſed par turturum, aut duos pullos columbarum obtulit in Templo, quod quidem argumento eſt, eam non habuiſſe pretium agni, nec proindè aurum accepiſſe à Magis; tùm quia denique Herodes juſſit occidi omnes pueros à bimatu, & infrà, ſecundum apparitionis Stellæ tempus, quod exquiſierat à Magis: non eſt autem credibile, Herodem voluiſſe bimos mactare pueros, ſi ab ortu Stellæ ad Magorum adventum nonniſi 13. dies interfluxiſſent.

Verùm hæc reſponſio apertè adverſatur antiquæ Eccleſiæ traditioni, quæ docet Chriſtum adhùc in pannis, in gremio Matris, atque in præſepio collocatum, adoratum fuiſſe à Magis decimotertio die ex quo natus eſt. Id etiam non obſcurè innuit *Matthæus* dùm dicit: *Cùm natus eſſet Jeſus, ecce Magi ab Oriente venerunt*. Sanè ſi, quando Magi Bethleemum venerunt, Chriſtus fuiſſet anniculus, aut bimus, ut *Epiphanius*, *Faber*, *Oſiander*, *Bollandus*, &c. exiſtimant, non dixiſſet Euangeliſta, *cùm natus eſſet Jeſus, ecce Magi ab Oriente venerunt*, nàm *τὸ ecce* non dicitur de re tam ſerâ, ſed potiùs de ſubitâ, & improvisâ, vel certè proximâ, & quaſi præſenti dici ſolet, ſicùt compertum eſt ex benè multis Scripturæ ſacræ locis. Præthereà, idem Euangeliſta narrationem ortus Domini, Angelorum nuntium, Paſtorum officia, nullo alio interjecto, cum Magorum adventu connectit. Quod quidem demonſtrat Magos paulò poſt nativitatem Chriſti, hoc eſt, decimotertio die ex quo natus eſt Chriſtus, ad illius cunas acceſſiſſe. Denique SS. Patres *Hieronymus* epiſt. 17. ad Marcellam, & *S. Bernardus* ſerm. 1. & 2. de Epiphania disertè tradunt Chriſtum in vili tugurio pannis obvolutum à Paſtoribus fuiſſe inventum, & à Magis adoratum.

Nec obſtat huic traditioni Eccleſiæ, quod Beata Virgo in die Purificationis ſuæ obtulerit more pauperum par turturum, aut duos pullos columbarum: nàm in hoc potiùs laudare, & mirari debemus liberalitatem, ac beneficentiam Virginis, quæ brevi aurum acceptum à Magis in pauperes erogavit, nihilque ſibi retinuit; vel ipſius prudentiam, quod viaticum pararit mox fugitura in Ægyptum; vel denique

nique ipſius modeſtiam, quia non decebat, ut quæ pauper erat, ea divitum oblationem ſubitò inferret; ab omni quippe faſtu, & oſtentatione erat Virgo aliena, nec mutare conditionem illi erat animus, quam ſciebat Dei Filio placuiſſe.

Nec magis urget alia ratio, quam opponunt adverſarii, videlicèt Herodem juſſiſſe occidi pueros à bimatu, & infrà, nàm primò dici poteſt inter apparitionem Stellæ, & Magorum adventum interceſſiſſe quidem tredecim dumtaxàt dies, ſed Herodem irâ, & furore percitum tempus ex propria malitia ampliaſſe, ſicut reverà ampliavit locum occiſionis puerorum. Quamvis enim probè ſciret Herodes tàm ex prophetia Michææ, quàm ex Sacerdotum, atque Scribarum reſponſo, Chriſtum natum eſſe in Bethleem, omnes tamen pueros trucidari juſſit non ſolùm in Bethleem, ſed in omnibus finibus ejus. Quemadmodùm ergo Herodes fibulam crudelitati ſuæ laxavit extrà Bethleemum ſæviendo, ne fortè in ejus confinio latitaret Rex recens natus, ſic ſtimulante furore extendit temporis periodum, ne ſibi illius carnificinæ fructus periret. Sic ſentit *Sanctus Chryſoſtomus* homil. 7. in Matthæum, ubi hæc habet: *Quod ſi à biennio, & infrà Herodes pueros interfecit, ne mireris. Siquidem conveniens in eumdem tyrannum pavor, & furor, pro abundantia cautionis, & licentia perſecutionis, majus etiam tempus includit: ne quis profectò ejus ætatis, & fortè is, propter quem alii interimuntur, effugiat.* Dici etiam poteſt puerulos bimos ideò ab Herode fuiſſe occiſos, quia timebat ſceleſtus ille tyrannus, ne puer, ſcilicèt Chriſtus, cui Sydera famulabantur, ſpeciem ſuam paulò ſuprà ætatem, vel infrà transformaret, ſicque carnificum manus effugeret.

Reſpondent ſecundò alii Theologi: Stellam biennio antè natale Chriſti Domini apparuiſſe in Oriente, eâque admonitos Magos de ortu proximo novi Regis, quem diù conſtans fama naſciturum prædicabat, ſe itineri dediſſe, eosque biennio dumtaxàt poſt apparitionem Stellæ Bethleemum, jàm nato Chriſto, adventaſſe. Hac autem ſemel admiſsâ hypotheſi, dicunt facilè admodùm concipi poſſe Magos ex Chaldæa, aut ex Perſide ſe ad longum iter præparare, illudque intrà integrum biennium commodè peragere potuiſſe; illud quippè temporis intervallum ad totum Orbem peragrandum abundè ſufficere poſſet.

Verùm hæc reſponſio facilè refellitur. Primò, quia Stella, quæ apparuit in Oriente, non fuit ſignum naſcituri, ſed jàm nati novi Regis, ſicut colligitur ex interrogatione Magorum: *Ubi natus eſt Rex Judæorum? Vidimus enim Stellam ejus in Oriente, &c.* Si autem Stella biennio antè natale Chriſti apparuiſſet in Oriente, fuiſſet ſignum non jàm nati, ſed naſcituri novi Regis. Prætereà, ſi Stella biennio antè natale

natale Chriſti apparuit in Oriente, quorsùm igitur Magi profectionem ſuam tamdiù procraſtinarunt, ut elapſo dumtaxàt biennio ab apparitione Stellæ ad cunas novi Regis pervenerint? Credibile ne eſt Magos in re tanti momenti moras nectere voluiſſe, vel ſic ſuum iter ordinare potuiſſe, ut quamvis biennio circiter antè nativitatem Chriſti fuerint ab Oriente profecti, Bethleemum tamen ad præfixum natalis Chriſti tempus, hoc eſt, decimotertio die poſt illius ortum acceſſerint? Hæc igitur reſponſio, quæ etiam nec in Sanctis Patribus, nec in tota retrò antiquitate, vel minimum veſtigium habet, nullo pacto ſtare poteſt.

Reſpondent denique alii Theologi: Magos dumtaxàt poſt Purificationem Beatæ Virginis ad cunas Chriſti Domini acceſſiſſe, ac proindè ex Chaldæa, vel ex Perſide venire potuiſſe. Si enim, inquiunt illi Theologi, die decimo tertio poſt natale Chriſti Bethleemum Magi adventarunt, cur ergo *Herodes* ſolùm poſt Purificationem Beatæ Virginis intellexit ſe à *Magis* fuiſſe deluſum? Credibile ne eſt impium illum Regem, qui cædem, ſanguinem, vivi comburia, crucifixiones, carnificinas inauditas ſpirabat, quique nihil intentatum reliquit ut puerum recens natum de medio tolleret, per integrum fermè menſem poſt Magorum adventum in utramvis aurem dormiiſſe, nec per id temporis animadvertiſſe ſibi à Magis non redeuntibus verba data eſſe? Profectò qui ambitioſum, ſuſpicacem, atque crudelem Herodis animum graphicè à Joſepho deſcriptum noverit; ille vix dubitabit, quin ingenti metu trepidarit Herodes, dùm Magi Bethleemum petebant, moræque impatiens ipſorum reditum anxiè expectarit, ut quem Imperii ſibi rivalem exiſtimabat, abjectâ omni cunctatione obtruncaret. Cùm igitur Herodes tantùm poſt Purificationem Beatæ Virginis intellexerit ſe à Magis fuiſſe deluſum, & hac de cauſa tùm temporis, ut inquit Scriptura ſacra, omnem ſuum furorem exacuere, totoque ſævitiæ impetu in parvulos promiſcuis cœdibus debachari cœperit, argumento eſt, Magos ſolùm poſt Purificationem Beatæ Virginis Herodem allocutos fuiſſe, & ad cunas Chriſti Domini acceſſiſſe.

Sed hæc reſponſio nihilo præcedenti melior eſt. Nàm ſi Magi poſt Purificationem dumtaxàt Beatæ Virginis Bethleemum perveniſſent, non fuiſſet haud dubiè Herodes animo turbatus, quandò *Magi* Hieroſolymis Chriſti, ſeu novi Regis nativitatem nunciarunt, nec convocaſſet Herodes Sacerdotes legis peritos, ut dignoſceret locum, in quo novus ille Rex, ſeu Meſſias naſciturus erat; hæc quippè Herodes jàmjàm perſpecta omnia habuiſſet ex his, quæ in Purificatione Beatæ Virginis contigerant, videlicèt ex prędictionibus *Annæ*, & *Simeonis* de divino Infante in Templo Hieroſolymitano factis,

quæ

quæ quidem prædictiones, cùm omnium ſermone celebrarentur, earumque fama in dies percrebreſceret, Herodem latere minimè potuerunt. Accedit prætereà traditio Eccleſiæ Latinæ, quæ ab initio ſaltem quinti ſæculi *Epiphaniam*, ſeu adventum, & adorationem Magorum diei ſexto Januarii, hoc eſt, antè Purificationem B. Virginis affixit, cui traditioni Eccleſiæ indivulsè ſtare debemus. Nec quemquã movere debet conjectura, quâ nituntur illi Theologi: nàm ideò Herodes antè Purificationem Virginis ſuum furorem cohibuit, quia ſibi fortè perſuaſit Magos à ſe dimiſſos non reperiiſſe puerum, quem quærebant, eoſque pudore ſuffuſos ſua relegiſſe veſtigia, nec Hieroſolymam remeare voluiſſe, ne in vulgi fabulam abirent. At ubi poſt Purificationem Virginis ex fama prædictionum Simeonis, & Annæ quæ per omnium ora volitabat, intellexit ſe à Magis deluſum, & reverà natum eſſe novum illum Regem ſibi ab ipſis nunciatum, tunc excanduit tyrannus, & vehementer dolens de excuſſa ſibi præda, impotenti furori laxavit habenas, atque è veſtigio juſſit omnes occidi pueros, in eam ſpem erectus fore ut Chriſtus, cujus vitæ inſidias ſtruebat, & cujus ſanguinem ſitiebat, in tam univerſali clade mortem effugere non poſſet. Hoc pacto ſibi, Regno, rebusque ſuis meliùs conſultum iri putavit immaniſſimus ille tyrannus.

DICO SECUNDO: *Probabiliùs eſſe magos veniſſe ex Arabia felice.*

Probatur primò, ex pſal.71. *Reges Arabum, & Saba dona adducent. Et dabitur ei de auro Arabiæ.* Secundò, quià intervallum itineris ex Arabia felice ad Hieroſolyma poteſt intrà octiduum per Camelos peragi, teſte Illuſtriſſimo *Petro de Marca* in Opuſculo *de Adventu Magorum ad Chriſtum*, quod extat inter illius Auctoris poſthuma opuſcula à *Stephano Baluzio* in lucem edita. Ex quo facili negotio intelligitur, Magos poſt apparitionem Stellę ex Arabia felice profectos, potuiſſe decimo tertio die poſt natale Chriſti ad illius cunas accedere. Tertiò, id patet ex donariis, ſeù ſpeciebus munerum quæ Magi obtulerunt Chriſto Domino, videlicet ex Auro, Thure, & Myrrha, quæ ſunt aromatum genera domeſtica, & propria Sabææ regionis in Arabia Felice, ubi quoque optimum aurum gignitur, ſicut ſcribit *Plinius* libro 12. Hiſtor. Nat. cap. 14. Denique, id colligitur ex Prophetia *Balaam* libri Numerorum cap. 24. *Orietur Stella ex Jacob*, quæ prophetia permovit Magos ad quærendum novum Regem, cujus ortum Stella radians in Cœlo indigitabat. Porrò hæc prophetia *Balaam* notior erat iis qui in Arabia verſabantur, quàm Chaldæis, & Perſis, quia *Balaam* hanc prophetiam edidit in Arabia, quandò videlicet *Balac* Princeps Moabitarum eum ad populo Iſraelitico imprecandum inducere voluit. Pro-

Digitized by Google

babiliùs ergò eſt, Magos in Arabia ad novi ſyderis expectationem per prophetiam Balaami erectos, eo affulgente, in Meſſiam, novumque Regem ſibi inquirendum duxiſſe.

Dicet aliquis, conſtat ex Scriptura Sacra Magos veniſſe ab Oriente: atqui Arabia non eſt Orientalis reſpectu Judææ, ſed potiùs Auſtralis; ergò Magi ex Arabia felice non venerunt, ſed ex Chaldæa, vel ex Perſide. Hinc *S. Thomas* 3. part. qu. 36. art. 7. ait Magos ex Perſide veniſſe.

Reſpondeo Arabiam eſſe vaſtiſſimam regionem, in *deſertam*, *petraam*, & *felicem* diſtributam, ſitum verò Arabiæ felicis comparatè ad Judæam eſſe ad Orientem. Quandò enim Abrahami filios, quos ſuſtulerat ex *Cethura* uxore ſua, ſeparavit à filio ſuo Iſaac, ne videlicet inter eos ſuborirentur diſſidia, largitus eſt illis munera, ſeù bona, & poſſeſſiones aſſignavit ad plagam Orientalem, hoc eſt, in Arabia, ſicut dicitur *Geneſis* cap. 25. *Cornelius* etiam *Tacitus* libro 5. Hiſtoriarum ſcribit, Arabiam ad Orientem Judææ eſſe poſitam, ſic enim habet: *Terra, fineſque quà ad Orientem vergunt* (Judæi) *Arabia terminantur*. Ad auctoritatem S. Thomæ dico Angelicum illum Doctorem hanc quæſtionem facti nec diſcutere, nec dirimere voluiſſe, ſed eam in medio reliquiſſe. Id patet ex his quæ habet Sanctus Præceptor 3. part. quæſt. 36. art. 3. ad 3. *Quidam tamen dicunt eos veniſſe de regione propinqua, undè fuerat Balaam, cujus doctrinæ fuerunt ſectatores: dicuntur autem ab Oriente veniſſe, vel quia de ultimis Orientis partibus venerunt ſecundùm quoſdam, vel quia de aliquibus vicinis partibus venerunt, quæ tamen ſunt regioni Judæorum ad Orientem*. Quibus verbis conſtat S. Thomam ab illa quæſtione facti juxtà criticæ diſciplinæ regulas penitiùs examinanda pro more ſuo conſultò abſtinere voluiſſe.

Advertat hìc obitèr Lector, Stellam, quæ Magos perduxit ad cunas Chriſti, fuiſſe à Deo de novo creatam, non in Cœlo, cui affixæ ſunt Stellæ Cœleſtes poſitam, ſed in aere terræ vicino. Ita ſentit *Sanctus Thomas* 3. part. quæſt. 36. art. 7. ubi poſtquàm obſervavit alios fuiſſe Theologos, qui docebant Angelum, qui apparuit paſtoribus in humana ſpecie, apparuiſſe itidèm *Magis* in ſpecie Stellæ; alios verò Theologos exiſtimaſſe, quod, ſicut Spiritus Sanctus ſuper Chriſtum baptizatum deſcendit in ſpecie columbæ, ita apparuit *Magis* in ſpecie Stellæ; his duabus relictis ſententiis, probabiliùs cum *S. Chryſoſt.* hom. 6. in *Matth.* cenſet S. Doctor: hanc Stellam, quæ Magos ad cunas Chriſti perduxit, fuiſſe à Deo de novo creatam, non tamen in Cœlo cui affixæ ſunt Stellæ Cœleſtes, ſed in aere terræ vicino, quæ ſecundùm divinam voluntatem movebatur, & in multis à Stellis, vel fixis, vel erraticis diſcrepabat. Primò, quia

quia hæc Stella non ſolùm nocte fulgebat, ſed etiàm interdiù, (quod non eſt virtutis Stellarum, ſed nec etiam Lunæ.) Secundò, hæc Stella quandòque apparebat, & quandòque occultabatur: cùm enim Magi ingreſſi ſunt Hieroſolymam, occultavit ſe ipſam, ſed ubi Herodem reliquerunt, ſe ipſam Ducem itineris denuò monſtravit, quod Stellæ, vel fixæ, vel erraticæ præſtare minimè poſſunt. Tertiò, hæc Stella nec continuum, nec rapidum motum habebat, ſed potiùs lentum: nàm, quandò Magi incedere debebant, ibat; cum opportebat eos ſtare, ſtabat, ad inſtar columnæ nubis in deſerto; Stellæ autem, vel fixæ, vel erraticæ continuum, & rapidum motum habent. Quartò, hæc Stella poſt miniſterium *Magis* præſtitum, confeſtim evanuit, nec unquàm ampliùs viſa eſt; at corpora Cœleſtia ſunt ab intrinſeco incorruptibilia, & eadem ſunt hodie quæ in creationis exordio. Denique hæc Stella, quæ *Magos* ad cunas Chriſti perduxit, non ſursùm manens partum Virginis demonſtrabat, ſed deorſum deſcendens nativitatis Chriſti locum indigitabat: dicitur enim *Matth.* cap. 2. Quod *Stella, quam viderant Magi in Oriente, antecedebat eos, uſque dum veniens ſtaret ſupra, ubi erat puer*. Cæterùm hæc Stella, quæ *Magis* apparuit in Oriente, eoſque toto itinere præceſſit, ab illis, dum Hieroſolymam pervenerunt, duplici de causâ ſe ſubtraxit. Primò, quia voluit Deus, ut Magi Hieroſolymis oraculis Prophetarum de loco nativitatis Meſſiæ ab ipſiſmet Judæis confirmati, ardentiori fide expeterent eum, quem Stellæ claritas, & prophetiæ manifeſtabat auctoritas. Secundò, quia voluit etiam Deus, ut Judæi omninò inexcuſabiles eſſent, quippè qui dùm interrogantibus *Magis* locum nativitatis Regis Judæorum, juxtà Prophetarum oracula incunctantèr indicarunt, ipſi tamen deplorandâ cæcitate ſimiles facti ſunt Fabris Arcæ Noe, qui aliis, ut evaderent, præſtiterunt, & ipſi diluvio perierunt: *Audierunt*, inquit, *Auguſtinus* in ſerm. Epiphaniæ, *& abjerunt inquiſitores, dixerunt, & remanſerunt Doctores, ſimiles lapidibus milliariis, qui viam oſtendunt, nec ambulant*.

Hactenùs de his quæ *Magos* ſpectant ſatis ſuperque diximus: nunc duo dubia, quæ circà ſtragem infantium ab Herode editam moveri ſolent, paucis excutiemus. Primum Dubium eſt: An Herodes biennium poſt natale Chriſti expectaverit ad occidendos pueros? Alterum Dubium eſt: An Herodes, in illa cruenta, quam edidit, infantium carnificina, filium ſuum bimum occiderit?

Ad primi itaque Dubii reſolutionem dico: Herodem biennium poſt natale Chriſti non expectaſſe ad infantes trucidandos. Idque probatur primò, quia Herodes, ſicut in ſexta diſſertatione oſtendimus, vitâ functus eſt anno elapſo poſt natale Chriſti; non ergò

 potuit

potuit Herodes expectare biennium poſt natale Chriſti ad pueros occidendos. Secundò, quia veriſimile non eſt crudeliſſimum illum Regem, qui in Chriſti recens nati exitium totus incumbebat, furorem, quo in tranſversùm agebatur, per biennium cohibere, & diſſimulare potuiſſe.

Dices: *Sanctus Thomas* 3. part. quæſt. 36. art. 6. ad 3. hæc habet: *Et ſecundùm hoc Herodes non ſtatim recedentibus Magis, ſed poſt biennium pueros interfecit, vel quia dicitur accuſatus Romam veniſſe: vel aliquorum periculorum terroribus agitatus à cura interficiendi puerum interim deſtitiſſe: vel quia potuit credere Magos fallacis Stellæ viſione deceptos, poſtquàm non invenerunt quem natum putabant, erubuiſſe ad ſe redire, &c.* Ergò ex S. Thoma Herodes biennio dumtaxàt poſt natale Chriſti funeſtam edidit infantium cædem.

Reſpondeo Sanctum Thomam eò loci, non quid ipſe ſentiat, ſed aliorum tantùm modo referre opinionem, quam ne quidem examinat, nedùm approbat. Norunt quippè omnes, Sanctum illum Doctorem in ea, quam elucubravit, ſummâ tripartitâ, quæſtiones, quæ vel ad criticam diſciplinam, vel ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam pertinent, diſcutiendas non ſuſcepiſſe; tùm quia in rem Theologiæ Candidatorum brevitati ſtudere voluit, & compendiosè pertractare ea quæ alii ante ipſum Theologi, non ſine aliqua temporis jactura longo latoque calamo tractare ſolebant. Tùm quia Sanctus Doctor Theologiam Scholaſticam, non poſitivam, quam tamen apprimè callebat, adornare ſibi propoſuit. Nunc verò convenit inter omnes eruditos, qui in hiſtoria ſunt verſati, Herodem quidem, poſtquàm Rex Judçæ à Romanis fuit declaratus, ter Romam navigaſſe, trinam tamen illam navigationem ab eo fuiſſe ſuſceptam ante natale Chriſti. Enim verò *Joſephus* lib. 16. Antiq. cap. 1. Narrat Herodem veniſſe Romam, & indè filios ſuos *Alexandrum*, & *Ariſtobulum* optimis jam Romæ diſciplinis inſtructos in Palæſtinam ſecùm duxiſſe. Et in cap. ſeq. recitatis nuptiis, quas iidem filii Herodis nobilibus fœminis copulati celebrarunt, ait: *poſt hoc audito, quod M. Agrippa ex Italia rediiſſet in Aſiam, profectus illò invitavit eum,* Herodes, *in Regnum ſuum*. Agrippa denuò ab Auguſto Imper. in Orientem miſſus fuit anno Urbis Romæ conditæ 738. ſicut ad illum annum teſtatur *Dio* lib. 54. igitur Herodes anno ſuperiori, ſcilicèt Urbis Romæ conditæ 737. Romam venerat, ubi ab Auguſto fuit humaniſſimè exceptus, teſte *Joſepho* initio laudati libri. Prima itaque Herodis navigatio in Italiam, ſeù Romam, præfigi debet anno Urbis Romæ conditæ 737. ac proindè præceſſit duodecim circitèr annis natale Chriſti, quod, ſicut in diſſertatione ſexta probatum eſt, anno Urbis Romæ conditæ 749. illigandum eſt. Prætereà idem

Digitized by Google

idem *Joſephus* cap. 6. ejuſdem lib. 16. Narrat Antipatrum Herodis filium Romæ degentem frequentibus litteris fratribus ſuis Alexandro ſcilicet, & Ariſtobulo inſidias ſtruxiſſe, veritum ne illi, ſe abſente, paternam gratiam, quâ exciderant, recuperarent. Quò factum eſt ut Herodes ergà ipſos indignatione commotus Romam navigare decreverit, & ibi filios apud Cæſarem accuſare, ne propter indignationem parùm ergà filios pius videretur. Sed cum Romam perveniſſet, non inventum ibi Cæſarem, Aquilejam ad eumdem perrexit. Et in cap. 8. recitat Joſephus orationem, quâ Alexander illata ſibi à patre ſuo Herode crimina, apud Cæſarem confutavit, additque Auguſtum hac oratione perſuaſum, & inductum fuiſſe ut Herodem cum filiis in concordiam revocaret. *Cardinalis Noriſius* diſſert. 2. *de Cenotaphiis Piſanis* evidentèr oſtendit tam ex rebus ab Imp. Auguſto geſtis, quàm ex vetuſtis inſcriptionibus, ac characteribus chronologicis id contigiſſe anno Urbis Romæ conditæ 742. Unde ſequitur ſecundam navigationem Herodianam in Italiam, ſeu Romam, antevertiſſe ſeptem circitèr annis proprium natale Chriſti. Denique de anno quo Herodes tertiùm Romam venit, etſi, proptèr ſilentium Joſephi, non una ſit omnium Scriptorum ſententia, omnes tamen ad unum fatentur, hanc tertiam navigationem in Italiam fuiſſe ab Herode ſuſceptam ante natale Chriſti, ſicut videre eſt, apud Cardinalem Noriſium loco mox laudato. Idque confirmari poteſt ex his quæ in diſſertatione ſexta diximus, nàm cùm Herodes unico dumtaxat anno poſt natale Chriſti ſuperſtes fuerit, & ſub finem vitæ ſuæ acerbis doloribus, atque acutiſſimo morbo vexatus fuerit, incredibile planè eſt Herodem poſt natale Chriſti & Magorum adventum, veniſſe Romam, ut ſe ſe apud Cæſarem ab impactis ſibi accuſationibus purgaret, ſuamque coram ipſo cauſam peroraret.

Ad ſecundi Dubii propoſiti reſolutionem dico Herodem in ea, quam edidit, ſtrage infantium, non occidiſſe filium ſuum bimum. Idque probatur primò, quia nulli Scriptores memoriæ unquàm prodiderunt Herodem in hac laniena infantium Bethleemiticorum, infantem ſuum bimulum occidiſſe, quamvis aliundè atris coloribus depingant ſævitiam ferociſſimi illius tyranni, qui barbarie pluſquàm Scythicâ interfecit tres ſuos jam adultæ ætatis filios nimirùm Alexandrum, Ariſtobulum, & Antipatrum. Secundò, quì credibile eſt Herodem Senio confectum (ſeptuageſimum quippè annum, teſte *Joſepho*, agebat dum obiit) genuiſſe biennio ante mortem filium, quem juſſit cum cæteris occidi? Tertiò, ratio, quæ permovit Herodem ad cædem infantium Bethleemiticorum, eſt quia perſuaſum ex Scriptura Sacra habebat, quemdam eſſe Bethleemi natum infantem, qui futurus erat Rex Judææ: atqui hæc ratio locum habere

non

Digitized by Google

non potuit in bimulo Herodis filio, qui potiùs Judeæ Regnum in familia Herodis conſervaſſet; nihil ergò cauſæ erat, cur Herodes in hunc filium ſuum bimulum ſæviret. Denique Herodes, teſte Scripturâ Sacrâ, juſſit tantùm occidi pueros à bimatu, & infrà, qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus ejus; Porrò veroſimile non eſt Herodis conjugem filium peperiſſe Betheleemi, & non in Regia, ſeù Hieroſolymitana Urbe, aut filium, ſi quem peperit, fuiſſe altum, & educatum Bethleemi, & non Hieroſolymis. Cùm igitur puer ille Herodis (dato quod extiterit) fuiſſet enutritus, & educatus Hieroſolymis, non video ſanè quâ ratione Herodes filium ſuum bimulum, nec Bethleemi natum, neque nutritum, unâ cum cæteris puerulis Bethleemiticis trucidare voluerit. Patet itaque Herodem in illa infantium carnificina filium ſuum bimulum non occidiſſe. *Baronius* tamen Annalium Eccleſiaſticorum parens ad annum primum Chriſti cenſet Herodem in cæde infantium Bethleemiticorum de medio quoque ſuſtuliſſe filium ſuum recens natum. Idque probat ex teſtimonio *Macrobii* Auctoris Ethnici, qui lib. 2. Saturn. cap. 4. hæc habet: *Cùm audiiſſet Auguſtus, inter pueros, quos in Syria Herodes Rex Judæorum intra biennium juſſit occidi, filium quoque ejus occiſum*, ait: *Melius eſſe Herodis porcum eſſe, quàm filium*. Ex quibus Macrobii verbis infert Eminentiſſimus ille Cardinalis, filium Herodis bimulum inter pueros Judæos Bethleemitas fuiſſe à patre occiſum. Verùm id ex Macrobii teſtimonio colligi haud poſſe meritò aſſerit Illuſtriſſimus Abrincenſis Epiſcopus *Daniel Huetius* Demonſtrat. Evang. Propoſ. 9. cap. 25. ubi oſtendit Macrobium potiùs notare, ſeù indigitare voluiſſe Antipatrum Herodis filium, quem fugam è carcere meditantem Pater ipſius Herodes interfici juſſit, paulò antequam è vita migraret: quam ob rem, quandò *Macrobius* ſcribit Herodis filium inter pueros Bethleemitas fuiſſe occiſum, id non eſt ſic intelligendum quaſi ille Herodis filius fuerit unus ex his pueris, ſed quod eodem circitèr tempore quo pueri illi interfecti ſunt, & hic quoque filius Herodis, ſeù Antipater è vivis fuerit ſublatus. Conſule doctiſſimum illum Præſulem loco mox memorato, & *Caſaubonum* exercit. 2. in Annales Baronii paragrapho 17.

Ex hoc *Macrobii* teſtimonio confirmatur veritas hiſtoriæ de cæde infantium bimulorum, quam ſacer Euangeliſta *Matthæus* cap. 2. à truculentiſſimo Tyranno Herode editam fuiſſe perhibet, & quæ in dubium revocari non debet, etiamſi Joſephus antiquitatum Judaicarum Scriptor eam infideli ſilentio preſſerit. Nam primò: cur fidem non habebimus *Sancto Matthæo*, qui Spiritu Sancto afflatus ſuum conſcripſit Euangelium, & Chriſti Servatoris noſtri hiſtoriam ſimplicem, candidam, ab omni tùm affectatione, tùm oſtentatione alie-

nam,

nam,& characteribus evidentiſſimis hominis probi, ingenui, & ſinceri conſignatam? Secundò, quid præmii in hac narratione de infanticidio ſub Herode edito ſperare poterat Matthæus? vel potiùs, quam infamiã pertimeſcere non debebat, ſi à conſictâ narratione,& quidem rei recenter, & apud Judæos factæ, hiſtoriam Chriſti auſpicari auſus fuiſſet? Tertiò, conſtat Joſephum non ſolùm multa ad res Judaicas pertinentia in veteri Teſtamento prætermiſiſſe, verùm etiam pauca admodùm ſcripſiſſe de Chriſto Domino, & nonnulla contra veritatem hiſtoriæ Evangelicæ diſſimulaſſe, ſicut exempli causâ, *Joſephus* lib.18. antiq. cap.10.ait: Joannem Baptiſtam fuiſſe ab Herode interfectum, eo quod timeret, ne tanta Joannis Baptiſtæ auctoritas, quam ad ipſum confluentium populorum concurſus ei conciliaverat, defectionem aliquam pararet: *Ex ſola hac ſuſpicione Herodis*, inquit Joſephus,*vinctus in Caſtellum Machærunta abducitur Joannes, ibique obtruncatur*:ſicque Joſephus veram de induſtria diſſimulat cauſam,quæ movit Herodem ad interficiendum Joannem Baptiſtam; conſtat etenim ex Euangelio Marci cap. 6. Joannem ab Herode Antipa fuiſſe detruſum in carcerem, & morti adjudicatum propter *Herodiadem uxorem Philippi fratris ſui, quia duxerat eam*; *dicebat enim Joannes Herodi*: *non licet tibi habere uxorem fratris tui*. Denique mirum non eſt, ſi Joſephus infanticidium ab Herode editum ſilentio obvolverit: exſcripſit quippè ille Auctor *Nicolaum Damaſcenum*, qui, ut omnes probè norunt, laudes Herodis potiùs celebrandas ſuſceperat, quàm veram deſcribendam vitæ hujus Principis hiſtoriam. Talem fuiſſe Nicolai Damaſceni genium perdoctè obſervat *Hugo Grotius* in epiſtola ad *Pereskium*. Cùm igitur Nicolaus Damaſcenus ſilentio obvolverit infanticidium, in quo Herodes culpari poterat, non eſt mirum ſi *Joſephus* illius exſcriptor illud ignoraverit.

Credere itaque debemus *S. Matthæo* referenti infanticidium Bethleemiticum, cui circumſtantiæ, quæ præceſſerunt, & à ſacro illo Euangeliſta referuntur, occaſionem dederunt; nimirùm indicium de Meſſia recens nato, quem ſui regni æmulum rebatur Herodes, confirmatio Prophetica Nativitatis Chriſti in Bethleem, prædictiones Annæ, & Simeonis in Templo factæ de Chriſto,furor Herodis ſe à Magis deluſum eſſe exiſtimantis. Hæ, inquam, circumſtantiæ, quæ animum Herodis occupabant, impulerunt impium illum,& ſanguinarium Tyrannum ad patrandam tam belluinam & horrendam infantium cædem, ut Chriſto, quem unicè extinctum cupiebat, necem inferret. At Deus,cujus antè oculos fruſtrà jacitur rete,evanidum reddidit hoc nefandum ſceleſtiſſimi illius Principis de divina necanda prole conſilium; nam Magi accepto reſponſo in ſomnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reverſi ſunt in regionem ſuam; & Maria, imple-

tis

Digitized by Google

tis juxtà legem purgationis diebus, confeſtim cum marito, & puero
fugit in Ægyptum, quò truculenti Herodis manus, quantumvis lon-
gæ, non pertingebant. Fugit autem Chriſtus in Ægyptum, tùm ut
impleretur, quod dictum eſt per Prophetam Oſeam: *Ex Ægypto vo-
cavi filium meum,* tùm etiam, ut Chriſtus cederet tempori, non He-
rodi. Nam ſi Chriſtus mactatus fuiſſet in grege lactentium, mors ei
caſus fuiſſet, non voluntas, non virtus, ſed infirmitas, neceſſitas, non
poteſtas. Ut ergo ſtaret legis veritas, prophetiæ fides, Pſalmiſtæ te-
ſtimonium, & redemptionis adimpleretur myſterium, Chriſtus, ſicut
docent Sancti Patres, fugit in Ægyptum, & ex impii Tyranni ſævitiâ
ſubductus omnes ipſius conatus eluſit.

Advertat hîc primò Lector, infantium, qui ab Herode occiſi
ſunt, numerum non exprimi quidem à ſacro Euangeliſta Matthæo,
ſed à Græcis in ſuo Menologio, & ab Æthyopibus in ſua Liturgia
extendi ad quatuordecim millia, quod etſi incertum ſit, non eſt ta-
men difficile creditu, nec fabulæ loco habendum, maximè cùm id
temporis Judæa, teſte *Joſepho,* populatiſſima eſset. Non ergo audiri
debet *Bollandus,* qui tomo 1. menſis Maji pag. 57. aſſerit iſtum qua-
tuordecim millium infantium occiſorum numerum ad cæteras Græ-
corum fabulas eſſe adjiciendum. Hos innocentes pro Chriſto occiſos
Eccleſia colit ut Martyres, eoſque Martyres appellant Sancti Patres
Irenæus lib. 3. cap. 8. *Cyprianus* epiſt. 56. & *Petrus Chryſologus* ſermoni-
bus 152. & 153. non quod in illis fuerit acceleratus uſus liberi arbi-
trii & rationis, ſicut quidam exiſtimarunt, teſte *S. Thoma* 2. 2. q. 124.
art. 1. ad 1. ſed quia, ut inquit Sanctus ille Doctor, Martyrii gloriam,
quam in aliis propria voluntas meretur, parvuli iſti Dei ſpeciali be-
neficio ſunt aſsecuri. Effuſio enim ſãguinis pro Chriſto, aut pro gloria
Dei vicem obtinet baptiſmatis, undè ſicut baptiſmus in parvulis ſolâ
Dei gratiâ per meritum Chriſti operatur ad obtinendam gloriam
vitæ æternæ: ita effuſio ſanguinis propter Chriſtum in parvulis ſolâ
Dei gratiâ per meritum Chriſti proficit ad lauream martyrii adipi-
ſcendam. Quamvis ergo cunabula Chriſti infantibus Bethleemitanis
funeſta in ſpeciem eſse videantur, reverà tamen ipſis glorioſa fuerunt,
cùm ex eorum numero ingentem Martyrum turbam ſibi Chriſtus ſa-
cram eſse voluerit, & ex eorum ore perficere laudem ad deſtruendum
inimicum & ultorem.

Advertat ſecundò Lector: Edictum Herodis Regis de occiden-
dis pueris Bethleemiticis eſse omninò diverſum ab illo edicto, quo
impius ille Rex ingraveſcente ipſius morbo, ſicut ſcribit *Joſephus*
lib. 17. antiq. nobiliſſimos Judæorum undique Jerichuntem accivit, &
in hyppodromo concluſit, datis mandatis *Salome* ſorori, & ejus viro
Alexæ, ut, ſe extincto, per milites interficerentur, quò videlicet Judæi
lu-

Digitized by Google

lugendi cauſam haberent, alioquì lætaturi de illius interitu. Ratio eſt, quia illud edictum Herodis de occidendis illis nobiliſſimis Judæorum viris non fuit executioni mandatum, ſicut teſtatur *Joſephus*, qui ibidem refert Salomem, mortuo Herode, & antequam ipſius mors fuiſset propalata, omnes Judæos in hyppodromo concluſos dimiſiſse, dicendo: Ita Herodem juſſiſse. At Herodis edictum de trucidandis pueris Bethleemiticis executioni traditum fuiſse, vivente adhuc Herode, ſcribit *S. Matthæus* cap.2. Confundi etiam non debet cædes infantium Bethleemiticorum cum illa cæde, quâ Herodes paulò ante ejus obitum, ſicut ibidem narrat *Joſephus*, *Matthiam Margolothum*, ejuſque ſocios doctiſſimos Judæorum & Interpretes legis præſtantiſſimos, vivos exuri juſſit ob deturbatam Aquilam auream, quam ſupra majorem Templi portam ipſe Herodes contra legem poſuerat. Ratio eſt, quia certiſſimè conſtat: Matthiam Margolothum, ejuſque ſocios ætatis jam provectæ viros fuiſse, ac ſubinde illorum cædem nihil commune habere potuiſse cum ſtrage infantium, quos Bethleemi, & in omnibus finibus ejus à bimatu & infrà juſſit Herodes occidi.

QUÆRES IN FINE HUJUS DISSERTATIONIS: *Utrùm in Eccleſia ſit perantiqua feſtivitas Epiphaniæ, ſeu Theophaniæ?*

Reſpondeo: Perantiquam eſse, ſemperque in Eccleſia fuiſse celeberrimam Epiphaniæ feſtivitatem, quæ peragitur die ſextâ Januarii. Primò, quia Eccleſia in hacce feſtivitate tria recolit myſteria, ſeu adorationem Magorum, baptiſmum Chriſti, & miraculoſam converſionem aquæ in vinum factam à Chriſto in Cana Galilææ. Secundò, Deus hanc Epiphaniæ ſolemnitatem perpetuo miraculo in Oriente ſanctificavit. *Omnes enim*, teſte *Sancto Chryſoſtomo* tom. 1. hom. 24. *in hac ſolemnitate ſub mediam noctem cum aquati fuerint, latices domum referunt, & recondunt, ac per integrum annum conſervant, utpotè quod hodierna die ſanctificatæ ſunt aquæ; fitque miraculum evidens, dum nihil temporis longinquitate aquarum illarum natura vitiatur; ſed integro anno, atque adeò biennio & triennio ſæpe, quæ hodiè fuit hauſta, incorrupta, & recens permanet; ac poſt tantùm temporis cum iis quæ fuerint è fontibus eductæ certat*. Doctiſſimus *P. Thomaſſinus* tract. de celeb.feſt.lib.2. cap.7. teſtatur hanc conſuetudinem etiamnùm obſervari ab omnibus orientis Chriſtianis, quamvis ſint inter ſe variis ſectis diviſi. Quin etiam *Cl. Pagius* ad ann. 29. Chriſti, ait: quod *Joſephus Georgerinus* Archiepiſcopus Samos in Inſula Archipelagi, cùm anno 1676. eadem Epiphaniæ die in Aquenſi Civitate in Galliis verſaretur, aquam in Eccleſia conſecravit, & in ea, juxtà Eccleſiæ Orientalis ritum, pueri Jesu ſtatuam ter immerſit, baptiſmi Chriſti cæremoniam ſolemniter renovando, cujus aquæ phiala plena conſervata per multos annos in-

Digitized by Google

corrupta permanſit, ac fortè diutiùs conſervata fuiſſet, ſi illam phialam frangi non contigiſſet. Denique Epiphaniæ feſtivitatem ſemper in Eccleſia celeberrimam fuiſſe, ex eo potiſſimùm colligitur, quod quidam Imperatores licet aliundè impii, hanc tamen ſolemnitatem unà cum populo in Eccleſiis celebrarunt. Obſervat quippè *Marcellinus* lib.21. Imperatorem Julianum, qui poſteà turpi apoſtaſiâ à Fide Chriſtiana defecit, Epiphaniæ feſtivitatem unà cum Chriſtianis celebraſſe: *Et ut hæc*, inquit, *interim celarentur, feriarum die, quem celebrantes menſe Januario Epiphaniam dictitant, progreſſus in Eccleſiam, ſolemniter Numine adorato diſceſſit*. Idem de Valente Imperatore Ariano narrat *S. Gregorius Nazianzenus* oratione vigeſimâ, in qua *Sancti Baſilii* pangit encomium.

DISSERTATIO NONA

De Circumciſione, & aliis Legalibus circa puerum JESUM obſervatis.

CHriſtus Dominus octavâ die à Nativitate ſua, hoc eſt, primâ die menſis Januarii, quam olim mille prophanis ritibus, epularum ſcilicet luxu, ſpectaculorum inſaniâ, & aliis id genus abominandis ſuperſtitionibus celebrare, ſeu potiùs contaminare ſolebant Ethnici, fuit juxtà præceptum legis Moſaicæ circumciſus, ſanguiniſque ſui primitias Deo Patri obtulit, velut arrham & pignus totius pretii, quod in ara Crucis pro omnium hominum, maximèque fidelium redemptione perſoluturus erat totum ſuum ſanguinem fundens. De Miniſtro Circumciſionis Chriſti, & de cultro, quo circumciſus eſt, an ſcilicet ferreus, lapideuſve fuerit? Silet Scriptura ſacra, nec nos ea curioſiùs inquirere debemus, quæ Deus in ſacris litteris religioſi ſilentii ſipario obtexit. Hoc unum certiſſimè conſtat, Divino Infanti auguſtiſſimum nomen JESU Angelo prænunciante fuiſſe in Circumciſione inditum, quod quidem ineffabile nomen, ut docet *S. Thomas* 3.p. q.37. art. 2. idem ſonat ac Salvator. Unde in veteri lege quidam eodem nomine fuerunt donati propter aliquam temporalem & particularem ſalutem, quam attulerunt. Sic JESUS appellatus eſt filius Nave, qui Moyſi ſucceſſit, & populum Iſraeliticum à Moyſe ex Ægypto liberatum, in terram promiſſionis deduxit. Eodem etiam nomine fuerunt olim inſigniti *Joſedech* Sacerdotis filius, & *Sirach*, qui Chriſti Servatoris typum geſſerunt. At longè potiori ratione hoc nomen JESU fuit Chriſto Domino impoſitum, quippè qui ut omnium hominum Salvator ſedentibus in umbra mor-

mortis, & duriſſimis peccati, ac diaboli vinculis obſtrictis cunctis gentibus lucem, libertatem & ſalutem erat allaturus. Complectitur autem hoc nomen JESU omnia nomina, quibus Meſſias à Prophetis prænunciabatur nominandus, Iſaiæ cap. 7. *Et vocabitur nomen ejus Emmanuel*. Et cap. 8. *Voca nomen ejus, accelera, ſpolia detrahe, feſtina prædari*. Et cap. 9. *Vocabitur nomen ejus Admirabilis, Conſiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis*. Denique Zachariæ cap. 9. *Ecce vir, Oriens nomen ejus*. Cùm enim hæc omnia nomina, quæ à Prophetis prædicta ſunt Filio Dei divinitùs imponenda, ſalutem, quam nobis daturus erat, aliqua ex parte attingerent, comprehenduntur in hoc nomine JESU, quod univerſæ ſalutis vim, cauſam, rationemque complectitur; *Propter quod*, inquit Apoſtolus ad Philippenſes cap. 2. *Deus dedit illi*, ſeu Chriſto, *nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine JESU omne genuflectatur*. Legi poteſt ſuper hac re *S. Bernardus* ſerm. 2. de Circumciſione Domini, & ſerm. 15. in Cantica, ubi in explicando ſacratiſſimo nomine JESU cor ſuum effundit, totiſque ingenii, & eloquentiæ ſuæ viribus omnes ad amabiliſſimi illius nominis timorem ſimul & amorem efficaciſſimè adhortatur. Hic dumtaxàt paucis explicabo cur Chriſtus Dominus voluerit circumcidi, offerri in Templo, & alias, quamdiù vixit, legis Moſaicæ obſervare cæremonias.

DICO ITAQUE: *Conveniens fuiſſe Chriſtum circumcidi, & offerri in Templo*.

Prob. primò ex cauſis, propter quas Chriſtus circumcidi voluit, quas inter *S. Epiphanius* hæreſi 30. quæ eſt *Ebionitarum*, iſtas recenſet: quod ſi, inquit, nobis objiciant, cur igitur circumciſus eſt Chriſtus? ita à nobis audient...... multis enim de cauſis id ſuſtinuit. Primùm ut ſe carnem reverà induiſſe monſtraret, propter *Manichæum*, cæteroſque qui ſimilitudine quadam, ac ſpecie dumtaxàt apparuiſſe docuerunt. Deindè ut corpus divinitati conſubſtantiale non eſſe demonſtraret, ut *Apollinaris* exiſtimat: nec è Cœlo delatum in terras, qui *Valentini* error fuit. Tum ut cujus olim circumciſionis Auctor fuerat, eam ad adventum uſque ſuum obſervatam fuiſſe meritò comprobaret, atque ut omnem Judæis excuſationem eriperet. Niſi enim circumciſus foret, hoc ad ſui purgationem afferre potuiſſent: nos Chriſtum præputio præditum probare nequivimus. Præterea verò eum oportebat, qui Abrahamo circumcidendi ſui mandatum ediderat, ut ad veri & aſpectum fugientis adumbrandam imaginem apparens illud ſignum & aſpectabile præſeferret, ratum illud in ſua circumciſione facere. Circumciſionem denique ſponte ſubiit, ut eâ perfunctus nihil jam eſſe neceſſariam oſtenderet, ſed aliam longè præſtantiorem ſcilicet circumciſionem cordis. Hactenùs *S. Epiphanius*

nius, cujus rationibus,tres alias cur Chriſtus circumcidi voluerit, adjungit Doctor Angelicus 3.p. q.37. art.1. prima eſt, ut obediendi virtutem nobis ſuo commendaret exemplo, ſicque promptiùs, ac libentiùs colla ſuaviſſimo ipſius jugo ſubmitteremus. Altera, ut ipſe, qui in ſimilitudinem carnis peccati advenerat, remedium, quo caro peccati mundari conſueverat, non reſpueret. Denique, ut legis onus in ſe ſuſtinens Chriſtus, alios à legis onere liberaret, legibus omnibus licet ſuperior, legi tamen circumciſionis parêre voluit, juxtà illud ad Galatas cap.4. *Miſit Deus Filium ſuum factum ſub lege, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret*. Voluit etiam Chriſtus adimplere legem, quæ lata eſt Exodi cap.13. de præſentatione Primogeniti in Templo, ejuſque redemptione, tum ut oblationē pauperum, quam pro ſe exhiberi voluit, paupertatem & humilitatem nos edoceret; tum quia etiam ſuam Meſſiæ & Redemptoris dignitatem prædictionibus *Simeonis*, & *Annæ* comprobare debebat. Refert enim ſacer Euangeliſta *Lucas*, quod *Simeon* longævus ſenex, & Spiritu Sancto plenus divinum hunc Infantem, quem pia Mater quadrageſimo à partu die in Templum Hieroſolymitanum inferebat, in ulnis ſuis excepit,atque ſupremo iſto cantico, veluti cygneam quamdam cantionem promens, ait: *Nunc dimittis ſervum tuum Domine, &c.* quaſi diceret: Domine nunc impleta eſt votorum meorum ſumma,eo quod viderim Filium tuum Chriſtum in terris natum, qui felicem, diùque optatam pacem inter Divinam Majeſtatem & homines conciliaturus advenit. *Anna* verò venerabilis anus, Phanuelis filia, de Tribu Aſer, prophetiæ dono illuſtris, in divinas laudes palàm itidem effuſa declaravit, puerum JESUM eſſe Meſſiam, & humanæ ſalutis Auctorem à Deo promiſſum: *Confitebatur Domino*, inquit S. Lucas, *& loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Iſrael.* His de cauſis voluit Chriſtus præſentari in Templo, quamvis huic legi non eſſet obnoxius.

Prob.ſecundò: Si Chriſtus non fuiſset circumciſus, ſuum non potuiſſet obire miniſterium, nec uti conſuetudiue Judæorum, nec docere in Templo, nec ſacrorum fieri particeps; conſtat enim incircumciſos Templi atriis interioribus & ſacris ſemper fuiſſe à Judæis excluſos. Ut igitur Chriſtus ſuum apud Judæos miniſterium exerceret, ſeque verum eſſe Meſſiam verbis & ſignis demonſtraret, circumcidi debuit; circumciſione autem factus eſt Judæus, ideſt, debitor univerſæ legis faciendæ, ſicut ait Apoſtolus ad Galat. cap.5. *Teſtificor autem rursùs omni homini circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt univerſæ legis faciendæ.*

Prob. ultimò: Conveniens fuit, ut Chriſtus eas obſervaret cæremonias, quæ erant bonæ, inſtitutæ, ac præceptæ à Deo: atqui circumciſio, ſicut & aliæ legis Moſaicæ cæremoniæ erant bonæ, inſtitu-

tæ

tæ & præceptæ à Deo, ergo &c. Prob. minor, & primò: Circumciſio à Deo inſtituta eſt Geneſis cap. 17. ejus præceptum Abrahamo datum, & ab eo executioni mandatum in ſe ipſo, in Iſmaele filio, & in ſervis omnibus. Lex etiam Circumciſionis renovata eſt Levitici cap. 12. Secundò, aliæ cæremoniæ, quæ lege Moſaica continentur, fuerunt etiam à Deo præceptæ, nam Deuteronomii cap. 5. Deus his verbis Moyſem compellat: *Tu verò hìc ſta mecum, & loquar tibi omnia mandata mea, & cæremonias atque judicia, quæ docebis eos, ut faciant ea in terra, quam dabo illis in poſſeſſionem. Cuſtodite igitur & facite, quæ præcipit Dominus Deus vobis: non declinabitis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram.* Idem repetit Moyſes cap. 6. ejuſdem libri, & cap. ultimo Levitici. Ex quibus Scripturæ ſacræ locis falſi convincitur *Cornelius Tacitus*, qui initio lib. 5. hiſtoriarum ſcribit: Judæorum ritus non à Deo fuiſſe inſtitutos, ſed à Moyſe, qui, ut ſibi impoſterùm gentem Judaicam firmaret, novos ritus, contrarioſque cæteris mortalibus indidit. In hoc, inquam, falſi convincitur *Cornelius Tacitus*, primò, quia ex his laudatis Scripturæ ſacræ teſtimoniis certò conſtat, non Moyſem, ſed ipſummet Deum inſtituiſſe ritus & cæremonias Judæorum, tùm ad abolitionem idololatriæ, & ad conſervandam divinorum beneficiorum memoriam, tùm ad Chriſtum, ejuſque myſteria delineanda, tùm denique propter alias rationes, quas perdoctè expendit *Angelicus Doctor* 1. 2. q. 102. art. 2. Præterea, hic Auctor ſibi omnem omninò fidem abrogat, narrans initio citati libri prodigioſa de Judæis commenta. Ait quippè: Judæos dici quaſi *idæos ab Ida Cretæ monte, eos Hieroſolymo, ac Juda Ducibus in proximas Terras exoneratos, Solymos carminibus Homeri celebratam gentem conditæ Urbi Hieroſolymæ nomen è ſuo feciſſe: fortuitum iter Ægypto ejectos incæpiſſe, gregis aſinorum ſylveſtrium ductu è rupe nemore opaca Moſem largas aquarum venas aperuiſſe: eos ſex dierum iter emenſos, ſeptimò, pulſis cultoribus, obtinuiſſe Terras, in quibus Urbs & Templum diruta ſunt; effigiem animalis, aſini videlicet, quo monſtrante errorem ſitimque depulerint, ab iis penetrali fuiſſe ſacratam. Sue ideò eos abſtinere, memoria cladis, quod ipſos ſcabies quondam turpaverit, cui id animal obnoxium; longam olim famem crebris adhuc jejuniis fateri: raptarum frugum argumentum, panem judaicum nullo fermento detineri. Septimo die otium placuiſſe, quia is finem laborum tulerit, dein blandiente inertia ſeptimum quoque annum ignaviæ datum: honorem eum, ſecundùm alios, haberi Saturno: cætera inſtituta ſiniſtra: fœda pravitate valuiſſe.* Hæc & alia hujuſmodi commenta de Judæis refert *Cornelius Tacitus* Romanæ hiſtoriæ Scriptor, quæ liquidò probant eum in hiſtoria Judæorum peregrinum & hoſpitem omninò fuiſſe, ac ſubindè nullam mereri fidem, dum rituum, ac cæremoniarum Judæorum inſtitutionem non Deo, ſed Moyſi acceptam refert.

DI-

Digitized by Google

Diluuntur objectiones.

Arguitur primò: Chriſtus non debuit obſervare illas cæremonias, quæ non erant bonæ: atqui cæremoniæ legis Moſaicæ non erant bonæ; ergo &c. Prob. min. ex cap. 20. Ezechielis, ubi poſtquam Deus redarguit contumaciam judæorum, qui ſpreverant,& violaverant leges morales, quas ipſis ex Ægypto recèns egreſſis dederat, & in ſuperſtitiones Ægyptiacas relapſi erant, ait: *Ergò & ego dedi eis præcepta non bona, & judicia in quibus non vivent*, ideſt, leges cæremoniales. Prætereà, Apoſtolus ad Galat. cap. 4. appellat cæremonias veteris legis, *elementa infirma & egena*, ad Roman. cap. 4. *Lex*, inquit, *iram operatur*. 2. ad Corint. cap. 3. *littera occidit*: Et denique ad Hebræos cap. 7. *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus, & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex*. Ergo cæremoniæ veteris legis non erant bonæ. Hinc S. *Auguſtinus* pluribus in locis diſputans contra Pelagianos docet tantùm abeſſe, ut lex vetus homines adjuverit, quin potiùs fecerit reos, ac prævaricatores.

Reſpondeo cum S. *Auguſtino* epiſt. 82. aliàs 19. præcepta illa veterùm Sacramentorum, nec bona eſſe, quia non eis homines juſtificantur; nec tamen mala, quia divinitùs præcepta ſunt, tempori perſoniſque congruentia: undè dicit propheta Deum illi populo dediſſe præcepta non bona, forte enim propterea non dixit mala, ſed tantùm non bona, ideſt, non talia, ut illis homines boni fiant, aut ſine illis boni non fiant. Hæc & alia ejuſmodi habet Sanctus Auguſtinus, ex quibus facilè explicantur mox adducta Scripturæ Sacræ teſtimonia. Nam quandò Ezechiel præcepta veteris legis cæremonialia appellat *non bona*, ſenſus non eſt cæremonias veteris legis fuiſſe malas, & inutiles, ſed ſolùm eas in ſe non continuiſſe vim mundandi à peccato, ſeù homines juſtificandi: alioquin *ſi per legem juſtitia, ergo gratis Chriſtus mortuus eſt*, inquit Apoſtolus cap. 2. epiſt. ad Galat. Similiter Apoſtolus locis in objectione laudatis legem non damnat, ſed vitium dumtaxat perſtringit hominum, qui vel perfectioni legis non reſpondent, vel qui lege abutuntur contrà ſcopum, & finem legis, vel qui juſtificationem in lege quærunt, quam in ea invenire minimè poſſunt, vel qui non diſtinguunt id quod temporaneum eſſe debuit in lege, adeòque abrogandum, ab eo quod in ea debuit eſſe perpetuum. Hanc eſſe genuinam Apoſtoli mentem patet ex his quæ habet cap. 7. epiſt. ad Rom. ubi expreſsè aſſerit veterem legem eſſe Sanctam: *Itaque*, inquit, *lex ſancta, & mandatum ſanctum, & juſtum, & bonum*. In eodem ſenſu intelligendus

ligendus venit Sanctus Auguſtinus, dùm diſputat contrà Pelagianos. Non negat quippè Sanctus ille Doctor veterem legem abſolutè, & ſecundùm ſe ſpectatam eſſe bonam; ſed ſolùm docet veterem legem comparatè ad legem Evangelicam eſſe infirmam, & imperfectam. Lex ſiquidem Evangelica eſt lex perfectæ libertatis, quæ juſtificat, ut potè cum ſit data à Chriſto gratiam medicinalem conferente, & in tabulis cordis inſcripta; at verò lex vetus, ſicut definitum eſt contra Pelagium in Synodo Dioſpolitana, non liberabat homines à ſervitute timoris, qui enim legem ſervabant, in timore ſerviebant, & ad ejus obſequium formidine pænæ ferebantur; nec dabat illa lex gratiam, ut impleretur amore; quia per eam non dabatur Spiritus Sanctus, qui eſt principium amoris: *Agnoſcimus hæreſim veſtram, definivit enim Pelagius, quod non ex fide Chriſti antiqui vixerunt juſti*, inquit *Sanctus Auguſtinus* libro 2. operis imperfecti contra Julianum. Uno verbo lex vetus præcipiebat tantùm, non promittebat, jubebat, non juvabat, peccatum puniebat, non tollebat, exigebat, non dabat, onerabat, non roborabat, multaque propter Hebræorum cordis duritiem tolerabat, quæ erant imperfecta, ſicut libellum repudii, polygamiam, pœnam talionis, &c. At lex Evangelica, & præcipit, & promittit, & jubet, & roborat, exigit, & dat quod exigit, ſeù ſpiritum non ſervitutis in timore, ſed adoptionis filiorum, ut ait Apoſtolus cap. 8. epiſt. ad Rom. Hinc *S. Thomas* 1. 2. quæſt. 107. art. 1. *Lex*, inquit, *vetus dicitur cohibere manum, non animum; quia qui timore pænæ ab aliquo peccato abſtinet, non ſimpliciter ejus voluntas à peccato recedit, ſicut recedit voluntas ejus, qui amore juſtitiæ abſtinet à peccato; & propter hoc lex nova, quæ eſt lex amoris, dicitur animum cohibere*. Hinc patet diſcrimen, quod intercedit Judæos inter & Chriſtianos. Judæi lege gravantur, & illius amore non illiciuntur, Chriſtiani verò eâ delectantur, & ipsâ ejus æquitate ad illam ſervandam per charitatem ducuntur. Unde ait Apoſtolus ad Roman. cap. 6. *Peccatum vobis non dominabitur: non enim eſtis ſub lege; ſed ſub gratia*. Hinc *S. Auguſtinus* cap. 17. libri, contra Adimantum: *Hæc eſt*, inquit, *breviſſima, & apertiſſima differentia duorum Teſtamentorum, timor, & amor; illud ad hominem veterem, hoc ad novum hominem pertinet*. Cùm igitur nova lex ſit lex amoris, mirari vehementer ſubit, quâ ratione quidem Theologi neceſſitatem amoris Dei ſuper omnia dilecti in Sacramento Pœnitentiæ ad conſequendam remiſſionem peccatorum inficientur, velintque Chriſtianos à præcepto diligendi Deum ſummè neceſſario eximere. Cùm tamen ratio dictet, natura clamet, & Sancti Patres perpetuò doceant, ac ubique inculcent, omnibus omninò hominibus incumbere obligationem diligendi Deum, illudque præceptum,

Dili-

Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo, &c. eſſe omnium præceptorum maximum, ſcripturarum compendium, Evangelii ſummam, Chriſtianæ perfectionis regulam, ſolidæ pietatis principium, & cunctarum formam virtutum.

Arguitur ſecundò: Circumciſio non eſt inſtituta à Deo, ſed ex Ethnicorum ſuperſtitione ad Judæos fuit derivata; ergò non fuit conveniens, ut Chriſtus eam obſervaret. Prob. ant. ex teſtimoniis *Herodoti*, & *Diodori Siculi*. *Herodotus* lib. 2. cap. 104. hæc habet: *Soli hominum Colchi, & Ægyptii, & Ethyopes ab initio ſtatim pudenda circumcidunt. Nam & Phœnices, & Syrii, qui ſunt in Palæſtina, didiciſſe id ab Ægyptiis, & ipſi confitentur. Diodorus* lib. 1. Biblioth. pag. 17. poſtquàm Judæos, & Colchos ab Ægypto propagatos aſſeruiſſet, continuò ſubdit: *Ideoque gentibus illis ex antiqua traditione in uſu eſt ut circumcidant ſtatim à partu pueros ritu ab Ægyptiis derivato*. Præterea, non alia poteſt afferri ratio cur Ægyptii, & Hebræi diviſi licèt inter ſe, & regionibus, ſtudiis, linguis, legibus, cultus objectis toto Cœlo ab invicem ſeparati, in Circumciſionis tamen ritu non diſcreparent, niſi quia Iſraelitæ, qui per multas annorum vices cum Ægyptiis vixerunt, Circumciſionis ritum ab illis didicerunt, & acceperunt. Nec ſanè vero ſimile eſt, Ægyptios hunc ritum ab Hebræis accipere voluiſſe, cùm Ægyptii longè ante Moyſis tempora cæremonias ſuas, quà Sacras, quà Civiles habuerint, quarum, teſte Herodoto, tenaciſſimi erant, aliarumque gentium, potiſſimùm gentis Iſraeliticæ, ſanguine ſervili, ut ajebant, prognatæ, ritus, & mores aſpernarentur. Probabiliùs igitur eſt Judæos ab Ægyptiis Circumciſionem accepiſſe, ac ſubindè hunc ritum ex Ethnicorum ſuperſtitionibus ad ipſos fuiſſe derivatum.

Reſpondeo: nullam omninò fidem habendam eſſe prophanis illis Auctoribus *Herodoto*, & *Diodoro* in his quæ de Circumciſionis origine ſcripſerunt. Primò, quia Sacer, & primus omnium gentium ſcriptor Moyſes teſtatur *Geneſis* cap. 17. Deum Abrahamo, & Hebræis ex eo oriundis Circumciſionis Auctorem fuiſſe. Secundò, quia non eſt credibile Deum ex Dæmonis officina, ſeu ex Ethnicorum ſuperſtitionibus ritus, & cæremonias, quibus ab Iſraelitis coli voluit, fuiſſe mutuatum. Tertiò, Deus *Deuteronomii* cap. 12. & *Levitici* cap. 17. diſtrictè Iſraelitis prohibet ne imitentur, aut requirant cæremonias gentium, neve minuant, aut addant quidquam præceptis quæ ipſis dederat. Denique profani illi Auctores in hiſtoria, & ritibus Judæorum non fuerunt verſati, multiſque ſæculis Moyſe recentiores fuerunt. *Herodotus* ſiquidem floruit dumtaxàt temporibus Darii Hyſtaſpis, Xerxis, & Artaxerxis Longimani Perſarum Regum. *Diodorus* verò Siculus ævo Julii Cæſaris, &

Augu-

Auguſti Imperatoris vixit. Quapropter etſi illi Scriptores de ritibus gentium, de quibus ſcribebant, ſuâ ætate frequentatis teſtes idonei eſſe poſſint, audiri tamen minimè debent, quandò de ritibus ante Moyſis tempora uſurpatis texunt ſermonem. Nec quemquam movere debet ea affinitas quæ eſt Hebræos inter & Ægyptios in ritu Circumciſionis peragendo; nam illa affinitas indè profecta eſt, quod Ægyptii Circumciſionem, ſicut & quoſdam alios ritus Hebræorum ſequendos, & in ſacris ſuis retinendos permoti ſunt, tùm ſocietate quam habuerunt cum Abrahamo, Joſepho, & Moyſe quos in ſummo pretio, & honore habuerunt, tùm etiam religionis Judaicæ innumeris miraculis confirmatæ longè latèque divulgatâ famâ, tum denique rituum Judaicorum ſplendore, pompâ, frequentique nationis utriuſque commercio præſertìm Salomonis temporibus. Præter quam quod etiam dici poſſet, Circumciſionem Judaicam in multis diſcrepaſſe à Circumciſione, quam uſurpabant Ægyptii. Nam primò, ſolenne erat Ægyptiis & fæminas circumcidere, ſicut docet *Strabo* lib. 17. Hebræi verò maſculos tantùm ex lege, & more circumcidebant. Secundò, Judæi die octavo circumcidere ſolent; Ægyptii autem appetente anno decimo quarto ut plurimùm circumcidebantur, ſicut refert *S. Ambroſius* lib. 2. de Abraham cap. 11. Tertiò, apud Ægyptios ſoli Sacerdotes circumcidi ſolebant, teſte *S. Epiphanio* hæreſi 30. quæ eſt *Ebionitarum*; at Judæis maſculos omnes ad unum circumcidere præceptum erat. Quartò, Ægyptii ipſi Sacerdotes ſolùm majoris puritatis, & munditiei corporeæ gratiâ, teſte Herodoto, circumcidebantur; ſed Judæi circumcidebantur religionis causâ, ut ſcilicet morem gererent legis divinæ præcepto, & ut ab aliis gentibus diſcernerentur. Denique Ægyptiis, aliiſque gentibus circumciſio erat ſuperſtitioſa cæremonia, quâ Dæmoni devovebantur infantuli; at è contra Judæi ſuos infantes recens natos circumcidebant, ut eos, in ipſa quaſi prælucente vitæ Aurora, ſupremo Numini conſecrarent. Ex quibus manifeſtò patet, tàm falſum eſſe, quàm quod maximè, novum *Marshami*, & *Spenceri* commentum aſſerentium, Circumciſionem, & alios ritus in veteri, ſeu Moſaica lege contentos ex Ethnicorum ſuperſtitionibus ad Hebræos fuiſſe derivatos, videlicèt *Circumciſionem* ex Æthyopum, & Colchorum moribus, *Tabernaculum* ex prophano Molochi cultu, *Arcam* ex Ethnicorum Ciſtis, *Cherubinos* ex Ægyptyacis ſimulachris, *Templum Hieroſolymitanum* ex ruditate gentium originem duxiſſe. Quod quidem commentum ex his, quæ diximus, abundè confutatum manet.

Arguitur tertiò: Circumciſio in veteri lege erat ordinata in remedium peccati originalis, ſicut, poſt Ss. Auguſtinum, & Tho-

 mam

mam duo Eccleſiæ columina, docent Theologi: atqui Chriſtus non contraxit peccatum originale; ergo non fuit conveniens, ut Circumciſionis legem ſubiret.

Præterea, Lex, quæ erat in veteri teſtamento de purificatione puerperæ, & de præſentatione primogeniti in templo, ejuſque redemptione per oblationem facta, lata duntaxàt fuit pro mulieribus, quæ poſt partum indigent purificari, & pro pueris, qui maculantur macula matris: atqui Beata Virgo purificatione non indiguit, & Chriſtus nulla macula matris fuit maculatus; ergo non fuit conveniens, ut Chriſtus à Beata Virgine præſentaretur in templo, & pro ipſo ſacrificii ad expiationem peccati lege deſtinati exhiberetur oblatio.

Ad primum reſpondeo cum *S. Thoma* 3. part. quæſt. 37. art. 1. ad 3. quod ſicut Chriſtus, nullum in ſe habens peccatum, propriâ voluntate mortem noſtram ſuſcepit, quæ eſt effectus peccati, ut nos liberaret, ac peccato mori ſpiritualiter faceret; ita etiam & Circumciſionem, quæ eſt remedium originalis peccati, ultrò ſuſcepit, ut nos à legis jugo eximeret, ut in nobis ſpiritualem Circumciſionem efficeret, ut poſtremò ſuſcipiendo figuram impleret veritatem. Magnum, & mirabile Sacramentum! inquit *S. Bernardus* ſerm. 1. de Circumciſione, circumciditur puer, & vocatur Jeſus. Quid ſibi vult iſta connexio? Circumciſio nempè magis ſalvandi, quàm Salvatoris eſſe videtur, & Salvatorem circumcidere potiùs decet, quam circumcidi. Sed agnoſce mediatorem Dei, & hominum, qui ab ipſo nativitatis ſuæ exordio divinis humana ſociat, ima ſummis. Naſcitur ex muliere, ſed cui fœcunditatis fructus ſic accedat, ut non decidat flos virginitatis. Pannis involuitur, ſed panni ipſi Angelicis laudibus honorantur. Abſconditur in Præſepio, ſed proditur radiante Stella de Cœlo. Sic & circumciſio veritatem ſuſceptæ probat humanitatis, & nomen, quod eſt ſuper omne nomen, gloriam indicat Majeſtatis. Circumciditur tanquàm verus Abrahæ filius, Jeſus vocatur tanquàm filius Dei. Hactenùs Mellifluus ille Doctor.

Ad ſecundum reſpondeo: quod ſicut Chriſtus Dominus, licèt non eſſet ſubditus huic legi, quæ habetur *Levitici* cap. 12. de Præſentatione Primogenitorum in templo, & de oblatione ſacrificii ad expiationem peccati, hanc tamen legem, propter rationes ſuperiùs adductas, propriâ voluntate ſubivit, ſic etiam Beata Virgo, quamvis non eſſet huic legi de purificatione puerperæ obnoxia, quippè quæ ut ſuprà probavimus, concepit, & peperit, ſine ulla ſuæ virginitatis jactura, ſine corruptione, ſine dolore, ſine immunditiis partum cæterarum mulierum vulgò conſequentibus, purificationis tamen legem ſubjit Virgo Puriſſima, ut obedientiæ, & humilitatis præ-

beret

Digitized by Google

beret exemplum, ne locum daret ſcandalo, quod paſſi fuiſſent hi, qui conceptus, & partus ejus myſterium ignorabant, & potiſſimùm ut imitaretur exemplum filii ſui, nam, ut docet *Sanctus Thomas* part. 3. quæſt. 37. art. 4. ſicut plenitudo gratiæ à Chriſto derivatur, ità decuit ut mater humilitati filii conformaretur: humilibus enim Deus dat gratiam. His de cauſis paruit Beata Virgo legi de purificatione puerperæ, quamvis ipſo ſole mundior purificatione non egeret. Hinc meritò ab *Alexandro Octavo Romano Pontifice*: proſcripta fuit hæc propoſitio: *Oblatio in templo, quæ fiebat à Beata Maria Virgine in die Purificationis ſuæ per duos pullos columbarum, unum in holocauſtum, alterum pro peccatis, ſufficientèr teſtatur, quod indigue rit Purificatione, & quod filius, qui offerebatur, etiam macula matris maculatus eſſet ſecundùm verba legis.*

Arguitur quartò: Accedente veritate ceſſare debet figura, ſicut exoriente Sole evaneſcunt, & diſſipantur umbræ: ſed Circumciſio fuit à Deo Abrahamo præcepta in ſignum fœderis, quod erat de ſemine naſcituro, ut legitur *Geneſis* cap. 17. & hoc fœdus fuit in Chriſti nativitate completum; ergò in nativitate Chriſti ceſſare debuit Circumciſio, ac ſubindè conveniens non fuit ut Chriſtus circumcideretur.

Reſpondeo cum S.Thoma, quod Circumciſio, per abſciſſionem carnalis pelliculæ in membro genitali facta, ſignificabat expoliationem vetuſtæ generationis, à qua quidem vetuſtate liberamur per paſſionem Chriſti; & ideò quia veritas hujus figuræ non fuit plenè impleta in nativitate Chriſti, ſed dumtaxàt in ejus paſſione, debuit Chriſtus tanquàm filius Abrahæ circumcidi. At tempore paſſionis Chriſti Circumciſio, ſicut & aliæ veteris legis cæremoniæ fuerunt *mortuæ*, ideſt, antiquatæ, & abrogatæ, atque poſt ſufficientem legis Evangelicæ promulgationem *mortiferæ* evaſerunt, ita ut lethalitèr peccarent, qui eas vellent obſervare. Ita docet *S. Thomas* 1. 2. qu. 103. art. 1. ad 7.

Arguitur ultimò: Omnis Chriſti actio, noſtra eſt inſtructio; undè dicitur *Joannis* cap. 3. *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodùm ego feci, ita & vos faciatis*: atqui nunc Chriſtianis nefas eſt circumcidi; dicit enim Apoſtolus ad Galat. cap. 5. *Si circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit*; ergò non fuit conveniens ut Chriſtus circumcideretur.

Reſpondeo: Chriſtum fuiſſe circumciſum eo tempore, quo adhuc vigebat, & ſub præcepto erat Judæorum circumciſio; nunc autem carnalem Judęorum circumciſionem non eſſe ampliùs ſub præcepto, ſed potiùs circumciſionem ſpiritualem, quâ per Chriſtum circumciſi ſumus: ait enim Apoſtolus ad Coloſs. cap. 2. *in quo*, ſeu

Chriſto, *Circumciſi eſtis circumciſione non manu facta, in expoliatione corporis carnis, ſed in Circumciſione Domini Noſtri Jeſu Chriſti*. Placet hanc reſponſionē egregio confirmare teſtimonio *S. Ambroſii* lib. 1. de Abrahamo cap. 4. ubi hæc habet: pleroſque moveri ſcio: ſi enim bona eſt circumciſio, hodièque teneri debuit: ſi inutilis, mandari non debuit, divino præſertim oraculo. Sed cum Apoſtolus Paulus dixerit: *Quia Abraham ſignum accepit Circumciſionis*: utique ſignum non ipſa res, ſed alteriùs rei eſt, hoc eſt, non veritas, ſed indicium veritatis. Denique ipſe expoſuit, & expreſſit dicens: *Signum accepit Circumciſionis ſignaculum Juſtitiæ, & fidei*. Undè non incongruè intelligimus quia circumciſio corporalis ſignum circumciſionis eſt ſpiritualis; ergo ſignum manſit, donec veniat veritas. Advenit Dominus Jeſus, qui ait: *Ego ſum via, veritas, & vita*, quia non partem exiguam corporis in ſigno, ſed totum circumcidit hominem in veritate, ſignum detraxit, veritatem induxit; quia poſteaquam venit quod perfectum eſt, quod ex parte erat evacuatum eſt; & ideò ceſſavit circumciſio partis, ubi refulſit circumciſio univerſitatis. Jam enim non ex parte, ſed totus homo ſalvatur in corpore, ſalvatur in anima. Hactenùs *S. Ambroſius*, ex cujus verbis liquet, Judæos accepiſſe quidem à Deo ritum externæ, & carnalis circumciſionis, Chriſtianos verò accepiſſe à Chriſto preceptum ſpiritalis circumciſionis, juxtà illud ad Roman. cap. 2. *Neque quæ in manifeſtò in Carne, eſt Circumciſio: ſed qui in abſcondito Judæus eſt, & Circumciſio cordis in ſpiritu, non littera: cujus laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt.*

QUÆRES PRIMÒ: *Vtrùm etiamnùm extet præputium, quod in Circumciſione à Sanctiſſimo Chriſti corpore fuit præciſum?*

Reſpondeo: Eſſe quoſdam Hiſtoricos, qui narrant præputium Chriſti Domini fuiſſe ab Angelo delatum ad Carolum Magnum, qui illud primò Aquiſgrani in Eccleſia Sanctæ Mariæ honorificè collocavit, ut Chriſtianorum venerationi pateret, dein Caroſium transtulit, ac tandem Romam fuiſſe aſportatum, ubi in Lateranenſi Templo, in *Sancto Sanctorum*, loco ſic appellato, religioſiſſimè aſſervatur. Sunt tamen nonnulli Hiſtorici, qui præputium Chriſti Domini Anicii in Arvernia ſollicitè ſervari, magnaque in veneratione haberi ſcribunt. Quin etiam Antuerpienſes, teſte *Bollando* tom. 1. de actis Sanctorum pag. 3. gloriantur quinque ferme ſæculis Sacroſanctum Chriſti præputium Hieroſolymis Antuerpiam ab *Henrico Noeſio* Regii Sacelli Præfecto tranſmiſſum, regnante in Terra Sancta Illuſtriſſimo Principe *Godefrido de Buillon*, inter alias Sanctorum Reliquias apud ſe fuiſſe aſſervatum, quod tamen ſub annum 1556. Templis, Sacrariis, ac Lipſanothecis immani Calviniſtarum furore dire-

direptis deperditum eſt. Ut ut ſit, communiter cenſent Theologi membranam, ſeu pelliculam à ſacro Chriſti corpore abſciſſam, in terris ob Fidelium devotionem tanquam ſacrum pignus, & perenne divini amoris monumentum fuiſſe relictam. Legi poteſt ſuper hac re *Sylvius* comment. in 3.p. Sancti Thomæ q.54. art.2.

QUÆRES SECUNDÒ: *Nùm antiqua ſit in Eccleſia feſtivitas Circumciſionis Chriſti Domini, quæ kalendis menſis Januarii celebratur?*

Reſpondeo: Antiquiſſimam eſſe in Eccleſia Circumciſionis Chriſti feſtivitatem. De ea quippè apertam mentionem facit canon 17. Concilii ſecundi Turonenſis celebrati anno Chriſti 567. Obſervat autem doctiſſimus *P. Thomaſſinus* lib. 2. de feſtis cap. 8. huicce feſtivitati antiquitùs publicum fuiſſe annexum jejunium, eo quod Pagani in honorem Dei ſui *Jani* hac die, ſeu kalendis Januarii, gulæ, vel luxuriæ fræna laxarent, ebrietatibus, & ſacrilegis ſuperſtitionibus inſanirent. Alii ſiquidem tunicas muliebres induebant, pellibus pecudum veſtiebantur, belluarum capita, aliaſque hujuſmodi monſtruoſas figuras aſſumebant. Alii, in honorem Deæ *Strennæ*, aut *Strennuæ* dictæ, diabolicas ſtrenas, & ab aliis recipiebant, & ipſi aliis offerebant, ſicut legitur in ſermone *Fauſtini* Epiſcopi in kalendis Januarii habito, & ex vetuſto Codice deſcripto à *Patre Franciſco Chifſletio* Societ. Jeſu apud *Bollandum* tom. 1. menſis Januarii pag.3. Propter illas igitur nefandas Ethnicorum ſuperſtitiones publicum kalendis Januarii fuit ab Eccleſia indictum jejunium, tùm ut exoratâ divinâ clementiâ Ethnici ad meliorem frugem adduci poſſent, tùm etiam ut Chriſtiani pietatis operibus vacantes ab illis diabolicis ritibus omninò abhorrerent. Hinc Sancti Patres, quà voce, quà ſcripto ſacrilegas illas ſuperſtitiones magno animi æſtu ſunt inſectati, & Chriſtianos, ut ab illis penitùs abſtinerent, ſæpiùs ſunt adhortati. *Sanctus Auguſtinus* ſermone 7. in appendice *Sirmundi* ſic alloquitur Chriſtianum: *Acturus es celebrationem Strenarum, ſicut Paganus, luſurus alea, & inebriaturus te? Quomodo aliud credis, aliud ſperas, aliud amas? Dant illi Strenas, date vos eleemoſynas, advocantur illi cantionibus luxuriarum, advocate vos ſermonibus Scripturarum, currunt illi ad theatrum, vos ad Eccleſiam, inebriantur illi, vos jejunate.* Et in Pſalm. 98. *Per iſtos autem dies*, inquit Aquilinus ille Doctor, *ad hoc jejunamus, ut quandò ipſi*, ſeu Ethnici, *lætantur, nos pro ipſis gemamus*. Similes adhortationes kalendis Januarii adhibent Sancti Patres *Chryſologus* ſerm.155. & *Maximus* homilia in kalend. Januarii. Denique Concilium Turonenſe ſecundum can. 23. Altiſiodorenſe celebratum anno Chriſti 614. can. 1. & Concil. Romanum ſub Zacharia Summo Pontifice coactum anno Chriſti 742. diſtrictè vetuerunt ne Chriſtiani has ſacrilegas Paganorum ſuperſtitiones kalendis Januarii

nuarii obſervarent. Quibus legibus à Conciliis ſapientiſſimè conditis, & Sanctorum Patrum adhortationibus utinàm obtemperarent Chriſtiani, quorum benè multi bachanalium, ut vocant, temporibus, luxui, epulis, ſpectaculis, & choreis paſſim indulgent, atque per vicos larvati circumcurſantes Paganorum inſtar etiamnùm inſanire ſolent.

Quæres tertiò: *An Simeon Sanctus ille ſenex, qui Puerum oblatum in Templo ſuis in ulnis excepit, fuerit Sacerdotio inſignitus, & luminibus orbatus?*

Reſpondeo: Simeonem non fuiſſe Sacerdotem, ſed laicum. Tùm quia ſi Simeon fuiſſet reverà Sacerdotio inauguratus, procul omni dubio *Sanctus Lucas*, qui tanti viri texuit elogium, illius Sacerdotium non tacuiſſet, ſed illud potiùs ad majorem ei dignitatem conciliandam commendaſſet. Tùm quia etiam *Euthymius* & *Theophylactus* Simeonem laicum fuiſſe tradunt. Adeat Lector, ſi plura deſideret Leonem Allatium *in Diatriba de Simeonibus*. Quod verò Simeonis cæcitatem ſpectat, ſunt nonnulli, qui exiſtimant Sanctum illum ſenem fuiſſe luminibus orbatum, atque ex ipſo pueri Jeſu contactu viſum recepiſſe; ſed quia id nullâ Scripturæ, aut veterum nititur auctoritate, meritò aliis fabulis, quas recentiores Græculi obtrudunt, accenſeri debet.

Quæres ultimò: *à quo tempore cœperit in Eccleſia celebrari Purificationis Beatæ Mariæ Virginis feſtivitas, & quibus de cauſis fuerit inſtituta?*

Reſpondeo: Duplicem circà exordium feſtivitatis Purificationis Beatæ Mariæ Virginis extare ſententiam. Prima eſt Cardinalis *Baronii*, qui in notationibus ad Martyrologium Romanum aſſerit hanc feſtivitatem de Purificatione Mariæ Virginis, quàm Græci *Hypapantem*, ideſt, occurſum Domini appellant, ſub *Juſtiniano* Imperatore anno Chriſti 541. in Oriente celebrari cæptam eſſe, teſtemque adducit *Nicephorum Callixtum*, qui lib. 17. hiſt. Eccleſ. cap. 28. ait; *Imperatorem Juſtinianum inſtituiſſe tùm primum toto terrarum Orbe, feſto die celebrari Hypapantem, ideſt, occurſum Domini*. Addit etiam *Baronius* nullum Sanctorum Patrum, qui antè Juſtinianum Imperatorem vixerunt, ſermonem in feſto die occurſus Domini aut habuiſſe, aut ſaltem ſcriptum reliquiſſe. Idem teſtatur doctiſſimus *Pater Thomaſſinus* lib. 2. de feſtis cap. 11. Altera ſententia eſt *Bollandi*, qui to. 1. de actis Sanctorum pag. 270. exiſtimat, ab ipſis Apoſtolorum temporibus arceſſendam eſſe Purificationis Mariæ Virginis feſtivitatis originem, nec contrarium ex citato à *Baronio Nicephori* teſtimonio evinci poſſe. *Nicephorus* namque ait Imperatorem Juſtinianum inſtituiſſe, ut toto terrarum Orbe *Hypapantis* feſtivitas cele-

bra-

Digitized by Google

braretur, *ſicut Imperator Juſtinus de Sancta Chriſti nativitate fecerat*. Porrò certum eſt feſtum Nativitatis Chriſti non cæpiſſe celebrari ſub Juſtino Imperatore, ſed in primis Eccleſiæ ſæculis fuiſſe jugiter celebratum, ergo ſimiliter quando *Nicephorus* dicit Imperat. Juſtinianum inſtituiſſe, ut toto terrarum Orbe *Hypapantis*, ſeu Purificationis Mariæ Virginis feſtivitas celebraretur, ſenſus non eſt hanc feſtivitatem tùm primùm ab Imp. Juſtiniano fuiſſe inſtitutã, ſed ſolùm hunc Imperatorem ſeveriore aliquâ ſanctione decreviſſe, ut hæc feſtivitas majori, quàm antehàc, veneratione in toto Orbe celebraretur, *ſicut Juſtinus de Sancta Chriſti nativitate fecerat*. Prætereà, oſtendit *Bollandus* Purificationis Mariæ Virginis feſtivitatem in Palæſtina, Phœnicia, Syria, atque Aſia reliquâ primis Eccleſiæ ſęculis viguiſſe, multoſque Sanctos Patres, præſertim *Methodium*, *Gregorium Niſſenum*, *Amphilochium*, utrumque *Cyrillum*, *Alexandrinum* ſcilicèt & *Hieroſolymitanum*, *Sophronium*, & *Chryſoſtomum* in feſtivitate Purificationis Mariæ Virginis ſermones, & homilias ad populum habuiſſe. Utriusque Auctoris *Baronii* videlicèt & *Bollandi* ſententias hìc conſultò propono, ut prudens Lector eam eligat quam probabiliorem eſſe judicabit.

Quod autem ſpectat cauſas, propter quas inſtituta eſt hæc Purificationis Mariæ Virginis feſtivitas, duæ vulgò afferri ſolent. Prima traditur à *Baronio* loco mox citato, ubi hæc habet: *Conſtat Gelaſium Romanum Pontificem, qui annis triginta antè Juſtiniani tempora Romanæ Eccleſiæ præfuit, hujus diei celebrandæ in Occidentali Eccleſia aperuiſſe viam, dùm Lupercalia menſe Februario agi ſolita (ut ſcribit Varro lib. 5. de lingua latina) Romæ ad ea tempora permanentia legibus Eccleſiaſticis abrogat ..... Jure itaque opinamur, abrogatis Lupercalibus Romæ, ſicùt in multis accidit, ejusmodi fuiſſe ſolemnitatem introductam, quam paulò poſt Juſtiniani temporibus Orientalis Eccleſia ea occaſione recepit*. Hactenùs *Baronius*, qui cenſet abolitionem Lupercalium, ſeu feſti Dei Paſtorum, à Gelaſio Romano Pontifice factam, inſtituendæ feſtivitati Purificationis Mariæ Virginis locum, & occaſionem dediſſe.

Alteram cauſam inſtitutæ hujuſce ſolemnitatis de Purificatione Mariæ Virginis profert *S. Ildephonſus* Epiſcopus Toletanus ſerm. 1. de hacce feſtivitate, ubi ſic loquitur: *Agitur autem hæc feſtivitas menſe Februario, quem Romani adhùc Pagani à* Februo, *ideſt, Plutone, ſic vocaverunt: quem potentiſſimum purgationis eredebant, februare enim purgare dicimus. Quo menſe luſtrabatur Civitas. Cùm enim Romani omnes gentes ſibi ſubjugaſſent, tributum eis impoſuerunt eo tenore, ut quinto quoque anno idem tributum ſolveretur, quo expleto, & cenſu perſoluto, ab omni populo, ut dictum eſt, Civitas luſtrabatur, & diis manibus ſacri-*

ficia

ſicia offerebant, quorum auxilio, & virtute totum Orbem ſe ſubjugaſſe putabant. Quam luſtrandi occaſionem congruè, & religiosè Chriſtiana mutavit religio, cum eodem menſe, hoc eſt, hodierna die in honorem Sanctæ Dei Genitricis, & perpetuæ Virginis Mariæ, non ſolùm Clerus, ſed & omnis plebs Eccleſiarum loca cum cereis, & diverſis hymnis luſtrantibus circumeunt, non jàm in memoriam terreni Imperii quinquennem, ſed ob recordationem cœleſtis Regni perennem. Hactenùs *Sanctus Ildephonſus*. His ſimilia habent *Sanctus Eligius* Epiſcopus Noviodunenſis homil.2. de Purificatione Sanctæ Mariæ; & *Vener. Beda* to.2. tract. de ratione temporum cap.10.

His duabus de cauſis inſtitutam fuiſſe Purificationis Mariæ feſtivitatem aſſerunt illi Auctores, qui hujus feſtivitatis originem cum *Baronio* referunt ad ſextum ſæculum. Sed *Bollandus*, qui putat feſtum Purificationis Mariæ ab ipſis Apoſtolorum temporibus fuiſſe in Eccleſia inſtitutum, & celebratum, hujuſmodi cauſas, quas ex *Baronio*, & *Sancto Ildephonſo* adduximus non admittit, cenſetque hujus feſti inſtitutionem nec Gelaſio Papæ, nec Juſtiniano Imperatori, ſed ipſis Apoſtolis acceptam referri debere, juxtà regulam, quam proponit *Sanctus Auguſtinus* lib. 4. de Baptiſmo cap. 24. *Id, quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum certiſſimè creditur.* Hæc Bollandi opinio de inſtitutione feſtivitatis Purificationis Beatæ Mariæ ſi Lectori non arrideat, aliam pervulgatam, quam docet *Baronius*, amplecti poterit, nàm cùm de illius feſtivitatis inſtitutione ſileat Scriptura, & in antiquis Eccleſiæ monumentis, ac definitionibus expreſſa illius non fiat mentio, integrum eſt Lectori *Baronii*, aut *Bollandi* propugnare ſententiam.

DIS-

DISSERTATIO DECIMA

Quoto anno ætatis ſuæ Chriſtus Dominus fuerit baptizatus?

OBſervandum eſt primò ad majorem celebris iſtius difficultatis elucidationem, diſtingui debere duplicem epocham Imperii Tiberii (quo imperante baptizatus eſt Chriſtus Dominus) aliud ſiquidem eſt Imperium Tiberii, quod dicitur *Auguſtæum*, & aliud eſt Imperium Tiberii, quod dicitur *Proconſulare*. Epocha Imperii Auguſtæi Tiberii ſumitur ab obitu Imperatoris Auguſti, quandò videlicèt Tiberius, mortuo Imperatore Auguſto, rerum potitus eſt, ſeu ſolus Imperii habenas moderari cæpit. Mortuus eſt autem Imperator Auguſtus Nolæ anno decimo quarto æræ vulgaris, ſeu anno Urbis Romæ conditæ 767. *Pompejo*, & *Apulejo* Conſulibus, die 19. menſis ſextilis, ſeu Auguſti, poſtquam regnaſſet annis 57.quinque menſibus, & 4. diebus. Eodem igitur anno, quo vitâ functus eſt Imperator Auguſtus, cæpit Imperium Tiberii, quod vulgò dicitur *Auguſtæum*. Epocha Imperii Tiberii, quod dicitur *Proconſulare*, juxtà ſententiam, quæ mihi videtur probabilior, auſpicatur die 28. menſis Auguſti anni quinquageſimi quarti Imperii Auguſti, ſeu anni decimi æræ vulgaris, Urbis Romæ conditæ 763. *L. Cornelio Dolabella*, & *C. Junio Sylano* Conſulibus. Id colligo ex teſtimoniis Hiſtoricorum, qui Annales Romanorum ſcripſere. Nàm primò: *Suetonius* cap. 21. de Tiberio hæc habet: *Dedicavit ædem Concordiæ, ac non multò poſt (lege per Conſules lata ut provincias cum Auguſto communiter adminiſtraret, ſimulque cenſum ageret) condito luſtro in Illyricum profectus eſt*. Ædem Concordiæ dedicavit Tiberius menſe Januario,ſeu 17.kalendas Februarii anni quinquageſimi quarti Imperii Auguſti, ſeu anni decimi æræ vulgaris, & Urbis Romæ conditæ 763. teſte *Ovidio* lib. 1. Faſtorum. Cùm igitur affirmet *Suetonius*, non multò poſt illam dedicationem, lege per Conſules latâ Tiberium æquali poteſtate Provincias cum Auguſto adminiſtrare cœpiſſe, argumento eſt,Tiberium eodem anno, hoc eſt, quinquageſimo quarto Imperii Auguſti, & anno decimo æræ vulgaris, fuiſſe ab Imperatore Auguſto adſcitum in conſortium Imperii. Secundò, *Cornelius Tacitus* lib. 1. Annalium cap. 1. ait Tiberium ab Auguſto adſumptum fuiſſe Collegam Imperii, & Conſortem Tribunitiæ poteſtatis, atque ab eo per omnes exercitus oſtentatum. Tertiò, *Dio Caſſius* lib. 56. hæc de Tiberio ſcribit: *Tiberius ædem Concordiæ ſacravit inſcripto ſuo, & fratris Druſi vita pridèm functi*

nominibus. Et deindè agens de rebus geſtis ſub *M. Æmilio Lepido*, & *Statilio Tauro* Conſulibus: *Tiberius*, inquit, *& Germanicus*, *cui Proconſulare erat Imperium, impreſſionem in Germaniam fecerunt*. Conſtat autem Æmilium Lepidum, & Statilium Taurum fuiſſe Conſules anno quinquageſimo quinto Imperii Auguſti, ſeu anno undecimo æræ vulgaris, & Urbis Romæ conditæ 764. Undè manifeſtò ſequitur, Tiberium anno ſuperiori, ſeu quinto kal. Sept. anni decimi æræ vulgaris, Imperii verò Auguſti quinquageſimi quarti factum fuiſſe conſortem, & collegam Imperii. Nec enim *Dio* appellaret Tiberium *Proconſulem* initio anni æræ vulgaris undecimi, ſi quinto tantùm kal.Septemb. ejuſdem anni proconſulare Imperium accepiſſet, eo magis quo expeditio in Germaniam à Tiberio anno undecimo æræ vulgaris finita fuit nono kal. Octobris, in quam diem natale Imperii Auguſti incidit, ſicut optimè obſervat doctiſſimus *Pagius* in diſſertatione hyppaticâ, ideſt, de Conſulibus Cæſareis. Quintò: *Vellejus Paterculus* lib.2.cap. 121. de Tiberiò ſcribit, Senatum,Populumque Romanum, poſtulante patre ejus (Auguſto) ut æquum ei jus in omnibus provinciis, exercitibusque eſſet, quàm erat ipſi, decreto fuiſſe complexum. Denique *Plinius* lib.14. cap. ult. & *Suetonius* cap. 42. Tiberium *Principem* appellant, quandò Piſonem in potatione cum ipſo pernoctantem ad Præfecturam Urbis Romæ delegit. Hic autem Piſo, teſte *Cornelio Tacito* lib. 6. Annal. cap. 2. viginti per annos pariter probatus obiit *CN. Domitio*, *& Scriboniano Conſulibus*. Hi autem fuerunt Conſules anno æræ vulgaris trigeſimo ſecundo, & Urbis Romæ conditæ 785. ex quo annorum numero ſi viginti eximas annos, comperies Tiberium jam anno duodecimo æræ vulgaris, & Urbis Romæ conditæ 765. *Principem*, ſeu Imperii conſortem, & collegam fuiſſe. Suſpicatur quidem *Juſtus Lipſius* in ſuis ad ſextum *Taciti* librum annotationibus, mendum ineſſe huic *Taciti* loco ex notis geminatis, & pro *decem* irrepſiſſe *viginti*, ſed hanc meram, & inanem eſſe conjecturam oſtendit doctiſſimus *Pagius* in Critica Annalium Baronii ex lectione omnium codicum *Cornelii Taciti*.

Ex his ergo clariſſimis Romanæ hiſtoriæ Scriptorum teſtimoniis, quibus nemo fidem derogare poteſt,colligo Tiberium fuiſſe conſortē, & collegam Imperii renunciatum anno Imperii Auguſti quinquageſimo quarto, ſeù anno æræ vulgaris decimo, non verò undecimo, ut *Marcus Antonius Capellus* in diſſertat. de anno Paſſionis Chriſti cap. 5. & *Henſchenius* in expoſitione veterum Catalogorum Pontificum arbitrati ſunt; neque etiam anno duodecimo æræ vulgaris, ſicut ſentiunt *Petavius* lib. 2. de doct. temp. cap.7. *Uſſerius* in Annal. veteris Teſtamenti, & *Tilmontius* not.4.in hiſt.Imper. Nec ſanè video quâ ratione doctiſſimus *Pagius* ab hac certiſſima Imperii Proconſu-

laris

laris Tiberii epocha, quam in *ſua diſſertatione hyppatica* multis ſtabilierat argumentis, poſteà in ſua Critica Annalium Baronii receſſerit, & exordium Imperii Proconſularis Tiberii retulerit ad annum quinquageſimum quintum Imperii Auguſti, ſeù ad annum undecimum æræ vulgaris.

Obſervandum ſecundò, quoſdam eſſe etiam primi ſubſellii Chronologos, qui docent Chriſtum natum eſſe die 25. menſis Decembris anni quadrageſimi Imperii Auguſti, eumque ad Baptiſmum acceſſiſſe die 6. Januarii anni decimi ſexti Imperii *Auguſtæi* Tiberii, ex quo inferunt Chriſtum baptizatum fuiſſe anno ætatis ſuæ trigeſimo quarto ineunte, nàm ab anno quadrageſimo Imperii Auguſti uſque ad annum decimum ſextum Imperii *Auguſtæi* Tiberii totidem anni interceſſerunt, ſicut fatentur omnes ad unum Chronologi. Verùm hæc conjectura, quæ prima fronte plauſibilis, & ad perſuadendum efficax eſſe videtur, nihilo ſeciùs facilè admodum ſolvi poteſt, ſi ſemel admittatur duplex Imperii Tiberii epocha, videlicèt epocha ejus Imperii *Auguſtæi*, quod, ut mox expoſuimus, auſpicatur anno decimo quarto æræ vulgaris, hoc eſt immediatè poſt obitum Imperatoris Auguſti, & epocha illius Imperii *Proconſularis*, quod exordium habuit die 28. menſis Auguſti anni quinquageſimi quarti Imperii Auguſti, ſeù anni decimi æræ vulgaris. Admiſſa autem ſemel geminâ Imperii Tiberii epochâ dicendum eſt, Chriſtum non fuiſſe baptizatum die 6. Januarii anni decimi ſexti Imperii *Auguſtæi* Tiberii, (alioqui Chriſtus fuiſſet baptizatus anno ineunte trigeſimo quarto ætatis ſuæ, ut volunt illi Chronologi) ſed dicendum eſt, Chriſtum fuiſſe baptizatum die ſextâ Januarii anni decimi ſexti Imperii *Proconſularis* Tiberii, qui annus Imperii Proconſularis Tiberii concurrit cum anno trigeſimo ineunte ætatis Chriſti, ſicut hoc argumento breviter demonſtro. Chriſtus natus eſt anno quadrageſimo Imperii Auguſti, quadriennio ſolido antè æram vulgarem, Tiberius autem Imperium *Proconſulare* obtinuit, ſeu Imperii Conſors, & Collega ab Auguſto Imperatore fuit declaratus die 28. menſis Auguſti anni decimi æræ vulgaris, ut anteà diximus, undè ſequitur die 28. menſis Auguſti anni ejuſdem æræ vulgaris vigeſimi quinti cœpiſſe annum decimum ſextum Imperii *Proconſularis* Tiberii. Cùm igitur Chriſtus, juxtà probabiliorem Chronologorum, quam ſequor, ſententiam, acceſſerit ad Baptiſmum die 6. Januarii anni decimi ſexti Imperii *Proconſularis* Tiberii, Sole clarius eſt, ipſum fuiſſe baptizatum ineunte anno vigeſimo ſexto æræ vulgaris, cui anno æræ vulgaris vigeſimo ſexto ſi addas quadriennium ſolidum, quo, ut ſuperiùs probatum eſt, natale Chriſti antevertit exordium æræ vulgaris, comperies Chriſtum fuiſſe baptizatum anno ineunte ætatis ſuæ trigeſimo. Quæ ſententia,

Cc 2 ſicut

Digitized by Google

ſicut conſtabit ex his, quæ deinceps dicturus ſum, Scripturæ ſacræ; Conciliorum, Sanctorumve Patrum nititur teſtimoniis, eique ſuffragatur perpetua traditio Eccleſiaſtica. His itaque prælibatis.

Dico: *Chriſtum fuiſſe baptizatum anno ætatis ſuæ ineunte trigeſimo, anno decimo ſexto Imperii Proconſularis Tiberii, anno vigeſimo ſexto æræ vulgaris, anno Juliano ſeptuageſimo primo, anno Urbis Romæ conditæ ſeptingenteſimo ſeptuageſimo nono, anno ſecundo Olympiadis ducenteſimæ primæ, anno periodi Julianæ quater milleſimo ſeptingenteſimo trigeſimo nono, Conſulibus CN. Lentulo Getulico, & C. Calviſio Sabino.*

Probatur primò auctoritate Scripturæ ſacræ *Lucæ* cap. 3. *Cùm autem baptizaretur omnis populus, & Jeſu baptizato, & orante, apertum eſt Cœlum: & deſcendit Spiritus Sanctus corporali ſpecie ſicut columba in ipſum, & vox de Cœlo facta eſt: Hic eſt Filius meus dilectus, in te complacui mihi: & ipſe Jeſus erat incipiens quaſi annorum triginta.* Quæ quidem *Sancti Lucæ* verba adeò perſpicua ſunt, ut illi, qui ultrà trigeſimum Chriſti annum, Baptiſma ipſius differunt, apertè verbis Euangeliſtæ vim inferre videantur. Certè, velint nolint, inficias ire non poſſunt adverſarii, ſententiam noſtram magis congruere verbis *Sancti Lucæ*. Nàm ſi Chriſtus, uti aſſerimus, anno ineunte ætatis ſuæ trigeſimo fuit in Jordane baptizatus, congrua, & appoſita erit Euangeliſtæ locutio: *Et ipſe Jeſus erat incipiens quaſi annorum triginta*; at ſi Chriſtus, quandò acceſſit ad Baptiſmum, jàm trigeſimum explevíſſet annum, vel, ut alii volunt, trigeſimum tertium; incongruum planè, & inuſitatum loquendi modum uſurpaſſet ſacer Euangeliſta, ut nemo non videt.

Reſpondent primò adverſarii: hæc *S. Lucæ* verba: *Et Jeſus erat incipiens quaſi triginta annorum*, eſſe referenda non ad annum ætatis Chriſti, quandò acceſſit ad Baptiſmum, ſed ad miniſterium Chriſti, qui tunc quaſi incipiebat palàm prodire, & Meſſiam agere, ut notarunt *Sanctus Juſtinus* in dialogo cum Tryphone, *Origenes*, *Beda*, *Euthymius*, & alii.

Sed hæc reſponſio non juvat, ſed potiùs adverſariorum ſententiam penitùs evertit. Conſtat enim ex tribus Euangeliſtis *Matthæo*, *Marco*, & *Luca*, Chriſtum prædicationis miniſterio eo dumtaxàt anno incumbere cœpiſſe, quo fuit à Joanne in Jordane baptizatus, ſi ergo Chriſtus, fatentibus ipſiſmet adverſariis, ineunte tantùm anno ætatis ſuæ trigeſimo prædicationis miniſterium exorſus eſt, ſequitur illum eodem itidem anno fuiſſe baptizatum.

Reſpondent ſecundò: Illam particulam, *quaſi*, quâ utitur Euangeliſta *Lucas*, non determinare quotum annum ageret Chriſtus quandò baptizatus eſt, quia, inquiunt, particula illa, *quaſi*, ſemper permittit libertatem aliquid addendi, præſertim dùm præfigitur numeris

ris rotundis, alioquin fruſtrà apponeretur. Sic ex. gr. apud *Matth.* cap. 17. & apud *Marcum* cap. 9. legitur Chriſtum *poſt dies ſex*, ab inſtituto ſcilicet ſermone, eſſe transfiguratum; *Lucas* tamen cap. 9. refert id factum eſſe poſt *ferè dies octo*. Non cogit itaque illa particula *quaſi*, quam adhibet *Sanctus Lucas*, ut Jeſum annos præcisè triginta, & non pauló plures natum fuiſſe credamus, quando in Jordane fuit à Joanne baptizatus.

Verùm nutat illa reſponſio, nàm *Sanctus Lucas* non ſolùm dicit Chriſtum fuiſſe *quaſi* triginta annorum, quandò baptizatus eſt (ſi enim hoc tantummodò diceret, particula illa, *quaſi*, quâ utitur, aliquam permitteret libertatem addendi unum, aut alterum annum numero rotundo triginta annorum, quem ibi ſacer Euangeliſta aſſignat ætatis Chriſti) at *Sanctus Lucas* dicit, quod Chriſtus *erat incipiens quaſi triginta annorum*, quandò fuit baptizatus, ubi *τό incipiens* determinat ætatem Chriſti, dùm acceſſit ad Baptiſmum ad annum trigeſimum, eumdemque incipientem, ac ſubindè excludit libertatem addendi aliquot annos numero rotundo triginta annorum ætatis Chriſti à ſacro Euangeliſta præfixo. Præterquàm quod, etiamſi hæc particula, *quaſi*, quam *Sanctus Lucas* uſurpat, libertatem permitteret non nihil addendi numero rotundo triginta annorum, indè tamen evinci nequaquàm poſſet, Chriſtum fuiſſe baptizatum anno ætatis ſuæ trigeſimo quarto, ſicut autumant nonnulli recentiores Chronologi, tantam ſiquidem latitudinem pati haùd poſſunt hæc *S. Lucæ* verba, *erat Jeſus incipiens quaſi triginta annorum*. Quapropter, ut cordatè fatear, non video quo pacto cum illis *S. Lucæ* verbis, quibus nullam noctem, nullam ineſſe obſcuritatem puto, conciliari poſſit horum Auctorum ſententia, qui docent Chriſtum, anno ineunte ætatis ſuæ trigeſimo quarto, fuiſſe baptizatum.

Probatur ſecundò auctoritate Conciliorum, & SS. Patrum. *Concilium Neocæſarienſe* celebratum anno 314. ſanxit canone 11. *ut nullus ordinetur Presbyter antè annos triginta, etiamſi fuerit homo valdè dignus, quia Dominus Jeſus Chriſtus in anno triceſimo & baptizatus eſt, & cœpit docere*. Idem unanimi conſenſu tradunt SS. Patres, *Juſtinus* in dialogo cum Tryphone Judæo, *Clemens Alexandrinus* lib. 1. Stromatum, *Irenæus* lib. 2. de Hæreſibus cap. 28. *Euſebius Cæſarienſis* lib. 1. hiſtor. Eccleſ. cap. 10. *Chryſoſtomus* homiliâ ſuper hæc verba: *Exiit edictum à Cæſare Auguſto*; *Auguſtinus*, qui etiam affirmat ſe Euangelicâ auctoritate tenere Chriſtum fuiſſe baptizatum anno ætatis ſuæ trigeſimo; *Hieronymus* in cap. 1. Ezechielis, ubi hæc habet: *Illud quoque intelligendum, quod triceſimo ætatis ſuæ anno Dominus ad Baptiſma venerit in quarto menſe, qui apud nos vocatur Januarius, & eſt in anni primus exordio, præter Niſan menſem novorum, in quo Paſcha cele-*

celebratur. Apud Orientales enim populos poſt collectionem frugum, & torcularia, quandò decimæ deferebantur in templum, October erat primus menſis, & Januarius quartus. Quintum autem diem menſis adjungit, ut ſignificet Baptiſma, in quo aperti ſunt Chriſto Cœli; & Epiphaniorum dies hucuſque venerabilis eſt. Non, ut quidam putant, natalis in carne, tunc enim abſconditus eſt, & non apparuit: quod huic tempori congruit, quandò dictum eſt: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Denique *S. Thomas*, qui à traditione SS. Patrum ne latum quidem unguem unquàm deſcivit, 3.p. qu.39. art.3. probat Chriſtum fuiſſe convenienter baptizatum anno ætatis ſuæ triceſimo: *Quia*, inquit, *Chriſtus baptizabatur quaſi ex tunc incipiens docere, & prædicare, ad quod requiritur perfecta ætas, qualis eſt triginta annorum: undè legitur* Geneſ. cap.41. *quod triginta annorum erat Joſeph, quandò accepit regimen Ægypti: ſimiliter etiam* 2. Reg. cap. 5. *legitur de David, quod triginta annorum erat cùm regnare cœpiſſet. Ezechiel etiam in trigeſimo anno cœpit prophetare, ut habetur* Ezech. cap.1. Hactenùs S.Thomas.

Diluuntur objectiones.

Arguitur primò: Epocha Imperii *Proconſularis* Tiberii eſt planè commentiria; ergo falſum eſt Chriſtum fuiſſe baptizatum anno decimo ſexto Imperii *Proconſularis* Tiberii. Prob. ant. tàm Latini, quàm Græci Romanæ Hiſtoriæ Scriptores annos Tiberii numerarunt ab obitu Imperatoris Auguſti, ſcilicet *Suetonius* in *Octavio*, *Cornelius Tacitus* in ſuis Annalibus, *Victor* uterque, *Dio Caſſius* lib.58. *Joſephus* lib.2. de bello Judaico cap. 8. & multi alii. Quì ergo veriſimile eſt *S. Lucam*, repudiatâ vulgatâ, publicâque Imperii Tiberii epochâ, quæ ab omnibus id ætatis Hiſtoricis ſummo conſenſu uſurpata omnem Imperii Orbem impleverat, ſequi voluiſſe aliam Imperii Tiberii epocham obſcuram, ignotam, & antè ſe à nullo prorsùs adhibitam, qualis eſt illa Imperii *Proconſularis* Tiberii epocha recens à Chronologis excogitata?

Reſpondeo: Nec fictitiam, nec obſcuram, ignotamve fuiſſe Imperii *Proconſularis* Tiberii epocham. Primò, quia hiſtoriæ Romanæ Scriptores, quorum teſtimonia ſuperiùs laudavi, disertè profitentur Tiberium ante obitum Auguſti fuiſſe ab ipſo in conſortium Imperii adſumptum. Quid ergo vetat quominus Imperii Tiberii exordium arceſſamus ab eo tempore, quo factus eſt ab Auguſto conſors & collega Imperii? Nam ſi inter hiſtoriæ Romanæ Scriptores nonnulli ſunt, qui Auguſti Imperium ordiuntur ab illo anno, quo Julius Cæſar ejus avunculus in Senatu eſt occiſus, alii ab ejus primo Conſulatu, quem anno ſequenti iniit, alii denique à victoria Actiaca, in qua Anto-

tonium, & Cleopatram devicit, quorsùm ſimiliter Tiberio non poterit duplex Imperii tribui initium, unum videlicet ab obitu Auguſti, alterum verò ab eo anno, quo conſors & collega Imperii fuit declaratus? Secundò, hanc Imperii *Proconſularis* Tiberii epocham olim non fuiſſe ignotam, ex eo maximè colligitur, quod *Clemens Alexandrinus* lib. 1. ſtromatum verſus finem annos Imperatorum recenſens, primùm Tiberio tribuit annos Imperii viginti duos, & aliquot menſes, deindè ſecundùm aliorum Hiſtoricorum calculum tribuit illi viginti ſex Imperii annos, cum ſex menſibus & diebus novemdecim, ex quo evidenter apparet: duplicem antiquitùs fuiſſe Tiberii Imperii epocham, quâ ante *Clementem Alexandrinum* utebantur paſſim Scriptores: unam annorum 22. & aliquot menſium, quot videlicet Tiberius ſolus imperavit ab obitu Auguſti, & aliam epocham annorū 26. quot nimirùm imperavit Tiberius ab anno, quo ab Auguſto factus eſt conſors & collega Imperii. Tertiò *S. Lucas* cap. 3. poſtquàm præmiſit anno quinto decimo Imperii Tiberii Cæſaris factum eſſe Verbum Domini ſuper Joannem Zachariæ filium in deſerto, ſubdit infra, quod *Jeſus erat incipiens quaſi annorum triginta*, quando anno ſequenti, ſeu decimo ſexto Imperii Tiberii acceſſit ad baptiſmum. Ex quo ſic argumentum conficio: Chriſtus, juxtà *S. Lucam*, baptizatus eſt anno ineunte ætatis ſuæ trigeſimo: atqui annus decimus ſextus Imperii Tiberii ab obitu Auguſti non concurrit cum anno ætatis Chriſti trigeſimo, ſed trigeſimo quarto, ergo Chriſtus, juxtà *S. Lucam*, non fuit baptizatus anno decimo ſexto Imperii Tiberii ab obitu Auguſti, ſed potiùs anno Tiberii Imperii *Proconſularis* decimo ſexto, qui reverà concurrit cum anno æræ vulgaris vigeſimo ſexto, & cum anno ineunte ætatis Chriſti trigeſimo. Patet itaque *S. Lucam*, in deſcribenda hiſtoria Chriſti, & in condendis Eccleſiæ naſcentis annalibus, ſequutum fuiſſe Tiberii Imperii Proconſularis epocham, non verò epocham illius Imperii *Auguſtæi*, ideſt, ab obitu Auguſti.

Id etiam luculentèr confirmari poteſt ex traditione, quæ olim obtinuit apud antiquos Eccleſiæ Patres *Tertullianum*, *Lactantium*, *Auguſtinum*, *Hieronymum*, *Severum Sulpitium*, aliosque penè innumeros, quorum teſtimonia citat *Bollandus* in Diatriba præliminari tomi primi menſis Aprilis. Ea itaque apud antiquos Patres vigebat traditio, Chriſtum mortuum eſſe anno vigeſimo nono æræ vulgaris, ſeu anno decimo quinto Imperii Tiberii ab obitu Auguſti, duobus geminis Conſulibus. Hæc autem epocha de morte Chriſti huic anno præfixa, adeò certa antiquis Patribus, & Eccleſiaſticis Scriptoribus viſa eſt, ut nonnulli inter eos maluerint totum vitæ Chriſti curſum triginta annis circumſcribere, quàm ab illa epocha de morte Chriſti ſub duobus geminis Conſulibus ne latum quidem unguem deſciſcere.

Porrò

Digitized by Google

Porrò, ſi annus decimus quintus Imperii Tiberii, quo *S. Lucas* dicit: *Factum fuiſſe Verbum Domini ſuper Joannem in deſerto*. Eſſet annus decimus quintus Imperii Tiberii ab obitu Auguſti, ſicut contendunt adverſarii, in manifeſtum errorem impegiſſent omnes illi antiqui, dum Chriſti obitum conſignarunt anno decimo quinto Imperii Tiberii ab obitu Auguſti, ſeu anno vigeſimo nono æræ vulgaris, duobus geminis Conſulibus; mortem ſiquidem Chriſti illigaſſent eidem anno, ſeu anno decimo quinto Imperii Tiberii ab obitu Auguſti, quo *Lucas* ſcribit: Joannem ſuum exorſum eſſe miniſterium. Abſurdum autem eſt, & à veritate penitùs alienum aſſerere Chriſtum mortuum eſſe eodem anno, quo Joannes Baptiſta ſuum auſpicatus eſt miniſterium. Ut igitur à tàm gravi errore vindicentur illi antiqui Patres, quibus longè melius quàm nobis explorata fuit traditio Eccleſiæ, neceſſe eſt ut dicamus illos non aliâ ratione obitum Chriſti conſignaſſe anno decimo quinto Imp. Tiberii ab obitu Auguſti, ſeu anno æræ vulgaris vigeſimo nono, ſub Conſulatu duorum geminorum, niſi quia compertum habebant *S. Lucam* Tiberii Imperii Proconſularis epocham fuiſſe ſecutum, ac ſubindè annum illum decimum quintum, quo, ut ſcribit *S. Lucas* cap. 3. miniſterium ſuum Joannes orſus eſt, non eſſe annum decimum quintum Tiberii Imperii ab obitu Auguſti, ſed potius annum decimum quintum Tiberii Imperii Proconſularis. Niſi hunc in modum exponantur antiqui Patres, & Scriptores Eccleſiaſtici, haud dubiè cum *S. Luca* adversâ fronte pugnare invenientur, & ab errore, in conſignando anno mortis Chriſti, liberari non poterunt. Plura hac de re legi poſſunt apud *Georgium Hervvartum* in ſua nova, & veteri Chronologia, apud *Paulum Pezron* in ſuis vindiciis antiquitatis temporum, apud *Bollandum* in Diatriba præliminari in catalogos veteres Romanorum Pontificum ad tom. 1. Aprilis, apud *Pagium* in critica Baronii, & denique apud *Schelſtratum* in lib. 1. de antiq. Eccl. illuſtr.

Arguitur ſecundò: Ex pluribus momentis evinci poteſt Tiberium, vivente adhuc Auguſto non fuiſſe Imperatorem conſalutatum, ergo admitti non debet hæc Tiberii Imperii Proconſularis epocha. Prob. ant. Primò, quia ſi Tiberius, vivente adhuc Auguſto, fuiſſet Imperator ſalutatus, procul dubio *Livia*, mater Tiberii non fuiſſet poſt exceſſum Auguſti tantopere ſollicita pro Tiberio; narrat quippe *Tacitus* lib. 1. annalium cap. 5. quod Tiberio abſente *acribus cuſtodiis domum, & vias ſepſit*, Livia, *donec Tiberius adveniſſet, ac tum ſimul exceſſiſſe Auguſtum, & rerum potiri Neronem fama tulit*. Nulla profectò Liviæ poſt obitum Auguſti timendi cauſa fuiſſet, ſi Tiberius, vivente adhuc Auguſto, imperium jam fuiſſet adeptus. Secundò, ſi Tiberius, ſuperſtite adhuc Auguſto, conſors & collega Imperii eſſet factus, neceſſe non fuiſſet, ut poſt obitum Auguſti Senatus ſollicitaret Tiberium

rium ad Imperium ſuſcipiendum, ſicut refert Suetonius *in Tiberio*, ubi ait, quod Tiberius quaſi coactus, & querens miſeriam & oneroſam ſervitutem recepit Imperium. *Cornelius* etiam *Tacitus* lib. 1. annalium ſcribit Tiberium de Imperii magnitudine diſſerentem modeſtè affirmaſſe: *Solam Divi Auguſti mentem tantæ molis capacem: ſe in partem curarum ab illo vocatum experiendo didiciſſe, quàm arduum, quàm ſubjectum fortunæ regendi cuncta onus*; *proindè in Civitate tot illuſtribus viris ſubnixa, non ad unum omnia deferrent*; *plures faciliùs munia Reipublicæ ſocietatis laboribus exſecuturos*. Idem de Tiberio affirmat *Vellejus Paterculus* lib. 2. Denique, ſi Tiberius, vivente adhuc Auguſto, Imperator eſt ſalutatus, quare igitur poſt obitum Auguſti Conſules *Sextus Pompejus*, & *Sextus Apulejus* dicuntur primi, qui in verba Tiberii juraverint teſte *Cornelio Tacito* lib. 1. annal. cap. 7? Quare etiam Principatus, quem poſt mortem Auguſti iniit Tiberius, à *Tacito* lib. 1. annal. cap. 6. *Novus Principatus* appellatur? *primum facinus*, inquit Tacitus, *novi Principatus fuit, poſthumi Agrippæ cædes: quem ignarum inermemque, quamvis firmatus animo Centurio ægrè confecit*. Ex his ergo apparet: Tiberium, ſuperſtite adhuc Auguſto, Imperium non fuiſſe adeptum.

Reſpondeo: vanas & inanes prorsùs eſſe illas conjecturas, quæ petuntur ex ſollicitudine Liviæ poſt obitum Auguſti, ex cunctatione Tiberii, ejuſque in ſpeciem in Senatu Imperii detrectatione: nam primò, nemini mirùm videri debet, quod *Livia* mater Tiberii paululùm temporis celaverit mortem Auguſti, metueritque ne Tiberius ſummâ rerum potiretur. Nec etiam mirum, quod Tiberius in Senatu diſſimulare ac tergiverſari viſus ſit in ſuſcipiendis habenis Imperii: nam probè ſciebant *Livia* & *Tiberius* Germanicum non ſolùm legiones, & immenſa ſociorum auxilia in manu & poteſtate habere, verùm etiam totius populi Romani favorem & benevolentiam ſibi arctiſſimè devinxiſſe, adeò ut fuerint, qui promptos ſe ſe oſtentavere, *ſi Germanicus vellet Imperium*, ut inquit *Tacitus* lib. 1. annal. quod & *Vellejus Paterculus* lib. 2. confirmat. Hinc metus Tiberii, hinc ſollicitudo Liviæ, unde in tali oratione Tiberii *plus dignitatis*, teſte Tacito, *quàm fidei erat*. Sed præſtat auſcultare *Suetonium*, qui in Tiberio cap. 25. Tiberianæ diſſimulationis cauſam his verbis detegit. Cunctandi *cauſa erat metus undique imminentium diſcriminum: ut ſæpè Lupum ſe auribus tenere diceret*, Tiberius, *nam & ſervus Agrippæ, Clemens nomine, non contemnendam manum in ultionem Domini comparat: & L. Scribonius Libo vir nobilis res novas clam moliebatur, & duplex ſeditio militum in Illyrico & in Germania exorta eſt . . . . . . quidam etiam Principem detrectabant non à ſe datum: ſummaque vi Germanicum, qui tum iis præerat, ad capeſſendam Rempublicam perurgebant, quam-*

Digitized by Google

quam obfirmatè reſiſtentem . . . . . . ſimulavit Tiberius valetudinem, quo æquiore animo Germanicus celerem ſucceſſionem , vel certè ſocietatem opperiretur . Quæ poſtrema *Suetonii* verba , *vel certè ſocietatem opperiretur*, notatu digniſſima ſunt, ait Cl. *Pagius* in critica Baronii, nam ſi nullus antehàc in ſocietatem Imperii fuiſſet aſſumptus, vana profectò & ridicula fuiſſet hæc Tiberii ſimulatio.

Deteɑâ germanâ Tiberianæ tergiverſationis causâ , concidit & in auras evaneſcit puerilis illa declamatio , quam novis tibiis decantat *Samuel Baſnagius* in ſuis exercitationibus Hiſtorico-criticis, ut Tiberii Imperii Proconſularis epocham evertat. Si Tiberius , inquit *Baſnagius*, verè Imperii Collega fuiſſet, eo loci res ejus erant in Imperio Romano , quo hodiè in Imperio Germanico eſt ſtatus Regis Romanorum . Fingemus ne animo & cogitatione, Electores, Principesque Imperii , poſt defunctum Cæſarem , precibus adire Regem Romanorum, in queſtus, lachrymas , vota effundi ad Deum , ad effigiem defuncti , ad genua ipſius manus tendere , ut deceſſoris thronum, munusque occupet ? An non preces illæ Senatus verſæ ad Tiberium apertè indicant Tiberium non fuiſſe verè Imperii Collegam, quo titulo, mox defuncto deceſſore, nullius ope , ſed vi ſolâ dignitatis olim adjunctæ ad Imperium Auguſtæum aſcendiſſet. Hactenùs *Baſnagius*, cujus declamationi nihil ponderis , ſed inanis tantùm verborum ſonitus ineſt . Nam ideò neceſſe non eſt, ut Electores,Principesque Imperii, poſt defunctum Cæſarem , adeant Regem Romanorum, eumque ad thronum deceſſoris aſcendendum ſollicitent , quia ille, qui ſemel Romanorum Rex electus eſt , non detrectat , poſt obitum Cæſaris, ſuſcipere Imperium; at ſi quis Romanorum Rex electus vellet poſt mortem Cæſaris abdicare ſe Imperio, diceretque ſe Imperialis dignitatis oneri ferendo parem non eſſe , procul dubio Electores, Principesque Imperii ipſum adirent, & quà precibus , quà conſiliis ipſum ſollicitarent ad Imperium capeſſendum . Sic ſimiliter Senatus Romanus Tiberio addictus eum ad Reipublicæ Imperium,poſt obitum Auguſti, ſuſcipiendum ſollicitavit, vel quia Tiberius viſus eſt poſt obitum Auguſti, præ nimia modeſtia , quam tamen in ſpeciem tantummodò affectabat, abdicare ſe Imperio , quod jam vivente Auguſto fuerat adeptus , vel quia propter favorem ac ſuffragia Populi Romani, quæ ſibi ob ingenitam morum probitatem promeritus fuerat *Germanicus*,conſultò diſſimulabat tanto in diſcrimine rerum ſuſcipere Imperium ; vel quia denique Tiberius imitandum ſibi propoſuit exemplum *Auguſti*, qui, ut narrant Hiſtorici,quò magis firmaret Imperium ſibi omnium ſuffragiis adjudicatum , illud ægrè ſe ſuſcipere ſimulavit, & tantùm in decennium aſſumpſit, quo exacto , accedente denuò Senatus, populique Romani conſenſu,in quinquennium prorogavit,

gavit, denique in plura rursùs decennia tenuit. Ex quo, ut tradit *Dio* lib.53. *Quinquennalia, decennalia, quindecennalia, vicennalia* Imperatorum originem habuerunt, de quibus accuratè diſſerit *Pagius* in ſua diſſertatione hyppatica.

Quod ſpectat novum Principatum, quem Tiberio poſt obitum Auguſti tribuit *Cornelius Tacitus*, dico: novum illum Principatum non officere priori Principatui, quem vivente adhuc Auguſto obtinuit Tiberius. Nam cùm Tiberius poſt obitum Auguſti ſolus Imperium moderari cœperit, potuit *Cornelius Tacitus* novam ab obitu Auguſti epocham Principatus Tiberii inire, non ſecùs ac quidam hiſtoriæ Romanæ Scriptores novam Imperii Auguſti epocham inchoarunt à pugna Actiaca, quamvis conſtet Auguſtum ante pugnam Actiacam Imperium ſuſcepiſſe. Hinc, quando *Cornelius Tacitus* ait: Sextum Pompejum, & Sextum Apulejum (qui fuerunt Conſules anno æræ vulgaris decimo quarto) primos fuiſſe, qui in verba Tiberii jurarunt, nihil aliud vult, quàm prædictos Conſules primos fuiſſe, qui, ineunte novo Principatu Tiberii ab obitu Auguſti, jurarunt in verba Tiberii, quod ſanè non impedit, quominùs alii Conſules in priori Principatu Tiberii, quando videlicet ab Auguſto in conſortium Imperii adſcitus eſt, in illius verba jurarint.

Arguitur tertiò: ſi Tiberius, vivente adhuc Auguſto, fuiſſet Imperator conſalutatus, ſequeretur Auguſtum, & Tiberium Rempublicam ſimul gubernaſſe: atqui id apertè hiſtoriæ repugnat; *Spartianus*, ſi quidem in *Hadriano* loquens de *M. Aurelio*, & *L. Vero*: hæc habet: *Hi ſunt qui poſteà duo pariter Auguſti Primi Rempublicam gubernarunt*. Si ergò, teſte Spartiano, *M. Aurelius*, & *L. Verus*, qui longè poſt Auguſtum, & Tiberium imperarunt, duo Auguſti, ſeu duo primi Imperatores fuerunt, qui Rempublicam ſimul gubernarunt, nullo pacto dici poteſt Auguſtum, & Tiberium ſimul Rempublicam adminiſtraſſe.

Reſpondeo: hoc Spartiani teſtimonium ſententiæ noſtræ, ne leviter quidem adverſari. Nam licèt aſſeramus Tiberium, vivente adhuc Auguſto, fuiſſe conſortem Imperii, Principem, & Imperatorem conſalutatum, non tamen dicimus Tiberium, vivente adhuc Auguſto, dignitatem Auguſtæam fuiſſe adeptum; conſtat ſi quidem Tiberium in Urbe, Imperii capite, ſe Auguſto inferiorem geſſiſſe, ac minori præditum fuiſſe authoritate, etſi extrà Urbem, ſeu Romam, in Provinciis, & in exercitibus pari dignitate polleret, ac ipſe Imperator Auguſtus, quamvis igitur Tiberius, ſuperſtite adhùc Auguſto, reverà extiterit conſors, & collega Imperii, dici tamen non poteſt Auguſtum, & Tiberium, tanquàm duos pariter Auguſtos Rempublicam gubernaſſe.

Digitized by Google

Arguitur quartò: ideò maximè Tiberius, vivente adhùc Auguſto, fuiſſet Imperator conſalutatus, quia tribunitiâ poteſtate, & Imperio proconſulari donatus eſt dum adhùc in vivis eſſet Auguſtus: atqui indè minimè evincitur Tiberium, ſuperſtite adhùc Auguſto, fuiſſe reverà Imperatorem; ergò Tiberius, vivente adhùc Auguſto, non fuit Imperator conſalutatus. Prob. min. primò, quia *Germanico* Druſi filio proconſulare Imperium, poſtulante Tiberio, Senatus detulit, ut Auctor eſt *Tacitus* lib. 1. Annal. & tamen nemo dixerit Germanicum, vi illius Imperii proconſularis, fuiſſe Imperatorem. Secundò, *Vipſanius Agrippa* tribunitiam poteſtatem obtinuit, ſicut teſtatur *Dio Caſſius* lib. 54. & tamen Agrippa nunquàm Imperator fuit, neque propter illam tribunitiam poteſtatem Imperatorum Romanorum albo accenſetur. Denique verè conſors, & collega Imperii ille dicitur, qui non ſolùm in Provinciis, ſed & in Italia, immò in Urbe, Imperii capite, munus exercet Eminentiſſimum, non precario quidem, ſed perpetuo jure, & cui competit facultas deligendi viros ad capeſſendas, tàm in Urbe, quàm extrà Urbem, dignitates; cùm igitur Tiberius, ſuperſtite adhùc Auguſto, ſupremam in Urbe non obtinuerit poteſtatem, ſequitur illum, vivente adhùc Auguſto, non fuiſſe verè conſortem, & collegam Imperii.

Reſpondeo ad ſingula illa momenta, & ad primum dico: maximum eſſe diſcrimen inter Imperium proconſulare, quod Agrippæ, poſtulante Tiberio, conceſſum eſt à Senatu, & Imperium proconſulare, quod, vivente adhùc Auguſto, fuit Tiberio adjudicatum. Nam Imperium proconſulare, quod Senatus conceſſit Agrippæ, fuit limitatum, & ad certas quaſdam Provincias coarctatum, ut ſcribit *Tacitus* lib. 2. Annal. ubi aſſerit Germanico fuiſſe à Senatu permiſſas Provincias, *quæ mari dividuntur*. At verò Tiberius, vivente Auguſto, obtinuit à Senatu Imperium proconſulare nullis extrà Urbem Romam limitibus circumſcriptum, quò fit ut Tiberius, ſuperſtite Auguſto, verè fuerit collega Imperii, & Imperatoris prænomine inſignitus, ſic enim appellatur à *Vellejo Paterculo* lib. 2. ubi poſtquàm ſermonem habuit de rebus à Tiberio anno decimo æræ vulgaris geſtis, hæc habet: *Eadem, & virtus, & fortuna ſubſequenti tempore ingreſſa animam Imperatoris Tiberii fuit, quæ initio fuerat.*

Ad ſecundùm, dico: Agrippæ ad quinquennium dumtaxàt delatam eſſe tribunitiam poteſtatem, teſte Dione, ſed nunquàm ipſi à Senatu conceſſum eſſe Imperium proconſulare, quale fuit Tiberio, unà cum poteſtate tribunitia, conceſſum, ſuperſtite adhùc Auguſto. Quapropter licèt Agrippa tribunitiâ poteſtate decoratus

non

Digitized by Google

non fuerit Imperator appellatus, Tiberius tamen qui Imperium proconſulare nullis extrà Urbem limitibus definitum unâ cum poteſtate tribunitiâ, vivente adhùc Auguſto, obtinuit, verè dictus eſt Imperator, ſeu consors, & collega Imperii.

Ad ultimum, dico: id diſcriminis fuiſſe inter Imperatorem, qui Auguſtæam dignitatem erat adeptus, ſeu qui *Auguſtus* dicebatur, & Imperatorem, qui necdùm *Auguſtus* appellabatur, licèt reverà eſſet conſors, & collega Imperii declaratus; quòd Imperator qui *Auguſtus* dicebatur, ſupremâ tàm extrà Urbem, quàm in Urbe, Imperii capite, poteſtate præditus eſset; Imperator verò, qui necdùm Auguſtæam dignitatem erat adeptus, ſeu qui nondùm Auguſtus dicebatur, ſummâ quidem extra Urbem Provincias adminiſtrandi poteſtate polleret, inferiorem tamen in Urbe, Imperii capite, auctoritatem obtineret. Cùm igitur Tiberius, vivente adhùc Auguſto, dignitatem Auguſtæam non habuerit, ideſt *Auguſtus* non fuerit appellatus, ſed solùm vi poteſtatis tribunitiæ, & Imperii proconſularis ſibi à Senatu delati, nulliſque extra Urbem limitibus definiti, ſimpliciter Imperator diceretur, ſeu conſors, & collega Imperii haberetur; mirum nemini videri debet, quod Tiberius, ſuperſtite Auguſto, ſupremam in Urbe poteſtatem non obtinuerit. Plura de poteſtate Imperii *Proconſularis* (quale, vivente Auguſto, fuit Tiberio conceſsum, & de poteſtate Imperii dicti *Auguſtai*) legi poſsunt, apud *Pagium*, *Schelſtratum*, & *Pezronum*, qui utriuſque poteſtatis diſcrimen in ſuis lucubrationibus ità perdoctè expoſuerunt, ut aliis, quibus de eo agendum eſset, ampliſſimum otium fecerint.

Arguitur quintò: *Pilatus* adminiſtrabat Judæam, quandò Joannes Baptiſta munere ſuo fungi cœpit, dicit enim *S. Lucas* cap.3. *Anno quinto decimo Imperii Tiberii Cæſaris, procurante Pontio Pilato Judæam....... factum eſt verbum Domini, ſuper Joannem, &c.* Atqui Pilatus anno decimo quinto Imperii proconſularis Tiberii, nondum Judæam adminiſtrabat; ergò S. Lucas ſecutus non eſt epocham Tiberii Imperii proconſularis. Probat. min. annus decimus quintus Imperii proconſularis Tiberii concurrit cum anno vigeſimo quinto æræ vulgaris; atqui Pilatus Judæam nondum anno vigeſimo quinto, immò, nec anno vigeſimo ſexto æræ vulgaris adminiſtrabat; ergò Pilatus anno decimo quinto Imperii proconſularis Tiberii Judæam nondùm adminiſtrabat. Prob. min. Pilatus, teſte *Joſepho* lib. 18. Antiq. cap. 5. poſtquam ſucceſſit Valerio grato, Judæam decem annis adminiſtravit, quibus exactis, Romam jubente Vitellio profectus eſt reſponſurus apud Tiberium ad crimina ipſi à Judæis objecta, id autem contigit anno æræ vulgaris tri-

trigeſimo ſexto, nam Tiberius, dùm Romam Pilatus pervenit, jam è vivis exceſſerat; conſtat autem Tiberium objiſſe die 16. menſis Martii anni æræ vulgaris trigeſimi ſeptimi. Cùm igitur Pilatus per decem annos, ut ait Joſephus, Judæam adminiſtraverit, eaque ceſſerit anno æræ vulgaris trigeſimo ſexto, neceſſe eſt, ut Pilatus Judæam adminiſtrare cæperit anno vigeſimo ſeptimo æræ vulgaris, alioquin ſi Pilatus Judæam adminiſtrare cępiſſet anno vigeſimo quinto æræ vulgaris, eam non per decem, ſed per duodecim annos adminiſtraſſet, quod ſanè veritati hiſtoriæ apertè repugnat.

Reſpondeo: Pilatum, Imp. proconſularis Tiberii anno decimo quinto, qui concurrit cum anno vigeſimo quiuto æræ vulgaris, Judæam adminiſtrare cæpiſſe, idque evinci poſſe ex Joſepho, qui poſtquàm lib. 18. Antiq. cap. 5. dixit Pilatum, jubente Vitellio, Romam fuiſſe profectum, ut coràm Tiberio ad objecta ſibi per Judæos crimina reſponderet, confeſtim ſubdit cap. 6. *Vitellium* in Judæam profectum perveniſſe Hieroſolyma in ipſa feſtivitate paſchali, ubi à Judæis honorificentiſſimè exceptus, quò gratiam eis referret, ultrò remiſit totum vectigal fructuum venalium, & ſtolam cum ornatu Pontificio permiſit in templo aſſervari à Sacerdotibus, quæ prius à romano turris Antoniæ præfecto cuſtodiebatur. Ex quo Joſephi teſtimonio colligitur Vitellium, poſtquam juſſiſſet Pilatum Romam proficiſci, ejuſque loco ad Judæam procurandam Marcellum miſiſſet, Hieroſolyma veniſſe in feſtivitate Paſchali. Porrò Vitellius (ut probabiliùs cenſet *Vſſerius* in ſuis Annalibus) Hieroſolyma venit anno trigeſimo quinto æræ Chriſtianæ; Siquidem poſtquàm anno trigeſimo quarto æræ vulgaris conſulatum geſſiſſet, miſſus eſt à Tiberio anno ſequenti, ſeu trigeſimo quinto æræ vulgaris, proconſul in Syriam, & eodem anno acceſſit Hieroſolyma in feſtivitate Paſchali. Hoc igitur anno trigeſimo quinto æræ vulgaris, antequam Hieroſolyma in feſtivitate Paſchali veniſſet *Vitellius*, jam *Pilatus*, juxtà *Joſephum*, Judęâ exceſſerat, ac ſubindè cùm in Judęa adminiſtranda, teſte eodem Joſepho, decem exegerit annos, neceſſum eſt ut Pilatus Judęam adminiſtrare cęperit anno Imperii proconſularis Tiberii decimo quinto, qui concurrit cum anno æræ vulgaris vigeſimo quinto. Nulli autem mirum videri debet, quod Pilatus, qui ante Paſcha anni trigeſimi quinti æræ vulgaris juſſus erat à Vitellio Romam proficiſci, non hùc tamen pervenerit niſi poſt Paſcha anni ejuſdem æræ vulgaris trigeſimi ſeptimi, & poſt obitum Tiberii: nulli, inquam, id mirum videri debet; potuit enim Pilatus malè ſibi conſcius moras conſultò nectere degens in aliqua Urbe Syriæ, in eam ſpem erectus fore ut cunctando res ſuas acciſas in melius promoveret, vel fortè adverſis ventis impeditus

eſt

Digitized by Google

eſt ne navigationem ſuſciperet, ſuamque maturaret profectionem. His de cauſis Pilatus tardiùs Romam adventavit.

Ex dictis Lector advertere debet, doctrinam antiquorum Eccleſiæ Patrum aſſerentium Chriſtum fuiſſe baptizatum anno duodecimo Imperii Tiberii, & mortuum anno decimo quinto ejuſdem Imperii, nullam omninò mereri animadverſionem, ſed potiùs Scripturæ Sacræ conſentaneam eſſe. Enim verò annus Imperii Tiberii duodecimus, quo antiqui illi Patres docent Chriſtum eſſe baptizatum, non eſt annus Tiberii Imperii proconſularis duodecimus, ſed eſt annus Tiberii Imperii Auguſtæi, ſeu ab obitu Auguſti duodecimus, qui concurrit cum anno Tiberii Imperii proconſularis decimo ſexto, & æræ vulgaris vigeſimo ſexto, quo anno, ut ſuprà ex S. Luca probatum eſt, Chriſtus reverà fuit baptizatus. Similiter annus decimus quintus Imperii Tiberii, quò Chriſtum in Crucem actum eſſe affirmant antiqui illi Patres, non eſt annus Imperii proconſularis decimus quintus, quo *Aſinius Agrippa*, & *Cornelius Lentulus* proceſſere Conſules, ſed eſt annus Tiberii Imperii Auguſtæi, ſeu ab obitu Auguſti decimus quintus, qui connectitur cum anno decimo nono Tiberii proconſularis, & æræ vulgaris vigeſimo nono, ſub conſulatu duorum geminorum, quo anno Chriſtum verè fuiſſe cruci affixum, infrà in Diſſertatione decima quinta commonſtrabo. Id Lector obiter advertere debet contra quoſdam recentiores Chronologos, qui liberiùs, quàm par eſſet, aſserunt: antiquos Patres, in conſignando anno baptiſmi, ſicut & mortis Chriſti, erraſse, eoſque ex Cyclorum ignorantiâ non eſse locutos ad regulam veræ, ac germanæ Chronologiæ tàm Sacræ, quàm Prophanæ.

QUÆRES PRIMÒ: *Quantùm temporis effluxerit à Joannis Baptiſtæ miniſterio, uſque ad baptiſmum Chriſti?*

Reſpondeo: Probabiliùs eſse à Joannis Baptiſtæ miniſterio, uſque ad Chriſti baptiſmum, integrum fermè annum interfluxiſse. Primò, quia miniſterium Joannis, ante baptiſmum, & prædicationem Chriſti, non parvum ſpatium duravit, ut indicant hæc Pauli verba Actorum cap. 13. *Cùm impleret Joannes curſum ſuum dicebat: quem me arbitramini eſſe, non is ego ſum, ſed ecce venit poſt me cujus non ſum dignus calceamenta pedum ſolvere.* Secundò, Chriſtus ad baptiſmum priùs non acceſſit, quàm omnis populus à Joanne eſset baptizatus, ſicut narrat *S. Lucas* cap. 3. Joanni autem integri fermè anni ſpatio opus fuit ad baptizandam totam plebem, quam priùs vitæ ſuæ ſanctitate ad ſalutarem pænitentiam provocare, ſuiſque ſermonibus ad ſuſcipiendum baptiſmum diſponere, ac præparare debuit. Standum eſt igitur ſententiæ peritiorum hujus temporis Chronologorum, qui docent Joannem Baptiſtam anno decimo quin-

to Tiberii Imperii proconſularis ſuum exorſum fuiſse miniſterium, juxtà illud *Lucæ* cap. 3. *Anno quinto decimo Imperii Tiberii Cæſaris, factum eſt verbum Domini ſuper Joannem Zachariæ filium in deſerto*, anno verò ſequenti, ſeu decimo ſexto Imperii proconſularis Tiberii, Chriſtum fuiſse in Jordane à Joanne baptizatum.

Hinc merito repudiari debet ſententia *Sethi Calviſii* in ſua Introductione ad Chronologiam c. 49. & *P. Bernardi Lamy* in ſua Harmonia in Evangelia, aſserentium, Chriſtum Dominum fuiſse baptizatum anno decimo quinto Imperii Tiberii ab obitu Auguſti, & mortuum anno decimo nono ejuſdem Imperatoris. Enim verò ſi Chriſtus baptizatus eſset anno decimo quinto Imperii Tiberii, & mortuus anno ejuſdem Imp. decimo nono, Chriſtus poſt ſuſceptum baptiſma, quinque celebraſset paſchata, ut patet ex calculo annorum qui effluxerunt ab anno decimo quinto Imperii Tiberii, uſque ad ejus annum decimum nonum: atqui tamen Chriſtus, ut infrà ex Scriptura Sacra oſtenſurus ſum, poſt ſuſceptum baptiſma, non quinque, ſed quatuor tantum modò peregit Paſchata; ſtare ergo nequit ſententia *Sethi Calviſii*, & *Bernardi Lamy* qui baptiſmum Chriſti conſignant anno decimo quinto Imperii Tiberii.

Præterea, non ſibi conſtat *Bernardus Lamy*, ait enim Chriſtum, poſt ſuſceptum baptiſma, per duos dumtaxàt annos, & ſex circiter menſes ſuum objiſse miniſterium, & cruci deindè fuiſse affixum. Ex quo infert Chriſtum, poſt ſuſceptum baptiſma, tria tantùm peregiſse Paſchata. Quæro igitur ab illo Auctore, quo pacto hæc duo in ejus ſententia conciliari poſſint? Primò, quod Chriſtus fuerit baptizatus anno decimo quinto Imperii Tiberii, & mortuus anno decimo nono ejuſdem Imp. Et ſecundò, quod Chriſtus, poſt ſuſceptum baptiſma, compleverit ſuum miniſterium ſpatio duorum annorum, & ſex menſium? Hæc quippè duo, quæ docet ille Auctor, ſecum invicem pugnantia, nullâ ratione, meâ quidem ſententiâ, conciliari poſsunt. Nam ſi Chriſtus baptizatus eſt anno decimo quinto Imperii Tiberii, & mortuus anno ejuſdem Imperatoris decimo nono, impoſſibile omninò eſt ut Chriſtus, poſt ſuſceptum baptiſma, compleverit ſuum miniſterium ſpatio duorum annorum, & ſex menſium. Ab anno ſi quidem decimo quinto Imperii Tiberii, (quo *Bernardus Lamy* ſupponit Chriſtum fuiſse baptizatum,) uſque ad annum decimum nonum Imp. Tiberii (cui idem Auctor illigat mortem Chriſti) non duo tantùm anni & ſex interfluxerunt menſes, ſed quatuor integri recenſentur anni, & aliquot menſes. Manifeſtâ ergò contradictione ſe ſe involuit *Bernardus Lamy*, aut ſaltem ſecum ipſe non ſatis conſentit, dum ex una parte affirmat Chriſtum fuiſse baptizatum anno decimo quinto Imperii Tiberii, & mortuum

anno

anno ejuſdem Imp. decimo nono, & ex alia parte aſſerit Chriſtum, poſt ſuſceptum baptiſma, ſpatio duorum annorum, & ſex menſium ſuum complevisſe miniſterium, atque poſt tria celebrata Paſchata in crucem actum eſſe.

QUÆRES SECUNDÒ: *An verè Chriſtus fuerit baptizatus die ſexta Januarii?*

Reſpondeo: Chriſtum, juxtà perantiquam, & conſtantem Sanctorum Patrum ſententiam, fuiſſe baptizatum die ſexta Januarii, idque profiteri, & ſingulis annis canere Eccleſiam die ſexta Januarii, quæ hac potiſſimùm de cauſa ab antiquis Θεοφάνια dicta eſt, quòd in baptiſmo Chriſti Sanctiſſima Trinitas ſpecie quadam ſenſibili innoteſcere voluerit. Cùm igitur Eccleſia memoriam baptiſmi Chriſti ſingulis annis die ſextâ Januarii recolere ſoleat, nullus dubito quin hac die Chriſtus fuerit à Joanne baptizatus, alioquin Eccleſia celebritati hujuſce myſterii aliam deſtinaſſet diem, maximè cùm (teſte doctiſſimo *Tilmontio* nota 16. Documentorum pro Hiſt.Eccl. tom.1.) diei baptiſmi Chriſti faciliùs, & certiùs notitiam habere potuerit Eccleſia, quàm ipſius ortus. Unus inter Sanctos Patres *Epiphanius* cenſet, in Alogorum hæreſi, Chriſtum fuiſſe baptizatum die duodecima menſis Ægyptiorum dicti *Athyr*, cujus dies duodecima reſpondet diei octavæ menſis Novembris; Sed hæc Sancti Epiphanii ſententia, nunc penitùs exolevit, eamque perperàm *P. Bernardus Lamy*, vir cæteroquin doctiſſimus, in ſuo apparatu pagina 207. Eccleſiæ traditioni præponendam eſſe duxit, ſic enim loquitur: *Igitur cùm non omninò videatur repudianda opinio Sancti Epiphanii, & multa concurrant quibus conjecturam facimus non multò poſt dies feſtos expiationis, & tabernaculorum, collatum baptiſmum Chriſto à Joanne in populi Judaici concurſu, ultrò ſtatuerem pro die hujus baptiſmi diem octavam Novembris, quoniam dies aliqua ſtatuenda eſt.* Rejectâ itaque illius Auctoris conjecturâ, quæ Eccleſiæ, & Sanctorum Patrum traditioni adverſatur, dicendum eſt Chriſtum fuiſſe à Joanne in Jordane baptizatum die ſextâ Januarii anni Tiberii Imperii proconſularis decimi ſexti.

DISSERTATIO UNDECIMA

De circumſtantiis Baptiſmi Chriſti, & de illius vita ante Baptiſmum.

CUm appeteret tempus, quo veteris legis ceremoniæ eſſent abrogandæ, figuræ tollendæ, umbræ diſſipandæ, ſynagoga ſepelienda, totumque genus humanum per doctrinam Chriſti innovandum; præmiſſus eſt Joannes Baptiſta Chriſti Prodromus, qui, ut elegantèr ait *Tertullianus* libro 4. contrà Marcionem cap. 33. fuit Limes quidam conſtitutus inter vetera, & nova, ad quem deſineret Judaiſmus, & à quo inciperet Chriſtianiſmus. *Joannes* igitur ex eremo, ubi à puero auſteram, & Angelicam vitam duxerat, egreſſus; in omnem regionem Jordanis divino monitu venit, ibique ſalutaris pænitentiæ baptiſmo certatim confluentes populos baptizare cæpit, tùm ut occaſione baptiſmatis, quod conferebat, Chriſtum verum Meſſiam turbis undequaque ad Jordanem concurrentibus nunciaret, quam cauſam ipſemet Joannes reddit, dicens: *Ut manifeſtetur*, ſcilicèt Chriſtus, *propterea veni ego in aqua baptizans*. Tùm etiam ut ſuo baptiſmo Joannes aſſuefaceret homines baptiſmo Chriſti, & Judæos terrenis cupiditatibus deditos ad pœnitentiam, & ad Evangelicam gratiam ſuſcipiendam præpararet. *Joannes*, inquit *Joſephus* libri 18. Antiq. cap. 10. *Præcipiebat Judæis, virtuti operam dare, Juſtitiam colere, in Deum ſervare pietatem, & per baptiſmum in unum coire. Tùm demum enim baptiſma acceptabile fore, ſi non ſolùm ad abluenda peccata ſumatur, verum etiam ad caſtimoniam corporis, atque ad animæ Juſtitiam, purificationemque ſervetur, omniumque pariter virtutum, velut ſignaculum, & cuſtodia quædam fidelis habeatur*. Poſtquàm autem Joannes omnem populum baptizaſſet, Chriſtus relictâ Galilæâ, ſeu Civitate Nazareth, ubi hactenùs delituerat, venit ad ripam Jordanis, ibique, ut omnes modeſtiæ, ac juſtitiæ numeros impleret, cum peccatoribus ſanctus, cum ſontibus inſons, lavacro Joannis fuit ablutus. Expediebat quippè, ſicut docet *Sanctus Thomas* 3. part. quæſt. 39. art. 1. ut Chriſtus à Joanne baptizaretur; Primò, ut aquas tactu ſuæ mundiſſimæ carnis conſecraret, & ut ablutæ aquæ per carnem Chriſti, quæ peccatum non cognovit, baptiſmatis vim haberent: *Nunquam* enim *aqua baptiſmi*, inquit *Sanctus Chryſoſtomus* homil. 2. in Joannem: *purgare peccata credentium poſſet, niſi tactu Dominici Corporis fuiſſet ſancti-*

ſanctificata. Secundò, Chriſtus à Joanne baptizari voluit, ut cohumilitatis exemplo, quod præbebat, nos hortaretur ad illud baptiſma ſuſcipiendum, quod juſſurus erat præcepto, neminemque puderet tingi pœnitentiæ lavacro, poſtquàm ipſe impollutus, à peccatoribus ſegregatus, inter pollutos ad Joannem coeuntes permiſceri, & jiſdem aquis ablui non detrectavit. *Quid enim tam divinum ad populos provocandos, quam ut nemo refugiat lavacrum gratiæ, quandò Chriſtus lavacrum pœnitentiæ non refugit? Nemo ſe dicat exſortem eſſe peccati, quando Chriſtus venit ad remedium peccatorum. Si pro nobis Chriſtus lavit, immò nos in Corpore ſuò lavit: quantò magis nos noſtra delicta lavare debemus*, ait *S. Ambroſius* libro 2. in Luc. His de cauſis baptiſmo Joannis initiari voluit Chriſtus, non verò ad emundationem ſpiritualem, vel ad caracterem ſuſcipiendum; fuit enim à momento Conceptionis ſuæ omnigenâ gratiâ pleniſſimè donatus, perfectiſſimus Sacerdos, & militiæ Chriſtianæ Rex, omniumque caput. Denique, in Jordane Chriſtus baptizàri voluit, ut inde intelligeremus, quod, ſicut per tranſitum Jordanis filii Iſrael in terram promiſſionis ſunt ingreſſi, ita & nos per baptiſmum in veram terram promiſſionis introducimur, nobiſque per illum Regni Cœleſtis janua reſeratur.

Sunt nonnulli periti hujus temporis Critici, qui autumant mendoſam eſſe noſtram editionem vulgatam in capite primo Euangelii Sancti Joannis, ubi iſta verba leguntur: *Hæc in Bethania facta ſunt trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans*. Volunt enim non *Bethania*, ſed *Bethabara* eſſe legendum, quia, inquiunt, *Bethania* neque trans Jordanem eſt, neque in deſerto Judææ, ſed vicina Hieroſolymis, neque ad aquas ſita eſt, ut commoda ibi baptizandi opportunitas haberetur. *Bethabara* verò eſt locus ad trajectum Jordanis, ſeu in citeriore Jordanis ripa reſpectu Hieroſolymæ, in Tribu Ephraim, ibi primum baptizabat Joannes, nam poſteà baptizavit in *Salim* in deſerto. Verùm quamvis hanc Criticorum conjecturam (cui favent *Origenes*, *S. Joannes Chryſoſtomus*, *S. Epiphanius*, *S. Hieronymus*, *Euthymius*, *Theophilactus*, multique alii Scripturæ ſacræ Interpretes) ipſe improbare nolim; probabiliùs tamen arbitror non eſſe ſollicitandam editionis vulgatæ lectionem, ſic enim ſentire videtur *Sanctus Thomas* comment. in cap. 1. Joannis lect. 14. ubi hæc habet: *Cùm Bethania ſit in Monte Oliveti, quod eſt juxtà Hieruſalem, quomodò dicit Euangeliſta, quod facta ſunt trans Jordanem, qui multùm diſtat ab Hieruſalem? Sed dicendum ſecundùm Origenem & Chryſoſtomum, quod nòn debet dici Bethania, ſed Bethabara, quæ eſt quadam Villa ultra Jordanem, & hoc quod dicit, Bethania, corruptum eſt. Sed quia tàm libri Græci, quàm Latini habent, Bethania, ideo dicendum eſt aliter, quod eſt duplex Bethania: una, quæ eſt propè Hie-*

Digitized by Google

ruſalem in Monte Oliveti: alia trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans. Hactenùs *S. Thomas*, qui licet duplicem inſinuet reſponſionem, in poſteriorem tamen, quæ ſtat pro editionis vulgatæ lectione, magis propendere videtur.

Bochartus part. 1. *Phaleg* cap. 7. parag. 10. refert extare Capellam Divo Joanni Baptiſtæ dicatam, & ab Urbe Jericho duabus dumtaxat Gallicis leucis diſtantem, ubi creditur Chriſtum fuiſſe baptizatum. Sed hæc popularis, quæ invaluit, traditio, & de cujus origine non certò conſtat, ad perſuadendum efficax eſſe non poteſt. Nobis ergo abundè ſufficiat ſcire Chriſtum fuiſſe baptizatum in Jordane, & eâ de causâ multos antiquitùs Chriſtianos pietatis ergò acceſſiſſe, ut in aquis Jordanis corpora ſua abluerent, multos etiam in iisdem aquis aut baptizatos fuiſſe, aut baptizari vehementer cupiiſſe, ſicut refert *Euſebius* de *Conſtantino* Imperatore, qui baptiſmum in Jordane ſuſcipere ſtatuetat, morte tamen præventus voti ſui compos non fuit, ſed ſub finem vitæ ſuæ in Suburbiis Nicomediæ baptizatus eſt, ſicut ex eodem *Euſebio* exſcribunt *Socrates*, *Sozomenus*, *Theodoretus*, *Evagrius*, *Ruffinus*, *Ambroſius*, & *Hieronymus*. His, quæ ad hiſtoriam pertinent, prælibatis, nunc præcipuas circumſtantias baptiſmi Chriſti, quæ à Sacris Euangeliſtis *Matth.* cap. 3. & *Lucæ* cap. 3. accuratè deſcribuntur, exponendas aggredior. Prima eſt, quod Jeſu baptizato, & orante apertum ſit Cœlum. Altera, quod Spiritus Sanctus in ſpecie Columbæ deſcenderit ſuper ipſum. Poſtrema, quod audita ſit vox Patris, dicentis: *Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi*.

Dico itaque primò: *Conveniens fuiſſe, ut Chriſto baptizato, & orante, aperirentur Cœli.*

Triplicem hujusce apertionis Cœlorum congruentiam affert *Doctor Angelicus* 3. p. q. 39. art. 5. expediebat enim primò, ut, dum Chriſtus baptizabatur, Cœli aperirentur ad ſignificandum effectum baptiſmi, quem ipſe in nova lege inſtituebat, & cujus effectus eſt Regni Cœleſtis apertio, quæ fit beneficio & applicatione meritorum Chriſti. Secundò, conveniens fuit, ut Chriſto baptizato & orante aperirentur Cœli, ad deſignandam diſpoſitionem, quæ baptizandis ineſſe debet, ſeu fidem, quam Eccleſia habet de rebus cœleſtibus, quæ ſenſum & omnem humanam rationem excedunt. Hæc autem fides ſemper comitari debet baptiſmum, qui ideò à S. Auguſtino epiſt. 98. aliàs 23. ad Bonifacium *Sacramentum Fidei* appellatur. Denique baptizato Chriſto & orante aperti ſunt Cœli, ut inde oſtenderetur, quod jugis oratio homini poſt baptiſmum ad introitum Regni cœleſtis eſt prorsùs neceſſaria. Quamvis enim per baptiſmum remittantur, ac penitùs deleantur peccata, non verò radantur tantùm, aut tegantur,

ſicut

Digitized by Google

ſicut contendunt Calviniſtæ & Lutherani, aliique hujus furfuris heterodoxi; remanet tamen peccati fomes medullitùs, & in omnium animis ſenſibusque penitùs infixus, qui, velimus nolimus, tanquàm domeſticus, & implacabilis hoſtis inteſtinum excitat bellum. Mundus etiam & dæmones nos oppugnant exteriùs, nullumque lapidem non movent ut gratiæ, quam percepimus in baptiſmo, jacturam faciamus, quò fit, ut ad tot hoſtes profligandos, totque amovenda ſalutis diſcrimina, neceſſariò opus habeamus continuâ poſt baptiſmum oratione, ne noſtris viribus confiſi ingruentibus tentationibus ſuccumbamus; oratio quippè, ut docent Sancti Patres, eſt via ad Cœlum, clavis Regni cœleſtis, & gratiarum, per quas tentationes vincimus, conciliatrix. *Aſcendit oratio, & deſcendit miſeratio.*

Cæterùm, quo pacto Cœli, baptizato & orante Chriſto, fuerint aperti, non convenit inter Theologos. Alii ſequuti *S. Hieronymum* in cap. 1. Ezechiel. & Auctorem operis imperfecti in Matthæum, putant hanc apertionem Cœlorum non fuiſſe realem, ſed apparentem tantùm & imaginariam, qualis fuit apertio Cœlorum, quam viderunt Ezechiel cap. 1. & Sanctus Stephanus, dum dixit: *Ecce video Cœlos apertos*. Alii, quorum mihi magis probatur ſententia, exiſtimant, eo in ſenſu baptizato Chriſto fuiſſe Cœlos apertos, quod apparuerit claritas magna & inſolita admodum hiatus, ſicut ſolet in coruſcationibus apparere; quæ claritas ſubitò perſtrinxit omnium adſtantium oculos. Quod quidem eo potiſſimùm fine factum eſt, ut Columba Spiritum Sanctum referens, & vox Patris non aliundè, quàm è Cœlis proficiſci viderentur, ſicque omnes, qui aderant, in Chriſtum tanquàm verum Meſſiam crederent. In hoc igitur ſenſu Cœli, baptizato Chriſto & orante, ſunt aperti, non verò per realem partium continuarum diſtractionem ac ſeparationem; tum quia Cœli, ut docet *Sanctus Thomas*, ſunt impaſſibiles, & alterationi æquè ac corruptioni nullatenùs obnoxii, inſuper & ſolidi ſunt, juxtà illud *Job* cap. 37. *Cœli quaſi are fuſi*, ſeu ſolidiſſimi ſunt; tùm quia etiam quamvis Cœli, non obſtante eorum ſoliditate, potuiſſent per miraculum, ſeu Divinâ Omnipotentiâ diffindi & aperiri, id tamen neque conveniens, neque neceſſarium erat, quemadmodum, poſt *Sanctum Thomam*, docent omnes Theologi.

DICO SECUNDÒ: *Conveniens fuiſſe, ut Spiritus Sanctus in Chriſtum baptizatum illaberetur in ſpecie Columbæ.*

Hanc aſſertionem *Sanctus Thomas* 3. p. q. 39. art. 6. in reſponſione ad quartam objectionem eruditè probat quadruplici ratione. Prima petitur ex natura Columbæ, quæ eſt animal ſimplex, manſuetum, domeſticum, aſtutiâ & dolo carens; unde *Matth.* cap. 10. dicitur: *Eſtote ſimplices ſicut Columbæ*. In ſpecie igitur Columbæ Spiritus Sanctus in Chri-

Digitized by Google

Chriſtum baptizatum illapſus eſt ad deſignandam diſpoſitionem, quæ prærequiritur in baptizandis, ut videlicet ſemotâ omni fictione, cum fidei ſimplicitate & candore morum ad baptiſmum accedant, quia, ut dicitur *Sapientiæ* cap. 2. *Spiritus Sanctus diſciplinæ effugiet fictum*.

Altera *S. Thomæ* ratio deſumitur ex proprietatibus columbæ, quibus adumbrantur ſeptem dona Spiritus Sancti. Nam primò, columba ſecùs fluenta habitat, ut indè viſo accipitre mergat ſe, & evadat: quod pertinet ad donum ſapientiæ, quo Sancti ſecùs fluenta Scripturæ divinæ reſident, ut infauſtos diaboli incurſus evadant. Secundò, columba meliora grana ſeligit: quod pertinet ad donum ſcientiæ, cujus ope Sancti ſententias ſanas, quibus ſalubritèr paſcantur, ſeligunt. Tertiò, columba alienos nutrit pullos: quod pertinet ad donum conſilii, quo Sancti eos, qui fuerunt antea pulli, ideſt, imitatores & filii diaboli, doctrinâ nutriant, & exemplo. Quartò, columba non lacerat roſtro: quod pertinet ad donum intellectus, quo Sancti bonas ſententias lacerando non pervertunt, ſed potiùs vindicant ab hæreticorum corruptelis. Quintò, columba felle caret: quod pertinet ad donum pietatis, quo Sancti ab ira, & vindicta alieni benè precantur malè precantibus, benè merentur de malè merentibus. Sextò, columba in cavernis petræ nidificat: quod pertinet ad fortitudinis donum, quo Sancti in plagis Chriſti, qui 1. ad Corint. cap. 10. dicitur *Petra* myſtica, nidum ponnnt, ideſt, totius ſpei, ac fiduciæ ſuæ Sacram, ut ajunt, anchoram figunt. Denique, columba gemitum pro cantu habet: quod pertinet ad donum timoris, quo Sancti delectantur in gemitu pro peccatis, Deumqne juſtum vindicem non formidine pænæ, ſed virtutis amore reverentur. Hæ columbæ proprietates iſtis verſibus ſunt comprehenſæ.

Eſt ſine felle, gemit, roſtro non lædit, & ungues
Poſſidet innocuos, granaque pura legit.
Gaudet aquis, quæritque greges, celerique volatu
Tuta petit, fætus educat alterius.
Maſculus ipſe fovet fætus, ac incubat ovis.
Conjugii ſervant fœdera caſta ſimul.

Tertia ratio, quâ probat *Sanctus Thomas* conveniens fuiſſe ut Spiritus Sanctus in ſpecie columbæ appareret in baptiſmate Chriſti, ſumitur ex proprio, ac ſingulari baptiſmi effectu, qui conſiſtit in remiſſione peccatorum, & in reconciliatione cum Deo. Ad quem baptiſmi effectum ſignificandum apparuit columba, quæ ut ait *Tertullianus* libri contrà *Valentinum* cap. 2. *à principio divinæ pacis eſt præco*. Idem docent Sancti Patres, quos inter *Chryſoſtomum*, & *Hieronymum* hic laudare ſufficiet. *Prætereà*, inquit *Chryſoſtomus* hom. 12.

in

Digitized by Google

in *Matth. Columba cernitur, nequaquàm olivæ ramum ferens, ſed omnium malorum liberatorem nobis evidenter oſtendens, ſpemque ſuggerens proſperorum. Non enim ex arca unum educit hominem: ſed poſtquam apparuit, univerſum prorſùs Orbem attollit in Cælum, quæ certè pro oleæ ramo, omni generi humano adoptionem detulit filiorum.* Hieronymus verò adversùs *Luciferianos* hæc habet: *Emittitur de Arca Corvus, & non rediit; & poſteà pacem terræ columba nuntiat, ità & in baptiſmate Eccleſia teterrimo alite expulſo,* ideſt, *Diabolo, pacem terræ noſtræ columba Spiritus Sancti nuntiat.*

Quarta denique *Sancti Thomæ* ratio ducitur ex communi effectu baptiſmi, qui eſt conjunctio Eccleſiaſticæ unitatis, ad quem quidem baptiſmi effectum indicandum convenientèr Spiritus Sanctus demonſtratus eſt in ſpecie columbæ, quæ eſt animal amicitiæ ſocietatiſque capax. Hinc *Sanctus Cyprianus* in libro de Unitate Eccleſiæ appoſitè, & elegantèr ait: *In domo Dei, in Eccleſia Chriſti unanimes habitant; concordes, & ſimplices perſeverant. Idcircò & in columba venit Spiritus Sanctus. Simplex animal & lætum eſt, non felle amarum, non morſibus ſævum, non unguium laceratione violentum, hoſpitia humana diligere, unius domus conſortium noſſe; cùm generant ſimul filios edere; cùm commeant volatibus invicem cohærere; communi converſatione vitam ſuam degere; oris oſculo concordiam pacis agnoſcere; legem circà omnia unanimitatis implere. Hæc eſt in Eccleſia noſcenda ſimplicitas; hæc charitas obtinenda, ut columbas dilectio fraternitatis imitetur, ut manſuetudo & lenitas agnis & ovibus coæquetur.*

DICES PRIMÒ: Fides docet Chriſtum à principio conceptionis ſuæ plenitudinem gratiæ, per quam Spiritus Sanctus habitat in nobis, accepiſſe. Non fuit ergo conveniens, ut Spiritus Sanctus in Chriſtum baptizatum deſcenderet.

Reſpondeo, cum *Sancto Thoma* 3. part. quæſt. 39. art. 6. Omnia, quæ in baptiſmo Chriſti peracta ſunt, pertinere ad myſterium eorum qui deinceps baptiſmo Chriſti initiandi erant; omnes autem, qui baptiſmo Chriſti baptizantur, Spiritum Sanctum recipiunt, niſi fictè accedant, juxtà illud *Matth.* cap. 3. *Ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto*: conveniens igitur fuit ut Spiritus Sanctus ſuper Chriſtum in Jordane baptizatum illaberetur, quia tum temporis Chriſtus corpus ſuum, ideſt, Eccleſiam præfigurabat, in qua baptizati recipiunt Spiritum Sanctum. Huic reſponſioni ſuffragantur Sancti Patres, *Athanaſius* oratione 2. contrà *Arrianos*: *An ignoratis,* inquit *quod templum Dei ſitis, ac Spiritus Dei habitet in vobis. Cùm enim Dominus in Jordane lavaretur, nos illi ipſi eramus qui in Domino, & à Domino lavabamur, & cùm ille reciperet Spiritum Sanctum, nos illi ipſi eramus, qui per Dominum ſpiritus ipſius capaces reddebamur.* Similia

Digitized by Google

lia habet *Sanctus Auguſtinus* lib. 15. de Civit. Dei cap. 26. *Dominus ipſe Jeſus Spiritum Sanctum non ſolùm dedit ut Deus, ſed etiam accepit ut homo, propterea dictus eſt plenus gratia. Et manifeſtiùs de illo ſcriptum eſt in actibus Apoſtolorum, quoniam unxit eum Deus Spiritu Sancto, non utique oleo viſibili, ſed dono gratiæ, quod viſibili ſignificatur ungunento, quo baptizatos ungit Eccleſia. Nec ſanè tunc unctus eſt Chriſtus Spiritu Sancto, quandò ſuper eum baptizatum velut columba deſcendit. Tunc enim corpus ſuum, ideſt, Eccleſiam ſuam præfigurare dignatus eſt, in qua præcipuè baptizati accipiunt Spiritum Sanctum. Sed de iſta myſtica unctione tunc intelligendus eſt unctus, quandò verbum Dei caro factum eſt.* Hactenùs *Sanctus Auguſtinus*. Addo etiam Spiritum Sanctum triplici de cauſa in Jeſum baptizatum ſub ſigno ſenſibili deſcendiſſe. Primò, propter Joannem, ut eo indicio Chriſtum dignoſceret, quem antea ex vultu non noverat, & de illo teſtimonium perhibere poſſet. Secundò, propter ipſummet Jeſum, ut hoc Spiritus Sancti illapſu coràm omnibus Sacerdos, Rex, & Propheta ſignificaretur, atque in eo impletas eſſe prophetias palàm declararetur. Tertiò, ut myſterium Trinitatis, quod in veteri lege fuerat obſcuriùs revelatum, & quaſi involucris occultatum, initio novæ legis manifeſtiùs panderetur.

Dices secundò: Si Spiritus Sanctus in Chriſtum baptizatum reverà, & ſub ſpecie ſenſibili illapſus fuiſſet, Joannes, qui Chriſtum baptizavit, & tanti prodigii teſtis oculatus fuit, dubitare deinceps non potuiſſet, an Chriſtus, quem baptizaverat, verus eſſet Meſſias? Atqui tamen Joannes dubitavit, an Chriſtus, quem baptizaverat, verus eſſet Meſſias? nam, poſt baptiſmum Chriſti, Joannes ab Herode Tetrarcha Galilææ detruſus in carcerem duos è diſcipulis ſuis miſit ad Jeſum, ut interrogarent eum, an eſſet Meſſias? *Joannes autem*, inquit *Matthæus* cap. 11. *Cùm audiſſet in vinculis opera Chriſti, mittens duos de diſcipulis ſuis, ait illi, tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Veroſimile igitur non eſt in Chriſtum baptizatum reverà, & ſub ſigno ſenſibili Spiritum Sanctum deſcendiſſe.

Reſpondeo: Joannem poſtquàm Chriſtum Dominum baptizaſſet, pro comperto ſemper habuiſſe illum eſſe verum Meſſiam, & filium Dei. Primò, quia Joannes viderat deſcendentem in Chriſtum, dum baptizaretur, Spiritum Sanctum. Unde ipſe dicit *Joannis* cap. 1. *Et ego neſciebam eum, ſed qui me miſit baptizare in aqua, ille mihi dixit: ſuper quem videris Spiritum Sanctum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu Sancto. Et ego vidi, & teſtimonium perhibui quia hic eſt filius Dei.* Secundò, Joannes miſſis ad ſe à Synedrio Sacerdotibus reſpondit, ſe nequaquam eum eſſe

eſſe, quem putabant, ſed alium jam veniſſe ſe ipſo multò digniorem, ac priorem, qui verus erat Meſſias ab omnibus expectatus, & cujus dignus non erat qui corrigiam calceamentorum ſolveret. Tertiò, Joannes Jeſum præſentem digito demonſtrans denunciavit ipſum eſſe, qui à ſe promiſſus fuerat, cumque agnum Dei palàm nuncupavit. Denique, cùm diſcipuli Joannis ægrè ferrent, & quererentur apud ipſum, quod plures ad Jeſum confluerent, hinc occaſionem ſumpſit Joannes commendandi, & extollendi Jeſum ſe ipſo longè ſuperiorem, & quem proinde neceſſe erat creſcere, ſe autem minui. Certiſſimè igitur Joannes cognovit Jeſum eſſe verum Meſſiam, & filium Dei. Quapropter quandò Joannes carcere deindè detentus duos è diſcipulis ſuis miſit ad Chriſtum, ut interrogarent eum, an eſſet Meſſias? voluit dumtaxàt hac inſtructâ legatione Joannes, ut diſcipuli ſui, qui ægrè ab illo divelli poterant, quique fluctuantes adduci necdùm potuerant, ut crederent Jeſum eſſe verum Meſſiam, omne, ad Chriſti adſpectum, deponerent dubium, & viſis miraculis, quæ Chriſtus operabatur, atque auditâ cœleſti, quam prædicabat, doctrinâ, ſenſuum tandem ſuorum teſtimonio convicti agnoſcerent illum eſſe verum Meſſiam, quem totiès illis indigitaverat. Hæc itaque interrogatio nomine Joannis Baptiſtæ ab ipſius diſcipulis Chriſto Domino facta, *tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* nullam de Meſſiæ dignitate, Chriſtique divinitate ignorantiam, aut dubitationem arguit in Joanne, qui potiùs utramque in Chriſto probè perſpectam habebat; ſed ſolùm contrariam oſtendit diſcipulorum Joannis dubitantium diſpoſitionem, quam ut faciliùs ex eorum animis evelleret Joannes, ſe ei hoc pacto accommodare voluit. Non ſecùs ac ex. gr. quandò Chriſtus interrogavit diſcipulos euntes in caſtellum Emmaus dicendo: *qui ſunt hi ſermones, quos confertis ad invicem ambulantes, & eſtis triſtes? Lucæ* cap. 24. Et ſimilitèr quandò Magdalenam interrogavit, *mulier quid ploras? quem quæris? Joannis* cap. 20. hæ, inquam, & hujuſmodi interrogationes, quæ paſſim in Scriptura Sacra occurrunt à Chriſto Domino factæ, non arguunt in Chriſto ignorantiam rerum, quas percontabatur (fides quippè docet eum fuiſſe omniſcium, nihilque illum latuiſſe,) ſed ſolùm innuunt iſtiuſmodi interrogationes, Chriſtum identidem ſuum ſermonem inflectere voluiſſe ad captum eorum, quos alloquebatur, & qui infinitâ ipſum ſcientiâ pollere, necdùm ſatis exploratum habebant.

DICES TERTIÒ: Columba, quæ apparuit in baptiſmo Chriſti, non fuit vera columba, ſed ſolùm figura, & effigies columbæ; ergo Spiritus Sanctus non apparuit in veritate, ſed tantùm in ſimilitudine columbæ. Prob. ant. Primò, quia Sacri Euangeliſtæ

Ff non

non dicunt columbam deſcendiſſe in Chriſtum, ſed *tanquàm* columbam, vel *in ſpecie columbæ* Spiritum Sanctum deſcendiſse. Syriaca verſio habet: *juxtà ſimilitudinem corporis columbæ*. Arabica verſio, *in ſimilitudine columbæ*. Æthyopica, *in corpore tanquàm in ſpecie columbæ*. Præterea, Sancti Patres, *Tertullianus* libri de Baptiſmo c. 8. *Juſtinus* in dialogo cum *Tryphone* Judæo, *Iræneus* lib. 3. cap. 19. *Epiphanius* hæreſi 62. *Hilarius* in *Matth.* can. 2. *Auguſtinus* lib. 2. de Trinit. cap. 5. *Ambroſius* lib. 1. de Sacramentis cap. 5. & alii aſſerunt ſpeciem tantùm, ſeu figuram & effigiem columbæ apparuiſſe, hoc eſt, non columbam, ſed quaſi columbam ſuper Chriſtum baptizatum deſcendiſse; non ergo in vera columba Spiritus Sanctus deſcendit in Jeſum baptizatum.

Reſpondeo: Sacros Evangeliſtas, & Sanctos Patres, dùm dicunt Spiritum Sanctum in ſpecie, ſeu ſimilitudine columbæ in Chriſtum baptizatum deſcendiſſe, non excludere veritatem columbæ, ſed innuere dumtaxàt velle, Spiritum Sanctum non apparuiſſe in ſpecie ſuæ ſubſtantiæ, quæ inviſibilis eſt, vel non aſſumpſiſse columbam in unitatem perſonæ. Quod autem hæc vera ac genuina ſit Scripturæ, & Sanctorum Patrum mens, liquet ex diſertis *Chryſoſtomi*, & *Auguſtini* teſtimoniis, *Sanctus Chryſoſtomus* homilia 12. in *Matth.* hæc habet: *Hominis quidem naturam ſuſcepit Dei filius, ſed columbæ naturam non ſuſcepit ſpiritus. Proindè non dixit Evangeliſta Spiritum Sanctum in natura columbæ, ſed in ſpecie columbæ deſcendiſſe.* Idem fermè legitur apud *Sanctum Auguſtinum* lib. 2. de Trinitate cap. 6. *Non ſic eſt aſſumpta creatura illa, in qua appareret Spiritus Sanctus, ſicut aſſumpta eſt caro illa, & humana forma ex Virgine Maria. Neque enim columbam beatificavit Spiritus Sanctus, ſibique & perſonæ ſuæ in unitatem habitumque conjunxit in æternum, ſed apparuit columba, ſicut opportunè apparere debuit, creatura ſerviente creatori*, &c. Denique *S. Thomas* 3. part. quæſt. 39. art. 7. ut probet Spiritum Sanctum in vera columba apparuiſse, adducit authoritatem *Sancti Auguſtini*, qui in libro *de Agone Chriſtiano*, ſic loquitur: *ſicut non oportebat ut homines falleret filius Dei* (corpus videlicèt non verum, ſed phantaſticum aſsumendo) *ſic etiam non oportebat, ut falleret Spiritus Sanctus; ſed omnipotenti Deo qui univerſam creaturam ex nihilo fabricavit, non erat difficile verum corpus columbæ ſine aliarum columbarum miniſterio figurare, ſicut non fuit ei difficile verum corpus in utero Mariæ ſine virili ſemine fabricare; cùm creatura corporea, & in viſceribus fœminæ ad formandum hominem, & in ipſo mundo ad formandam columbam Imperio Domini voluntatique ſerviret.* Hactenùs *S. Auguſtinus*, cujus authoritatem aliqui recentiores bifariam eludere tentant. Alii enim, ut *Pamelius*, negant librum illum *de Agone Chri-*

Chriſtiano eſse Germanum *Sancti Auguſtini* fœtum. Alii, ut *Maldonatus*, hunc librum pro genuino quidem agnoſcunt, contendunt tamen ab *Auguſtino* aſseri dumtaxàt verum apparuiſse corpus, ſed non veram columbam. Verùm utraque claudicat conjectura. Prima quidem, quia librum *de Agone Chriſtiano* germanum eſse *S. Auguſtini* opus conſtat ex ſtylo, ex poſſidii iudiculo, ex ipſomet *S. Auguſtino* qui hunc librum à ſe exaratum ultrò profitetur lib. 2. Retract. cap. 3. & denique ex editione operum *Sancti Auguſtini* tàm à Doctoribus Lovanienſibus, quàm à Patribus Benedictinis Congregationis *Sancti Mauri* adornatâ. Altera verò conjectura abludit penitùs à mente *Sancti Auguſtini*, quippè qui columbam illam, in qua apparuit Spiritus Sanctus, non ſolùm appellat *verum corpus*, ſed etiam *verum corpus columbæ.* Standum igitur eſt ſententiæ *S. Thomæ*, qui poſt *Sanctum Auguſtinum* docet veram fuiſſe columbam in qua apparuit Spiritus Sanctus, cui *Angelici Doctoris* ſententiæ, ſicut ſcribit noſter *Sixtus Senenſis* lib. 6. Biblioth. annot. 13. patrocinantur omnes fermè Theologi. Cæterùm ſi quis quærat ex quibus principiis conflata fuerit illa columba, ſub cujus ſpecie Spiritus Sanctus apparuit? quodnam principium motus illius, an intrinſecum, an extrinſecum? an reſoluta fuerit in aliam materiam? an verò annihilata? confeſtim reſpondebo in his, & aliis id genus magis curioſis, quàm utilibus quæſtionibus, de quibus ſcriptura ſilet, non eſſe argutandum; ſed abundè ſufficere ut ſciamus Deo non defuiſſe potentiam creandi, movendi, & annihilandi illam columbam à te formatam ad ſignificandam Spiritus Sancti præſentiam. Satis igitur dictum ſit de columba, in qua Spiritus Sanctus, ideò in baptiſmate Chriſti apparere voluit, quia, ut obſervat *S. Thomas*, poſt *S. Auguſtinum* tractatu ſexto in *Joannem*; *Duobus modis oſtendit Dominus viſibilitèr Spiritum Sanctum, per columbam ſuper Dominum baptizatum, & per ignem ſuper diſcipulos congregatos: ibi ſimplicitas, hîc fervor oſtenditur: ergò ne Spiritu Sanctificati dolum habeant, in columba monſtratus eſt: ne ſimplicitas frigida remaneat, in igne demonſtratus eſt.*

DICO ULTIMÒ: *Convenientèr, Chriſto Domino baptizato, auditam eſſe vocem Patris dicentis*: tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi.

Probatur tribus rationibus. Primò, quia hæc vox patris, quæ omnium adſtantium auribus inſonuit, Chriſto Domino auctoritatem aſſeruit, ejuſque originem, vocationem, & doctrinam, quâ totum Orbem innovare debebat, approbavit. Judæis namque expectatione, dubitationeque ſuſpenſis, &, ut inquit *S. Lucas* cap. 3. *Cogitantibus omnibus in cordibus ſuis ne forte ipſe*, ideſt, *Joannes*,

eſſet Chriſtus, congruum erat ut Pater Æternus, hanc Judæorum dubitationem diſpelleret, & ſigno aliquo ſenſibili, ſeu voce è Cœlo dilapsâ, demonſtraret non Joannem, ſed Jeſum eſſe Chriſtum, hoc eſt, Meſſiam jam pridem expectatum & filium ſuum unicè dilectum, quem in mundum mittebat, ut perditum genus humanum repararet. Eadem de cauſa voluit Deus ut Joannes nulla, dum vixit, ederet miracula, ne Judæi, quos auſtera Joannis diſciplina, admirabilis vitæ ratio, & baptizandi, quo fungebatur, officium in admirationem rapiebant, eum pro Meſſia pertinaciùs haberent. Et è contrà voluit Deus ut Chriſtus, quem in baptiſmo filium ſuum palàm declaravit, miraculis inclareſceret, ut tot tantiſque gloriæ gradibus, Joannis, à quo Judæi ægrè divellebantur, gloriam obſcuraret; quod deindè reverà factum eſt, nam legitur *Joannis* cap. 10. quod *multi venerunt ad eum*, ideſt, Chriſtum Dominum, *& dicebant, Joannes quidem ſignum fecit nullum, omnia autem quæcumque dixit Joannes de hoc vera erant. Et multi crediderunt in eum*.

Secundò, baptiſma Chriſti, ut inquit *Sanctus Thomas* 3. part. quæſt. 39. art. 8. fuit exemplar baptiſmi quo nunc initiantur fideles, baptiſmus autem, quo nunc baptizantur fideles, perficitur, ac conſecratur in virtute, & invocatione Sanctæ Trinitatis, congruum igitur erat, ut in baptiſmo Chriſti non ſolùm filius, ſcilicèt Chriſtus Dominus, in humana natura baptizaretur, & Spiritus Sanctus in columbæ ſpecie appareret, & mitteretur, ſed etiam ut Pater Æternus non quidem mitteretur, ſed in voce audiretur, ſicque in baptiſmo Chriſti totius Sanctæ Triadis myſterium demonſtraretur. Hanc rationem eleganter proſequitur *Sanctus Hilarius* cap. 2. in *Matth. Filius Dei*, inquit, *auditu conſpectuque monſtratur, plebique inſidæ, & prophetis inobedienti teſtimonium de Domino ſuo mittitur, & contemplationis, & vocis, ac ſimul, ut ex eis quæ conſummabantur in Chriſto cognoſceremus, poſt aquæ lavacrum, & de Cœleſtibus portis Sanctum in nos Spiritum involare, & Cœleſtis nos gloriæ unctione perfundi, & paternæ vocis adoptione Dei filios fieri; cùm ita diſpoſiti in nos Sacramenti imaginem ipſis rerum effectibus veritas præfiguraverit*.

Denique, ad declarandam Chriſti divinitatem hæc vox Patris intonuit: *tu es filius meus dilectus*, non adoptivus, ſed propriùs, quem à me non ſeparat deitas, non dividit poteſtas, non diſcernit æternitas, quem unicè diligo, & per quem reconciliatus ſum mundo: *Pater diligit filium, ſed quomodò pater filium, non quomodò Dominus ſervum; quomodò unicum, non quomodò adoptatum*, inquit *S. Auguſtinus* tractatu 14. in *Joannem*. Hoc unicum Patris Æterni teſtimonium, antehàc inauditum, abundè ſufficit ad adſtruendam Chriſti divinitatem contrà Arrianos in Ṣocinianis noſtri temporis redivivos,

vos, & ad demonſtrandum ipſum eſſe filium Dei naturalem, non adoptivum, ſicut definitum eſt in Concilio Francofordienſi adversùs duos Epiſcopos, videlicet *Felicem* Urgelitanum, & *Elipandum* Toletanum.

Expoſitis baptiſmi Chriſti circumſtantiis, quæ à Sacris Evangeliſtis referuntur, nunc præſtat ut pauca dicam de vita quam egit Chriſtus ante baptiſmum. *Pauca* dixi, quia nihil de Chriſto Domino, poſt ejus exceſſum ab Ægypto, uſque ad annum ætatis trigeſimum, ſacris litteris proditum eſt, niſi quod divinus ille puer annos natus duodecim inventus ſit à parentibus in templo ſedens in medio Doctorum, audiens & interrogans eos, ita ut ſtuperent omnes qui eum audiebant ſuper prudentiâ, & reſponſis ejus. Cætera autem, quæ Chriſtus in infantia, pueritia, adoleſcentia & juventute ſua peregit, alto & ſacro ſilentio Evangeliſtæ obtexerunt, quia non curioſitati noſtræ, ſed utilitati, non vanitati, ſed neceſſitati conſulere voluerunt; undè ea ſolùm litteris prodiderunt quæ Chriſtus Dominus triennio prædicationis ſuæ pro ſalute noſtra operatus eſt, & quæ fidem noſtram alere, & roborare poſſunt. Quapropter ſi quis curioſitate ductus percontari, aut ſcire aveat quid Chriſtus in infantia, & adoleſcentia ſua peregerit? hoc unum ipſi reſpondere poſſum; *erat ſubditus parentibus ſuis*, nihilque niſi commune, & ordinarium in puerili diſciplina, vita, victu & converſatione ſua geſſit, ut hoc pacto verum ſe hominem eſſe magis comprobaret, nobiſque ſummæ humilitatis ſuppeditaret exemplum.

Cæterùm de arte quam exercuit Chriſtus Dominus, ſeu de illo vivendi inſtituto, quod ſectatus eſt per totum illud temporis intervallum quo privatam vitam duxit, non convenit inter Theologos, & Scripturæ Sacræ Interpretes. Placet non nullis Chriſtum per id temporis inſtàr religioſi viri altiſſimæ rerum divinarum contemplationi, orationibus, jejuniis, aliiſque id genus ſpiritualibus rebus vacaſſe, nullam verò artem Mechanicam, unde captaret neceſſaria vitæ, exercuiſſe. Sed hæc ſententia, quam *Paulus Burgenſis* Epiſcopus in cap. *6. Marci*, propugnat, meritò ab aliis Scripturæ Sacræ Interpretibus improbatur. Ecquis enim, amabo, dicat Chriſtum per triginta circiter annos otio indulgere voluiſſe, ut totum ſe meditationi, & rerum divinarum contemplationi dederet? quapropter alii cenſent: Chriſtum per totum illud temporis ſpatium nulli arti Mechanicæ operam dediſſe, ſed oſtiatim mendicando ſubſidia vitæ neceſſaria accepiſſe. Verùm hæc ſententia nullâ probabili ratione nititur, nam quamvis Chriſtus, majoris humilitatis ergò, oſtiatim aliquandò mendicare voluerit, falſum tamen eſt eum mendicitatis ſtatum fuiſſe amplexum, & continuò ad victum ſibi quotidianum paran-

Digitized by Google

parandum oſtiatim ſtipem collegiſſe. Nec certè Chriſtus magis ante baptiſmum ſtatum mendicitatis amplexus eſt, quàm poſt ſuſceptum baptiſma, nemo autem dixerit Chriſtum poſt ſuſceptum baptiſma mendicitatis ſtatum fuiſſe amplexum. Legimus quippe *Joannis* c. 3. diſcipulos Chriſti iviſſe in Civitatem non ut mendicarent, *ſed ut cibos emerent*. Et *Joannis* cap. 13. dicitur: Chriſtum juſſiſſe Judæ habenti loculos, *ut egenis aliquid daret*. Chriſtus ergò loculos poſſidebat, juſque propriè dictum in pecunias, quæ in his loculis aſſervabantur, habebat; alioquin eas injuſtè poſſediſſet, injuſtè expendiſſet, atque ex bonis alienis, & injuſtè poſſeſſis eleemoſynam erogaſſet, quod ſanè citrà hæreſim dici haud poteſt. Hinc meritò Summus Pontifex *Joannes* XXII. anno 1323. cùm *Michael Caſenas*, & *Okamus*, aliique Minoritæ pertinaciter contenderent Chriſtum, & Apoſtolos, nec in ſpeciali, nec in communi aliqua bona habuiſſe, ſed omni planè caruiſſe dominio, hanc minoritarum doctrinam ceu erroneam, & hæreticam confixit, ut videre eſt apud *Odoricum Raynaldum* in Annalibus Eccleſiæ ad annum 1323. cùm igitur Chriſtus poſt ſuſceptum baptiſma mendicitatis ſtatum profeſsus non fuerit, veroſimile non eſt Chriſtum per 30. fermè annos antequàm ad baptiſmum accederet, ſemper oſtiatim victum ſibi quotidianum paraſse, & citrà ullum operis mechanici exercitium mendicando vitam otioſam duxiſse. Rejectis itaque illis ſententiis, ipſe probabiliùs eſse arbitror: Chriſtum Dominum, uſque dum adoleſceret, & ad annum ætatis ſuæ trigeſimum perveniret, artem fabrilem exercuiſse. *Hinc habemus*, ait noſter Cajetanus, *unde ſatis fiat curioſis quærentibus quid fecerit Chriſtus ad trigeſimum uſque ætatis annum? vacabat enim fabrili exercitio*. Id non obſcurè colligi poſse videtur ex illis interrogationibus Judæorum invidiæ, & malevolentiæ plenis, quæ in ſcriptura referuntur: *an non hic eſt filius Fabri? an non hic eſt ille Faber? unde illi hæc ſcientia, qui literas non didicit?* ſcilicèt indignabantur Judæi, ægriſque oculis videbant per illas Chriſti manus ſigna & miracula patrari, quas anteà opera dumtaxat fabrilia ad quotidianum victum quæritandum, tractaſse norant. Huic ſententiæ patrocinantur benè multi Sancti Patres, qui docent Chriſtum fabrilem artem exercuiſse, quamvis apud illos incertum ſit, an Chriſtus fuerit faber lignarius, an ferrarius? quia τὸ *Faber* indifferenter ſignificat operarium, ſive in ligno, ſive in ferro, ſive in auro, aut in argento, aut in lapide. Venerabilis *Beda* poſt Sanctum Hilarium exiſtimat: Chriſtum fuiſse fabrum ferrarium, & alludit ad opera fabri ferrarii per aquam, ventum & ignem operantis, ſicut operatur Chriſtus ſalutem noſtram per aquam baptiſmi, & ignem Spiritus Sancti. Certiùs tamen videtur ex communi traditione Sanctorum

Patrum,

Patrum, Chriſtum fuiſse fabrum lignarium, ſic enim loquitur *S. Juſtinus* in dialogo cum Tryphone Judæo: *cùmque veniſſet Jeſus ad Jordanem ut tunc putabatur Joſephi materiarii Fabri filius, ipſe quoque obſcurus, ut Scripturæ prædixerant & pro Fabro habitus; ſolebat enim, dùm intèr homines ageret, aratra fabricare atque juga; ut per has figuras juſtitiam doceret, & reipsà fugam otii.* Idem docent *S. Chryſoſtomus* hom. 30. in cap. 13. Matth. *Sanctus Baſilius* in Aſceticis, Auctor operis imperfecti in Matth. *Sanctus Thomas* in Matth. *Lyranus*, & alii. Præterea, veroſimile eſt Chriſtum exercuiſſe eamdem artem fabrilem, quam exercebat S. Joſephus, teſtantur autem multi Sancti Patres, ut videre eſt apud *Bollandum* ad diem 19. menſis Martii, Joſephum fuiſſe fabrum lignarium, in eadem igitur arte lignaria laboranti Joſepho miniſtrabat Chriſtus. Denique, hanc ſententiam fuiſſe antiquitùs receptam patet ex illa hiſtoria, quam refert *Sozomenus* lib. 6. Hiſt. Eccleſ. cap. 23. videlicèt Antiochiæ vir quidam erat probus, & qui diù pueris informandis operam impenderat utilem, à quo *Libanius* Sophiſta, id ætatis Ethnicus, & Imperatoris Juliani apoſtatæ familiaris, cùm per Sarcaſmum poſtulaſſet, quid rerum tunc ageret fabri filius? ideſt, Chriſtus, è veſtigio reſpondit ille divinâ gratiâ impulſus, *Sandapilam tunc concinnare totius hujus mundi fabricatorem Juliano Imperatori foras deportando.* Cujus dicti veritatem non multò poſt comprobavit eventus; nàm *Julianus* Imperator in illa expeditione, quam contra Perſas tùm temporis moliebatur, ictus ſagittâ divinitùs in ipſum directâ, animam, multis, horrendiſque ſceleribus fœtidam, expuit.

QUÆRES PRIMÒ: Utrùm *Anna*, & *Caiphas* ſimul Pontificatum geſſerint anno quo Joannes ſuum cœpit obire miniſterium, ſeu quo pacto intelligi debeant hæc *S. Lucæ* verba cap. 3. *Anno decimo quinto Imperii Tiberii Cæſaris ..... ſub Principibus Sacerdotum Anna, & Caipha factum eſt verbum Domini, ſuper Joannem in deſerto?*

Reſpondeo tres eſſe, circa hunc Sancti Lucæ locum, Theologorum, atque Scripturæ Sacræ Interpretum ſententias. Prima eſt eorum, qui aſſerunt Annam, & Caipham eodem anno, quo Joannes ſuum orſus eſt miniſterium, Pontificali ſimul dignitate ornatos fuiſſe, eâque alternatim eſſe defunctos. Sed hæc ſententia, parùm probabilitatis habet, quià apud Judæos unus tantùm erat Summus Sacerdos, quo mortuo, vel amoto, alter in ejus locum ſufficiebatur, à qua quidem patriâ, & avitâ conſuetudine veroſimile non eſt Judęos unquam receſſiſſe, duoſque ſimul Summo Sacerdotio inaugurare voluiſſe. Altera ſententia eorum eſt, qui dicunt Caipham, anno, quo Joannes ſuum iniit miniſterium, fuiſſe Summum Sacerdotem, Annam verò fuiſſe ejus Vicarium. Sed hæc ſententia falſi con-

convincitur. Primò, quià *S. Lucas* Annam præponit Caiphæ, tùm cap.3. ſui Evangelii, ubi hæc habet: *ſub Principibus Sacerdotum Anna* *& Caipha*. Tum etiam cap. 4. Actuum Apoſtolorum: ***Et** Annas Princeps Sacerdotum, & Caiphas, & Joannes, & Alexander, & quotquot erant de genere Sacerdotali*. Porrò ſi Annas fuiſſet dumtaxat Vicarius Caiphæ, procul dubio S. Lucas, qui in recenſendis dignitatibus ordinem accuratè ſervat, nunquam Annam præpoſuiſſet Caiphæ, fuiſſet enim præpoſterus ille ordo. Secundò, Sanctus Lucas appellat Annam *Principem Sacerdotum*, quæ certè nuncupatio non indigitat Vicarium Sacerdotis, ſed potiùs deſignat eum, qui totius ordinis, & claſſis Sacerdotalis Princeps eſt, & caput. Denique, ut optimè ait doctiſſimus *Valeſius* in ſuis notis in lib.1.Hiſt.Eccl. Euſebii pag. 18. nunquàm Joſephus, qui in ſuis antiquitatum libris uniuerſos Judæorum Pontifices ſummâ diligentiâ percenſuit, perpetuos illos Vicarios Summorum Sacerdotum commemoravit, ſed uniùs dumtaxàt meminit lib. 17. cap. 8. qui appellabatur *Joſephus* Ellemi filius, & qui in ſpatium unius tantum diei creatus eſt Pontifex, ut vice Mathiæ Pontificis, qui nocturnam pollutionem paſſus fuerat; Sacra faceret. Ex quo apparet nullos tum temporis extitiſſe perpetuos Summi Sacerdotis Vicarios, nam ſi Mathias, qui erat Summus Sacerdos, Vicarium ejuſmodi habuiſſet, nihil opus fuiſſet ob nocturnam illam pollutionem ſubitò illi Vicarium conſtituere.

Miſſis itaque duabus illis prioribus ſententiis, tertia, quæ mihi magis probatur, eorum eſt, qui docent non eos ſolos dictos eſſe Principes Sacerdotum, qui Summo Sacerdotio apud Judæos fungebantur, ſed etiam illos qui olim Summo Sacerdotio defuncti, poſteà deſtituti erant, & exauctorati. *Joſephus* autem lib. 18. Antiq. cap.3. recenſet inter Summos Sacerdotes Judæorum *Ananum*, quem anno trigeſimo octavo, poſtquam *Antonius* in pugna Actiaca fuerat à Cæſare Auguſto ſuperatus, hoc eſt anno à condita Roma 760. Chriſti verò undecimo anno, & æræ vulgaris ſeptimo, *A. Licinio Nerva Sylano*, & *Q. Cæcilio Metello* Conſulibus, *Quirinius* poſt ſecundum populi cenſum, qui magnos in Judæa excitavit tumultus, remoto *Joazaro*, Summum Sacerdotem conſtituit. Et hic *Ananus* non alter videtur ab eo quem Sanctus Lucas appellat *Annam*, qui per quindecim, aut ſexdecim annos Pontificatum geſſit, ſectâ Saducæus, ſocerque Caiphæ. Quamvis ergo anno, quo Joannes ſuum auſpicatus eſt miniſterium, *Ananus*, ſeu *Anna* non eſſet amplius Summus Sacerdos, ſed ſolùm *Caiphas*, jure tamen optimo S. Lucas *Annam* appellat Principem Sacerdotum, tùm quia *Anna* titulum Summi Sacerdotis ſemper retinuit, tùm quia etiam apud Judæos in maximo honore habebatur, non ſolum quia ipſe diù Pontificatum geſſe-

geſſerat, ſed etiam quia, ut teſtatur Joſephus, quinque ejus filii videlicet *Eleazar*, *Jonathas*, *Theophilus*, *Matthias*, & *Ananus* eadem Pontificali dignitate fuerunt ornati.

QUÆRES SECUNDÒ: *Utrùm baptiſmus Joannis conferret gratiam ſanctificantem?*

Reſpondeo cum *S. Thoma*: hoc diſcrimen intercedere baptiſmum Joannis inter & baptiſmum Chriſti, quod baptiſmus Joannis, licèt eſſet à Deo quantum ad ritum, non tamen erat à Deo quantum ad effectum internum, quia nec caracterem, nec gratiam ſanctificantem producebat, ſicut producit in nova lege baptiſmus Chriſti; nec erat inſtitutus baptiſmus Joannis in remedium peccati, ſive originalis, ſive actualis, ſed ſolùm erat proluſorius, rudimentarius, ſeu præparatorius ad baptiſmum Chriſti, quatenùs inculcabat pœnitentiam, & homines erudiebat per doctrinam quæ ad fidem Chriſti baptizatos quaſi manu ducebat. *Joannes baptizavit baptiſmo pœnitentiæ populum dicens: in eum, qui venturus eſſet poſt ipſum, ut crederent, hoc eſt, in Jeſum*. Non quod Joannes, ut quibuſdam perperàm viſum eſt, hac inter baptizandum formâ uteretur, *baptizo vos in nomine Meſſiæ venturi*, ſed quod Joannes, prædicando baptiſmum pœnitentiæ, ſuos permoveret diſcipulos ut in Jeſum ceu verum Meſſiam crederent. Hinc, juxtà Ss. Patres potiſſimùm *Hieronymum*, & *Bedam*, confeſſio peccarorum, de qua *Matth.* cap. 3. & *Marci* cap. 1. fit mentio, in baptiſmate Joannis non fiebat ad remiſſionem peccarorum per baptiſmum Joannis conferendam, ſed per pœnitentiam convenientem exhibendam, & per baptiſmum Chriſti, ad quem pœnitentia illa præparabat, obtinendam. Ita docent *Tertullianus* libri de baptiſmo cap. 10. *S. Auguſtinus* ſerm. 37. & *S. Chryſologus* ſerm. 137. ubi hæc habet: *Per baptiſma Joannis purificabatur homo ad pœnitentiam, non promovebatur ad gratiam; at verò Chriſti baptiſma ſic regenerat, ſic immutat, ſic hominem reddit ex vetere novum, ut præterita neſciat, non recordetur antiqua, qui de terreno cœleſtis jam cœleſtia poſſidet & divina*. Idem ſtatuit Concilium Tridentinum ſeſſ. 7. can. 1. ubi anathemare ferit eum, qui dixerit *baptiſmum Joannis eamdem habuiſſe vim cum baptiſmo Chriſti*. Omnes denique Theologi, poſt Sanctos Patres, conſtanter docent baptiſmum Joannis, nec caracterem, nec gratiam ſanctificantem produxiſſe, ac ſubindè fuiſſe neceſſe ut illi qui Joannis baptiſmate erant abluti, denuò ſacro baptiſmatis Chriſti lavacro tingerentur, quò conſequerentur remiſſionem peccatorum. *Qui baptizati ſunt baptiſmate Joannis, oportebat ut baptizarentur baptiſmo Chriſti*, inquit *S. Auguſtinus* tract. 5. in Joannem, & *S. Thomas* 3. part. qu. 38. art. 6. improbat opinionem Magiſtri ſententiarum, qui lib. 2. Sent. diſt. 2. docet illos, qui ſpem non poſue-

 rant

rant in baptiſmo Joannis, & in patrem, filium, & Spiritum Sanctum credebant, non fuiſse deindè baptizatos baptiſmate Chriſti, ſed impoſitione tantùm manuum ſuper eos ab Apoſtolis factâ Spiritum Sanctum recepiſse. Quæ ſententia toti retro antiquitati, & Ss. Patrum doctrinæ adverſatur.

Quæres tertiò: *Cur parvuli recèns nati in Eccleſia baptizentur, cùm tamen Chriſtus Dominus anno dumtaxàt ineunte ætatis trigeſimo fuerit baptizatus?*

Reſpondeo cum *S. Thoma*: tres poſse afferri rationes cur Chriſtus anno ætatis ſuæ trigeſimo ad baptiſmum acceſserit; Primò, quia Chriſtus purgatione non indigebat, quippè qui peccati originalis omnino expers, nec ullum proindè ipſi ex baptiſmi dilatione periculum imminebat. At parvuli, ſi ex hac vita citrà baptiſmum præmaturà morte abripiantur, cum ſint peccato originali obſtricti, pœnam damni incurrunt, immò pœnam ſenſus, mitiſſimam tamen, ſubeunt, ut ſentiunt celeberrimi hujus temporis Theologi. Undè non mirum ſi pia mater Eccleſia hoc ſalutari & neceſsario remedio parvulis, ſtatim ac ex utero materno in lucem prodierunt, ſuppetias ferat, eoſque per baptiſmum regeneret in Chriſto ob imminens mortis periculum. Qua de cauſa etiam adulti, juxtà antiquam Eccleſiæ diſciplinam, irregularitatis pœnæ olim ſubjiciebantur, quandò, ut liberiùs ſuis inſervirent cupiditatibus, baptiſmum ſani ſuſcipere non curabant, & infirmi in lecto decumbentes baptizabantur, & ideò *Clinici* appellati, in quem tum temporis in Eccleſia gliſcentem abuſum Sancti Patres præſertim *Baſilius*, *Gregorius Niſſenus*, & *Gregorius Nazianzenus* calamum ſtrinxerunt. Secundò, Chriſtus anno dumtaxàt ætâtis ſuæ trigeſimo baptizari voluit, quia immediatè poſt baptiſmum docendi & prædicandi officio incumbere, multiſque miraculis, ac prodigiis doctrinam ſuam confirmare debebat; conveniens autem non erat ut Chriſtus in infantia, & adoleſcentia ſua doceret & miracula patraret, ſed ſolum in matura & perfecta ætate, ne videlicet homines prodigiorum, quæ Chriſtus in juvenili ætate edidiſset, novitate & magnitudine perculſi, dubitaſsent de veritate ipſius humanitatis. Denique, Chriſtus raro exemplo, ideſt, ſilentio ſuo triginta circiter annorum ante baptiſmum demonſtrare voluit, neminem ad publicas Eccleſiaſtici muneris functiones, ad Verbum Dei prædicandum, & ad regimen animarum præſumptione prælationis, vel captandorum pinguium Sacerdotiorum pruritu proſilire, & involare debere, ſed expedire potiùs, ut hi, qui prædicationis officio incumbere, vel ad regimen animarum admoveri exoptant, priùs diſcipuli pœnitentiæ fiant, quàm Doctores, & diuturnâ præparatione in latebris, in ſacro ſeceſsu Deo probati vitam abſconditam Chriſti imitentur, mode-

Digitized by Google

modeſtiam & paupertatem in habitu, parſimoniam & frugalitatem in victu ſervando, nec ſolùm tempus legitimum, & maturam ætatem expectent, ſed Dei voluntatem jugi Scripturæ Sacræ lectione, carnis maceratione, ferventibus orationibus, bonorum operum, & virtutum exercitio exquirant, ut à Deo vocati tanquàm *Aaron*, & à rerum terrenarum amore purgati, ſe ſe deinceps in aliorum ſalutem impendant, atque demandatâ ſibi in Eccleſia docendi, ac prædicandi provinciâ, eo, quo par eſt, zelo, & animarum fructu perfungantur; *Nemo* enim, inquit egregiè *Tertullianus* ad Martyres, *miles ad bellum cum deliciis venit, non de cubiculo ad aciem procedit, ſed de Popilionibus expeditis, & ſubſtrictis, ubi omnis durities, imbonitas, & inſuavitas conſiſtit.*

Quæres ultimò: *Utrùm omnes Apoſtoli baptizati fuerint baptiſmo Chriſti?*

Reſpondeo cum *S. Auguſtino* epiſt. 265. aliàs 108. ad *Seleucianam* probabiliùs eſse omnes Apoſtolos baptiſmo Chriſti fuiſse baptizatos tùm ut reciperent caracterem, quem baptiſmus Joannis imprimere non poterat, tùm ut aliis præirent exemplo, eſsentque forma gregis. Quapropter hæc verba *Joannis* cap. 4. *Quamquàm Jeſus non baptizaret, ſed diſcipuli ejus*, non ſunt tàm ſtrictè accipienda ut prorsùs neminem baptizaverit Chriſtus, ſed vel intelligi debent de Miniſtro ordinario, vel de publico baptiſmo, qualis erat ille Joannis Præcurſoris Domini; quod certè non impedit quo minus extra ordinem Apoſtolos, & Diſcipulos ſuis manibus baptizaverit Chriſtus Dominus. Scio circumferri librum ſub titulo *luminis*, qui clariſſimo nomine Sancti Evodii, in Sede Antiochena Sancti Petri ſucceſsoris immediati inſignitur, in quo traditur, quod *Chriſtus manibus ſuis Petrum tantùm baptizavit, Petrus verò Andræam, & filios Zebedæi, ii denique reliquos Apoſtolos. Septuaginta autem Diſcipulos Petrus, & Joannes, Theologus dictus baptizarunt.* In quam ſententiam ivit Eminentiſſimus Annalium parens Baronius. Sed neminem hic liber movere debet, quia optimo jure à peritis hujus temporis criticis S. Evodio abjudicatur, quippè qui fabulis, & ineptiis ſcatet. Certè ipſemet Baronius ad annum Chriſti 71. hunc librum, qui ſub ementito S. Evodii nomine proſtat, nulli antiquorum innotuiſse fatetur.

DISSERTATIO DUODECIMA

De tentatione Chriſti in deſerto, & de illius vita poſt Baptiſmum.

CHristus Dominus poſt Baptiſma ſuſceptum, nullâ interpoſitâ morá, ducente, & impellente Spiritu Sancto, ſeceſſit in deſertum, in quo nihil niſi caudices, ſaxa, rupes, & feræ erant, ut poſt jejunium 40. dierum, & totidem noctium tentaretur à diabolo. Cujus tentationis cauſas, locum, & ordinem hîc breviter, juxtà doctrinam *Angelici Praeceptoris* 3. p. q.41. expendam, deindè, quodnam vitæ genus poſt Baptiſmum Chriſtus fuerit amplexus, exponam.

DICO ITAQUE PRIMÒ: *Chriſtum convenienter fuiſſe à diabolo tentatum in deſerto poſt jejunium quadraginta dierum, & totidem noctium.*

Probatur prima pars, recenſendo cauſas, propter quas Chriſtus tentari voluit. Primo Chriſtus tentari voluit, ut hoc indicio conſtaret Chriſtum eſſe verum hominem, nobis per omnia ſimilem, excepto peccato. Secundò, ut nobis contra ingruentes tentationes præſentiſſimum ſuppeditaret auxilium, undè *S. Gregorius Magnus* ait: *Non eſt indignum Redemptori noſtro, quod tentari voluit, qui venerat occidi. Juſtum quippè erat, ut ſic tentationes noſtras ſuis tentationibus vinceret, ſicut mortem noſtram venerat ſua morte ſuperare.* Ex quibus *Sancti Gregorii* verbis patet, hanc tentationem nec Chriſto indignam, nec ejus ſanctitati, ac majeſtati fuiſſe indecoram. Chriſtus enim voluntarie ei ſe ſubdidit, non ad conſenſum, ſed ad luctam & victoriam, perindè ac fami, ſiti, defatigationi, & morti obnoxius eſſe voluit, ut diabolum ſuperaret, & deſtrueret regnum & opera ejus. Nec honor ex illo congreſſu diabolo acceſſit, ſed perpetua potiùs confuſio & ignominia, ob inſignem Domini victoriam. Ineptè ergo ex tentatione Chriſti ſuam hæreſim tueri conabantur ſive Ebionitæ, eorumque ſectatores *Paulus Samoſatenus*, atque *Photinus*, qui nihil in Chriſto præter hominem eſſe aſſerebant, ſive Arriani, qui divinam in ipſo naturam nolebant confiteri, cùm potiùs ex triumpho, quem Chriſtus in hac tentatione reportavit, ex miniſterio Angelorum, ex libera voluntate, quâ ſe diabolo tentandum permiſit, fateri debuiſſent in Chriſto aliquid præter hominem, & ſuper hominem fuiſſe, & hoc ipſum eſſe Deum. Tertiò, tentatus eſt Chriſtus propter noſtram cautionem, ut nullus, quantâcumque ſanctitate emineat, ſecurum ſe

putet

Digitized by Google

putet ac immunem à tentatione. Et eâ de cauſa Chriſtus confeſtim poſt baptiſmum tentari voluit, quia, ſicut *S. Hilarius* dicit cap. 3. in Matthæum: *In ſanctificatis nobis maximè diaboli tentamenta graſſantur, quia victoria magis eſt ei exoptata de Sanctis*. Quartò, tentatus eſt Chriſtus, ut nos ſuo inſtrueret exemplo, qualiter diaboli tentationes vincamus. Hinc *S. Auguſtinus* lib. 4. de Trinit. cap. 13. ait: Chriſtum diabolo tentandum ſe præbuiſſe, *ut ad ſuperandas tentationes ejus mediator eſſet non ſolùm per adjutorium, verùm etiam per exemplum*. Denique Chriſtus tentari voluit, ut nobis fiduciam de ſua miſericordia largiretur, legimus quippè cap. 4. epiſt. ad Hebræos: *Non habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris: tentatum autem per omnia pro ſimilitudine abſque peccato*. Alias cauſas, ſed morales, tentationis Chriſti adducit *Sanctus Chryſoſtomus* homil. 13. in cap. 4. Matth. ubi hæc habet: *Certamen vult Chriſtus ſuſcipere contra diabolum, in eum finem, ut qui baptiſmo regeneratur, ſi poſt baptiſmum ſuſceptum majores ſufferat tentationes, nequaquam attonitus perturbetur, ac ſi præter expectationem acciderent; ſed duratus obſiſtat, & omnia viriliter ſuſtineat, eo quod ita conſequenter ſolet fieri. In eum finem accepiſti arma, non ut otieris, ſed ut pugnes. Quocircà ingruentes non repellit tentationes Deus, idque in eum finem, ut in primis intelligas multo te factum quàm fueras fortiorem. Tum ut moderationem exerceas, neque efferaris magnitudine donorum: nam coarctant, & in gyrum tentationes redigunt. Tertiò, ut malus ille dæmon, qui hæſit in ambiguo an defeceris ab ipſius imperio, tentationum exploratione edoctus, ſciat quod illum penitùs dereliqueris. Quartò, in eum finem, ut valentior reddaris, & ferro quocumque magis obduratus. Quintò, ut plena fide tibi conſtet, quàm ingentes tibi theſauri concredantur*. Hactenus Sanctus Chryſoſtomus.

Alteram quod ſpectat aſſertionis partem, de loco, ſeu deſerto, in quo Chriſtus Dominus fuit à diabolo tentatus, probat *S. Thomas* art. 2. quæſtionis citatæ deſertum tanquam locum & palæſtram certaminis convenienter à Chriſto Domino fuiſſe delectum. Nec enim diabolus Chriſtum aggredi auſus fuiſſet, niſi ſponte ſe ſe tentandum exhibuiſſet, ſicut ſponte membris ejus ſe ſe exhibuit occidendum. Eo fine Chriſtus ſeceſſit in deſertum, quia ſolenne eſt diabolo magis tentare hominem ſolitarium, ſic Evam tentavit à principio, eam ſine viro inveniens, ſic Cainum, & Joſephi fratres in ſolitudine ſtravit. Unde Eccleſ. cap. 4. dicitur: *Væ ſoli, quia cùm ceciderit non habet ſublevantem ſe*. *Sanctus Ambroſius* lib. 4. in Lucam docet: Chriſtum triplici de cauſa, hoc eſt, conſilio, myſterio, & exemplo deſertum adiiſſe; conſilio quidem, ut diabolum ad certamen provocaret; myſterio, ut Adamum de exilio liberaret; exemplo, ut oſtenderet nobis diabolum

ad

ad meliora tendentibus invidere ; & tunc magis eſſe cavendum , ne myſterii gratiam deſerat mentis infirmitas.

Richardus Montacutius part. 2. originum Eccleſ. exiſtimat illud deſertum, in quo à diabolo tentatus fuit Chriſtus Dominus,eſſe idem deſertum , in quo Iſraelitæ per quadraginta annos peregrinati ſunt tentantes Deum, & murmurantes contra ipſius diſpenſationem ſanctam; *Maldonatus* putat idem fuiſſe deſertum , in quo Joannes enutritus legitur. Denique,nonnulli Hiſtorici ſecuti *Adrichomium*, *Brocardum*, *Arandam*, & alios Terræ Sanctæ exploratores, dicunt deſertum, in quo Chriſtus tentatus eſt, dictum eſſe *Quarantanam* ab hac Chriſti quadraginta dierum manſione, quod quidem deſertum inter Jericho & Jeruſalem interjacet. Sed, ut ingenuè fatear , hæ meræ ſunt conjecturæ , à quibus viri graves abſtinere debent. Nemini quippè licet curioſiùs ſcrutari, quæ Scriptura Sacra ſilentio tecta eſſe voluit ; niſi hac fibulâ coerceatur curioſitas humana, ſemper habebit inquirendi, & ariolandi locum.

Tertia denique aſſertionis pars,videlicet quod fuerit conveniens ut Chriſtus præmitteret , ante tentationem , jejunium quadraginta dierum, & totidem noctium , probatur primò : quia Chriſtus nobis exemplo præire voluit, nam cùm omnium interſit contra tentationes ſe tueri, per hoc, quod ante tentationem futuram jejunavit Chriſtus, docuit , quod per jejunium contra tentationes nos armari oportet; & ideò Apoſtolus 2. ad Corint. cap. 6. jejunium inter *arma juſtitiæ* commemorat. Secundò, ut oſtenderet , quod poſt ſuſceptum baptiſma non delitiis ac temulentiæ, non menſæ Epulis onuſtæ , ſed jejunio animum debemus intendere. *Propterea* , inquit *Sanctus Chryſoſtomus* homiliâ 13. in Matth. *Dominus jejunavit , non quod indigeret , ſed ut nos doceret quibus peccata ante baptisma dominatio ventris intulerat. Ut enim aliquis ægrotum, quem ad ſanitatem reduxit , jubet illa non facere, ex quibus ille morbus contigerat : ita etiam poſt baptiſma jejunium contra edacitatis vitium induxit. Nam & Adam de Paradiſo intemperantia ventris ejecit , & diluvium commeruit , & fulmina in ſodomitas ipſa traxit.*

Tertiò, ſicut Moyſes in deſerto quadraginta diebus , & totidem noctibus abſque cibo tranſactis,promulgandam Hebræis legem à Deo accepit, ita Chriſtus parem inediam ſuſtinens, ſolo uſus Numinis colloquio, precibus ac jejuniis vacans, & præſentiâ Spiritus Sancti conſecratus, ſolitudine egreſſus cœleſtem mundo intulit legem , eâque imbuit homines. Quartò, Chriſtus poſt jejunium tentari voluit , quia ſecuta eſuries diabolum famis ſpecie lactatum ad eum aggrediendum audaciorem reddidit, unde fames Domini pia fraus fuit , quâ diabolum ad certandum attraxit , nec repulit accedentem , inquit ibidem *San-*

Digitized by Google

Sanctus Chryſoſtomus, ſed cum eum ſuſcepiſſet ad luctam, & ſemel & iterùm, & tertiò cum facilitate, quæ eum decebat, eliſit, ac proſtravit. Ultimam rationem addit *S. Thomas* cur Chriſtus ſtatim poſt ſuſceptum baptiſma jejunaverit, vitæque auſteritatem aſſumpſerit? quia, ait Sanctus ille Doctor, nullus debet aſſumere prædicationis officium, niſi priùs fuerit purgatus & in virtute perfectus, quemadmodum dicitur de Chriſto *Actuum* cap. 1. *Capit Jeſus facere, & docere.* Et ideò Chriſtus confeſtim poſt baptiſmum jejunavit, & auſteritatem vitæ aſſumpſit, ut doceret nos poſt carnem edomitam oportere prædicationis officio incumbere, juxtà illud Apoſtoli: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne fortè cùm aliis prædicavero, ipſe reprobus efficiar*. Cæterùm, quâ ratione Chriſtus quadraginta dierum, & totidem noctium potuerit ferre jejunium, quâve ratione ipſius corpus per hoc diuturnum temporis intervallum fuerit nutritum? an per intenſionem virtutis nutritivæ prioris cibi? an per ſuſpenſionem actionis caloris naturalis? an per corroborationem humidi radicalis? an per retentionem appetitus? Has & ſimiles umbratiles quæſtiones, de quibus ſilet Scriptura ſacra, otioſis hominibus, qui vento paſcuntur, ventilandas ac diſcutiendas permitto.

DICO SECUNDÒ: *Chriſtum trina tentatione convenienti ordine fuiſſe à diabolo tentatum.*

Probatur ratione *S. Thomæ* art. 4. ſupra laudatæ quæſtionis. Diabolus hominem ſpiritualem non ſtatim tentat de gravibus peccatis, ſed pedetentim incipit à levioribus, ut poſt modum ad graviora perducat. Sic ſe geſſit diabolus in tentatione Adami, primò namque ligni vetiti eſum ipſi ſuaſit his verbis: *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno Paradiſi?* Secundò, ad inanem gloriam eum perduxit, dicens: *Aperientur oculi veſtri*. Tertiò, ad extremam ſuperbiam tentationem perduxit, dum dixit: *Eritis ſicut Dii ſcientes bonum & malum*. Eumdem etiam tentandi ordinem erga Chriſtum, qui Adami culpam luiturus venerat, ſervavit diabolus: *Cibo Adam pellexerat, & de Paradiſi gloria in peccati locum, ideſt, in regimen vetitæ arboris deduxerat. Tertiò, Divini Numinis ambitione corruperat, Diis futurum ſimilem pollicendo. Igitur adverſus Dominum tota jam ſæculi poteſtate pugnatur, & Creatori ſuo poſſeſſio ejus univerſitatis affertur: ut tenens ordinem fraudis antiquæ, quem nec cibo pellexerat, nec loco moverat, nunc vel ambitione corrumperet*. Ait *Sanctus Hilarius* cap. 3. in Matth. Primò itaque diabolus tentavit Chriſtum, de eo quod appetunt quantumcumque ſpirituales viri, ſcilicet de ſuſtentatione corporalis naturæ per cibum. *Si Filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant*, quibus vires tuas refocillare, & famem cruciantem ſedare poſſis. Gravis procul dubio erat tentatio illa, quâ Chriſto dæmon ſuggerebat, ut de

Dei

Dei providentia,& amore diffiſus, miraculum,ipſo hortatore,ederet, converſiſque citra neceſſitatem in panes lapidibus, majori, quàm par erat, quantitate, aut voluptate (ſi fieri poſſet) famelicus ſumeret, ſicque concupiſcentia carnis, & peccato gulæ irretiretur. Quamvis enim, ut optimè obſervat *Sanctus Thomas*, uti neceſſariis ad ſuſtentationem vitæ non ſit peccatum gulæ, quando tamen ex deſiderio hujus ſuſtentationis homo aliquid inordinatum facit, ad vitium gulæ pertinere poteſt: eſt autem inordinatum, quod aliquis, ubi ſuppetere poſſunt humana ſubſidia, pro ſolo corpore ſuſtentando cibum miraculosè quærere velit. Cùm igitur Chriſtus ad ſubveniendum fami aliter quàm miracula faciendo ſibi providere potuiſſet, ideò putabat diabolus peccaturum Chriſtum ſi ad ſedandam famem miracula patrare præſumpſiſſet. Sed Chriſtus hanc pravam tentatoris ſuggeſtionem è veſtigio repulit dicens: *Scriptum eſt: non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*. Poterat quidem Chriſtus, ſi voluiſſet, facili negotio de lapidibus panes facere, ſicut poſtea aquam in vinum convertit in nuptiis, ſed non fecit, ut voluntatem, arteſque Sathanæ contemneret, & quia, ut inquit Sanctus Hieronymus: *Propoſitum erat ei, humilitate diabolum vincere, non potentia*.

Quæret hîc fortaſſe aliquis, cur diabolus tentaverit Chriſtum, quem Deum eſſe non ignorabat? ſed huic quæſito cum S. Thoma, Reſpondeo: Diabolum non pro certo cognoviſſe Chriſtum eſſe Deum propter ſigna infirmitatis humanæ quæ in ipſo videbat, unde Chriſtum aggreſſurus dixit: *Si Filius Deus es*: quæ verba exponens *Ambroſius* lib.4. in Lucam ait: *quid ſibi vult talis ſermonis exorſus, niſi quia cognoverat*; Diabolus, *Dei filium eſſe venturum, ſed veniſſe per hanc infirmitatem corporis non putabat*. Diabolus ergò explorare volens, an reverà Chriſtus eſset filius Dei, eum tentare auſus fuit.

Poſt primæ illius tentationis inſultum,proceſſit ſecundò Diabolus ad id in quo ſpirituales viri quandòque deficiunt, ut ſcilicet illecebroſæ gloriolæ guſtu ineſcati aliqua ad oſtentationem operenrur. Tranſtulit enim Chriſtum Diabolus in Sanctam Civitatem, ſeu Hieroſolymam, & ſtatuit eum ſuper pinnaculum templi, & dixit ei: *Si filius Dei es, mitte te deorsùm: ſcriptum eſt enim: quia Angelis ſuis mandavit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum*. Sed hoc à ſpiritu mendacii vibratum jactantiæ telum confeſtim propulſavit Chriſtus dicens: *Rursùs ſcriptum eſt: non tentabis Dominum Deum tuum*. Si quis autem quærat cur Diabolus, ut Chriſtum ad inanem gloriam provocaret, hæc verba uſurparit: *Si filius Dei es, mitte te deorsùm*, cùm potius mittere ſe deorsùm ſignum ſit humilitatis? ad hanc quæſtionem reſpondebo cum *S. Auguſtino* lib.2.

lib. 2. de ſerm. Domini in monte cap. 19. *Non in ſolo nitore atque pompa, ſed etiam in ipſis ſordibus luctuoſis eſſe poſſe jactantiam*. Et ad illud ſignificandum Chriſto Diabolum ſuaſiſſe, ut mitteret ſe deorſùm. Nam hoc ipſo pernicioſior eſt ambitio, quod, teſte *S. Ambroſio* lib. 4. in Lucam, *Blanda quædam eſt conciliatricula dignitatum, & ſæpè quos vitia nulla delectant, quos nulla potuit movere luxuria, nulla avaritia ſubvertere, facit ambitio criminoſos. Habet enim forenſem gratiam domeſticum ſcelus: & ut dominetur aliis, prius ſervit. Curvatur obſequio, ut honore donetur, & dum vult eſſe ſublimior, ſimulata humilitate fit vilior, legibus enim imperat, ſibi ſervit*. Dici etiam poteſt, Diabolum hiſce verbis, *mitte te deorſum*, voluiſſe Chriſto Domino perſuadere, ut è templi culmine, ſivè è loco eminentiori turris veſtibulo templi inædificatæ ſe ſe præcipitem daret, quod ſi feciſſet Chriſtus, inter templum & altare Sacerdotum delapſus fuiſſet, magnamque ſibi ob tam inſigne miraculum, coram ingenti populo, qui ad ſacra in templum Domini confluebat, perpetratum, gloriam comparaſſet; & hic erat ſcopus, in quem Diabolus tentando Chriſtum collimabat.

Poſt fractam ſecundæ illius tentationis machinationem, Diabolus proceſſit tandem ad id quod non eſt ſpiritualium virorum, ſed duntaxàt carnalium, ut videlicèt divitias & gloriam mundi concupiſcant uſque ad contemptum Dei. Aſſumpſit quippè Diabolus iterum Chriſtum Dominum, ut ait *Matth.* cap. 4. *In montem excelſum valdè, & oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me*. Quæ verba arrogantiæ plena ubi primùm audiiſſet Chriſtus, ſibi ampliùs temperare haud potuit, ſed gloriã Dei nihil antiquiùs habens, ſuperbum illum tentatorem Dei gloriam ac cultum ſibi præpoſterè vindicantem procul à ſe faceſſere juſſit dicens: *Vade Satana, ſcriptum eſt enim: Dominum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies*. Quo in reſponſo obiter Lector obſervet cum *S. Thoma*, quod Chriſtus Dominus ad duas priores tentationes, in quibus Diabolus nihil adverſùs Deum dicebat, pacifico, tranquilloque animo reſpondit per Scripturam Sacram, cujus lectio ad vincendas tentationes maximè juvat; at cum ſuperbus ille tentator, effractis debitæ Deo reverentiæ clauſtris, eò prorupit audaciæ ut gloriam Dei ſibi aſciſceret & adorari vellet, actutùm Chriſtus cum zelo, & indignatione eum procul à ſe ablegavit, *ut Chriſti diſcamus exemplo*, inquit Angelicus præceptor, *noſtras quidem injurias æquanimitèr ſuſtinere, Dei autem injurias, nec uſque ad auditum ferre*. Audito nomine Dei victus, fugatuſque receſſit Diabolus, *uſque ad tempus*, ſicut notat *S. Lucas*, quià poſteà non tentaturus, ſed palàm pugnaturus acceſſit, tempore ſcilicet paſſionis

Hh Chri-

Chriſti, quandò videlicèt Judæos inſtigavit, & armavit ad Chriſtum occidendum, vel etiam poſt ipſius paſſionem, dùm tot turbines, & procellas contra naſcentem Chriſti Eccleſiam excitavit.

Circà hanc ultimam Chriſti tentationem duo hîc occurrunt diſcutienda dubia. Primum eſt, quo pacto Diabolus Chriſtum in montem excelſum valdè tranſtulerit? viſibilitèr, an inviſibilitèr? terreſtri itinere, an per aera? alterum dubium eſt, quomodò Diabolus in monte illo excelſo oſtenderit Chriſto omnia regna mundi? cùm nullus ſit mons adeò altus, in quo regnorum omnium latitudo proſpici poſſit, ſive ob tumorem terræ, ſive ob oculorum imbecillitatem, quorum acies eò uſque ſe ſe porrigere minimè poteſt.

Utrique dubio brevitèr facio ſatis, & ad primum dico: Chriſtum Dominum, ut omnes Satanæ impetus experiretur, non invitum, non reluctantem, ſed volentem, & ſemetipſum exinanientem arreptum fuiſse à Dæmone tàm in Sanctam Civitatem, quàm in montem excelſum, re verà, actu, & locali motu. De modo autem, viſibilitèr, an inviſibilitèr, an terreſtri itinere ductus, aut per aera à Diabolo fuerit Chriſtus deportatus? ſilet omninò Scriptura Sacra. Et quidem ipſe probabiliùs exiſtimaverim, tranſlationem illam localem fuiſse, ſed inviſibilem, nemine conſcio, ſive pedibus ſive per aera tranſlatus eò venerit Chriſtus. *Diabolus quantùm ad ſe ſic Chriſtum aſſumebat in pinnaculum templi, ut ab omnibus videretur; ipſe autem, neſciente Diabolo, ſic agebat ut à nemine videretur*, inquit *S. Chryſoſtomus* citatus à *S. Thoma*. Neque etiam illis aſſentiri poſſum, qui fingunt Chriſtum inſediſſe Diabolo, tanquàm equo, cùm longè veroſimilius ſit Chriſtum à Diabolo fuiſſe translatum, vel eo modo quo Propheta *Abacuc* de Judæa tranſlatus eſt in Chaldæam, & *Philippus Diaconus*, poſtquam eunuchum Candacis Reginæ baptizarat, delatus eſt in Azotum, vel tandem, ſicut putat noſter *Cajetanus*, eo modo quo ipſemet Chriſtus, teſte Scriptura Sacra, *aſſumpſit Petrum, Joannem, & Jacobum in montem Thabor*.

Ad alterum Dubium dico: Diabolum in monte excelſo oſtendiſſe Chriſto omnia regna mundi, totum ſumendo pro majori parte, quatenùs videlicet partem illorum oſtendit, & id quod maximè eximium in illis eſt, vel quatenùs partibus Orbis Chriſto commonſtratis edìſſeruit tentator callidus, quæ ſingularum gloria eſſet, qui ſplendor, quæ opulentia. *Nec enim*, inquit *S. Thomas* 3. part. quæſt. 41. art. 4. ad 7. *eſt intelligendum quod Chriſtus videret ipſa regna, vel Civitates eorum, vel populos, vel aurum, vel argentum; ſed partes terræ, in quibus unum quodque Regnum, vel Civitas poſita eſt, Diabolus Chriſto demonſtrabat, & uniuscujuſque Regni honores, & ſtatum verbis exponebat*. Sic Moyſi oſtenſa legitur tota terra Iſraelis ex monte, *Deute-*

ron.

Digitized by Google

ron. cap. 34. Ex quo tamen non patuit illi proſpectus in ſingulas, ſed in aliquas dumtaxàt illius terræ partes; ſic etiam tota Judæa, & tota regio circumjacens Jordani ad Joannem egreſſa dicitur, quamvis pars ad illum tantum modò confluxerit.

Hactenùs expoſuimus trinam Chriſti tentationem juxtà ordinem, quo eam *S. Matthæus* cap. 4. refert, nam totam Chriſti Domini tentationem compendiò dumtaxàt attigit *S. Marcus*, hanc verò generatim primò tractavit, dein ſigillatim deſcripſit *S. Lucas*, & duas poſtremas tentationes retulit ordine inverſo, quod tamen Evangelicæ veritati non officit. Nihil quippè refert, ut inquit *Sanctus Auguſtinus* lib. 2. de conſenſu Evangeliſtarum cap. 16. *Quo narrentur ordine, cùm omnia facta eſſe manifeſtum ſit*. Præter quam quod etiam dici poteſt Deum hanc Evangeliſtarum, in trina Chriſti tentatione referenda, diverſitatem permiſiſſe, ut oſtenderet Sacros Evangeliſtas non ex compacto collatis capitibus ſcripſiſſe, vel alios narrationes aliorum excripſiſſe. Cæterùm advertat Lector, trinam tentationem, quâ Chriſtum Diabolus adortus eſt, fuiſſe verè realem, & non imaginariam. Nam primò, ſi hæc trina Chriſti tentatio non fuiſſet realis, ſed tantùm imaginaria, ſequeretur victoriam, quam Chriſtus de tentatore reportavit, fuiſſe itidèm imaginariam, quod citrà ſummam abſurditatem dici non poteſt. Secundò, ſi trina illa tentatio fuiſſet purè imaginaria, Chriſtus non fuiſſet propriè tentatus; ille quippè tentari propriè dicitur, qui ſui juris eſt, & judicio ſicut & libertate voluntatis uti poteſt, at in viſione, ſicut & in omni re quæ in mera imaginatione conſiſtit, nec judicii, nec voluntatis locus eſſe poteſt. Tertiò, ſicut externis, & realibus tentationibus ſæpiſſimè à Diabolo urgemur, ita Chriſtus, etſi innocens, & impeccabilis, externis & realibus tentationibus obnoxium ſe præbere voluit ad conſolationem & exemplum fidelium. Denique, Scriptura Sacra iter Chriſti in deſertum, illius jejunium, trinamque tentationem, eodem orationis filo recitat tanquàm aliquid externum, & reale, negari igitur non poteſt trinam Chriſti tentationem realem, atque externam fuiſſe.

Supereſt nunc ut de Chriſti poſt ſuſceptum baptiſma converſatione, ſeu de eo vitæ genere, quod Chriſtus per triennium docendo, & prædicando ſectatus eſt, paululùm diſſeramus.

DICO ITAQUE ULTIMÒ: *Chriſtum poſt ſuſceptum baptiſma converſatum eſſe cum hominibus, vitam non auſteram, ſed communem, pauperem tamen ducendo, & omnia veteris legis præcepta adamuſſim obſervando.*

Hanc aſſertionem, quantùm ad omnes ſui partes, latè probat *Sanctus Thomas* 3.p. q.40. art.1. 2. 3. & 4. cujus doctrinam, ut brevi-

Hh 2 tati

tati conſulam, ſummatim delibabo. In primis oſtendit Angelicus Doctor conveniens fuiſſe, ut Chriſtus poſt ſuſceptum Baptiſma converſaretur cum hominibus. Primò, quia Chriſtus venit in mundum, ut ſalubribus præceptis homines informaret ad innocentiam, eisque per inextricabiles tenebras oberrantibus, operibus, factiſque præſentibus, juſtitiæ, & immortalitatis conſequendæ viam panderet, & peccatores ſalvos faceret, ſicut legitur *Joannis* cap. 18. *Lucæ* cap. 4. primæ ad *Timoth.* cap. 1. & alibi paſſim. Secundò, Chriſtus non poterat convenientiori modo promovere ſalutem hominum, quàm prædicando, ac juſtè, & innocenter inter homines converſando, ſic enim Divinitatem ſuam doctrinâ, & miraculis manifeſtavit, Judæis adventum ſuum Prophetarum oraculis Sole clariùs comprobavit, Publicanos mirâ comitate, & ſuavitate morum ad meliorem frugem convertit, & ſupercilium damnans Phariſæorum, qui ſanctitatis obtentu peccatorum conſortia vitabant, ignaros Euangelicâ luce illuſtravit, ſuperſtitioſos ad veram pietatem, impios ad reſipiſcentiam, & fidem adduxit, omnibusque fiduciam fecit ad ipſum accedendi. Denique, Chriſtus poſt Baptiſmum cum hominibus converſari voluit, ut Euangelii prædicatores, & conſcientiarum moderatores exemplo ſuo doceret, quo pacto ergà peccatores ſeſe gerere debeant, & quærere oves quæ perierunt, errantes in ovile revocare, magis ęgras, & tantùm non deſperatas majori ſollicitudine, vigilantiâ, ac charitate curare, ne ſimiles ſint Paſtoribus Iſrael, quibus Deus Ezechielis cap. 34. minas intentat his verbis: *Væ vobis Paſtoribus Iſrael, quod infirmum fuit non conſolidaſtis; & quod ægrotum non ſanaſtis; quod confractum eſt non alligaſtis; & quod abjectum eſt non reduxiſtis; & quod perierat non quæſiſtis*: ſed potiùs imitentur exemplum boni Paſtoris, qui deperditam ovem ſedulò quærit; vel Medici, qui ad ægrotum accedit. His de cauſis Chriſtus Dominus, poſt ſuſceptum Baptiſma, per triennium docendo, prædicando, cum hominibus converſari voluit; & hoc prædixerant Prophetæ *Baruc* cap. 3. *Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt*; & *Daniel* cap. 9. *Confirmabit autem pactum multis hebdomada una*.

Verùm quia ſæpè ſæpiùs uſu venire ſolet, ut in ſocietate, & colloquiis hominum inanis obrepat gloriæ cupido, intepeſcat orandi fervor, & exoleſcat quidquid ſuavitatis antehàc percipiebatur ex rebus ad conjunctionem cum Deo, & ad proprium, atque aliorum profectum ſpiritualem ſpectantibus; ideò Chriſtus Dominus ſeſe interdùm à turba hominum ſubtraxit, & in ſolitudinem ſeceſſit, ut ejus exemplo diſcerent divini verbi Præcones non frequenter prodire in publicum, ubi animus ab interiori virtutis ſolidæ ſtudio ad externarum occupationum illecebras ſenſim ſine ſenſu defluere ſolet, ſed potiùs

Digitized by Google

tiùs turbam hominum relinquere, atque in ſolitudinem ſeſe colligere aſſueſcerent; idque triplici de cauſa, primò, propter moderatam quietem; ſecundò, propter orationem, denique propter ſalutem animæ, ne videlicèt appetitus laudis, ac profanæ ſæculi affectiones blandè irrepant in animam, & internum hominis ſtatum rerum terrenarum tumultu perturbent, ſpiritumque opprimant. Elegit autem Chriſtus converſando cum hominibus vitam activam, & quamvis vita contemplativa, ſicut docet *Sanctus Thomas* 2.2. qu.182. artic.4. & q.188. art.6. Simpliciter ſit perfectior vita activa, quæ occupatur circa corporales actus, vita tamen activa, ſecundùm quam aliquis prædicando, & docendo contemplata aliis tradit, perfectior eſt vita, quæ tantùm eſt contemplativa, quia talis vita præſupponit abundantiam contemplationis. *Et ideò*, inquit Angelicus Doctor 3.p. q.40. art.1. ad 2. *Chriſtus talem vitam elegit.* Suus tamen honor vitæ contemplativæ, & purè ſolitariæ aſſerendus eſt. *Solitudo quippè*, ut ait *S.Baſilius* in lib. de laud. Eremi, *cæleſtis doctrinæ ſchola eſt, mundi perſequentis fœlix effugium, laborantium requies, mærentium conſolatio, ab æſtu ſæculi refrigerium, peccandi repudium, ſecluſio corporum, libertas animarum, &c.* Hæc, & alia id genus vitæ contemplativæ, & purè ſolitariæ encomia legi poſſunt apud Sanctos Patres, & præſertim *S. Hieronymum* in epiſt.1. ad Heliodorum.

In vita activa, quam Chriſtus amplexus eſt poſt Baptiſmum, tria occurrunt obſervatione digna, quæ hic breviter expono. Primum eſt, quod Chriſtus Dominus à veteris, ſeu Moſaicæ legis præceptis ne latum quidem unguem unquam deſcivit, ſed ea jugiter obſervavit. Qua in re falſi convincuntur Judæi, qui blatterant Chriſtum ſpreviſſe, pervertiſſe, ac penitùs deſtruxiſſe legem; cùm potiùs Chriſtus de ſemetipſo teſtetur *Matth.* cap. 5. *Nolite putare quoniam veni ſolvere legem, & Prophetas; non veni ſolvere, ſed adimplere.* Immò ibidem diſertis verbis aſſerit Chriſtus futurum citiùs, ut fractus illabatur Orbis, quàm ut minimus legis apex irritus cadat, ſeu non impleatur, aut non obſervetur: *Amen quippè dico vobis, donec tranſeat Cælum, & terra, jota unum, aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.* Præterea, Chriſtus juxtà legem Moyſis circumciſus eſt, in Templo fuit oblatus, in diem feſtum Paſchæ ſingulis annis Hieroſolymam aſcendit, cæremonias, & figuras, quibus erat adumbratus, implevit, gratiam, per quam vetus lex impleri poſſet, nobis attulit, omnia denique veteris legis oracula, quibus Prophetæ Meſſiæ originem, locum, tempus nativitatis, officium, doctrinam, miracula, actiones, paſſiones, exinanitionem, & exaltationem prædixerunt, in ſe ſuſtinuit, & exequutus eſt. Quâ fronte ergo audent obſtinati Judæi Chriſtum tranſgreſſionis legis inſimulare, cujus potiùs

Digitized by Google

tiùs vita nihil aliud fuit, quàm legis obſervantiæ, perfectæ in Deum, & proximum charitatis, modeſtiæ, tolerantiæ, clementiæ, & manſuetudinis abſolutiſſimum exemplar, morum diſciplina, vitiorum cenſura, & perpetuus ſibique ſemper conſtans virtutum omnium concentus. Hinc Chriſtus ſuæ innocentiæ ſecurus ad acerbiſſimorum etiam hoſtium ſuorum teſtimonium ſuper hac re provocare haud quaquam reformidavit, dicens *Joannis* cap. 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato*.

Alterum, quod in vita, quam Chriſtus egit poſt Baptiſmum, Lector obſervare debet, eſt ea agendi ratio popularis, & communis, quâ Chriſtus converſatus eſt cum hominibus, ſicut colligitur ex Scriptura ſacra *Matth.* cap. 11. *Venit Joannes neque manducans, neque bibens, & dicunt: dæmonium habet. Venit Filius hominis manducans, & bibens, & dicunt: ecce homo vorax, & potator vini, Publicanorum, & peccatorum amicus*. Scilicet Joannes Baptiſta fuerat miſſus à Deo, ut auſtero vitæ genere, & pœnitentiæ prædicatione, velut lugubri carmine Judæos ad plangenda peccata, & mores in meliùs emendandos provocaret, ſed ſurdis cecinit Joannes, nec ejus auſteram, ac duram vitæ rationem ullo pacto ferre potuerunt Judæi. Venit ergo Chriſtus manducans, & bibens, ideſt, promiſcuo cibo, & potu, more cæterorum hominum, uſus, & cum ipſis populariter converſatus, omnibusque omnia factus, ut ſuâ morum facilitate illos ad veræ pœnitentiæ callem revocaret; ſed Judæi ſaxa in cordibus geſtantes ad lætiorem Chriſti cantum obſurduerunt, illius comitatem,ac popularem agendi rationem in calumniam, & contumeliam verterunt, ipſumque paſſim traduxerunt tanquàm hominem voracem, & vini potatorem, qui conviviis & vino indulgeret, Publicanorum, & peccatorum amicum, perditorum hominum, & ganeonum ſocium, ſicque per deplorandam cœcitatem Judæi nec auſterâ Joannis, nec populari Chriſti vivendi ratione ad pœnitentiam adduci potuerunt, omnemque diligentiam, quam ad eorum converſionem, & ſalutem procurandam adhibuit Deus, ſuo vitio, & contumacia inutilem planè reddiderunt.

Aliam rationem adducit *Sanctus Thomas* cur Chiſtus, qui in deſerto quadraginta diebus, & totidem noctibus jejunando vitam auſteram duxerat, deindè inter homines converſando communem vitam egerit. Inquit enim Angelicus ille Doctor, cùm utraque vita, auſtera ſcilicèt, & communis, licita, & laudabilis ſit, voluit Chriſtus Dominus hominibus utriusque vitæ præbere exemplum, *prioris* quidem, conſtitutus in deſerto, dum jejunavit licèt non indigens jejunio: *poſterioris* autem, poſtquàm è deſerto egreſſus cœleſtem doctrinam, quâ homines imbuere debebat, prædicare cœpit.

Ob-

Digitized by Google

Obſervat etiam *Sanctus Thomas* poſt *Sanctum Chryſoſtomum*, quadantenùs neceſſarium fuiſſe Joanni Baptiſtæ ut vitam auſteram duceret, non autem Chriſto, ut peccatores converteret, quia Chriſtus, inquit Sanctus ille Doctor, à miraculis, quibus in dies inclareſcebat, teſtimonium habebat; Joannes verò innocentis dumtaxàt vitæ, morumque integritate commendatus benè apud Judæos audiebat. Dimiſit ergo Chriſtus Joannem jejunio, & vitæ auſteritate fulgere, & contrariâ ipſe inceſſit viâ, ad menſam videlicèt intrans Publicanorum, manducans, & bibens cum peccatoribus. Undè obiter advertant Divini Verbi præcones, quibus non eſt conceſſa gratia miraculorum, quod, ſi animarum ſaluti cum fructu incumbere velint, auſterum Sancti Joannis Baptiſtæ vivendi modum pro viribus imitandum ſibi proponere debeant, à frequentibus mulierum colloquiis, ſpectaculis, conviviis, luſibus, aliiſque id genus vitæ humanæ delitiis, quibus homines emolliri ſolent, penitùs abſtinendo, nihil delicatum in victu, & veſtitu ſectando. Difficillimum quippè eſt, juxtà Sanctorum Patrum doctrinam, ut ille præcepta vitæ Chriſtianæ, quæ, teſte *Sancto Auguſtino*, crux eſt, atque martyrium, aliis perſuadere, & inſtillare poſſit, qui mundanis adhuc titillatur oblectamentis, curioſis nugis paſcitur, & auram popularem vanâ eloquentiâ, vel humanis conceptibus ingenioſis quidem in ſpeciem, ſed ſterilibus, & exſuccis ſibi inter concionandum conciliare conatur.

Ultimum denique, quod Lector in vita Chriſti poſt Baptiſmum obſervare debet, eſt illa voluntaria paupertas, cui ſeſe addixit Servator noſter, ita ut nec diverſorium, nec humile tuguriolum habuerit, ubi reclinaret caput ſuum, ſicut dicitur *Matthæi* cap. 8. Huic autem voluntariæ paupertati ſe ſubdidit Chriſtus Dominus, tùm ad inſtructionem noſtram, tùm ad ſuæ virtutis, ac divinitatis veritatem comprobandam. Enim verò congruebat primò, ut ſic exemplo ſuo Chriſtus edoceret prædicatores Euangelii, qui, antequàm ſibi alios inſtruendi demandatam Provinciam ſuſcipiant, bonis temporalibus Nuncium remittere debent, quò nimirùm omni cupiditate divitias poſſidendi ſemel expediti, toti à Deo unicè pendeant, toti Euangelii prædicationi inſiſtant, & exemplo contemptus rerum terrenarum omnes ad Chriſtum multò faciliùs trahant. Alioquin ſi Euangelii Prædicatores divitias poſſiderent, cupiditati eorum prædicatio adſcribi poſſet, *ſi Diſcipuli Chriſti*, inquit *Sanctus Hieronymus* in *Matthæum*, *divitias habuiſſent, viderentur non cauſa ſalutis hominum, ſed cauſa lucri prædicare*. Secundò, conſentaneum omninò erat ut Chriſtus divinitatem ſuam demonſtraret per voluntariam paupertatem, quàm elegit, nàm ſi Chriſtus divitiis,

&

& opibus fuiſſet inſtructus, non ejus divinitati, ſed potentiæ ſæculari, quâ fuiſſet donatus, totius Orbis innovationem tribuiſſent mortales; at dùm Chriſtus pauper, humilis, & abjectus, nullâ vi, & poteſtate armorum fretus, nec Oratorum eloquentiâ uſus, nec Principum, ſed pauperum Diſcipulorum miniſterium adhibens, totum Orbem ſibi virtute miraculorum ſubegit, idololatriam tot annorum diuturnitate roboratam extirpavit, omneſque nationes triumphantis Crucis jugo ſubdidit, nemo eſt, qui ſtatim non videat hæc omnia Divinæ Potentiæ eſſe miracula, quibus, ratio, & potentia humana cedere debent. Abeant ergo occæcati Judæi, & de fictitio illo Regno terreno, quod ſuo Meſſiæ tribuunt, inani expectatione, & vaniſſimâ quantùm voluerint exultatione bachentur, nos verò Prophetarum oraculis fulti, Regnum quidem Meſſiæ vindicamus non terrenum, & temporaneum, ſed ſpirituale, & æternum, ſicut ex his, quæ ſupra diximus, liquidò conſtat.

Antequàm huic diſſertationi finem imponam, neceſſum eſt, ut faciam ſatis objectioni ſæpiùs à recutitis, ſeu Judæis, decantatæ, quâ Chriſtum Dominum legis Moſaicæ tranſgreſſorem fuiſſe, plenis, ac crepitantibus buccis allatrare ſolent.

Arguunt itàque ſic Judæi: Ille homo non eſt à Deo, qui legem de Sabbati obſervatione violavit, atqui Chriſtus legem de Sabbati obſervatione impunè violavit, ergo Chriſtus non fuit homo miſſus à Deo, nec proindè verus Meſſias. Probant minorem ex cap. 12. *Matthæi*, ubi legitur Chriſtum per Sata ambulantem permiſiſſe diſcipulis ſuis, ut in die Sabbati ſpicas vellerent, confricarent, iiſque manu contritis veſcerentur, quod tamen in Sabbato fieri vetitum erat. Legitur etiam ibidem, Chriſtum ſanaſſe in Sabbato hominem manum aridam habentem, & denique *Joannis* cap. 5. dicitur: paralyticum in Sabbato fuiſſe à Chriſto ſanatum, Chriſtus ergo legem de obſervatione Sabbati violavit.

Reſpondeo: Illam objectionem, quam etiamnùm Judæi crambis inſtar recoctæ obtrudunt, jam à Chriſto Domino fuiſſe abundè ſolutam, *Matthæi* cap. 12. ubi ſuam, ſuorumque Diſcipulorum innocentiam circa Sabbati obſervationem ab impacta ſibi calumnia quadruplici ratione vindicavit. In primis oſtendit Chriſtus Dominus, Diſcipulos ſuos violati Sabbati reos cenſeri non debere eo quod ſpicas vulſiſſent, & fricuiſſent Sabbato, quia id, compellente neceſſitate, ſeu ad levandam urgentem famem, fecerunt. Undè ſicut David non fuit legis transgreſſor, quandò propter famis, quâ premebatur neceſſitatem, comedit panes ſanctos ab *Achimelech* Sacerdote acceptos, quos edere ei non licebat, ut legitur 1. *Reg.* cap. 21. ità Diſcipulis Chriſti vitio verti non debet, quod neceſ-

ſitate

ſitate ſtimulantis famis compulſi, ſpicas Sabbato confricuerunt, ut paucarum ſpicarum vulſione, & confricatione vitam ſuam incolumem ſervarent, famemque ſedarent; *Sabbatum* enim *propter hominem factum eſt, & non homo propter Sabbatum*, ut dicitur *Marci* cap. 2.

Deindè, ſicut Sacerdotes in veteri lege excuſabantur à crimine violandi Sabbatum, etiamſi in Templo opera exercerent, quæ Sabbatum in ſpeciem violare videbantur (opera enim, quæ exercebant, famula erant, ſcilicèt comportatio lignorum, mactatio, & excoriatio victimarum, ignis accenſio, circumciſio, & alia id genus) ità & à crimine violandi Sabbatum itidem excuſari debent Diſcipuli Chriſti, quippè qui vellendo, & manibus comprimendo ſpicas, ut ſuam ſedarent famem, injunctum ſibi prædicandi Regnum Dei miniſterium exhibuerunt Chriſto Domino, qui major, ſanctior, ac longè dignior erat ipſo Templo, utpotè Templi Dominus: *Dico autem vobis, quia Templo major eſt hic.*

Tertiò: à crimine violandi Sabbatum excuſantur Diſcipuli Chriſti, quia lex, quæ miſericordiam, & charitatem præcipit, præponi debet legi, quæ purè ritualis eſt, & cultui externa, dicit enim Deus per *Oſeam* Prophetam: *miſericordiam volo, non ſacrificium.* Porrò lex ſervandi Sabbatum ritualis dumtaxàt eſt, ſacrum autem ſalutis animarum, & prædicationis verbi Divini miniſterium pertinet ad legem, quæ charitatem, & miſericordiam præcipit; rectè itàque ſe geſſerunt Diſcipuli Chriſti, dùm, ſpicarum confricatione in Sabbato, famem, quâ laborabant, ſedarunt, ne dimitterent, aut interrumperent miniſterium ſacrum, cui erant addicti.

Quartò: à crimine violandi Sabbatum excuſantur Diſcipuli Chriſti propter legitimam diſpenſationem, quam acceperunt à Chriſto, qui Dominus eſt Sabbati, atque ſupremus conditor legis, utpotè naturâ Deus, ſummâ poteſtate præditus, *Dominus enim eſt filius hominis etiam Sabbati.*

His quatuor rationibus Chriſtus *Matth.* cap. 12. Diſcipulorum ſuorum innocentiam, quam Judæi falſo crimine appetebant, tuitus eſt, ſed non minus efficaciter Judæorum malignitatem coarguit, ipſoſque pudore ſuffuſos ſilere coegit, quandò in Sabbato ſanavit hominem manum aridam habentem. Enim verò cum Scribæ, & Phariſæi, non ut diſcerent, ſed ut Chriſto calumniam ſtruerent, ipſum his verbis interogaſſent: *Si licet Sabbatis curare?* Chriſtus, ut eorum malitiam retunderet, immutatâ quæſtione ait illis: *Interrogo vos ſi licet Sabbatis benefacere, an male? animam ſalvam facere, an perdere?* Illis autem ad incitas redactis,

 adeò-

Digitized by Google

adeòque tacentibus, nec hiſcere, aut quidquam muſſitare auſis, Chriſtus Dominus fas eſſe Sabbato hominem curare confirmavit iſta familiari ovis ſimilitudine, *quis erit ex vobis homo, qui habeat ovem unam, & ſi ceciderit hæc Sabbatis in foveam, nonne tenebit, & levabit eam? Quantò magis melior eſt homo ove? Itaque licet Sabbatis benefacere. Matth.* cap. 12. quaſi diceret Chriſtus, inquit *S. Hieronymus: Si vos,* ò Judæi, *Sabbato ovem, & aliud quodlibet animal in foveam decidens eripere feſtinatis, non animali, ſed veſtræ avaritiæ conſulentes; quantò magis hominem, qui multò melior eſt ove, debeo liberare?*

Obſervat etiam *Sanctus Thomas* 3.p. q. 40. art. 4. ad 1. Chriſtum Dominum cap. 5. *Joannis*, alio pacto à tranſgreſſione legis ſeſe excuſaſſe. Nàm cùm Judæi religionis prætextum ſuæ adversùs Jeſum invidiæ, ac malignitati obtenderent, eo quod paralyticum in Sabbato curaſſet, ad eorum injuſtas, & temerarias cohibendas querimonias reſpondit Chriſtus: *Pater meus uſque modò operatur, & ego operor*. Quâ reſponſione oſtendit Chriſtus: præcepto de ſanctificatione Sabbati non interdici opus divinum, ſed opus dumtaxàt humanum. Nam quamvis Deus die ſeptimo a novis condendis creaturis ceſſaverit, ſemper tamen operatur in earum conſervatione, eas videlicèt regendo, animas creando, illuminando, perficiendo, miracula patrando, aliaque animantia continenter in vitam educendo, ſi ergo opera divina præcepto de ſanctificatione Sabbati non ſunt interdicta, nec quoque miracula, quæ edebat Chriſtus in Sabbato erant prohibita, utpotè opera divina. Non ſolvit itaque Chriſtus Sabbatum, quandò miraculosè paralytico ſanitatem reſtituit.

Hæc, & alia hujusmodi, ſi liberis, & attentis animis perpenderent Judæi, abſtinerent procùl omni dubio ab illis blasphemiis, quas quotidiè evomunt in Chriſtum Servatorem noſtrum, quem odio, & livore cœcati tanquàm verum Meſſiam agnoſcere detrectant. Sed illis meliorem mentem precemur, ut ipſis tandem aliquandò fulgeat illuminatio Euangelii gloriæ Chriſti, & ſublato velamine quod, teſte Apoſtolo 2. ad *Cor.* cap. 3. poſitum eſt ſuper corda eorum, agnoſcant Chriſtum Dominum Prophetarum oraculis prædictum, à Patriarchis expectatum, multis prodigiis demonſtratum, ac toto in Orbe adoratum.

DIS-

DISSERTATIO DECIMATERTIA

De Doctrina Chriſti Domini.

DEus, ut abſolutiſſimus generis humani eſſet Magiſter, humanam carnem induere debuit, inquit *Lactantius* libro 4. Divin. Inſtitut. cap. 24. Nàm ſi veniat ad homines ut Deus, præter quam quod mortales oculi claritatem Majeſtatis ejus conſpicere, ac ſuſtinere non poſſunt, ipſe certè Deus virtutem ſuo exemplo docere haud poterit, quia expers corporis non faciet, quæ docebit: ac per hoc doctrina ejus perfecta non erit. Ut igitur Deus mortales docendo virtutum quoque illis præberet exempla, homo factus eſt; ſuamque doctrinam per omnem terram verbis, & exemplis ſeminavit, & ea, quæ præcipiendo docuit, faciendo confirmavit. *Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxerit Dominus me: ad annunciandum manſuetis miſit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clauſis apertionem: ut prædicarem annum placabilem Domino, & diem ultionis Deo noſtro, ut conſolarer omnes lugentes. Iſaiæ* cap. 61. De hac itaque noſtri, & abſolutiſſimi generis humani Magiſtri doctrina in hac diſſertatione verba facturus, quatuor difficultates paucis examinandas aggredior. Prima eſt, an doctrina Chriſti ſit quâcumque aliâ doctrinâ excellentior? Altera, utrùm conveniens fuerit ut Chriſtus Dominus per ſe ipſum doceret Judæos, non obſtante offenſione Scribarum, & Phariſæorum? Tertia, nùm Chriſtus debuerit doctrinam ſuam ſcripto tradere, ſeu litteris conſignare? Poſtrema, utrùm epiſtola Chriſti ad *Abgarum* Regem Edeſſenorum, & viciſſim epiſtola Abgari ad Chriſtum ſint genuinæ, aut ſpuriæ, & ſuppoſititiæ. Quibus difficultatibus ut ſigillatim faciam ſatis.

DICO PRIMÒ: *Doctrinam Chriſti excellentiorem eſſe quacumque alia doctrina.*

Probatur ex caracteribus, quibus doctrina Chriſti præ cæteris aliis inſignitur. Primò, doctrina Chriſti, tota quanta eſt, cœleſtis, ac divina eſt, non ad humanam aucupandam gloriam ſtudio comparata. Undè Chriſtus, qui è ſinu Patris æterni omnis veritatis cognitionem velut è pleniſſimo fonte hauſit, ait *Joannis* cap. 7. *Doctrina mea non eſt mea, ſed ejus, qui miſit me.* Et hac de cauſa Pater æternus, ut oſtenderet doctrinam Chriſti non humanam, ſed planè cœleſtem, ac divinam eſſe, bis eam voce ſenſibili comprobavit, primùm ad Jordanem in Baptiſmo, dein in monte Thabor in Transfiguratione, dicens:

Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipſum audite. Quaſi diceret: Audite Doctorem, & Legiſlatorem omnibus datum, quem Legis myſteria prænunciarunt, quem Prophetarum ora cecinerunt, ſolus hic è Cœlo profectus eſt Doctor, ſolus certa docere potuit, cùm ſit veritas, vita, atque æterna ſapientia, ſolus ſalutaria docuit unicus humanæ ſalutis auctor, ſolus abſolutè præſtitit quidquid docuit, ſolus exhibere poteſt quidquid promiſit, ſolus denique omnia perfectæ virtutis vel præcepta, vel exempla, quæ per partes alia ab aliis prodita fuerant, tradidit, docuit, & expreſſit. Secundò, doctrina Chriſti digito Dei inſcripta eſt in cordibus noſtris, nec nos multitudine onerat præceptorum, ſed eò unicè tendit, ut Deum toto corde, totâ mente, totiſque viribus diligamus, & proximum ſicut nos ipſos. *Hæc eſt*, inquit Chriſtus, *Lex, & Prophetæ*; ad diſcrimen veteris legis, ſeu doctrinæ, quam Deus Iſraelitis in tabulis exaratam tradidit, quæ multiplices, ac duras leges complectebatur: *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam, & ero ipſis in Deum, & erunt mihi in populum, & non docebit ultrà vir proximum, & vir fratrem ſuum dicens: Cognoſce Deum; omnes enim cognoſcent me à minimo eorum uſque ad maximum.* Jeremiæ cap. 31. v. 33. & 34. Tertiò, doctrina Chriſti vera eſt, nulli prorſus errori obnoxia, ſimplex, facilis, & expedita, omnibus ex æquo ſeſe accommodat, lacte parvulos alit, donec tacitis auctibus grandeſcant in Chriſto, robuſtos ſolido cibo paſcit, & ità non deeſt infimis, ut ſummis ſit etiam admirabilis; quò fit ut doctrina Chriſti longè latèque diſcrepet à doctrina Philoſophorum, quæ multis erroribus ſcatet, totque implexis involuitur difficultatibus, ut nonniſi poſt diuturnum tempus animus, non dico exercendæ, & penetrandæ eorum diſciplinæ, ſed & capiendæ idoneus eſſe poſſit. Quartò, doctrina Chriſti ſanctitatem habet à ſuo Legiſlatore, ſcilicèt Chriſto Domino, qui eam præſenti virtute firmavit, & ad illam ſequendam mortales dictis ſtimulavit & factis; quâ ſanctitate omninò caruit doctrina Philoſophorum, qui non eodem modo vixerunt, quo docuerunt eſſe vivendum, ſed victi cupiditatibus, quas vinci prædicabant oportere, doctrinæ ſuæ fidem derogarunt. Quintò, doctrina Chriſti carnalibus cupiditatibus, & ſenſibus oppoſita eſt, carnique,ac ſanguini indicit bellum, docet ſiquidem nos brevitatem vitæ, fallaciam, & incertitudinem divitiarum, miſerum exitum vitæ libidinoſæ, ad modeſtiam, humilitatem, odium, & contemptum mundi omnes hortatur, invitat, & animat; totaque è diametro opponitur ei, quam impoſtor Mahumetus invexit, doctrinæ, quæ impia eſt, flagitioſa, non ſibi conſtans, ſeuſibusque maximè indulgens. Permittit quippè hujus impoſtoris doctrina, ut effrænem ſuam quiſque exſatiet libidinem, & cupiditatibus ſuis laxet habenas, multi-

multiplicando conjugia, totque alendo uxores, quot alere poteſt. Unde non mirum ſi ille impoſtor hanc doctrinam ſenſibus adeò commodam, & poſt mortem etiam carnales promittentem delicias, vi armorum, & voluptatis illecebris latiſſimè propagaverit, atque benè multos, quorum natura ad vitia proclivis erat, inanibus promiſſis lactarit, atque ſeduxerit. Sextò, doctrina Chriſti ſenſibus licèt inviſa ſit, & rationi, propter myſteria quæ credenda proponit, omninò impervia, attamen abſque armis, abſque eloquentia, abſque ullo humano ſubſidio, & voluptatis illicio, per ſimplices diſcipulos prædicata altas ubique radices egit, tot inter perſecutiones, quibus eam exagitarunt Tyranni, irrigata ſanguine Martyrum crevit, & tandem de errore triumphans ſummos Orbis Principes, Philoſophos, Oratores, omneſque gentes tenebris idololatriæ immerſas gratiæ ſpiritualis luce illuſtravit. *Numero exigui*, inquit Auguſtinus epiſt. 137. aliàs 3. ad Voluſianum, *per mundum diſſeminantur, populos facilitate mirabili convertunt, inter inimicos augentur, perſecutionibus creſcunt, per afflictionum anguſtias uſque in terrarum extrema dilatantur. Ex imperitiſſimis, ex abjectiſſimis, ex pauciſſimis illuminantur, nobilitantur, multiplicantur, præclariſſima ingenia, cultiſſima eloquia, mirabileſque peritias acutorum, facundorum, atque Doctorum ſubjungant Chriſto, & ad prædicandum viam pietatis, ſalutiſque convertunt.* Septimò, Chriſtus veritatem doctrinæ ſuæ non ſolùm Prophetarum oraculis, & adimpletione omnium figurarum, quibus in veteri lege fuerat adumbratus, pleniſſimè confirmavit, ſed etiam multis, iiſque ſtupendis prodigiis ſæpiſſimè comprobavit, quæ certè prodigia in confirmationem doctrinæ ſuæ, ſi falſa fuiſſet, Chriſtus edere non potuiſſet, quia Deus, qui nec falli, nec fallere poteſt, permittere non poteſt, ut in confirmationem falſæ doctrinæ vera miracula fiant. Octavò, Chriſtus, non obſtante rabie Judæorum, qui calumniis, acerbis ſuppliciis, diràque morte in ipſum atrociter ſævierunt, doctrinam ſuam conſtanti ſemper animo propugnavit, & poſt ipſius mortem Apoſtoli eamdem doctrinam à Magiſtro acceptam per totum Orbem promulgarunt, nullum indè præmium ſperantes, quàm perſecutiones, exilia, contumelias, cruces, & tormenta. Quis autem credat Chriſtum, & Apoſtolos pro falſa doctrina probroſam mortem oppetere voluiſſe? Denique, doctrina Chriſti non fuit occulta: *Ego*, inquit Chriſtus *Joannis* cap. 18. *palàm locutus ſum mundo, Ego ſemper docui in Synagoga, & in Templo, quò omnes Judæi conveniunt, & in occulto locutus ſum nihil.* Ad diſcrimen factionum, & ſeditionum Auctorum, vel Hæreticorum, qui pravam ſuam doctrinam non audent ſtatim propalare, ſed ſibi malè conſcii per cuniculos, per occultas mille nocendi artes eam diſſeminare ſatagunt, ne errores, quos ſimplicibus inſtillare moliuntur,

tur,

tur, confeſtim deprehendantur, & refellantur; vel etiam, ut inquit *S. Thomas*, ad differentiam Invidorum, qui doctrinam ſuam alioquin bonam cum cæteris communicare nolunt, quia cæteris doctiores audire volunt, quod in Chriſto locum non habet, de quo *Sapientiæ c.7.* dicitur: *Quam ſine fictione didici, & ſine invidia communico, & honeſtatem illius non abſcondo.* Obſervat tamen *S.Thomas* 3.p.q.42.art.3. Chriſtum turbis quædam in occulto fuiſſe locutum quantùm ad modum docendi, dum videlicèt ad annuncianda ſpiritualia myſteria parabolis, & ſimilitudinibus uſus eſt, ut hoc pacto rudium hominum infantiam, ac balbutiem erudiret, & erudiendo emendaret, occultans in his parabolis ſpiritualis intelligentiæ medullam, quæ eſt cibus grandium: *Sic loquitur Chriſtus, ut altitudine ſuperbos irrideat, profunditate attentos terreat, veritate magnos paſcat, affabilitate parvulos nutriat*, inquit *S. Auguſtinus* lib. 5. de *Geneſi* ad litteram cap. 3. Ex his ergò caracteribus, quibus nobilitatur doctrina Chriſti, patet eam auctoritate, ſanctitate, veritate, & ſublimitate cæteris aliis doctrinis antestare. Quæ cùm ita ſint, pudendum ſanè, quod multi Chriſtiani theatra, & ſpectacula frequenter adeant, fabulas, & res ludricas à ſcenicis hominibus, & mimis, arrectis auribus audituri, libroſque non ſolum inutiles, ſed etiam ſaluti noxios ſummâ cum oblectatione legant, Euangelii verò lectionem, in qua cœleſtis Chriſti continetur doctrina, omninò prætermittant. In hunc abuſum totis eloquentiæ ſuæ viribus invecti ſunt Sancti Patres, præſertim *S.Chryſoſtomus* hom. 2. in *Matthæum*, ubi frivolas quorumdam excuſationes refellit: *Non ſum* (inquit) *ego Monachus, uxorem habeo, & filios, & curam domus gero. Hoc eſt, quod omnia quaſi una quadam peſte corrumpit, quoniam lectionem divinarum Scripturarom ad ſolos putatis Monahos pertinere, cùm multò magis vobis, quàm illis ſit neceſſaria. Qui enim verſantur in medio, & vulnera quotidiè accipiunt, magis indigent medicamine. Itaque multò eſt gravius, atque deterius, rem ſuperfluam eſſe Legem Dei putare, quàm illam omninò non legere. Hæc enim verba ſunt, quæ de diabolica prorsùs meditatione promuntur.*

Dices: Apoſtolus *Paulus* 1. ad *Corinth.* cap. 1. vocat prædicationem Euangelii *ſtultitiam*, non ergo doctrina Chriſti, quæ in Euangelio continetur, ſublimitate, & ſapientiâ ſuperat Philoſophorum doctrinam. Prætereà, *Matth.* cap. 13. Prædicatio Euangelii comparatur *grano ſinapis, quod minimum eſt omnibus ſeminibus*, quem locum exponens *Sanctus Hieronymus* hæc habet: *Confer hujuſcemodi doctrinam dogmatibus Philoſophorum, & libris eorum, & ſplendori eloquentiæ, & compoſitioni ſermonum: & videbis quantò minor ſit cæteris ſeminibus ſementis Euangelii.*

Reſpondeo ad utrumque argumentum, & ad primum dico: Prædica-

dicationem Euangelii appellari ab Apoſtolo *ſtultitiam* comparatè ad homines carnales, non ſecùs ac prædicatio Chriſti crucifixi Judæis quidem ſcandalum eſt, & gentibus ſtultitia: ipſis autem electis Judæis, gentibusque, Dei virtus eſt, & ſapientia, nàm id quod ſtultum eſt Dei, ſapientiùs eſt hominibus, ut ait ibidem Apoſtolus. Inviſibilium amore viſibilia contemnere ſtultum eſt viris carnalibus, & durum incipientibus; at progreſſis aliquantulùm, & demùm perfectis ea eſt tota ſapientiæ perfectio, ſuavitas, & beatitudo. Carnalibus adhùc populis Apoſtolus, ut ipſemet teſtatur, non ſtatim ſublimem ſapientiam ingerebat, ſed ſimplicem doctrinam inſtar lactis propinabat, at ſemel purgatis, & ſpiritualibus effectis perfectam ſapientiam proponebat, undè idem Apoſtolus alibi dicit ſe loqui ſapientiam in myſterio, nempè inter perfectos.

Ad alterum argumentum reſpondeo: Prædicationem Euangelii, ſeù doctrinæ Chriſti, comparari grano ſinapis, quod minimum eſt omnibus ſeminibus, quia doctrina Euangelica, ſi cum doctrinis ſæcularibus, hoc eſt, Philoſophorum, & Oratorum conferatur, minima in ſpeciem propter verborum ſimplicitatem apparebit, quamvis reverà ad perſuadendum, vel convincendum ſit illis longè efficacior, ſublimior, atque potentior. Quæ enim, amabo, ſæcularis doctrina conferri poteſt cum Chriſti doctrina, quæ, ut modò dicebamus, totum Orbem immutavit in melius, & quod Philoſophis ne in mentem quidem venerat ut ſuaderent hominibus ſervare caſtitatem, cupidines extinguere, abdicare nuptias, vitæ mortalis pertędeſcere, benè mereri de malè merentibus, perſecutionem, calumniam, maledicta, mortem ipſam pro religione, pro juſtitia pati, id doctrina Chriſti hominibus, id adoleſcentulis, id pueris, & puellis perſuaſit; exindè enim caſtra Virginum, & examina Martyrum de mortę, de voluptate, de natura ipſa triumpharunt. Hinc eleganter *Lactantius* ait lib 3. divin. inſt. cap. 26. *Sola hæc efficit doctrina cœleſtis, quia ſola ſapientia eſt. Illi*, Philoſophi, *ſcilicèt perſuadere cuiquam poterunt, qui nihil perſuadent etiam ſibi? Aut cujusquam cupiditates opprimeent, iram temperabunt, libidinem coercebunt: cùm & ipſi cedant vitiis, & fateantur plus valere naturam? Dei autem præcepta, quia & ſimplicia, & vera ſunt, quantùm valeant in animis hominum quotidiana experimenta demonſtrant.*

DICO SECUNDÒ: *Conveniens fuiſſe ut Chriſtus per ſeipſum doceret Judæos, & apud illos prædicaret, non obſtante offenſione Scribarum, & Phariſæorum.*

Probatur quadruplici ratione, quam affert Angelicus Doctor 3.p. q.42. art.1. Primò, quia Chriſtus, per ſemetipſum docendo Judæos, luculenter oſtendit per ſuum adventum impleri omnes promiſ-

miſſiones antiquitùs factas Judęis, non autem gentibus, quà de cauſa dicit ipſe Chriſtus *Matth.* cap.15. *Non ſum miſſus niſi ad oves, quæ perierunt domus Iſrael*, quæ verba exponens *S. Auguſtinus* tractatu 47. in *Joannem*, hæc habet: *Quid eſt: Non ſum miſſus niſi ad oves, quæ perierunt domus Iſrael, niſi quia præſentiam ſuam corporalem non exhibuit niſi populo Iſrael? Ad gentes non perrexit ipſe, ut qui*, ſeu Judæi, *contemnebant, majus judicium ſumerent, quia & præſentia illis eſt exhibita. Ipſe Dominus ibi fuit, ibi Matrem elegit, ibi concipi, naſci, ibi ſanguinem fundere voluit, ibi ſunt veſtigia ejus, modò adorantur, ubi noviſſimè ſtetit, undè aſcendit in Cælum: ad gentes autem miſit*. Hinc Apoſtolus ad *Romanos* cap. 15. Chriſtum appellat *Miniſtrum circumciſionis*, ideſt, Apoſtolum, & Prædicatorem Iſraelitarum, *propter veritatem Dei ad confirmandas promiſſiones Patrum*. Ut ergò Chriſtus probaret Judæis ſe eſſe Meſſiam ipſis à Deo promiſſum, eos per ſemetipſum edocere, atque apud illos prædicare voluit. Secundò, Chriſtus docendo, & prædicando ſolùm apud Judæos, ſervavit ordinem primogenito populo, ſeu Iſraelitico debitum, ut impleretur vaticinium *Iſaiæ* cap. ultimo: *Mittam ex eis qui ſalvati fuerint*, videlicèt ex Judęis, *ad gentes, & annunciabunt gloriam meam gentibus*. Tertiò, Chriſtus, docendo per ſemetipſum Judæos, omnem illis præripuit calumniandi materiam, fecitque ne juſtam excuſationem haberent, dicentes ſe ideò rejeciſſe Dominum, quod gentibus incircumciſis prædicaret. Apud ſolos itaque Judæos prædicavit Chriſtus Dominus, diſtrictèque prohibuit Apoſtolis ſuis ne abirent versùs gentes prædicandi causâ, *ut quantam Judæorum curam gereret, ipſe demonſtraret, & ſic ora ipſorum obſtrueret, & ad doctrinam Apoſtolorum præpararet*, inquit *S. Chryſoſtomus* hom.33. in *Matth.* Denique, Chriſtus gentes non per ſemetipſum docere, ſed tantùm poſt paſſionem ſuam Apoſtolorum miniſterio luce Euangelicâ illuſtrari voluit, ut oſtenderet ſe per Crucis victoriam promeritum fuiſſe poteſtâtem, & dominium in omnes gentes, ſicut ipſemet teſtatur *Matth.* cap. ult. *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cælo, & in terra: Euntes ergò docete omnes gentes &c.* quaſi diceret: Ire nunc non in Judæam ſolùm, ſicut priùs vobis præceperam, ſed in mundum univerſum, docete omnes gentes, inſtituite in doctrina fidei, quam à me accepiſtis, non Judæos tantùm, ſed omnium gentium homines.

Advertendum eſt tamen cum *S. Thoma*, quod ſicùt Chriſtus non non debuit à principio doctrinam ſuam promiſcuè gentibus communicare, ut nimirum Judæis tanquàm populo primogenito debitus ordo ſervaretur; itâ etiam non debuit gentes omninò repellere ne ſpes ſalutis eis præcluderetur. Quocircà Chriſtus ad miſericordiam ſemper propenſus, & hominum ſalutis ſitientiſſimus, inter gentiles

Sama-

Samaritanam, & Chananæam, ut legitur *Joannis* cap. 4. & *Matth.* cap. 15. & alios nonnullos propter excellentiam fidei, & devotionis eorum admiſit, ſuæque doctrinæ luce illuſtravit.

DICES PRIMÒ, *Iſaias* cap. 49. prædixit Meſſiam, ſeu Chriſtum fore lucem gentium: *Parùm eſt ut ſis mihi ſervus ad ſuſcitandas tribus Jacob, & faces Iſrael convertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ.* Simeon etiam venerandus ille ſenex, qui expectabat redemptionem Iſrael, Chriſtum Dominum in ſuis ulnis geſtantem in Templo appellavit *Lumen ad revelationem gentium*, ſed Chriſtus lumen, & ſalutem præbuit per ſuam doctrinam, debuit ergo juxtà Prophetarum oracula non ſolùm apud Judæos, ſed etiam apud gentes prædicare.

Reſpondeo cum *S. Thoma*: Chriſtum fuiſſe *in lumen, & ſalutem gentium*, quandò poſt paſſionem ſuam Diſcipulos ſuos ad prædicandum gentibus miſit. Nec enim minoris, ſed potiùs majoris poteſtatis eſt facere aliquid per alios, quàm per ſeipſum, & in hoc maximè divina Chriſti poteſtas illuxit, quod Diſcipulis ſuis tantam contulit virtutem, ut illorum prædicatione idolorum cultores, & barbaræ gentes, quæ nihil de Chriſto audierant, ipſius fidem amplexi ſint, ejusque religioni colla ſubmiſerint.

DICES SECUNDÒ: Chriſtus apud illos prædicare non debebat, quibus illius prædicatio ſcandalo & offenſioni erat, atqui prædicatio Chriſti Scribis, & Phariſæis, qui apud Judæos in magno honore habebantur, ſcandalo, & offenſioni erat, teſte Euangeliſta *Matthæo*, qui cap. 15. refert Diſcipulos Chriſti dixiſſe ei: *Scis, quia Phariſæi audito hoc verbo ſcandalizati ſunt?* Non igitur expediebat, ut Chriſtus prædicaret Judæis propter offenſionem Scribarum, & Phariſæorum.

Reſpondeo cum eodem Doctore Angelico: Chriſtum, dùm publicè Scribas, & Phariſæos coarguebat, non impediiſſe, ſed magis promoviſſe effectum doctrinæ ſuæ, primò, quia, ut ait *S. Petrus* 1. ſuæ epiſtolæ cap. 2. prædixit *Iſaias* Chriſtum fore lapidem offenſionis, & petram ſcandali *his, qui offendunt verbo, nec credunt in quo poſiti ſunt*, quales profectò fuerunt Scribæ, & Phariſæi, qui irâ in Chriſtum ſtimulati, & invidiâ depravati, quòd, confluente ad eum populo, contemni, ac deſeri ſe videbant, Chriſti doctrinæ repugnabant, eum acriter inſectabantur, conviciis proſcindendo, inceſſendo dicteriis, doctrinâ cavillando, fodicando actiones, miracula eludendo. Quapropter non debuit Chriſtus propter illorum offenſionem à ſuſcepto docendi, & prædicandi munere abſtinere. Secundò, per objurgationes Chriſti, hypocryſis, & vitia Phariſæorum, atque Scribarum populo innoteſcebant, ſicq; populus minus avertebatur à doctrina Chriſti, quam aperto

marte oppugnabant Scribæ, & Phariſæi. Hinc Chriſtus admonitus à ſuis Diſcipulis, quod Phariſæi verbis ejus fuiſſent offenſi, reſpondit: *Sinite illos, cæci ſunt, & duces cæcorum: cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadent*. Quâ reſponſione oſtendit Chriſtus diſcipulos ſuos ſollicitos eſſe non debuiſſe de offenſione Scribarum, & Phariſæorum, quia veritate offendebantur, ſuiſque ſuperſtitioſis traditionibus addicti, gratiæ myſteria pro nihilo habebant, & plebem à via ſalutis abducebant. Eâ de causâ Chriſtus Dominus Scribas & Phariſæos ſæpè objurgavit, ita tamen ut juſtiſſimas illas objurgationes Chriſto non ira exprimeret, ſed zelus gloriæ Dei, deſiderium converſionis Judæorum, ignis non peregrinus, ſed ſacer, atque juſtiſſimis de cauſis accenſus; expediebat enim, ut Chriſtus illis hypocritis, qui ſanctitatis famam apud homines captabant, larvam detraheret, artemque detegeret illorum Doctorum, qui per illam externam pietatis & ſanctimoniæ ſpeciem in animos miſeræ plebis invadebant. Undè *Sanctus Thomas* 3.p. q.42. art.2. docet, quod ſalus multitudinis præferenda eſt paci quorumcumque ſingularium hominum: & ideò quando aliqui ſuâ perverſitate ſalutem multitudinis præpediunt, non eſt timenda eorum offenſio à Prædicatore, vel Doctore, ut multitudinis ſaluti provideat. Hac regula *Sancti Thomæ* verè aureâ damnantur illi, qui artem artium regimen animarum Angelicis humeris formidandum in ſe ſuſcipiunt, & tamen langueſcunt, & concidunt animis ob pericula mundi, legem Chriſti emolliunt, ut ſe ſe ad omnium mores accommodent, Magnatum præſertim & nobilium, qui lucentem veritatem amant, oderunt redarguentem, qui denique turpi vitiorum conniventiâ muneri zelo ac vigori debito deſunt ſive in proponendâ, ſive in aſſerendâ atque vindicandâ doctrinæ moralis Chriſti integritate, quâ nihil antiquiùs habere deberent. Hos & ſimiles mutos miniſtros, qui dicunt malum bonum, & bonum malum, conſuentes pulvillos ſub cubitis hominum, grave proculdubio manet ſupplicium, jureque optimo laxi illi animarum Rectores his animarum Medicis annumerari debent, de quibus Deus conqueritur *Jeremiæ* cap. 6. dicens: *Curabant contritionem filiæ populi mei, cum ignominia, dicentes: Pax, pax, & non erat pax*; quia, ut inquit *Sanctus Cyprianus*, tract. de lapſis: *Non concedit pacem iſta facilitas, ſed tollit: nec communionem tribuit, ſed impedit ſalutem*. Quamvis ergo ægrè ferant, & vociferentur plurimi adversùs ea, quæ juxtà diſciplinam Eccleſiæ, juxtà Canonum ſanctiones, juxtà Chriſti & Sanctorum exempla ad morum correctionem peraguntur, non cedendum clamoribus, ſed ad exemplum Chriſti Domini ſemper veritati inſiſtendum eſt, omneſque Euangelici Sacerdotes his, qui ſalutis viam mollibus, ac flexibilibus regulis laxare, & complanare volunt, intrepidè, & magnâ voce dicere debent cum

Ma-

Digitized by Google

Mathathiæ Sacerdote lib.1. Mach. cap.2. *Propitius ſit nobis Deus, non eſt nobis utile relinquere legem, & juſtitias Dei, ut eamus via altera.*

DICO TERTIÒ: *Chriſtum non debuiſſe doctrinam ſuam ſcripto tradere, ſeu litteris conſignare.*

Probatur tribus rationibus *Sancti Thomæ* 3.p. q.42. art.4. prima ratio petitur ex excellentia doctrinæ Chriſti, cui debetur modus excellentior, ut ſcilicet verbo tradita in tabulis cordis imprimatur, non in tabulis lapideis inſcribatur, ſicut lex vetus, quæ cùm daretur in figuris, convenienter litteris fuit exarata, doctrina autem Chriſti, quæ eſt *lex ſpiritus vitæ*, ſcribi debuit *non atramento, ſed ſpiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus,* ut ait Apoſtolus 2. ad Corint. cap.3.

Secunda ratio deſumitur ex conditione hominum, qui ita ſunt à natura comparati, ut, ſi Chriſtus doctrinam ſuam ſcripto mandaſſet, credidiſſent, quod nihil altiùs ejus doctrina complecteretur, quàm quod ea Scriptura contineret; cùm tamen doctrina Chriſti tantæ ſublimitatis ſit, ut litteris comprehendi non poſſit, juxtà illud *Joannis* cap. ult. *Sunt & alia multa, quæ fecit Jeſus, quæ ſi ſcriberentur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt libros*. Ideſt, ut explicat *Sanctus Auguſtinus* tractatu 124.in Joannem, *non ſpatio locorum credendum eſt mundum capere non poſſe, ſed capacitate legentium comprehendi fortaſſe non poſſent.*

Tertia denique ratio petitur ex ordinatione communis Providentiæ Divinæ, quæ efficit ut ſuprema non immediatè ad inferiora, ſed tantùm mediatè, ideſt, per quædam media perveniant, congruebat igitur, ut Chriſtus immediatè doceret Apoſtolos, & deinceps Apoſtoli alios, quà verbo, quà ſcripto imbuerent doctrinâ Chriſti, alioquin ſi doctrinam ſuam litteris mandaſſet Chriſtus Dominus, confeſtim ad omnes omninò perveniſſet, quod à ſolito Providentiæ Divinæ ordine eſt alienum.

Hæc *Sancti Thomæ* doctrina egregiè confirmatur ex his, quæ habet *Sanctus Auguſtinus* lib. 1. de conſenſu Euangeliſtarum cap. 7. & aliis ſequentibus, ibi enim primò diſertè aſſerit Sanctus ille Doctor, Chriſtum nihil litteris mandaſſe, hæc ſunt ipſius verba: *Sed illud priùs diſcutiendum eſt, quod ſolet nonnullos movere, cur ipſe Dominus nihil ſcripſerit, ut aliis de ipſo ſcribentibus neceſſe ſit credere? hoc enim illi, & maximè pagani quærunt, qui Chriſtum culpare, aut blaſphemare non audent, eique tribuunt excellentiſſimam quamdam ſapientiam, ſed tamen tanquàm homini: diſcipulos verò ejus dicunt Magiſtro ſuo ampliùs tribuiſſe, quàm erat; ut eum Filium Dei dicerent, & Verbum Dei, per quod facta ſunt omnia*. Prætereà, *Sanctus Auguſtinus* refellit ibidem aliquos Gentiles, qui temerè effutiebant quoſdam à Chriſto Domino ſcriptos eſſe

libros continentes magicas artes, quarum ope dictitabant miracula, quorum fama percrebruerat, ab ipſo fuiſſe patrata: *Et illi tamen, qui Chriſti libros tales ſe legiſſe affirmant, nulla talia faciunt, quæ illa illum libris talibus feciſſe mirantur. Divino enim judicio ſic errant, ut eoſdem libros ad Petrum & Paulum dicant tanquam epiſtolari titulo prænotatos, eo quod in plurimis locis eos cum Chriſto pictos viderunt: nec mirum, ſi à pingentibus decepti ſunt: toto enim tempore, quo Chriſtus in carne mortali cum ſuis diſcipulis vixit, nondùm erat Paulus diſcipulus ejus.* Ex quibus *Sancti Auguſtini* verbis clarè conſtat Chriſtum Dominum ſcripto doctrinam ſuam non tradidiſſe.

Dices primò: Sanctus Auguſtinus loco mox laudato, aſſerit: Gentiles ſic fuiſſe affectos, ut doctrinæ Chriſti credidiſſent, ſi ipſemet eam litteris conſignaſſet: cùm ergo, *quærunt*, inquit Sanctus ille Doctor, *quarè ipſe*, ideſt Chriſtus, *non ſcripſerit, videntur parati fuiſſe hoc de illo credere, quod de ſe ipſe ſcripſiſſet, non quod alii de illo pro ſuo arbitrio prædicarunt.* Debuiſſet ergo Chriſtus ad faciliùs promovendam ſalutem Gentilium litteris doctrinam ſuam conſignare.

Reſpondeo primò cum *Sancto Thoma*: illos, qui Apoſtolis de Chriſto ſcribentibus fidem abhibere noluerunt, nec ipſi Chriſto de ſe ſcribenti credituros, quippè qui opinabantur eum magicis artibus miracula edidiſſe.

Reſpondeo ſecundò: Futilem eſſe hanc Gentilium excuſationem, *Chriſtus enim*, ut ait *S. Auguſtinus* lib. 1. de conſenſu Euang. cap. 35. *omnibus diſcipulis ſuis tanquam membris corporis ſui caput eſt: itaque cùm illi ſcripſerunt, quæ ille oſtendit & dixit, nequaquam dicendum eſt, quod ipſe non ſcripſerit; quando quidem membra ejus id operata ſunt, quod dictante capite cognoverunt: quidquid enim ille de ſuis factis & dictis nos legere voluit, hoc ſcribendum illis tanquam ſuis manibus imperavit. Hoc unitatis conſortium, & in diverſis membris concordium membrorum ſub uno capite miniſterium quiſquis intellexerit, non aliter accipiet, quod narrantibus diſcipulis Chriſti in Euangelio legerit, quàm ſi ipſam manum Domini, quam in proprio corpore geſtabat, ſcribentem conſpexerit.*

Reſpondeo tertiò: Gentiles prudenter in dubium revocare non potuiſſe ea, quæ de Chriſto Domino Sacri Euangeliſtæ memoriæ prodiderunt. Primò, quia quatuor Euangeliſtæ, *Matthæus, Marcus, Lucas*, & *Joannes* fuerunt viri ſancti, aperti, candidi, veritatis cultores, & teſtes locupletiſſimi, utpotè oculati, quorum nec judicium, nec fides laborare, aut vacillare poteſt. Secundò, quia à vana gloria fuerunt omninò alieni, nihil ex occulto, nihil ex inſidiis narrantes, ſicut patet ex eorum ſtyli, orationiſque ſimplicitate. Tertiò, quia ea referunt, quæ palàm à Chriſto Domino edita ſunt, hoc eſt, inſpectantibus Gentilibus, ac Judæis, quorum teſtimonio argui, convincique po-

potuiſſent mendacii, ſi hæc, quæ de Chriſto litteris mandarunt, falſa, aut de induſtria ab illis fuiſſent conficta. Quartò, quia Euangeliſtarum, in deſcribendis his, quæ ad vitam & doctrinam Chriſti ſpectant, candorem & ingenuitatem monſtrat etiam hiſtoria illorum temporum exarata ſive à *Joſepho* Judæo, ſive à *Cornelio Tacito*, *Suetonio*, *Phlegonte*, aliiſque Ethnicis Scriptoribus, ut diſertè oſtendit clariſſimus *Daniel Huetius* Abrincenſis Epiſcopus in ſua demonſtratione Euangelica. Quintò, quia ipſimet Euangeliſtæ miracula patrarunt in confirmationem teſtimonii, quod Chriſto reddiderunt; porrò Deus, qui prima & ſumma veritas eſt, teſtimonium perhibere non poteſt falſitati, nec falſam doctrinam miraculis, quaſi auctoritatis ſuæ ſigillis obſignare. Sextò, quia Sacri Euangeliſtæ pro veritate eorum, quæ narraverunt, exilia, cruces, tormenta, mortem ipſam impavidi oppetierunt, & de errore triumpharunt. *Illud mirabilius*, ait *Chryſoſtomus* hom.4. in acta Apoſtolorum, *quod Apoſtoli nudo corpore conſiſtebant adverſus armatos, adverſus Principes, qui publicum jus in ipſos habebant, imperiti, elingues, ac ſimplices idiotæ adverſus impoſtores, & circumventores, adverſus ſophiſtarum, rhetorum, ac philoſophorum turbam, qui in academia Platonis, & Ariſtotelis deambulationibus exercitati depugnarant, & in Stoicorum porticibus fuerant occupati. Hos ita ſuperavit Petrus, quaſi cum mutis piſcibus certamen fuiſſet.* Hanc rationem latè, & eleganter proſequitur *Euſebius* lib. 3. demonſt. Euangelicæ cap.7. Septimò, quia Euangeliſtæ, & ſacri Scriptores leges, ac præcepta tradiderunt rectè vivendi, amandi Deum, illique unicè adhærendi. Quod quidem argumento eſt eos inter ſcribendum Spiritu Sancto fuiſſe afflatos: *Nec enim eſt ab homine, ſed ſuper hominem, quod hominem facit benè vivere, nec ſolùm hominem, ſed etiam quamlibet poteſtatem cœleſtem*, inquit *Sanctus Auguſtinus* lib.20. de Civit.Dei cap.25. Octavò, quia credibile non eſt univerſum, quà latè patet, Orbem iis omnibus, quæ ſacri Euangeliſtæ litteris mandarunt, fidem adhibere potuiſſe, ſi ipſi datâ operâ mendacia, & fabulas pro veritate obtruſiſſent. Denique, mirabilis ille concentus, qui reperitur tàm inter vetus Teſtamentum, & quatuor Euangelia, quàm inter Prophetarum oracula, & exploratiſſimam rerum poſt geſtarum hiſtoriam ab Euangeliſtis monumentis conſignatam, non poteſt eſſe ſolers, ſubtiliſque fictarum, & commentitiarum fabularum in ordinem diſtributio, ſed potiùs ſuſpici debet tanquam ſapientiſſimum ſupremi Numinis opus, nam *ut non contemnerentur, neque fabuloſa ducerentur, quæ Apoſtoli annunciabant, demonſtrabantur hæc à Prophetis antè fuiſſe prædicta*, ait *Sanctus Auguſtinus* lib.12. contra Fauſtum cap. 45. Ex his ergo momentis liquidò patet Gentiles non potuiſſe prudentèr dubitare de his, quæ ſacri Euangeliſtæ, aliique Apoſtoli de Chriſto Domino conſcripſerunt.

D I-

Digitized by Google

Dices secundò: Certò non conſtat an quatuor Euangelia, *Matthæi* videlicet, *Marci, Lucæ,* & *Joannis*, in quibus vita, & doctrina Chriſti continentur, ſint genuina, aut ſpuria; ſincera, aut corrupta? nulla ergo fides ex his quatuor Euangeliis vitæ, & doctrinæ Chriſti conciliari poteſt. Prob. ant. Multa olim fuerunt Euangelia. *Baſilides* quippè ſuum habuit Euangelium, habuit *Apelles*, habuit & *Tatianus*, legebatur etiam ab Gnoſticis Euangelium ſecundùm Philippum, ab Ebionitis,& Encratitis, ſecundùm Hebræos: à Manichæis, ſecundùm Thomam. Nec defuerunt etiam, qui probaverunt Euangelia *Petri, Andreæ, Bartholomæi, Judæ* ſeu *Thaddæi*, *Jacobi* junioris, *Matthiæ, Barnabæ, Nicodemi*, ſicut & illa, quæ ſecundùm Ægyptios erant, & ſecundùm duodecim Apoſtolos. Si ergo prædicta Euangelia Apoſtolis falsò olim adſcripta, tanquàm ſpuria impræſentiarum repudiantur, quo pacto probari poterit genuina eſſe Euangelia Matthæi, Marci, Lucæ, & Joannis, & ab illis fuiſſe exarata? *Multa à majoribus veſtris,* ajebat Fauſtus Manichæus, *eloquiis Domini inſerta verba ſunt, quæ nomine ſignata ipſius, cum ejus fide non congruunt: præſertim quia, ut jam ſæpè probatum à nobis eſt, nec ab ipſo hæc ſunt, nec ab ejus Apoſtolis ſcripta: ſed multa poſt eorum aſſumptionem à neſcio quibus, & ipſis inter ſe non concordantibus, ſemijudæis per famas, opinionesque comperta ſunt: qui tamen omnia eadem in Apoſtolorum Domini conferentes nomina, vel eorum, qui ſecuti Apoſtolos viderentur, errores ac mendacia ſua ſecundùm eos ſe ſcripſiſſe mentiti ſunt*. Certò igitur non conſtat Euangelia Matthæi, Marci, Lucæ, & Joannis eſſe ſincera, & ab illis exarata, quorum ſunt nominibus inſcripta.

Reſpondeo: certo certiùs eſſe quatuor Euangelia *Matthæi* videlicet, *Marci, Lucæ,* & *Joannis*, mentita, & adulterina non eſſe, ſed genuina & ſincera. Primò, quia Eccleſia Catholica toto Orbe diffuſa, cui ex officio incumbit vera Euangelia à ſpuriis ſecernere, hæc quatuor Euangelia pro veris, ſinceris, & indubitatis ſemper habuit, eaque, omni adhibitâ diligentiâ, ſarta tectaque jugitèr conſervavit; alia verò Euangelia, quæ Apoſtolorum nominibus inſignita olim circumferebantur, ad apocryphorum claſſem ablegavit. Ad Eccleſiam autem ſpectat non tantùm emergentes Scripturæ ſacræ dirimere controverſias, ſed etiam ex traditione, quæ Scripturarum vindex eſt, libros ſacros genuinos & veros, à falſis, dubiis, & ſpuriis indeficienti criterio ſecernere: *Euangelio non crederem,* inquit Auguſtinus, *niſi Eccleſiæ me moveret auctoritas*. Cùm igitur Eccleſia Catholica rejectis aliis pſeudo-Euangeliis, quæ hæretici ſub ſpecioſis Apoſtolorum nominibus cuderant, hæc quatuor dumtaxat Euangelia infallibili ſuo judicio vera & ſincera eſſe pronunciaverit, nullum planè viro prudenti de eorum veritate, atque integritate poteſt ſuboriri dubium,

alio-

alioquin *ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus*, inquit Chriſtus Dominus Matth. cap. 18. Secundò, continua omnium ſæculorum ſeries, quæ quatuor illis Euangeliis ab ipſo naſcentis Eccleſiæ exordio ſacram ac divinam aſſerit auctoritatem, Sole clariùs oſtendit ea eſſe genuina, & ab illis ſcripta, quorum referunt nomina, ſicut *Sanctus Auguſtinus* lib. 33. contra Fauſtum cap. 6. ſolidè demonſtrat his verbis: *Platonis, Ariſtotelis, Ciceronis, Varronis, aliorumque ejuſmodi Auctorum libros, undè noverunt homines, quod ipſorum ſint, niſi eadem temporum ſibimet ſuccedentium conteſtatione continua? Multi multa de litteris Eccleſiaſticis conſcripſerunt, non quidem auctoritate canonica, ſed aliquo adjuvandi ſtudio, ſive diſcendi. Undè conſtat quid cujus ſit, niſi quia his temporibus, quibus ea quiſque ſcripſit, quibus potuit, inſinuavit, atque edidit, & inde alios atque alios continuata notitia, latiùſque firmata ad poſteros, etiam uſque ad noſtra tempora pervenerunt, itaut interrogati cujuſque liber ſit, non haſitemus quid reſpondere debeamus? .... quæ cùm ita ſint, quis tandem tanto furore cæcatur, niſi dæmoniorum mendaciloquorum malitia, atque fallacia conſentiendo ſubverſus ſit, qui dicat hoc mereri non potuiſſe Apoſtolorum Eccleſiam, tam fidam, tam numeroſam fratrum concordiam, ut eorum ſcripta fideliter ad poſteros trajicerent, cùm eorum cathedras uſque ad præſentes Epiſcopos certiſſima ſucceſſione ſervarint, cum hoc qualiumcumque hominum ſcriptis, ſive extra Eccleſiam, ſive in ipſa Eccleſia tanta facilitate proveniat.*

DICO ULTIMÒ: *Epiſtolam Abgari Regis Edeſſenorum ad Chriſtum, & epiſtolam Chriſti ad eumdem Abgarum, eſſe epiſtolas ſuppoſititias, & apocryphas.*

Ad hanc probandam aſſertionem multi hujus temporis periti Critici argumentum deſumunt ex annorum nota, quæ huic præfigitur hiſtoriæ ex Edeſſenorum tabulis deſcriptæ, in qua fit mentio de utraque epiſtola, & de legatione Abgari Regis Edeſſenorum ad Chriſtum. *Euſebius* quippè lib. 1. hiſt. Eccleſ. cap. 13. ſcribit: Thadæum unum è ſeptuaginta diſcipulis poſt Aſcenſionem Chriſti Domini fuiſſe ad Abgarum Regem Edeſſenorum miſſum *anno trecenteſimo quadrageſimo æræ Edeſſenorum*, ſic enim, teſte doctiſſimo *Henrico Valeſio* in ſuis notis in hiſt. Eccleſ. Euſebii, legitur in antiquis, & ſinceris manuſcriptis *Euſebii*, non verò *anno quadrageſimo tertio*, ut habetur in vitioſis, & interpolatis quibuſdam vulgaribus *Euſebii* editionibus, quibus deceptus eſt *Baronius*. Hac autem ſemel ſuppoſitâ notâ chronologicâ, quæ huic præfigitur hiſtoriæ de legatione Abgari Regis Edeſſenorum ad Chriſtum, ſic argumentum conficiunt moderni illi Critici, annus trecenteſimus quadrageſimus æræ Edeſſenorum concurrit, ut fateantur omnes Chronologi, cum anno primo Olympiadis ducenteſimæ ſecundæ, ſeu cum anno decimo quinto Imperii Tiberii ab obitu Auguſti,

guſti, & cum anno vigeſimo nono æræ vulgaris, quo anno Joannes Baptiſta miniſterium ſuum obire cœpit, ſicut ſcribit *Sanctus Lucas* cap.3. atqui anno decimo quinto Tiberii Imperii ab obitu Auguſti Chriſtum ſama ubique non loquebatur, ſiquidem hoc anno ad baptiſmum necdùm acceſſerat, nec miraculis inclaruerat; non potuit ergo Abgarus Rex Edeſſeuorum ad Chriſtum hoc anno ſcribere illam epiſtolam, in qua ait ſe notitiam habere illorum miraculorum, quæ in tota Judæa patrabat Chriſtus Dominus, & perſecutionum, quas in ipſum Judæi commovebant. Ex ea itaque nota Chronologica colligunt moderni illi Critici ſuppoſititiam eſſe epiſtolam Abgari Regis Edeſſenorum ad Chriſtum.

Verùm, ut ingenuè fatear, hoc argumentum ex ea nota Chronologica petitum nihil apud me ponderis habet, immò exiſtimo Chriſtum anno trecenteſimo quadrageſimo æræ Edeſſenorum non ſolùm inclaruiſſe miraculis, ſed etiam illum hoc anno in Cruce paſſum ac mortuum fuiſſe. Enim verò Cardinalis *Noriſius* Chronologorum hujus temporis facilè Princeps, in libro, quem edidit *de anno & epochis Syro-Macedonum*, multis argumentis contra *P.Harduinum* Soc. J. Scriptorem evincit æram Edeſſenorum, non ſecus ac æram Seleucidarum initium habuiſſe anno primo Olymp. centeſimæ decimæ ſeptimæ, Urbis Romæ conditæ quadringenteſimo quadrageſimo ſecundo, ante æram vulgarem trecenteſimo duodecimo, ex quo, factâ accuratâ annorum ſupputatione, palàm ſequitur annum trecenteſimum quadrageſimum æræ Edeſſenorum concurrere cum anno primo Olympiadis ducenteſimæ ſecundæ, ſeu cum anno decimo quinto Imperii Tiberii ab obitu Auguſti, & cum anno vigeſimo nono æræ vulgaris, qui duobus geminis Conſulibus eſt inſignitus, in quem annum incidiſſe mortem Chriſti, in Diſſertatione decima quinta, juxtà veterum Sanctorum Patrum doctrinam pleniſſimè commonſtrabo. Falluntur ergo moderni illi Critici, dum putant Chriſtum anno trecenteſimo quadrageſimo æræ Edeſſenorum necdùm inclaruiſſe miraculis, nec ad baptiſmum acceſſiſſe; falluntur, inquam, quia Chriſtus hoc anno non ſolum in ore Famæ, omniumque gentium commendatione verſabatur, ſed etiam eodem anno mortuus eſt. Potuiſſet autem Abgarus Rex Edeſſenorum, jam ad ſe perlatâ Famâ Chriſti ex tot, tantiſque collecta miraculis, ad eum, paulò antequam in Crucem ageretur epiſtolam ſcribere. Quod ſpectat auctoritatem *Sancti Lucæ* referentis exordium miniſterii Joannis ad annum decimum quintum Imperii Tiberii, videnda ſunt, quæ diximus in Diſſertatione decima, in qua huic difficultati abundè fecimus ſatis. Miſſo itaque illo argumento, quod ex hac nota Chronologica deſumunt periti hujus ætatis Critici, nunc breviter aliis momentis probândum ſuſcipio utramque epiſtolam

ſtolam videlicet Abgari ad hCriſtum, & viciſſim Chriſti ad Abgarum, eſſe ſpuriam, ac ſuppoſititiam.

Primò, quia utriusque epiſtolæ, illiusque tam honorificæ Chriſto legationis à Rege Edeſſenorum decretæ, ne leviſſima quidem apud Sacros Euangeliſtas, Sanctos Patres, & Scriptores Eccleſiaſticos Euſebii ævo ſuperiores habetur mentio, quamvis in epiſtola Abgari ad Chriſtum extet luculentiſſimum de ipſius divinitate teſtimonium, ſic enim ſcriptum legimus: *Quæ quidem cùm de te audiviſſem, de duobus hiſce alterum verum eſſe cogitabam, te, aut Deum eſſe, & è cæli faſtigio delapſum, aut Dei Filium, qui tam ſtupenda edas miracula*. Credibile autem non eſt ſacros Euangeliſtas, qui dicta geſtaque Chriſti fideliter referunt, hanc perhonorificam ad Chriſtum legationem ſilentio prætermittere voluiſſe, nec etiam veroſimile eſt Sanctos Patres, qui ad probandam contra Arrianos Chriſti divinitatem immenſa non minus mole, quàm eruditione volumina ediderunt, & Concilia generalia Nicœnum, & Sardicenſe, quæ ad profligandos illos hæreticos fuere coacta, tam diſertum de Divinitate Chriſti teſtimonium, quod ad Arrianorum ora obſtruenda ſatis ſuperque ſufficere potuiſſet, alto itidem ſilentio obruere voluiſſe. Cùm igitur nec ſacri Euangeliſtæ illius legationis ad Chriſtum meminerint, nec Sancti Patres diſputantes contra Arrianos, nec Concilia ad præſocandam eorum hæreſim indicta, ejusmodi de Divinitate Chriſti teſtimonium unquam laudarint; perſpicuum eſt hanc epiſtolam Abgari ad Chriſtum non germanam, ſed apocrypham eſſe.

Secundò: in epiſtola, quæ Chriſto ad Abgarum tribuitur, citantur verba deprompta è Joannis Euangelio, quod tamen nonniſi poſt plures annos ab obitu Chriſti conditum eſt. *Abgare*, inquit in ea epiſtola Chriſtus, *beatus es, qui cùm non videris me, in me credidiſti. De me enim ſcriptis proditum eſt, eos, qui me viderunt, in me non credere: ut hi, qui me non viderunt, credant, & vitam conſequantur*. Quis autem, amabo, non videt Auctorem illius epiſtolæ alludere voluiſſe ad hæc verba, quæ leguntur *Joannis* cap. 20. *Beati, qui non viderunt, & crediderunt*. Unde quilibet in critices diſciplina tantiſper exercitatus facili negotio colligere poteſt hanc epiſtolam à Chriſto Domino non fuiſse exaratam.

Tertiò, in eadem epiſtola, quæ Chriſto tribuitur, legimus Chriſtum poſt honorificam illam legationem, & cognitam Abgari Regis Edeſſenorum fidem, ſimulque gravem, qua laborabat, ægritudinem, diſtuliſſe beneficium poſtulatæ ſalutis poſt ſuum in Cælos aſcenſum. Porrò credibile non eſt Chriſtum, qui tot beneficiis erat in omnes liberalis, qui ſolo Imperio morbos omnes ſanabat, & ad miſerorum preces nunquàm non reſpondebat, diſtuliſſe uſque ad

Ll aſcen-

aſcenſum ſuum ſanitatem illius Regis, qui tam benignè colloquia ejus ambiebat, ærariumque ſuum, ac potentiam unà cum ipſo partiri peroptabat, ac dumtaxât poſt Chriſti in Cælos aſcenſum miſſum fuiſſe Thaddæum qui fidem Chriſti liberaret, & pertinacem Regis Edeſſenorum morbum diſpelleret, & ſanaret. Hic profectò agendi modus non ſolùm potentiæ Chriſti, ſed ejus etiam prudentiæ & charitati contrarius eſſe videtur.

Quartò, hiſtoria ex Edeſſenis tabulis deſcripta, quæ utramque memorat epiſtolam, narrat benè multa de profectione Thaddæi, de illius ad Edeſſam appulſu, de illius prædicatione, & colloquiis cum Rege, quæ non ſibi cohærent, ſed fabulis accenſeri debent, ſicut fatentur eruditi hujus temporis critici, potiſſimùm noſter *Natalis Alexandre* tom. 1. Hiſt. Eccleſ. & *Elias du Pin* tom. 1. Bibliothecæ Script. Eccleſiaſticorum, quos Lector conſulere poteſt.

Quintò, ſi hæc epiſtola Chriſti ad Abgarum genuina eſſet, eam in canone recepiſset Eccleſia, ac divinam ipſi vindicaſset authoritatem. Eccleſia autem hanc epiſtolam Chriſti nomine inſignitam nunquàm in Sacro canone repoſuit, nec ei divinam aſseruit authoritatem.

Sextò, Sancti Patres, præſertim *Auguſtinus*, & *Thomas* diſertè docent, ſicut ſuprà oſtenſum eſt, Chriſtum Dominum nihil omninò litteris mandaſse, quod ſanè non docuiſsent illi Patres in traditione & antiquitate Eccleſiæ verſatiſsimi, ſi hanc epiſtolam Chriſti ad Abgarum ut Germanum illius fœtum agnoviſsent.

Septimò denique, utramque epiſtolam apochrypham eſse declaravit *Gelaſius* Papa in Concilio LXX. Epiſcoporum Romæ habito anno Chriſti 494. ut videre eſt apud *Gratianum* diſtinct. 15. Canone *Sancta Romana Eccleſia*, ibi quippè hæc verba leguntur: *Epiſtola Jeſus ad Abgarum Regem Apochrypha. Epiſtola Abgari ad Jeſum Apochrypha*. Conſtat itaque ex hoc judicio Romani Pontificis, qui accuratiſſimo Criterio libros falſos, dubios, & ſpurios ſecrevit à veris, certis, & genuinis, utramque epiſtolam videlicet Abgari Regis Edeſsenorum ad Chriſtum, & viciſſim Chriſti ad Abgarum, ſuppoſititiam eſse & apochrypham.

Dices primò: Non convenit inter peritos hujus temporis criticos illud decretum, quod legitur apud *Gratianum* diſtinct. 15. Canone *Sancta Romana Eccleſia*, fuiſse editum à Gelaſio Romano Pontifice. *Guillelmus Cave* in Hiſtoria ſua litterali tom. 1. pag. 265. aſserit illud decretum, quod circumfertur ſub nomine *Gelaſii* Papæ, fictum & ſuppoſititium eſse, ac ejuſdem farinæ cum epiſtolis primorum Pontificum à Clemente Papa uſque ad Siricium, ex ejuſdem inſignis impoſtoris *Iſidori* mercatoris officina prodiiſſe; in quam ſententiam ire videtur *Erneſtius Grabius* in notis ad Spicilegium

legium Patrum, & Hæreticorum primi ſæculi pag. 319. ex eo igitur decreto, quod falsò tribuitur *Gelaſio* Papæ, probari non poteſt epiſtolas Abgari ad Chriſtum, & Chriſti ad Abgarum eſse apocryphas & ſuppoſititias.

Reſpondeo: *Guillelmi Cave*, & ſimilium intemperantioris critices virorum de decreto *Gelaſii* Papæ dubitantium judicia flocci fieri debere, maximè cùm illud decretum à *Gelaſio* Papa conditum fuiſse uno ore fateantur omnes viri eruditi. Certè negari non poteſt hoc decretum ſub *Gelaſii* nomine paſſim ſæculo nono fuiſse laudatum. Nam eidem Pontifici diſertiſſimè illud decretum adjudicarunt *Hincmarus* Remenſis Archiepiſcopus in tomo 2. ſuorum operum pag. 474. *Nicolaus primus* in epiſtola 42. quæ eſt ad Epiſcopos Galliæ in Concilio 7. Romano apud *Labbæum* tomo 8. *Lupus* item Ferrarienſis Abbas in epiſt. 28. ad *Carolum Calvum*, & in fine libelli de tribus quæſtionibus. Idem cenſent *Baronius* ad annum Chriſti 494. *Philippus Labbæus*, & *Gabriel Coſſartius* tomo 4. Conciliorum col. 1260. ubi laudant vetuſtiſſimum codicem ſuum MS. & alium *Chriſtophori Juſtelli* col. 1261. clariſſimus etiam *Pagius* Annalium Eccleſiæ eximius illuſtrator, poſtquàm ad annum Chriſti 494. hoc decretum *Gelaſio* Papæ vindicavit, eruditè obſervat *Hormiſdam* Papam, ut petitioni *poſſeſſoris* Epiſcopi Affricæ faceret ſatis, tàm ad eum, quàm ad Legatos ſuos decretum *Gelaſii* deceſsoris ſui miſiſſe, ut illud ab omnibus religioſè obſervaretur, tuncque illud decretum in varia exemplaria per *Fauſti* Epiſcopi Rejenſis adverſarios tranſcriptum, latiùs per Europam, Affricam, & Orientem fuiſse diſseminatum, & quià ab *Hormiſda* Papa fuerat miſsum, ejuſque nomine vulgatum, eidem *Hormiſdæ* Papæ progreſsu temporis fuiſse à non nullis ſciolis imprudenter adſcriptum. Hinc falſam illius decreti inſcriptionis ſub nomine *Hormiſdæ* Papæ originem prodiiſse autumat clariſſimus *Pagius*. His jam citatis Auctoribus, qui prædictum decretum *Gelaſio* Papæ adjudicant, addi meritò debet *Petrus Franciſcus Chiffletius*, qui aliquandò cùm dubitaſset num verè hoc decretum *Gelaſio* Papæ eſset adſcribendum, re tamen deindè maturiùs examinatâ, ultrò faſsus eſt in notis ad *Vigilium Tapſenſem* pag. 157. ſe mutaſse ſententiam, poſtquàm antiquos legiſset Codices, in quibus hoc decretum editum notatur à *Gelaſio* Papa in Synodo Romana LXX. Epiſcoporum, *Aſterio*, & *Præſidio* Conſulibus, qui eſt annus Chriſti 494. *Gelaſii* Papæ tertius, ante *Hormiſdæ* Pontificatus initium vigeſimus. Ex his ergò, & aliis id genus momentis, quibus brevitatis causâ ſuperſedeo, refellitur præpoſtera *Guillelmi Cave*, & aliorum de decreto *Gelaſii* Papæ dubitatio.

DICES SECUNDÒ: *Euſebius Cæſarienſis* antiquiſſimorum

monumentorum venator diligentiſſimus lib. 1. Hiſt. Eccleſ. cap. 13. & *S. Ephrem Syrus*, & Eccleſiæ Edeſsenæ Diaconus in ſuo teſtamento, has epiſtolas Abgari ad Chriſtum, & Chriſti ad Abgarum tanquàm ſinceras & genuinas agnoſcunt, quibus aſsentiuntur multi Patres, & Scriptores Eccleſiaſtici, non debent ergò prædictæ epiſtolæ reiici tanquàm apochryphæ & ſuppoſititiæ.

Reſpondeo: quod licèt non negem, admirandam fuiſse *Euſebii Cæſarienſis* in concinnanda hiſtoria Eccleſiaſtica diligentiam, magnum laborem, variam & penè incredibilem lectionem, ac grave prorsùs in lectionis varietate judicium; facilè tamen mihi perſuadeo illum, in hoc facto hiſtorico de epiſtolis Abgari ad Chriſtum, & Chriſti ad Abgarum, fuiſse deceptum, eo quod non ſatis expenderit, juſtiſque ponderibus librarit illas epiſtolas, quæ ex tabulis Edeſsenæ Eccleſiæ deſcriptæ ad eum miſsæ fuerant. In his ſiquidem Eccleſiarum deſcribendis & referendis monumentis hiſtoricum in errorem aliquandò labi poſse nemo prudens inficias iverit. Addo etiam *Gelaſium* Papam in ſuo mox memorato decreto hiſtoriam Eccleſiaſticam ab *Euſebio Cæſarienſi* adornatam inter opera apochrypha recenſere, non quod voluerit ſagaciſſimus ille Pontifex omnem omninò hiſtoriæ Eccleſiaſticæ *Euſebii* fidem detrahere, ſed quòd *Euſebius* in ſua hiſtoria Eccleſiaſtica quædam facta narret quæ interdùm veritati hiſtoriæ parùm conſentanea eſse videntur, quod etiam lubenter fatentur cordati hujus temporis critici. Nec enim credere debemus, ut optimè ait noſter *Melchior Canus* lib. 11. de locis Theol. cap. 6. omnia, quæ magni Auctores ſcripſerint, undique eſse perfecta. Nam & labuntur aliquandò, & oneri cedunt, & indulgent ingeniorum ſuorum voluptati, vulgoque interdùm etiam indulgent, nec ſemper intendunt animum, & non nunquam fatigantur, adeò ut *Ciceroni Demoſthenes Dormitare*, *Horatio* verò *Homerus* quandoque videatur. Summi enim ſunt homines, homines tamen. Non igitur mirum ſi *Euſebius*, vir alioquin omnigenâ litteraturâ præditus, & extrà omnem ingenii aleam poſitus, ſuos habuerit nævos, cùm nihil ſit ex omni parte beatum, nec aliquod opus humanum, tam fælix, cui non ſint ſuæ additæ peſtes. *Euſebio* autem in hoc facto hiſtorico nullam fidem conciliare poteſt auctoritas *Sancti Ephremi Syri*, quippè qui cùm Syrus eſset, & Eccleſiæ Edeſſenæ Diaconus, facilè adduci potuit ut crederet has epiſtolas genuinas eſse, quas ad commendationem gentis & Eccleſiæ ſuæ plurimùm juvare, & conducere poſse intelligebat. Denique, ab aliis Scriptoribus, qui *Euſebio* fuere poſteriores, in hoc facto hiſtorico diſcedere nobis religio eſſe non debet, quia in hac facti narratione non accuratos, ſed potiùs negligentes ſe ſe præbuerunt, ac ſubindè illis annumerari debent qui,

qui, ut ait *Seneca* lib. 7. Natural. quæſt. cap. 16. *Incredibilium relatu commendationem parant, & Lectorem aliud acturum, ſi per quotidiana duceretur, miraculo excitant; quidam creduli, quidam negligentes ſunt: quibuſdam etiam mendacium obrepit, &c.* Unum omnibus illis Scriptoribus opponimus judicium *Gelaſii* Papæ, qui tàm Sacrorum, quàm Eccleſiaſticorum librorum examen ad ſeverioris criticæ normam exegit in decreto à ſe edito, quod probatur omnibus fermè hujus temporis criticæ diſciplinæ peritis, quibus ineſt veritatis amor cum eruditione conjunctus.

Advertat Lector in fine hujus Diſſertationis, Chriſtum Dominum, quò faciliùs doctrina, quâ totum Orbem innovare debebat, omnibus gentibus ab Apoſtolis annunciari poſſet, voluiſſe ut tempore adventus ſui totus Orbis eſſet in pace compoſitus, & omnes homines ſub uno terrarum viverent Imperio. *Et verè*, inquit S. *Ambroſius* enarratione in pſalmum XLV. *Antequam Romanum diffunderetur Imperium, non ſolùm ſingularum Urbium Reges adversùm ſe præliabantur, ſed etiam Romani Bellis frequentèr civilibus adterebantur. Pugnavit Marius adversùs cinnam, in utraque parte Romanus fuſus eſt ſanguis. Sylla inſurrexit, & Mario Victori rursùs civilia bella commovit. Lepidus, ſertoriuſque rebelles ſe Romano Imperio præbuerunt. Cæſar Pompejum eſt perſecutus, & Galliarum furorem excitavit adversùs arma Romana: Devicto Seniore Pompejo, Juniorem in Hiſpaniarum partibus debellavit. Quid triumviros loquar ex hoſtibus amicos, ex amicis rursùs in hoſtiles tumultus eſſe progreſſos: Maria quoque actiaco bello infecta ſanguine Romanorum? unde factum eſt, ut tædio bellorum civilium, Julio Auguſto Romanum deferretur Imperium; & ita prælia inteſtina ſedata ſunt. Hoc autem eò profecit, ut rectè per totum Orbem Apoſtoli mitterentur, dicente Domino Jeſu:* Euntes docete omnes gentes. *Illis quidem etiam intercluſa barbaricis montibus regna patuerunt, ut Thomæ India, Matthæo Perſia. Sed tamen quò plura obirent ſpatia terrarum, in exortu Eccleſiæ poteſtatem Romani Imperii toto Orbe diffudit, & diffidentium mentes, terrarumque divortia donata pace compoſuit. Didicerunt omnes homines ſub uno terrarum Imperio viventes, unius Dei Omnipotentis Imperium fideli eloquio confiteri.*

DIS-

DISSERTATIO DECIMAQUARTA

De Miraculis à Chriſto Domino editis.

SAnctus Thomas 3. part. quæſt. 43. diſſerit de Miraculis Chriſti in genere, & in ſequenti quæſtione de ſingulis ſpeciebus miraculorum Chriſti. Ipſe verò in duobus paragraphis compendiosè, quoad ejus fieri poterit, complectar ea quæ in his duabus quæſtionibus docet *Angelicus Præceptor*. In primo paragrapho agam de Miraculis Chriſti in genere. In altero, de Transfiguratione, & de variis ſpeciebus Miraculorum Chriſti.

Paragraphus Primus

De Miraculis Chriſti in genere.

CIrcà Miracula Chriſti in genere tres moveri poſſunt difficultates, quas hìc enucleandas ſuſcipio. Primò, an Chriſtus vera ediderit Miracula? Secundò, an ea divinâ virtute patrarit? Tertiò, an per ea quæ Chriſtus edidit Miracula ſuam ſufficientèr divinitatem comprobarit? ad quarum difficultatum pleniorem dilucidationem.

Dico primò: *Nulla ratione negari poſſe Chriſtum Dominum vera edidiſſe Miracula.*

Antequàm probetur hæc aſſertio, juvat in antecesſùm obſervare triplici potiſſimùm de causâ conveniens fuiſſe, ut Chriſtus ederet Miracula. Primò, quia Chriſtus adimplere debebat oracula Prophetarum, qui prædixerunt Meſſiam Miracula editurum, ſic enim *Iſaias* cap. 35. de Meſſia vaticinatur: *Deus ipſe veniet, & ſalvabit vos: tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt, tunc ſaliet ſicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Quod quidem *Iſaiæ* vaticinium in ſe fuiſſe impletum oſtendit Chriſtus *Matth.* cap. 11. dicens diſcipulis *Joannis*: *Euntes renunciate Joanni quæ audiſtis, & vidiſtis, cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes Evangelizantur.* Secundò, oportebat ut Chriſtus veritatem doctrinæ, quam prædicabat, Miraculis, tanquàm proprio divinitatis ſigillo muniret, palàmque omnibus fieret Deum eſſe in eo pergratiam, non quidem adoptionis, ſed unionis. In hanc rem dicebat ipſe Chriſtus *Joannis* cap. 5. *Opera quæ dedit mihi Pater ut faciam, ipſa ſunt quæ teſtimonium perhibent*

bent de me. Et *Joannis* cap. 10. *Si mihi non vultis credere, operibus credite*. Denique, Chriſtus Miracula patrare debuit ut Judæi, qui præ cordis duritia credere nolebant his quæ arcanis & divinis ſuis litteris continebantur, ſaltèm per Miracula converterentur, vel ſi duriores ſaxis converti nollent, nullam haberent excuſationem de peccato ſuo, hoc eſt, de peccato incredulitatis, *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*, inquit Chriſtus *Joannis* cap. 15. quaſi diceret: ſi in conſpectu Judæorum miracula non edidiſſem, quæ nemo alius homo edidit, tanta, tàm multa, tàm frequentia ad probationem miſſionis, ac divinitatis meæ, extra culpam fuiſſent non credendo me eſſe Chriſtum, & verum Dei filium: *Nunc autem & viderunt, & oderunt me & Patrem meum*, ideſt, nunc autem cùm miracula illa viderint, nullam cauſari poſſunt ignorantiam, quâ ſuæ incredulitatis peccatum excuſent, ſed odii in me ac Patrem meum convincuntur. Hac præmiſſa obſervatione.

Probatur variis argumentis vera miracula à Chriſto Domino patrata fuiſſe. Primò, ex Sacris Evangeliſtis, qui paſſim referunt Chriſtum Dominum, quacumque iter faceret, ægros ac debiles, & omni morborum genere laborantes, uno verbo, unoque momento reddidiſſe incolumes, adeò ut illi, qui omnibus membris capti erant, receptis actutùm viribus roborati, lectulos ſuos ipſi aſportarent, in quibus fuerant paulò ante delati, claudis verò, ac pedum vitio afflictis, non modò gradiendi, ſed etiam currendi dediſſe facultatem, cæcorum oculos in priſtinum reſtituiſſe aſpectum, mutorum linguas in eloquium, ac ſermonem ſolviſſe, ſurdorum patefactis auribus inſinuaſſe auditum, pollutos, aſperſoſque maculis repurgaſſe, mortuos velùt è ſomno ſolutos ad vitam revocaſſe, tantamque in eo fuiſſe poteſtatem ut Imperio ſuo cogeret ventos obſequi, Maria ſervire, mortem cedere, inferos obedire. Secundò, ad rationem veri,& propriè dicti miraculi quatuor potiſſimùm requiruntur conditiones, in primis neceſſe eſt ut ſit opus creatæ naturæ vires excedens. Deindè, ut effectus ejus pateat & ſub ſenſum cadat, ſicut mortuorum ſuſcitatio. Tertiò, ut fiat in inſtanti, vel ſaltem celeriùs quàm per naturæ vires fieri poteſt. Quartò, ut talis mutatio fiat quæ ſit omni ex parte perfecta; has autem quatuor conditiones habuerunt Miracula Chriſti, ut patet in ſuſcitatione Lazari; & in aliis hujuſmodi prodigiis quæ à Sacris Evangeliſtis referuntur, vera igitur fuerunt Miracula Chriſti. Tertiò, tanta fuit Miraculorum Chriſti evidentia, tanta magnitudo & multitudo, tanta excellentia & certitudo, ut cum Judæi ea inficiari non poſſent, magicis artibus à Chriſto Domino fieri calumniarentur, quam quidem Judæorum atrocem calumniam modò retundemus. Quartò, *Joſephus* inter

inter Judæos magni nominis, & probatiſſimæ fidei ſcriptor, lib. 18. Antiq. cap. 4. diſertis verbis aſſerit Chriſtum mirabilium operum fuiſſe editorem: *Fuit*, inquit, *hoc tempore Jeſus vir ſapiens: ſi tamen virum illum oportet dicere. Erat enim mirabilium operum effector, magiſter hominum qui vera libenter amplectuntur. Et plurimos quidem ex Judæis, plurimos etiam ex gentibus ad ſe pertraxit. Hic erat Chriſtus: cùmque eum à primoribus gentis ſuæ accuſatum Pilatus ad Crucem damnaſſet, ab eo diligendo non abſtiterunt, qui primùm cœperant. Nam poſt tertium diem redivivus ipſis apparuit: cùm divini vates hæc aliaque quàm plurima admiranda de eo prædixiſſent. Neque ad hanc diem defecit denominatum ab eo Chriſtianorum genus.* Ex quo teſtimonio, ab homine Judæo, magnique ponderis profectò, liquet Chriſtum vera Miracula edidiſſe. Si enim *Joſephus* Chriſtianus fuiſset, ait *S. Chryſoſtomus* homilia 5. in Acta Apoſtolorum: *Eſſet fortaſſis ſermo ſuſpectus. Quia autem Judæus, & æmulator, qui poſt Evangelium floruit, quomodo non omnibus manifeſta ſunt quæ facta?* Nec audiendi ſunt quidam intemperantioris criticæ viri, qui hoc præclarum Joſephi de Chriſto teſtimonium in dubium præpoſterè vocant, illudque à Priſcis Chriſtianis hiſtoriæ Joſephi fuiſſe pio dolo aſsutum audaciùs aſseverant; non inquam, audiendi ſunt malè feriati illi critici, tum quia omnes Joſephi codices ſive editi, ſive manuſcripti, ſive Græci, ſive Latini mirè conſentiunt in retinendo laudato de Chriſto teſtimonio. *Cl. Bernardus Monfaucon* Benedictinus Congr. S. Mauri cap. 2. Diarii Italici ſcribit ſe vidiſse in Bibliotheca Ambroſiana Mediolanenſi *Joſephi* operum tomum ſecundum incipientem à libro 11. Membranaceum habentem hiſtoriam Chriſti, ſicut habent codices editi. Tum quia etiam Scriptores Eccleſiaſtici illud Joſephi de Chriſto teſtimonium tanquam legitimum & genuinum exhibent, videlicet *Euſebius* in 3. libro Demonſtr. Evang. cap. 7. & lib. 1. Hiſt. Eccl. cap. 11. *Hieronymus* in libro de Scriptoribus Eccl. *Iſidorus Peleuſiota* lib. 4. epiſt. 225. *Sozomenus* lib. 1. Hiſt. Eccl. cap. 1. *Nicephorus Callixtus* lib. 1. Hiſt. Eccl. cap. 39. & alii antiqui, à quibus illibatum ad noſtra uſque tempora propagatum eſt hoc Joſephi de Chriſto teſtimonium, ut multis probant argumentis *Valeſius* in notis in *Euſebium*, Illuſt. *Huetius* in Demonſtr. Evangelica, & *Tilmontius* not. 40. in ruinam Judæorum tom. 1. Hiſtoriæ Imperatorum. Quæ igitur temeritas, exagitare velle hoc Joſephi de Chriſto teſtimonium, cujus ſinceritatem nemo veterùm negavit, nemo ipſorum vocavit in controverſiam? ſed ex ipſa ſerie hiſtoriæ Joſephi revincuntur illi critici, nam cum Joſephus in ſua hiſtoria mentionem faciat Joannis Baptiſtæ, & Jacobi fratris Jeſu, non eſt veroſimile hunc hiſtoricum alto ſilentio prætermittere voluiſse geſta, & Miracula Chriſti Domini, cujus fama longè

longè latèque percrebuerat, multique in tota Judæa motus exciti ſunt occaſione ipſius doctrinæ. Quod ſi quærant illi critici, cur igitur Joſephus ad fidem Chriſti non acceſſerit? confeſtim reſpondebo: quod ſicut Philoſophi gentiles: *Cùm cognoviſsent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum*, ut ait Apoſtolus ad Rom. cap. 1. ſic Joſephus, licèt cognoverit Chriſtum eſſe verum Meſſiam Prophetarum oraculis prædictum, evanuit tamen in cogitationibus ſuis, & per turpiſſimam adulationem oracula per id temporis de Meſſia totius Orbis moderatore jactata, Imperatori Veſpaſiano accommodavit, ut videre eſt, in libro 7. de Bello Judaico. Sed ſatis hactenùs dictum ſit de hoc Joſephi teſtimonio, cui, ſi pervicaces Judæi fidem adhibere nolint, certè negare non poterunt Ethnicos Imperatores, licèt ferro flammâque ſævirent in Chriſtianos, Chriſti tamen in veris edendis miraculis potentiam, virtutem, at divinitatem cognoviſſe, ac paulò poſt ejus obitum divinis illum honoribus afficere voluiſſe. *Tiberius* quippè, ut refert *Tertullianus* Apolog. cap. 5. *Annuntiata ſibi ex Syria Palæſtina, quæ veritatem ejus*, ſeu Chriſti, *divinitatis revelaverant, detulit ad Senatum cum prærogativa ſuffragii ſui*. Idem teſtantur *Euſebius* libro 2. Hiſtor. Eccleſ. cap. 2. & *Oroſius* libro 7. cap. 4. *Adrianus* etiam Imp. teſte Ælio Lampridio, de condendis Chriſto templis cogitavit. *Alexander Severus* Imperator Chriſtum inter Deos recipere, & templo donare voluit, habuitque in larario ſuo Chriſti effigiem quam matutinis horis venerabatur. *M. Aurelius* in litteris, quas ſcripſit ad Senatum Romanum, teſtatur, quòd, cùm Romanorum exercitus acerrimum prælium cum quadis iniiſſet, & in tantas difficultates incurriſſent milites, ut vehementiſſimâ ſiti vexarentur, & ob eas res pugnare haud poſſent, ad preces Chriſtianorum, quorum magnus erat in exercitu numerus, Chriſtum Deum ſuum invocantium, confeſtim in Romanos frigidiſſima aqua, in hoſtes verò imminentes grando ignea cecidit, & ad perpetuam tanti prodigii memoriam voluit Imperator ut hæc Chriſtianorum legio deinceps *fulminatrix* appellaretur. Denique, Imp. *Julianus*, apoſtata & Chriſti infenſiſſimus hoſtis, faſſus eſt, ut videre eſt apud *S. Cyrillum* lib. 6. *Chriſtum ſanaſse claudos, & cæcos aliquos, & Dæmone correptos adhibitis obteſtationibus liberaſse in viculis Bethſaida & Bethania*. Impietas ergo Judæorum, vera Miracula à Chriſto Domino edita eſſe negantium, refellitur non ſolùm ex locupletiſſimo teſtimonio Joſephi, hiſtorici Magni apud illos nominis, ſed etiam ex ipſa confeſſione Ethnicorum Imperatorum, qui Chriſtianam religionem multis perſecutionibus vexarunt, quibus adjungere poſſum Sarracenos, & Mahumedanos,

qui, ſicut teſtatur noſter *Raymundus Martini* in ſuo Pugione Fidei part. 2. cap. 8. non ſolùm prodigiis à Chriſto editis fidem adhibent, ſed in ſuo *Alcorano* cap. 2. cui titulus eſt, *de Familia Amram*, multa Chriſto affingunt miracula quæ non ex Sacris Evangeliſtis, ſed ex libris Apochryphis hauſta ſunt.

DICO SECUNDÒ: *Chriſtum divina virtute miracula edidiſſe.*

Probatur primò ratione *Sancti Thomæ* 3. p. q. 43. art. 2. vera miracula, ſicut ex. gr. ſuſcitatio mortuorum, ſolâ virtute divina fieri poſſunt, ſolus quippè Deus naturæ ordinem immutare poteſt, atqui Chriſtus quatriduanum Lazarum ſuſcitavit, cœci nati oculos aperuit, aliaque ejuſmodi miracula ſolo nutu, & imperio ſuo patravit, quibus oſtendit ſe divinâ pollere virtute, verumque Dei filium eſſe à Deo Patre miſſum in Mundum, ut hominum ſalutem promoveret. Hæc divina poteſtas, ut obſervat *Sanctus Hieronymus* in cap. 21. *Matth.* tùm maximè emicuit in Chriſto, quandò Mercatores è Templo ejecit: *Plerique arbitrantur*, inquit S. ille Doctor, *maximum eſſe Signorum, quod Lazarus ſuſcitatus eſt, quod cæcus ex utero lumen acceperit, quod ad Jordanem vox audita ſit Patris, quod transfiguratus in monte gloriam oſtenderit triumphantis, mihi inter omnia ſigna, quæ fecit, hoc videtur mirabilius eſſe, quod unus homo, & eo tempore contemptibilis, & in tantum vilis, ut poſteà crucifigeretur, Scribis, & Phariſæis contra ſe ſævientibus, & videntibus lucra ſua deſtrui, potuerit ad unius flagelli verbera tantam eiicere multitudinem, menſaſque ſubvertere, & cathedras confringere, & alia facere, quæ infinitus non feciſſet exercitus. Igneum quiddam, ac ſydereum radiabat ex oculis ejus, & divinitatis majeſtas lucebat in facie.*

Probatur ſecundò aliâ ratione, quam *Sanctus Thomas* lib. 1. contra gentes deprompſit ex Sancto Auguſtino, ſi Chriſtus divinâ virtute miracula non edidit, quomodò igitur ſine magno miraculo Chriſtus pauperculus, juvenis, ex gente omnibus exoſâ videlicet Judaicâ oriundus, perſecutionem, & probroſam mortem paſſus, à ſuis, ab Herode, à Pilato habitus ut fatuus, dicens ſe eſſe Deum, promittens crucem, mortem, omniaque ſuppplicia ſectatoribus ſuis, potuit abſque miraculis poſt mortem ſuam per pauperes Diſcipulos, piſcatores, indoctos, omnibus inviſos, morti traditos, Mundo erroribus implicito, & in tenebris idololatriæ immerſo ſuam doctrinam perſuadere, & religionem ſuam longè latèque propagare? Hoc certè unum inſtar omnium miraculum eſſe debet, quod ſola virtus divina potuit operari.

Reſpondent primò Judæi, Chriſtum in Beelzebub principe dæmoniorum dæmones expuliſſe, eumque artes magicas edoctum aliquandò miracula edidiſſe.

Verùm

Digitized by Google

Verùm hæc reſponſio multis argumentis convellitur. Primò, quia Chriſtus dæmones expellere non potuiſſet, niſi eos virtute divinâ viciſſet. Hinc legimus in Scriptura ſacra, quod ſæpè Chriſtus dæmones ex obſeſſorum corporibus invitos ejecerit, eorum aſtutiam retuderit, eosque ſpiritalibus armis domitos, ac ſubactos ſilere, ſibique cedere coegerit. Secundò, nulla Chriſto, & Satanæ tàm in opere, quàm in effectu fuit convenientia, ſeu affinitas. Satanas quippè diſpergere cupiebat, quos Chriſtus colligebat, *in hoc apparuit filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli*, inquit *Sanctus Joannes* cap. 3. Tertiò, Chriſtus ſæpiùs coram innumerâ Judæorum turbâ mortuos ad vitam revocavit, mare calcavit, procellas ſedavit, aquam in Cana Galilææ, præſentibus convivis, inſpectantibus famulis, in generoſum vinum convertit; & ex quinque panibus quinque hominum millia in deſerto ſatiavit: Quæro igitur quid hic potuerit ars magica moliri, quæ nihil veri, ac ſolidi oſtentare poteſt, & cujus peritia nihil aliud, quàm ad circumſcribendos oculos valet? Potuit ne Chriſtus quinque hominum millibus, totique Judæorum turbæ perſuadere ſe vidiſſe, quod non viderant, & ſe manducaſſe quod non manducaverant? Potuit ne Chriſtus perſuadere Architriclino, aliisque convivis in nuptiis factis in Cana Galilææ, aquam fuiſſe converſam in vinum, ſi reverà non fuiſſet converſa? Quartò, ſi Chriſtus artium magicarum ope miracula edidit, ut effutiunt Judæi, quorsùm igitur magiæ non eſt accuſatus in judicio? Cur nefandi illius criminis non eſt convictus à Scribis, & Phariſæis, qui nihil aliundè intentatum reliquerunt, ut Chriſtum Servatorem noſtrum atro carbone notarent, ac diris calumniis lacerarent? Denique, ſi Chriſtus magicâ arte miracula patravit, quomodò igitur illius Diſcipuli poſt ejus obitum per provincias diſperſi, & fundamenta Eccleſiæ ubique ponentes, potuerunt in nomine Magiſtri ſui magna, & penè incredibilia edere miracula? Quomodò etiam illis miraculis fidem præbere potuit univerſus Orbis, exceptis obſtinatis Judæis, qui miraculis Chriſti credere nolentes, à Deo deſerti ſunt, & nunc variis calamitatibus oppreſſi, in perpetuum captivi terris ſuis ſunt exterminati? Sed hæc ſufficiunt ad repellendam calumniam Judæorum, qui magicis artibus accepta referunt miracula Chriſti.

Reſpondent ſecundò Judæi: Chriſtum pronunciando nomen Dei, quod in Templo Hieroſolymitano erat deſcriptum, miracula edidiſſe. Narrant ſiquidem Judæi, ut videre eſt apud noſtrum *Raymundum Martini* parte 2. pug. fid. cap. 8. temporibus *Helenæ* Reginæ, quam univerſæ terræ Iſraeliticæ præfuiſſe ajunt, extitiſſe in Templo Hieroſolymitano lapidem, cui olim arca imponebatur,

in eoque lapide deſcriptum fuiſſe nomen Dei propriis elementis expreſſum, cujus ea vis erat, ut quicumque illud didiciſſet, & memoriæ mandaſſet, par eſſet omnibus eliciendis prodigiis. Cùm ergò pertimeſcerent Sapientes ne quis eâ facultate abuteretur, canes æreos portæ cuſtodes appoſuiſſe, qui hac arte erant fabricati ut ſi quis, memoriæ mandato Dei nomine, è Templo egredi vellet, magnis eorum territus latratibus ſacri nominis è veſtigio obliviſceretur. Contigit autem, inquiunt Judæi, ut Chriſtus quadam die in Templum ingreſſus ſacrum Dei nomen in membrana deſcripſerit, eamque vulneri cruri ſuo facto inſeruerit; ſicque egreſſus è Templo, ſacrum Dei nomen, quod propter canum latratus ex ipſius memoria effluxerat, iterum ope membranæ, quam extraxit è crure ſuo, didicerit, illudque pronunciando miracula ediderit.

Sed quàm malè conſarcinata ſit hæc Judæorum fabula, quilibet, ſi vel minimâ ſagacitate ſit præditus, confeſtim intelligere poteſt. Nàm primò, Judæi nullum hujuſce narratiunculæ teſtem proferunt, immò nec illius aliquod extat veſtigium apud *Joſephum* in antiquitatibus Judæorum verſatiſſimum, & in his deſcribendis, quæ in Templo Hieroſolymitano reperiebantur, auctorem diligentiſſimum. Secundò, *Helena* illa, quâ regnante, Judæi id contigiſſe ferunt, fuit Adiabenorum Regina, non verò Judæorum, ſicut optimè obſervat cl. *Joſephus de Voiſin* in ſuis annotationibus ad cap. 8. pugionis fidei. Tertiò, in putidiſſimum Anachroniſmum lapſi ſunt hujus fabulæ auctores, *Helena* namque Adiabenorum Regina proſelyta dumtaxàt fuit, hoc eſt, Judæorum religionem amplexa eſt ſub *Claudio* Imperatore, ſicut teſtatur *Joſephus* lib. 20. antiq. cap. 2. Quo tempore Chriſtus in vivis non erat, quippè qui paſſus eſt ſub Tiberio Imperatore. Quartò, quis credat canes æreos eâ arte fabricari potuiſſe, ut ſi quis memoriæ mandato ſacro Dei nomine è Templo exire vellet, eorum latratibus territus, ſacri illius nominis protinùs obliviſceretur? Hoc ſanè commentum dignum eſt Judæorum ingenio, quo nullum unquàm in cudendis fabulis, & formandis chimęris fuit fœcundius, ac feracius. Quintò, impoſſibile eſt Deum, qui eſt ſuprema veritas, permiſiſſe ut Chriſtus nomen Dei proferendo vera patraret miracula in confirmationem doctrinæ, quam prædicabat, ſi falſa fuiſſet, uti impiè contendunt Judæi. Denique, ſi reverà Judæis fuiſſet olim perſuaſum ſacrum Dei nomen memoriæ ſemel mandatum, & ab aliquo prolatum vim habere edendi miracula, procul omni dubio aliqui inter ipſos ſeſe illo juvaſſent temporibus Imperatorum Veſpaſiani, & Titi, dediſſentque operam ne caperentur, occiderentur, & in varias regiones captivi abducerentur, ne Hieruſalem, Templumque auguſtiſſimum flam-

flammis abſumerentur. Faceſſat ergo hæc inſulſa fabula ad elevandam veritatem miraculorum Chriſti à Judæis excogitata.

DICO ULTIMÒ: *Chriſtum per miracula, quæ edidit, ſufficientèr ſuam divinitatem comprobaſſe.*

Probatur. Solus Deus propriâ ſuâ virtute miracula patrare poteſt, atqui Chriſtus Dominus propriâ ſuâ virtute patravit miracula, ergo Chriſtus miraculis, quæ edidit, ſufficienter ſuam divinitatem comprobavit. Prob. minor, primò, ex ipſa ſpecie operum, quæ omnem omninò excedebant creatæ virtutis poteſtatem, undè cœcus illuminatus dicebat *Joannis* cap. 9. *A ſæculo non eſt auditum, quia aperuit quis oculos cæci nati: niſi hic eſſet à Deo non poterat facere quidquam*. Secundò, ex modo faciendi, ſolo ſiquidem nutu, & imperio Chriſtus ſæpiſſimè miracula operabatur, hinc *Lucæ* cap. 6. dicitur, quod *virtus de illo exibat, & ſanabat omnes*. Tertiò, ex ipſa doctrina, quâ Chriſtus ſe Deum dicebat, ac miraculis divinâ virtute factis Sole clariùs comprobabat, quod ſoli Chriſto eximium, ac ſingulare fuit. Nàm, licèt Apoſtoli, multique Sancti poteſtatem habuerint edendi miracula his ſimilia, quæ Chriſtus patravit, ſcilicèt dæmones eiiciendi, curandi infirmos, mortuos ſuſcitandi, immò & majora faciendi, ut Sanctus Petrus per ſolam ſui umbram, juxtà illud Chriſti cap. 14. *Joannis*: *Qui credit in me, opera, quæ Ego facio & ipſe faciet, & majora horum faciet*; nunquàm tamen Apoſtoli, aut alii Sancti miracula patrarunt, ut probarent ſe Deo coæquales eſſe, aut divinâ virtute pollere, ſed potiùs miracula fecerunt, ut oſtenderent ſe eſſe ſervos Chriſti, ſine quo nihil omninò boni agere poterant, & in cujus auguſtiſſimo Nomine miracula patrabant ad gloriam Dei promovendam, ad fidei confirmationem, ad naſcentis Eccleſiæ incrementum, ad divinitatis Chriſti manifeſtationem, ſicut Paulus, & Barnabas palàm conteſtati ſunt Actuum cap. 14. Hinc Chriſtus, poſtquàm loco mox laudato, dixit Diſcipulis ſuis: *Qui credit in me, opera, quæ Ego facio & ipſe faciet, & majora horum faciet*, illicò ſubdit: *Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam*, ut oſtendat ſe unum eſſe cum Patre Deum, unam eſſe utriusque operationem, eſſentiam, & omnipotentiam. Quamvis ergò Apoſtoli, aliique Sancti ediderint miracula quodam modo majora miraculis Chriſti, non fuerunt tamen æquales, aut majores Magiſtro Diſcipuli, domino ſervi, unigenito adoptati, homines Deo, quia Chriſtus propriâ virtute edidit miracula, ut divinitas, quam in ſe agnoſci, & ab omnibus coli volebat, toti mundo innoteſceret: At verò Apoſtoli, aliique Sancti non eo fine miracula patrarunt, ut oſtenderent ſe divinâ præditos eſſe poteſtate, ſed potiùs ut Chriſti Magiſtri ſui divinitatem comprobarent, nec ea miracula propriâ virtute ediderunt,

ſed

ſed Chriſtus per eos majora illa miracula facere dignatus eſt, qui dixit: *Sine me nihil poteſtis facere*. Unde *S. Ambroſius* lib. 3. de fide cap. 4. ait: *Licèt homines quoque ſuſcitarint mortuos; non in ſua tamen virtute fecerunt, ſed in Chriſti nomine. Aliud eſt rogare, aliud imperare: aliud mereri, aliud donare*. Ex quo palàm ſequitur, miracula, quibus Chriſtus tam per ſe, quàm per Diſcipulos probavit doctrinam, quâ ſe Deum dicebat, eſſe illuſtria ipſius divinitatis argumenta, quia Deus, qui nec falli, nec fallere, nec mendaciis auctoritatem conciliare poteſt, nunquàm permiſiſſet, ut Chriſtus doctrinam, quâ ſe Deum, & æterno Patri coæqualem eſſe dicebat, miraculis confirmaret, niſi Chriſtus fuiſſet verus Deus, & unigenitus Dei Patris Filius.

Diluuntur objectiones.

Arguitur primò: Si Chriſtus divinâ virtute miracula edidiſſet, debuiſſet in pueritia ſua miracula facere, fuit enim Chriſtus, ut docent Theologi, à momento conceptionis ſuæ Deus & homo, ac ſubindè patrandi miracula divina poteſtate præditus, atqui Chriſtus nulla omninò miracula in infantia ſua patravit, ſed ſolùm anno circiter trigeſimo, vel trigeſimo primo ætatis ſuæ, quandò videlicet in nuptiis in Cana Galilææ factis convertit aquam in vinum, ut dicitur *Joannis* cap. 2. *Hoc fecit initium ſignorum Jeſus*; ergò Chriſtus virtute divinâ miracula non fecit.

Reſpondeo cum *S. Thoma* 3. p. quæſt. 43. art. 3. Chriſtum, licèt à momento conceptionis ſuæ divinâ poteſtate patrandi miracula donatum, non debuiſſe in pueritia ſua miracula facere, quia exiſtimaſſent Judæi phantaſma eſſe incarnationem, & antè opportunum tempus Chriſtum morti tradidiſſent. Addit etiam Angelicus Doctor, id pertinere ad laudem Diſcipulorum Chriſti, qui eum ſequuti ſunt relictis omnibus, quæ poſſidebant, antequàm miraculis inclaruiſſet. Hinc meritò *Cardinalis Baronius* ad annum primum Chriſti ait ſe lubenter ſilentio præterire multa miracula, quæ in Chriſti infantia, ſeu in ejus itinere, ac in Ægypti manſione facta perhibentur, tùm quia firmâ carent auctoritate, tùm quia putat ea fuiſſe hauſta ex libro apochrypho *De infantia Salvatoris*, qui lege Eccleſiaſticâ, ſeu in decreto Gelaſii Papæ eſt interdictus.

Arguitur ſecundò: Si Chriſtus divinâ virtute miracula patraſſet, potuiſſet ubique locorum miracula facere, atqui Chriſtus non potuit in patria ſua edere miracula, dicitur enim *Marci cap. 6. Et non poterat ibi virtutem ullam facere*; Chriſtus ergo virtute divinâ non edidit miracula.

Reſ-

Reſpondeo cum *S.Thoma*: id, quod de Chriſto dicit *S. Marcus*: *Non poterat ibi virtutem ullam facere*, non eſſe referendum ad potentiam abſolutam, ſed ad id, quod poteſt congruenter fieri, ità ut ſenſus ſit, non fuiſſe congruum, ut Chriſtus apud populares ſuos, ſeu Nazarenos patraret miracula propter pertinacem incredulitatem eorum cum contemptu conjunctam, quâ ſe miraculis omninò indignos præſtabant. Petentibus enim & credentibus dumtaxàt, non curioſis, & planè incredulis miracula concedere, ſeu in eorum gratiam edere ſolebat Chriſtus, ut fidem jàm inchoatam in illis confirmaret. Nolebat igitur Chriſtus miracula facere apud ſuos Nazarenos,nec decebat ut priora ſpernentibus plura ingereret, undè ibidem ſubditur: *Et mirabatur propter incredulitatem eorum*. Addo etiam, quod quandò *S. Marcus* ait Chriſtum in patria ſua non potuiſſe ullam virtutem facere, idem planè eſt ac ſi diceret Chriſtum apud ſuos populares miracula non feciſſe propter incredulitatem eorum; nàm juxtà Hebraiſmum Scripturæ ſacræ familiarem, fieri non poſſe dicitur, quod reverà non fit, ut ex. gr. *Geneſis* cap.19. *Non potero facere quidquam, donec ingrediaris illuc*, ideſt, non faciam. Et *Marci* cap.9. *Si potes credere, omnia ſunt poſſibilia credenti*. Hoc eſt, ſi credis.

Arguitur tertiò: Si Chriſtus divinâ virtute miracula edidiſſet, non opus habuiſſet in patrandis miraculis orationem præmittere; ſed ſolo nutu, atque imperio miracula feciſſet, atqui conſtat ex Scriptura ſacra Chriſtum in patrandis miraculis orationem præmittere ſolitum eſſe, non igitùr virtute divinâ edidit miracula.

Reſpondeo: Chriſtum non propter neceſſitatem ſuffragii, ſed propter exemplum, in patrandis miraculis orationem præmittere voluiſſe, ut confunderet Judæos, qui illum in Beelzebub principe dæmoniorum expellere dæmones calumniabantur. Undè *Joannis* cap. 11. ſic Chriſtus Patrem ſuum alloquitur: *Pater gratias ago tibi, quoniam audiſti me, Ego autem ſciebam, quia ſemper me audis; ſed propter populum, qui circumſtat dixi, ut credant quia tu me miſiſti*. Prætereà, Chriſtum nullâ quandòque præmiſsâ oratione miracula edidiſſe conſtat exemplo illius viri leproſi, cui Chriſto dicenti: *Domine, ſi vis, potes me mundare*, ſtatim reſpondit Chriſtus: *Volo, mundare*. Non enim, ut obſervat *Sanctus Chryſoſtomus* homil. 26. in *Matthæum*, leproſus Chriſto dixit: *Si oraveris Deum, ſed, ſi velis, potes me mundare. Neque ait: Domine munda me, ſed ipſi cuncta commiſit; eumque conferendæ ſanitatis dominum eſſe confeſſus eſt, atque in ipſo conſtituit omnem auctoritatem. Quid verò, inquis, ſi prava erat opinio leproſi? Procul dubio illam deſtrui, iſtum verò corripi oportebat & corrigi. Putasne igitur hoc facit? Nequàquam, ſed è regione totum, quod dixerat, & aſſenſione prorsùs, & operatione confirmat; & non dixit,*

dixit, mundus eſto; ſed, volo, mundus eſto &c. Denique, ut à minori ad majus argumentatur idem *Sanctus Pater* ſerm.11.tom.5. *Diſcipuli Chriſti ſolo verbo mortuos ſuſcitabant. Petrus nonne Tabitham verbo excitavit? Paulus nonne ſuis veſtibus multa ſigna fecit? Diſce quippiam mirabilius iſtis: Apoſtolorum umbra mortuos ſuſcitabat, &c. Quid ergò Diſcipulorum umbra mortuos excitabat, & Magiſter precibus egebat ut mortuum excitaret?* Patet itàque Chriſtum non orationis operâ, ſed propriâ poteſtate, ſeu divinâ virtute miracula edidiſſe.

Arguitur quartò: Ethnici multa miracula patrarunt, ergò Chriſtus per miracula, quæ tam per ſe, quàm per Diſcipulos edidit, ſuam divinitatem ſufficienter non probavit. Prob. ant. primò, exemplo *Apollonii Tyanæi*, cujus vitam, ac res geſtas octo libris celebravit *Philoſtratus*, totque, ac tanta ab illo edita memoravit miracula, ut *Hierocles* Ægypti Præfectus indè occaſionem arripuerit inſtituendæ comparationis Apollonium inter & Jeſum in eo libro, quem φιλαλήθη inſcripſit. Secundò, *Cornelius Tacitus* lib.4. cap. 82. refert Imperatorem Veſpaſianum cuidam homini cœco per inſputationem reſtituiſſe viſum, & alium hominem, calcatâ ab Imperatore illius manu fuiſſe curatum. Patet itàque ab Ethnicis fuiſſe edita miracula.

Reſpondeo: Hæc, & alia id genus prodigia, quæ ab Ethnicis facta produntur, fuiſſe vel ſimulata, ac magicis artibus tribuenda, vel conficta, planèque commentitia. Et ut ordiar ab *Apollonio Tyanæo*, quem tantis laudibus extollit *Philoſtratus*, multis momentis evinci poteſt miracula, quæ illi tribuuntur, meras præſtigias fuiſſe. Primò, quia conſtat Apollonium Tyanæum fuiſſe vaferrimum magum, qui eâ de cauſa ab Imperatore Domitiano captus eſt, & in carcerem detruſus. Eum magum fuiſſe teſtantur *Lucianus* in pſeudomante, & *Dio Caſſius* lib.77. hiſt. Rom. ubi de *Antonio Caracalla* Imperatore hæc habet: *Magis & præſtigiatoribus ita delectabatur, ut Apollonium Cappadocem, qui floruerat Domitiani temporibus laude & honore affecerit (hic præſtigiator fuerat ſolers & magus)*. Idem de Apollonio Tyanæo judicium ferunt antiqui Scriptores Eccleſiaſtici, & in primis *Lactantius* lib.5. divin.inſtit. cap.5. ubi ſic de Apollonio loquitur: *Non potuit poſt mortem Deus credi, quia & hominem, & magum fuiſſe conſtabat, & ideò alieni nominis titulo affectavit Divinitatem, quia ſuo nec poterat, nec audebat. Noſter verò*, ideſt Chriſtus, *& potuit Deus credi, quia magus non fuit, & creditus eſt, quia verus fuit*. Secundò, ex ipſa Apollonii hiſtoriæ lectione facilè dignoſcitur Philoſtratum in hac conſcribenda hiſtoria eò potiſſimùm collimaſſe, ut jam propagatam Chriſti fidem, ac doctrinam deprimeret, de induſtria adſcribendo Apollonio omnia fermè, quæ Scriptura ſacra Chriſto Domino tribuit. Philoſtratum imitatus eſt *Hierocles* Ægypti Præfectus, qui in odium Chriſtianæ Reli-

Religionis duos libros *Philaletis* nomine edidit, in quibus Apollonium Tyanæum cum Chriſto Servatore noſtro comparat, quem impium & ſacrilegum Auctorem his verbis meritò perſtringit *Lactantius* lib.5. inſt.Divin. cap.3. *Cùm igitur talia ignorantiæ ſuæ deliramenta fudiſſet, Hierocles, auſus eſt libros ſuos nefarios, ac Dei hoſtes* φιλαλήθεις *annotare. O cæcum pectus! O mentem Cimmeriis, ut ajunt, tenebris atriorem! Diſcipulus hic fortaſſis Anaxagoræ fuerit, cui nives atramentum fuerunt: atqui eadem cæcitas, & vero falſitatis, & mendacio veritatis nomen imponere. Videlicet homo ſubdolus voluit lupum ſub ovis pelle celare, ut fallaci titulo poſſet irretire Lectorem.* Tertiò, *Philoſtratus* centum & ampliùs annis fuit Apollonio Tyanæo recentior, adeòque res ab eo geſtas nonniſi ex alieno teſtimonio perſpectas habere potuit; Apollonius quippè imperante Domitiano vixit, Philoſtratus verò imperante Severo; fatentur autem omnes periti Critici, incertiſſimas ſemper reputari debere hiſtorias ab illis Auctoribus conſcriptas, qui his de rebus ſcribunt, quæ pluribus ante eos ſæculis contigerunt. Quartò, Philoſtratus teſtes hiſtoriæ ſuæ laudat *Damidem Aſſyrium*, *Maximum Ægienſem*, & *Mægarenem*, qui omnes fide carent. Nam *Damis*, quem ſatis conſtat Scriptorem fuiſſe vaniloquum, & Græcæ fidei, ſuos de Apollonio commentarios in lucem non edidit, ſed per quemdam ejus familiarem cùm *Juliæ* Severi Imperatoris uxori innotuiſſent, hujus juſſu recognovit eos Philoſtratus, qui, ut Apollonium Heroem ſuum magis apud Juliam commendaret, benè multa Damidi affinxit. Nec majorem meretur fidem *Maximus Ægienſis*, quippe qui pauca de Apollonio retulit, ea nimirùm, quæ Apollonius egit cum ægis verſaretur. *Mægareni* autem tertio teſti fidem derogat ipſe Philoſtratus, qui lib.1. cap.3. teſtatur: Mægarenem multarum rerum, quæ vitam Apollonii ſpectant, notitiam non habuiſſe. Nullam ergo fidem merentur tres illi teſtes, quos hiſtoriæ ſuæ laudat *Philoſtratus*. Denique, Apollonii Tyanæi hiſtoriam, quam octo libris concluſit *Philoſtratus*, mendaciis & fabulis à capite ad calcem ſcatere demonſtrant *Euſebius Cæſarienſis* in lib. adverſus Hieroclem, *Photius* in ſua Bibliotheca Cod.44. *Scaliger* in Euſebianis num.278. *Baronius* tom.1. annalium ad annum Chriſti 78. & *Daniel Huetius* Epiſcopus Abrincenſis in demonſt. Euang. propoſ.9. pag.163. & ſeq. ex quibus hæc pauca excerpſi. *Multum igitur errant*, ut cum *Auguſtino* loquar epiſt. 138. aliàs 5. ad Marcellinum, *qui Prophetis Sanctis, miraculorum magnorum nobilitate præſtantibus magos comparant; quanto magis ſi eos comparent Chriſto, quem Prophetæ illi, quibus Magi quilibet nullo modo ſunt comparandi, prænuntiaverunt eſſe venturum, & ſecundùm carnem, quam ſumpſit ex Virgine, & ſecundùm divinitatem, qua nunquam ſeparatur à Patre.*

Digitized by Google

Ad alterum exemplum de miraculis Imperatoris Veſpaſiani in objectione relatum, reſpondeo: hæc miracula non vera, ſed ſimulata fuiſſe. Idque colligo primò ex eo quod Ægyptii, cùm famâ accepiſſent *Joſephum* Judæum Veſpaſiano Imperatori quædam oracula de Meſſia totius Orbis Moderatore id temporis jactata accommodaſſe, ne ipſi in arte adulatoria cederent, Veſpaſianum Deum facere conati ſunt, illi videlicet divinæ virtutis affingendo miracula. Secundò, *Cornelius Tacitus* aſſerit Veſpaſianum, quando illi ſimulati ægri, quos Ægyptii ſubornaverant, fuerunt ipſi oblati, confeſſum fuiſſe ſe vim non habere reſtituendi illis ſanitatem: *Veſpaſianus*, inquit, *primò irridere, & aſpernari, &c.* ſubdit deindè idem Auctor, Veſpaſianum vocibus adulantium Ægyptiorum, apud quos tum temporis verſabatur ille Imperator, in ſpem inductum fuiſſe ſe poſſe hominibus conferre ſanitatem, *tandem vocibus adulantium in ſpem induci*. Denique, illorum hominum, qui Veſpaſiano ſunt oblati, ægritudinem non veram, ſed ſimulatam fuiſſe, apertè ibidem oſtendit *Cornelius Tacitus* ex ipſiſmet verbis Ægyptiorum, qui Imperatori Veſpaſiano dixerunt: *Huic non eſſe exeſam vim luminis, & redituram ſi pellerentur obſtantia, illi elapſos in pravum artus, ſi ſalubris vis adhibeatur, poſſe integrari*. Quis, amabo, non videt ejusmodi homines, ab Ægyptiis Veſpaſiano oblatos, ſe ægros conſultò finxiſſe, eo fermè modo, quo multi etiamnùm pauperes oſtiatim mendicantes, vel per vias effuſi, varias mentiuntur ægritudines, ſeque claudos, ac cæcos ſingulari dexteritate ſimulant, ut tranſeuntibus fucum faciant, & ampliorem ab illis corradant eleemoſynam? ſed fruſtrà jaciuntur retia ante oculos pennatorum.

Arguitur ultimò: Multa in Alcorano referuntur miracula à Mahometo edita. Ibi quippè legitur Mahometum cum Archangelo Gabriele aſcendiſſe in Cœlum. Illum à quadrupedibus, arboribus, avibus, & lapidibus fuiſſe ſalutatum: Tranſplantatas etiam ab ipſo de loco in locum plurimas arbores, & alia hujusmodi ſtupenda ab ipſo facta prodigia narrantur; atqui tamen Mahometus fuit inſignis impoſtor, ergo ex miraculis, quæ Chriſtus edidit, probari non poteſt illum fuiſſe Deum.

Reſpondeo: Maximum eſſe diſcrimen inter vera Chriſti miracula, & pſeudo-miracula, quæ à Mahometo inſigni impoſtore facta in Alcorano narrantur. Primò, quia Chriſtus non in angulo, non in receſſu, ſed in propatulo, in compitis, in media turba, in feſtis, frequentique Judæorum foro miracula patravit, ſcilicet Lazarum quatriduanum è monumento ad vitam revocavit, & filium viduæ in Civitate Naim de feretro mortuum jacentem excitavit. At Mahometus nonniſi clandeſtina jactabat pſeudo-miracula, quæ coram populo facere

cere

cere recuſabat, nec unquam mortuum excitavit,vel ſanavit ægrotum probabiliter moriturum, nec cæco dedit viſum, nec claudo greſſum, nec leproſum mundavit. Secundò, miracula, quæ Chriſtus patrabat, ordinabantur vel ad æternam ſalutem hominum procurandam,vel ad ſanitatem, vitamque temporalem illis reſtituendam; at nullum in Alcorano legitur miraculum, quod Mahometus fecerit propter aliquod bonum cedens in proximi utilitatem, ſed potiùs omnia miracula,quæ ab ipſo edita narrantur, ad eum modum facta perhibentur, nempè vel ad malum aut futilem finem, vel ad ſuperbiæ,& vanæ gloriæ oſtentationem. Denique, miracula, quæ in Alcorano à Mahometo facta referuntur, tot nænias, fabulas, contradictiones, & mendacia craſſo filo contexta exhibent, ut eorum falſitas, & impoſtura cordato ac ſapienti viro ſolâ narratione pateant, nullâque poſſint tergiverſatione celari.

QUÆRES: *Vtrum in Eccleſia Catholica ad hanc uſque ætatem conſervatum fuerit donum miraculorum?*

Reſpondeo: in Catholica, ſeu Romana Eccleſia, à temporibus Apoſtolorum ad hanc uſque ætatem ſemper extitiſſe viros, qui, doctrinâ & ſanctitate conſpicui, miraculorum dono præfulſerunt. Fidem huic veritati faciunt Sancti Patres teſtes oculati, *Irenæus* lib. 2. adversùs hæreſes cap. 66. *Chryſoſtomus* tom. 5. ſerm. 67. *Hilarius* lib. in Conſtantium Imper. *Gregorius Nazianzenus* orat. 18. *Auguſtinus* lib. 22. de Civit. Dei cap. 8. *Hieronymus* lib. contra Vigilantium, *Theodoretus* orat. 8. adverſus Græcos, & alii benè multi, qui referunt miracula, quæ ipſi propriis inſpexerunt oculis, & quæ ad ſepulchra, ac reliquias Sanctorum Martyrum ſuo tempore frequentèr edebantur. Quæ miraculorum virtus ad pietatem fidelium excitandam, & ad demonſtrandam Chriſtianæ fidei, atque Eccleſiæ Catholicæ veritatem etiamnùm pluribus in locis perſeverat, in quibus ad oſſa & ſepulchra Martyrum dæmones mugiunt, ægritudines depelluntur, ac multa admirationum opera cernuntur. Scio hæreticos miracula, quæ in Eccleſia Catholica à Viris Sanctis, & ad eorum ſepulchra, vel reliquias eduntur, ſupercilioſo faſtidio velut anicularum nænias aſpernari; ſed eorum revincitur pertinacitas ex verbis Chriſti Domini cap. ult. *Marci*, dicentis: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: In nominè meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit: ſuper ægros manus imponent, & benè habebunt.* Id pollicetur Chriſtus, id teſtantur acta Apoſtolorum, id Sancti Patres unanimi conſenſione per ſingulas ſinguli ætates commemorant, id Eccleſia in canonizatione Sanctorum ſæpiùs confirmat, id publica populorum vox clamat, & tamen hæretici credere nolunt, qui nulla unquam in confirmationem ſuæ doctrinæ miracula patrare

 po-

potuerunt, vel ſi aliqua facere, aut fingere tentarunt, ſemper ſe ſe omnibus deridendos propinarunt, ut compertiſſimum eſt ex multis hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monumentis. Sed non mirum ſi fidei transfugæ & oppugnatores, hæc fidei noſtræ oracula, ac præſidia, hæc divinæ erga nos bonitatis & miſericordiæ pignora abominentur, atque in ſacra cimelia, quæ fidelium venerationi patent, ferro, ignibusque graſſentur.

Paragraphus Secundus

De Transfiguratione Chriſti, & de variis ſpeciebus miraculorum, quæ ab ipſo edita ſunt.

Inter omnia miracula, quæ patravit Chriſtus Dominus, potiſſimùm refulget ipſius Transfiguratio, in qua Divinitatem ſuam, & Sanctorum præmonſtravit gloriam. *Aſſumpſit*, inquit *Matth.* cap.17. *Jeſus Petrum & Jacobum & Joannem fratrem ejus, & duxit illos in montem excelſum ſeorsùm: & transfiguratus eſt ante eos*. Quiſnam fuerit ille mons, in quo Chriſtus transfiguratus eſt? Non dicunt ſacri Euangeliſtæ. Sunt aliqui Scripturæ ſacræ Interpretes, qui, ut videre eſt apud *P. Bernardum Lamy* in Appar.Geogr. cap. 12. exiſtimant Chriſtum non fuiſſe transfiguratum in monte Thabor, ſed in monte excelſo propè Cæſaream Philippi, videlicet in iſto monte qui, teſte *Joſepho*, altiſſimus ipſis fontibus Jordanis imminebat, & ad cujus pedes ſita erat Cæſarea. Verùm probabilior, & quæ veteri traditione nititur nunc eorum opinio invaluit, qui dicunt Chriſtum fuiſſe transfiguratum in monte Thabor, qui mons eſt in media Galilæa ſitus non procul à Nazareth, ſic enim docet *Sanctus Hieronymus* in lib. de locis Hebraicis, & in epitaphio Paulæ, ubi ſanctæ illius mulieris enarrans peregrinationes, hæc habet: *Scandebat montem Thabor, in quo transfiguratus eſt Dominus*. De hac Chriſti transfiguratione *S. Thomas* 3. par. q.45. quatuor movet dubia. Primò, cur Chriſtus fuerit transfiguratus? Secundò, an claritas Chriſti in Transfiguratione fuerit claritas glorioſa? Tertiò, utrùm teſtes Transfigurationis Chriſti fuerint convenienter adducti? Denique, utrùm convenienter auditum fuerit paternæ vocis teſtimonium? His quatuor dubiis, ut breviter faciam ſatis.

Ad primum reſp. Chriſtum his de cauſis fuiſſe transfiguratum. Primò, ut Apoſtolos, quibus oſtendit gloriam ſuam, & deindè omnes fideles, ex contẽplatione perennis gaudii ad breve tempus delibatâ, in prœliis militiæ Chriſtianæ roboraret, in adverſis confirmaret, in aſpera ac difficili hujuſce peregrinationis via, per quam ad Regnum Cœlorum

rum

Digitized by Google

rum pervenire debebant, conſtantes redderet, quia, ut inqnit Apoſtolus ad Rom. cap. 8. *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*. Præterea, ne tempore paſſionis, ubi tota naturæ humanæ Chriſti infirmitas apparere debebat, Apoſtolorum fides labefactaretur, voluit Chriſtus præoſtensâ in Transfiguratione gloriâ ſuâ illos in fide ſolidare, *ut de cordibus Apoſtolorum Crucis ſcandalum tolleretur, & ne conturbaret eorum fidem voluntaria humilitas paſſionis, quibus revelata eſſet abſconditæ excellentia dignitatis*, ait *Sanctus Leo* ſerm. 94. ſeu homilia de Transfiguratione. Transfiguratus autem dicitur Chriſtus, non quod faciei mutaverit lineamenta, vel quod aliam formam induerit, ſed *quia reſplenduit facies ejus ſicut Sol*, fulgore ſcilicet tùm ex Divinitatis majeſtate, tùm ex animæ beatitudine in faciem, totumque Chriſti Corpus dimanante, & candore per illius veſtimenta coruſcante. Fallitur ergo *Origenes*, qui in tractatu 35. in Matthæum ex priſca traditione aſſerit in Chriſto duas fuiſſe formas, unam quidem, ſecundùm quam omnes eum videbant; alteram autem ſecundùm quam transfiguratus eſt coram diſcipulis ſuis in monte, eumque juxtà geminam illam formam unicuique apparuiſſe ſecundùm quod erat dignus. Fallitur, inquam, *Origenes*, primò, quia ſi Chriſtus duas habuiſset formas, ſecundùm quas unicuique, prout dignus erat, apparuiſſet, procul omni dubio Judæi, qui Chriſtum calumniandi omnem occaſionem captabant, eum traduxiſſent tanquam alterum Proteum, qui, ut fabulantur Poetæ, ſe ſe in varias ſpecies ac formas pro ſuo nutu & arbitrio transformabat. Secundò, ſi Chriſtus præter corporis formam, quæ omnium oculis patebat, aliam habuiſſet formam glorioſâ claritate fulgentem, & hominum oculis imperviam, corpus ipſius nunquam caruiſſet dotibus corpori glorioſo debitis, quod tamen adverſatur perpetuæ traditioni Eccleſiæ, quæ docet Chriſti Corpus caruiſſe uſque ad Reſurrectionem dotibus Corpori glorioſo debitis, quò impleretur per Paſſionem Chriſti myſterium Redemptionis. Denique, Chriſtum citrà ullam vel ſubſtantiæ, vel corporis mutationem fuiſſe transfiguratum, docent Sancti Patres, & præcipuè *Sanctus Hieronymus* in cap. 17. Matth. ubi hæc habet: *Nemo putet Chriſtum per hoc, quod transfiguratus dicitur, priſtinam formam & faciem perdidiſſe, vel amiſiſſe corporis veritatem, vel aſſumpſiſſe Corpus ſpirituale, vel aereum: ſed quomodo transfiguratus ſit Euangeliſta demonſtrat, dicens*: Reſplenduit facies ejus ſicut Sol, veſtimenta autem facta ſunt alba ſicut nix: *ubi ſplendor faciei oſtenditur, & candor deſcribitur veſtium, non ſubſtantia tollitur, ſed gloria demonſtratur*.

Ad alterum Dubium reſpondeo: Claritatem, quam Chriſtus oſtendit in transfiguratione ſua, fuiſſe claritatem gloriæ quantùm ad

ad eſſentiam, ſed non quantùm ad modum, quod quidem probatur: Primò, auctoritate *S. Hieronymi* qui in cap. 17. *Matthæi* ſic loquitur: *Certè transformatus eſt Dominus in eam gloriam, qua venturus eſt poſteà in Regno ſuo*. Idem docet *S. Chryſoſtomus* homil. 57. in *Matthæum*. Secundò, ſicut claritas corporis glorioſi manat ab animâ donatâ viſione beatificâ, itâ claritas corporis Chriſti in transfiguratione proficiſcebatur ab ipſius anima, & à ſuppoſito divino ipſi hypoſtaticè unito. Enim verò quamvis gloria animæ Chriſti à momento conceptionis beatitudine perfuſæ non redundaverit in corpus, itâ diſponente Deo ne impediretur redemptionis myſterium, nata tamen erat anima Chriſti ad effundendam gloriam in corpus, ſicut reverâ quantùm ad gloriæ claritatem accidit in transfiguratione, aliter tamen quàm in corpore glorioſo, nam ad corpus glorioſum redundat claritas ab anima inſtar qualitatis permanentis corpus afficientis, at in transfiguratione claritas gloriæ prorumpens è divinitate & anima Chriſti, effuſa eſt in ipſius corpus non per modum qualitatis immanentis, & afficientis ejus corpus, ſed per modum paſſionis tranſeuntis, non ſecùs ac contigit Apoſtolo Paulo dum in ſuo raptu vidit eſſentiam Dei, ut explicat *S. Thomas* 2. 2. quæſt. 75. art. 2. ad 2. clariras ergò, quam Chriſtus in ſua transfiguratione oſtendit, orta eſt ex ipſius anima, quæ licèt à momento conceptionis ſemper beata, radios tamen ſuæ beatitudinis diſpenſatione divinà in corpus ſuum non effudit, niſi in transfiguratione, in qua animæ Chriſti claritas gloriæ ad breve temporis intervallum in ejus corpus pro conſolatione Apoſtolorum effluxit. Cæterùm, an hic ſplendor corporis Chriſti in transfiguratione fuerit miraculoſus, nec ne? Difficultas eſt inter Theologos. Ipſe cum *S. Thoma* probabiliùs cenſeo fulgorem, quo in transfiguratione reſplenduit corpus Chriſti, fuiſſe planè miraculoſum, quia licèt illa coruſcantis gloriæ claritas relata ad animam Chriſti non eſſet miraculoſa, ſed naturalis, ſi quidem anima Chriſti à momento conceptionis potita eſt beatitudine, cujus appendix eſt claritas gloriæ, attamen relata illa gloriæ claritas ad corpus Chriſti erat miraculoſa & minimè naturalis. Nam cùm in transfiguratione, ſicùt mox diximus, claritas animæ Chriſti non fuerit in corpus transfuſa per modum dotis permanentis, ſed per modum tranſeuntis, ſequitur corpus Chriſti remanſiſſe paſſibile & mortale perindè ac noſtrum, quod autem corpus paſſibile & mortale reſplendeat ſicut Sol, ingens ſanè miraculum eſt. Utrumque ergò fuit miraculum, & corpus Chriſti, ſtante ipſius animæ beatitudine, non fulgere ab inſtanti conceptionis, & idem corpus, non obſtante illius paſſibilitate fulgere in trasfiguratione. Immò in transfiguratione duplex fuit miraculum, prim um, quia impediebatur gloriæ ab anima

Digitized by Google

ma Chriſti in corpus effuſio per modum dotis permanentis ſibi debitæ. Alterum, quia licèt Deus totius naturæ Auctor conſtituiſſet ut gloria animæ Chriſti toto illius vitæ mortalis decurſu non efflueret in corpus, eo videlicèt fine ut per dolores, & paſſionem ſuam Servator noſter Chriſtus expleret Redemptionis noſtræ myſterium, contrà tamen ſtatutum illum ordinem permiſit Deus ut in transfiguratione ſplendor gloriæ ex anima Chriſti ſcaturiens promicaret in corpore, hoc eſt, non tantum faciem, ſed etiam manus & pedes, cæteraque corporis membra pervaderet, immò & ipſius veſtimenta penetraret.

Ad tertium Dubium reſpondeo: Conveniens fuiſſe ut *Moyſes*, & *Elias*, qui in veteri lege præfulſerunt, & tres legis Evangelicæ Apoſtoli, *Petrus*, *Joannes*, & *Jacobus*, eſſent teſtes transfigurationis Chriſti. Primò, quia cum dogma fidei ſit nemini ab origine mundi ad gloriam æternam aditum patere potuiſſe niſi per Chriſtum in quo eſt vera ſalus & redemptio noſtra, congruum fuit ut in Chriſti transfiguratione, quæ æternæ beatitudinis ſtillicidium, delineatio & adumbratio fuit, aliqui de iis, qui eum præceſſerunt, teſtes adeſſent, ſcilicèt *Moyſes*, & *Elias*, & aliqui qui cum Chriſto adhùc vivebant, nimirùm *Petrus*, *Joannes*, & *Jacobus*, ut indè notum eſſet fore ut non ſolùm homines qui poſt ipſum fuerunt, ſed etiam qui eum præceſſerunt, ad gloriam æternæ beatitudinis adducerentur per Chriſtum, qui eſt omnium mediator, ac redemptor. Secundò, apparuerunt in transfiguratione Chriſti *Moyſes*, & *Elias*, ille, cui lex à Deo data eſt per Angelos, iſte, pro gloria Domini æmulator, & legis zelator ardentiſſimus, ut Chriſtum legem implere, non violare, teſtimonio ſuo comprobarent contrà calumnias Phariſæorum Chriſtum accuſantium tanquàm legis transgreſſorem, & blaſphemum uſurpantem Dei gloriam. Tertiò, quia turbæ falsò putabant Chriſtum eſse *Eliam*, vel *Hieremiam*, aut unum ex Prophetis, ut hæc revelleretur opinio, quæ multorum pervaſerat animos, Chriſtus in ſua transfiguraaione capita Prophetarum ſecùm adduxit, ut hinc appareret differentia ſervorum, & ſupremi omnium Domini. Denique, *Moyſes* legis typus, & *Elias* omnium Prophetarum perſonam gerens transfigurationis Chriſti teſtes fuerunt, ut myſteriis Chriſti, & potiſſimùm Incarnationis ac Paſſionis, quæ antehàc prænunciaverant, teſtimonium perhiberent, loquentes cum ipſo in monte de acerba morte quam propedièm ſubire debebat, *loquebantur cum ipſo de exceſſu quem completurus erat in Hieruſalem*: ait *S. Lucas* cap. 9. Hanc autem in Chriſti transfiguratione apparitionem *Moyſis*, & *Eliæ* docet *Sanctus Thomas* non fuiſſe imaginariam (ſicut habetur in quadam gloſſa deſumpta ex libro qui inſcri-

ſcribitur de *Mirabilibus Sacræ Scripturæ*, qui liber falsò tribuitur *Sancto Auguſtino*) ſed fuiſſe veram, & realem, ita ut anima *Moyſis* in corpore aſſumpto apparuerit, & *Elias* adhuc ſuperſtes, è paradiſo terreſtri, vel ex aliquo eminenti loco, quò curru igneo raptus etiamnùm vivit ſecundi adventus Chriſti Præcurſor, & fælicis æternitatis candidatus, in montem Sacrum miraculo fuerit advectus. Ea quippè pervulgata eſt, ut videre eſt apud noſtrum *Malvendam* libro 10. de Antichriſto cap. 15. omnium Sanctorum Patrum traditio, *Eliam* in translatione ſua non eſſe mortuum, ſed adhùc vivere futurum ſecundi adventus Chriſti Præcurſorem, quæ Sanctorum Patrum traditio diſerto nititur Scripturæ Sacræ teſtimonio *Malachiæ* cap. 4. ubi Propheta ſic Deum inducit loquentem: *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequàm veniat dies Domini magnus, & horribilis. Et convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum: ne fortè veniam, & percutiam terram anathemate.* Hunc autem *Eliam*, de quo ibi *Malachias* ſermonem habet, eſſe *Eliam* Thesbitem Prophetam apertè declarant antiquæ Scripturæ Sacræ verſiones, ſic enim habet verſio LXX. Interpr. *Ecce ego mittam vobis Eliam Thesbitem, antequàm veniat dies Domini magna & illuſtris.* Cui verſioni conſonant paraphraſis Chaldaica, & verſiones Arabica, & Syriaca. Cùm igitur vivat adhùc *Elias* futurus Chriſti ad judicium venturi Præcurſor, rectè docet *Sanctus Thomas Eliam* in Chriſti transfiguratione apparuiſſe in corpore. Ex dictis Lector colligere debet, quod ſicut futura Chriſti gloria tres è Cœlo teſtes habuit, totidemque de terra, ut dicitur 1. *Joannis* cap. 5. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus..... Et tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra, Spiritus, Aqua, & Sanguis*; ita & transfiguratio, quæ Chriſti gloriæ ſpecimen fuit, tres quaſi è Cœlo teſtes habuit, Patrem Æternum, cujus vox audita eſt, *Moyſem*, & *Eliam*; tres etiam de terra teſtes habuit, *Petrum*, *Joannem*, & *Jacobum*. *Petrum* quidem, quia collegii Apoſtolici caput erat, & Princeps; *Joannem* verò, tum ob privilegium amoris, quo à Chriſto propter ſuam virginitatem plùs cæteris diligebatur; tum quia etiam poſt omnes Apoſtolos ſuperſtes, hoc teſtimonium ad ſequentem ætatem vivâ voce erat tranſmiſſurus; *Jacobum* denique, propter prærogativam martyrii, fuit enim primus qui ex Apoſtolis hoc Patris Æterni, & Prophetarum de Chriſto teſtimonium ſuo ſanguine obſignavit.

Ad ultimum Dubium reſpondeo: Conveniens fuiſſe ut in Chriſti transfiguratione audiretur hæc vox Patris Æterni: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipſum audite.* Primò, quia per hanc vocem clariſſimè oſtendit Pater Æternus Chriſtum eſſe Filium ſuum non adoptivum, ſed naturalem: *Non Moyſes filius, non Elias*

Elias filius, ſed hic filius; inquit *Sanctus Ambroſius* libro 1. de Fide cap. 12. *Moyſes* enim & *Elias* filii ſunt adoptione, Chriſtus autem filius eſt naturâ. Secundò, dum dixit Pater Æternus: *ipſum audite*, doctrinam Chriſti ſuo teſtimonio comprobavit, eamque non aliundè quàm è ſinu ſuo hauſtam declaravit; Unde *S. Petrus* epiſt. 2. cap. 1. ex hac paterna voce, quæ in transfiguratione audita eſt, doctrinam Chriſti potiſſimùm commendat his verbis: *Non enim doctas fabulas ſecuti, notam fecimus vobis Domini Noſtri Jeſu Chriſti virtutem, & præſentiam, ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim à Deo Patre honorem, & gloriam, voce delapſa ad eum hujuſcemodi à magnifica gloria: hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipſum audite. Et hanc vocem nos audivimus de Cælo allatam, cùm eſſemus cum illo in monte Sancto*. Tertiò, quemadmodùm in baptiſmo Chriſti audita eſt vox Patris, *hic eſt filius meus dilectus*, ad ſignificandum nos per gratiam viæ, quam recipimus in baptiſmo, incipere filios Dei eſſe adoptivos, ità convenientèr in transfiguratione audita eſt eadem paterna vox, ut intelligeremus per gratiam conſummatam patriæ, ſeu per gloriam, quam transfigurationis gloria adumbrabat, nos fore perfectos adoptionis filios. Denique, ut utraque filiatio adoptiva, ſive imperfecta viæ, quæ habetur per baptiſmum, ſive perfecta patriæ, quæ erit in gloria, toti Trinitati accepta referretur, congruebat ut tàm in baptiſmo, quàm in transfiguratione Chriſti audiretur pater in voce, filius verò præſens eſſet in carne, & Spiritus Sanctus appareret, in baptiſmo quidem ſub ſpecie columbæ, quia in baptiſmo dat innocentiam, quæ per ſimplicitatem columbæ monſtratur, & in transfiguratione Chriſti videretur in nube lucida, quia in reſurrectione dabit electis ſuis gloriam & refrigerium ab omni malo, quæ per nubem lucidam deſignantur, ut ait *Sanctus Thomas* 3. part. quæſt. 45. art. 4. ad 4. ubi etiam in reſponſione ad 3. obſervat diſcipulos, auditâ paternâ voce territos, & tantùm non exanimes, fuiſſe proſtratos, ut oſtenderetur, quod excellentia futuræ gloriæ, cujus transfiguratio levis fuit adumbratio, omnem excedit ſenſum, & facultatem mortalium, quam humana fragilitas ferre non ſuſtinet, à qua tamen fragilitate ſanantur homines per Chriſtum, eos adducendo in gloriam: quod, ſignificatur per hoc quod Chriſtus jacentibus, ac trepidantibus diſcipulis ſuis dixit: *Surgite nolite timere*.

Sed ſatis hactenùs de Chriſti Domini transfiguratione dictum ſit. Nunc præſtat ut cum Sancto Thoma parumpèr excurramus per ſingulas ſpecies miraculorum quæ Chriſtus Dominus edidit.

In primis *Angelicus Præceptor* 3. part. quæſt. 44. art. 1. probat conveniens fuiſſe ut Chriſtus circà creaturas ſpirituales ederet mi-

racula exerendo videlicet eam, quâ pollebat, virtutem conterendi poteſtatem Dæmonum, eoſque ejiciendi à corporibus obſeſſorum, juxtà illud *Zachariæ* cap. 13. *Spiritum immundum auferam de mundo*. Et *Joannis* cap. 12. *Nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras*. Verùm quia Chriſtus miracula in expulſione Dæmonum non patrabat propter utilitatem Dæmonum, ſed propter utilitatem hominum, ut ipſi eum glorificarent; ideò, inquit *Sanctus Thomas*, prohibuit Chriſtus Dæmones loqui ea quæ ad ipſius laudes pertinebant, tùm ut nos ſuo exemplo edoceret non eſſe præbendas aures Dæmoni, *qui falſa veris ſæpè permiſcet, ut ſpecie veritatis teſtimonium fraudis obtexat*, ſicut ait *Sanctus Ambroſius* lib. 6. in *Lucam*; tùm quia etiam *non oportebat Dæmones ſurripere officii Apoſtolici gloriam, nec decebat Chriſti myſterium lingua fœtida publicari*, inquit *Sanctus Chryſoſtomus* homilia 2. de *Lazaro*. Meritò igitur Chriſtus prohibuit Dæmonibus, quos expellebat, ne bonum teſtimonium de ipſo ferrent, ut legitur *Marci* cap. 1. & *Lucæ* cap. 4. eoſque obmuteſcere coegit, quandò ejus divinitatem, quam ex metu, ex adulatione, ex odio, & invidia confitebantur, prædicare voluerunt.

Ob eamdem cauſam, inquit *Angelicus Doctor*, hoc eſt, propter ſalutem & inſtructionem hominum, permiſit Chriſtus, ut Dæmones, quos ejiciebat, aliquod nocumentum inferrent hominibus, vel in corpore, ſicut legitur *Marci* cap. 9. & *Matth.* cap. 17. vel in rebus, ut v. g. quandò Chriſtus ſtans in regione Geraſenorum permiſit ut Dæmones abirent in porcos, qui in mari ſubmerſi ſunt, *Matth.* cap. 8. ut enim Chriſtus oſtenderet quod ſæpè, dum ad Deum converti poſt peccata enitimur, majoribus antiqui hoſtis pulſamur inſidiis, permiſit ut ille, quem Dæmonio liberaverat, graviùs à Dæmone ad horam torqueretur, *Marci* cap. 9. ſimilitèr etiam Chriſtus permiſit ut Dæmones irent in porcos, eiſque nocumentum inferrent, hoc exemplo ſignificare volens, quod Dæmones in eos homines, quos ab his vexatos in regione Geraſenorum liberaverat, graviora mala exercuiſſent quàm in porcos, niſi divinâ providentiâ fuiſſent adjuti.

A miraculis, quæ Chriſtus Dominus edidit circà ſubſtantias ſpirituales, tranſitum facit *Doctor Angelicus* ad illa miracula quæ Chriſtus fecit circa corpora cœleſtia, quandò videlicèt tempore paſſionis, Sol obſcuratus eſt, & tenebræ factæ ſunt in univerſa terra, ſicut ait *Sanctus Lucas* cap. 23. Sed de hoc miraculo opportuniùs differam in Diſſertatione de Circumſtantiis Paſſionis Chriſti.

Denique, *Sanctus Thomas* articulis 3. & 4. quæſt. 44. probat conveniens

veniens fuiſſe ut Chriſtus patraret miracula tàm circà homines, quàm circà creaturas rationis expertes. Primò, circà homines, ut demonſtraret ſe in mundum veniſſe ad eorum promovendam ſalutem, non ſolùm corda victrici gratiâ ſuâ immutando, juſtificando, & ſapientiam infundendo, quod pertinet ad miraculorum fidem, ſed etiam exteriùs alliciendo, terrendo, ac integram corporis, & animæ incolumitatem reſtituendo. Secundò, congruebat ut Chriſtus circa creaturas ratione deſtitutas miracula ederet, ut oſtenderet ſe eſſe omnium Creatorem, cujus virtuti, & divinitati obſequi, & obtemperare debebat omnis creatura. Sic Chriſtus miraculum fecit circa piſces, *Lucæ* cap. 5. & *Joannis* cap. ult. circà arbores, *Matth.* cap. 21. Imperavit ventis & mari, *Matth.* cap. 8. multiplicavit panes in deſerto, *Matth.* cap. 14. & tempore paſſionis divinâ ipſius virtute ſciſſum eſt velum templi, terra mota eſt, aperta ſunt monumenta, petræ ſciſſæ ſunt, omniaque inſenſibilia elementa mundi in execrationem judaici ſceleris unam protulerunt ſententiam.

DICES: legitur *Matth.* cap. 21. quod Chriſtus, cùm eſuriret, & vidiſſet fici arborem ſecus viam, venit ad eam, cùmque nihil in ea inveniſſet niſi folia, imprecatus eſt illi dicendo: *Nunquam ex te fructus naſcatur in ſempiternum*, & confeſtim arborem ſterilem & aridam reddidit. Obſervat autem *Sanctus Marcus* cap. 11. *Quod tunc non erat tempus ficorum.* Quarè igitur Chriſtus maledixit huic arbori eo quod fructus non haberet, ſi necdùm adveniſſet tempus fructuum? habent enim arbores ſtata tempora, quibus edant fœtus ſuos, ut iniquus videatur qui ſterilem reddit arborem, quæ non ante tempus fructus produxit. Quarè etiam Chriſtus accurrit ad ficum, & excuſſit ſi quid eſſet fructuum, cum tamen probè ſciret nihil omninò eſſe præter folia? Non videtur igitur fuiſſe conveniens ut Chriſtus malediceret huic arbori, eamque, edito miraculo, ſterilem, & aridam redderet.

Reſpondeo: hoc miraculum, quod Chriſtus exſiccando ficulneam edidit, ſi littera tantùm, ſive id quod geſtum eſt ſpectetur, Chriſto videri indignum, at ſi attendatur myſtica ratio ob quam Chriſtus ejuſmodi patravit miraculum, ſummâ eſſe admiratione dignum. Voluit enim Chriſtus per hanc maledictam ficum veluti per parabolam ſignificare, ſe in Sacerdotibus, Scribis, & Phariſæis, qui dulciſſimi fructus Evangelici maximam de ſe ſpem præbebant, nihil omninò fructus reperiſſe. Scribæ ſiquidem, & Phariſæi prolixè orabant, largiebantur eleemoſynam, quin & lata phylacteria, mirum quoddam pietatis ſtudium, præferebant, pompa cœremoniarum, legiſque obſervandæ zelo gloriabantur. Hæc nimi-

rùm erant folia, vel ante tempus fructùm pollicentia, quæ tamen fructibus fidei, humilitatis, & ſinceræ pœnitentiæ vacua erant; quia hæc omnia Scribæ, & Phariſæi factitabant ut ſanctitatis famam, apud homines captarent, & ſuæ, quam jactabant, juſtitiæ falſo honore capti, imperata ad ſalutem pœnitentiam & humilitatem ſpernebant. Chriſtus ergò eo miraculo, quo ficulneam exſiccavit, docere voluit: nihil eſſe deploratiùs impietate falsâ religionis ſpecie fucatâ. Hæc ficus promerita eſt execrationem Chriſti, ne quis foliorum pompâ deceptus, ex hoc hominum genere poſthac ſperet ullum ſuaviſſimæ charitatis Evangelicæ fructum. In hanc rem appoſitè ait *Sanctus Ambroſius* enarratione in pſalm. 1. *Virtutes ſine fide folia ſunt: videntur vivere, ſed prodeſſe non poſſunt. Agitantur vento, quia non habent fundamentum. Quanti gentiles habent miſericordiam, habent ſobrietatem, ſed fructum non habent, quia fidem non habent? labuntur citò folia, ubi ventus flaverit. Et aliqui Judæi habent caſtimoniam, ſedulitatem in lectione multam, & diligentiam: ſed ſine fructu ſunt, & verſantur ut folia. Hæc fortè ſunt folia quæ Salvator in illa ficu reperit, ſed fructum non invenit.* Idem docet *Sanctus Gregorius Papa*, ſeu potiùs alius Auctor Comment. in librum 1. Regum, libro 6. ad cap. 15. verſ. 30. ubi hæc habet: *In fructu, non in foliis, aut ramis pœnitentia cognoſcenda eſt. Quaſi arbor quippè bona voluntas eſt. Confeſſionis ergo verba quid ſunt aliud niſi folia? Non ergo nobis folia propter ſe ipſa, ſed propter fructum expetenda ſunt, quia idcircò omnis confeſſio peccatorum recipitur, ut fructus pœnitentiæ ſubſequatur. Undè & Dominus arborem foliis decoram, fructu ſterilem maledixit, quia Confeſſionis ornatum non recipit ſine fructu afflictionis.*

DIS-

DISSERTATIO DECIMAQUINTA

De anno, die, hora, & loco paſſionis, ſeu mortis Chriſti Domini.

DUo dubia, quæ Theologi movere ſolent, in hac diſſertatione diſcutienda, ac dirimenda ſuſcipio. Primum dubium eſt de initio, & fine LXX. Danielis hebdomadum. Nàm cùm juxtà celeberrimum Danielis vaticinium, quod in ore omnium Chriſtianorum eſt, Meſſias, ideſt, Chriſtus, occidendus ſit in medio hebdomadis ſeptuageſimæ, gravis inter viros eruditos de exordio, & fine LXX. Danielis hebdomadum ſuboritur diſceptatio. Alterum dubium eſt, quoto ætatis ſuæ anno Chriſtus mortem obierit? Quæ duo dubia totidem paragraphis diſſolvam.

PARAGRAPHUS PRIMUS

De initio, & fine LXX. *Danielis hebdomadum.*

QUoniàm ex LXX. Danielis hebdomadibus in ſequenti paragrapho inveſtigaturi ſumus annum, quo Chriſtus Dominus mortuus eſt, operæ pretium eſt ut hic exponamus celeberrimum illius Prophetæ oraculum, quod eo majori attentione, animique curâ dignum eſſe videtur, quod in eo de adventu, & morte Servatoris fides maximè ſtabiliatur, & Judæorum incredulitas Meſſiam ſuum adhuc ſpectantium ità refellatur, ut ex pertinacioribus vix quiſquam hiſcere audeat. Sic autem habet Danielis vaticinium, quod legitur cap. 9. *Septuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper Urbem ſanctam tuam, ut conſummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna, & impleatur viſio, & prophetia, & ungatur ſanctus ſanctorum. Scito ergo & animadverte: ab exitu ſermonis ut iterùm ædificetur Hieruſalem, uſque ad Chriſtum ducem, hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erunt; & rursùm ædificabitur platea, & muri in anguſtia temporum........ Confirmabit autem, pactum multis hebdomada una, & in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia, & ſacrificium, & erit in Templo abominatio deſolationis, & uſque in conſummationem, & finem perſerverabit deſolatio.* Ut autem clarè explanetur illud Danielis vaticinium, duo præſtanda ſunt, primò, oſten-

oſtendendum eſt quid ſint Danielis hebdomades? Secundò, præfigendum eſt initium LXX. Danielis hebdomadum, quo ſemel conſtituto, manifeſtò patebit Chriſtum, juxtà Danielis prædictionem, in medio hebdomadis ſeptuageſimæ fuiſſe mactatum, & omnibus veteris legis ſacrificiis, ac cæremoniis finem impoſitum. Circà primam difficultatem convenit inter omnes Chronologos, hebdomades, de quibus ſermonem habet Daniel cap. 9. non eſſe hebdomades dierum, aut menſium, aut decenniorum, aut jubilæorum, aut ſæculorum, ſed eſſe hebdomades annorum, juxtà morem numerandi Hebræorum, dicitur enim *Levitici* cap. 25. *Numerabis quoque tibi ſeptem hebdomades annorum, ideſt, ſepties ſeptem, quæ ſimul faciunt quadraginta novem*. Tales etiam annorum hebdomades in uſu fuerunt extra Hebræos, potiſſimùm apud Aſtrologos, Medicos, ac Philoſophos, qui, teſte *Cenſorino* cap. 14. libri *de die natali* hebdomadibus humanam vitam emenſi ſunt. Hinc apud *Macrobium* lib. 1. in ſomnium Scipionis cap. 6. *Poſt ter ſeptenos annos . . . quarta annorum hebdomas* ponitur pro quarta hominis ætate. Et *Varro* apud *Aulium Gellium* lib. 3. noctium Atticarum cap. 10. *Se duodecimam annorum hebdomadam ingreſſum eſſe*, affirmat, hoc eſt, ſe octogenarium eſſe dicit. Undè perſpicuum eſt LXX. hebdomades, de quibus cap. 9. loquitur Propheta Daniel, eſſe annorum hebdomades, quæ ſimul collectæ efficiunt numerum quadringentorum, & nonaginta annorum. In hoc conſentiunt omnes Chronologi, & inter Judæos R. *Abarbanel*, R. *Aben Eſra*, aliique Rabbini hunc Danielis locum explicantes. At de initio LXX. illarum Danielis hebdomadum, non una omnium eſt ſententia, ſed incredibilis potiùs opinionum conflictus. *Sanctus Hieronymus* jam tùm ſuo ſæculo octo recenſuit opiniones, *Benedictus* vero *Pererius* quindecim enumerat, eiſque confutandis decimam ſextam adjicit tanquam probabiliorem. Quò fit ut meritò dici poſſit cum *Iſaaco Voſſio* cap. 10. Chronologiæ ſacræ, quod nulla pars Chronologiæ à multis ſæculis tàm vexavit humana ingenia, quàm quæ de annis Perſarum, & de Danielis hebdomadibus agit. Tot diverſas, in quas abeunt Chronologi, opiniones, ne in immenſum diffundar, aliis diſcutiendas lubens permitto, hic dumtaxàt breviter proponam eam, quæ mihi magis probatur, ſententiam, & quæ ad iſtum nodum gordium ſecandum ſemper viſa eſt expeditiſſima.

Dico itaque: *Exordium* LXX. *Danielis hebdomadum affigendum eſſe anno ſeptimo Artaxerxis Longimani Perſarum Regis.*

Ut faciliùs intelligatur hæc aſſertio, duo ſunt prænotanda. Primò prænotandum eſt, quatuor à Regibus Perſarum data eſſe in gratiam Judæorum edicta. Primum edictum Judæis datum eſt à *Cyro*,

Cyro, ſicut legitur cap. 1. lib. 1. *Eſdræ*. Alterum datum eſt à *Dario Hyſtaſpe*, ut dicitur cap. 6. lib. 1. *Eſdræ*. Tertium edictum Judæis conceſſum eſt ab *Artaxerxe Longimano* anno ipſius Regni ſeptimo, uti refert *Eſdras* cap. 7. lib. 1. Poſtremum edictum in gratiam Judæorum dedit idem *Artaxerxes Longimanus* anno vigeſimo Regni ſui, ſicut ſcriptum legimus cap. 2. lib. 2. *Eſdræ*. Cùm igitur Daniel aſſerat initium LXX. hebdomadum ducendum eſſe *ab exitu ſermonis*, hoc eſt, ab edicto, quo Judæis permittenda erat poteſtas iterùm ædificandi Hieruſalem, hinc quærunt Chronologi à quo edicto, ex his quatuor in gratiam Judæorum à Regibus Perſarum conceſſis, ſeptuaginta Danielis hebdomades auſpicari debeant. Recentiores benè multi initium LXX. Danielis hebdomadum arceſſendum eſſe putant ab illo edicto, quod Artaxerxes in gratiâm Judæorum conceſſit anno vigeſimo Regni ſui. Sed ipſe cum aliis viris eruditis probabiliùs cenſeo: LXX. Danielis hebdomades initium habuiſſe à promulgatione hujus edicti, quod Artaxerxes Longimanus in gratiam Judæorum dedit anno ſeptimo Regni ſui.

Secundò, prænotandum eſt, annum ſeptimum Artaxerxis Longimani concurrere cum anno tertio Olympiadis octuageſimæ, periodi verò Julianæ 4256. ante æram vulgarem 457. Qua in re conſentiunt tam antiqui, quàm moderni Hiſtorici. *Euſebius* quippè in Chronico aſſerit Artaxerxem Longimanum iniiſſe Regnum anno primo Olympiadis ſeptuageſimæ nonæ, ſeù anno periodi Julianæ 4250. antè æram vulgarem 463. Quam quidem Chronologiæ rationem longè antè *Euſebium* tradiderat accuratiſſimus temporum explanator *Julius Africanus* (cujus quinque Chronographiæ libros laudat *Euſebius* lib. 6. hiſt. Eccleſ. cap. 31. eoſque fermè integros in Chronicon ſuum convaſavit) nàm juxtà Julii Africani calculum, *quandò Artaxerxes viceſimum Regni ſui habebat annum, erat octogeſimæ tertiæ Olympiadis annus quartus*, ut ex ejus quinto volumine refert *Sanctus Hieronymus* in cap. 9. *Danielis*. Hic autem Julii Africani calculus apertè ſupponit annum primum Regni Artaxerxis Longimani copulari debere cum anno primo Olympiadis ſeptuageſimæ nonæ, ſeù cum anno periodi Julianæ 4250. ante æram vulgarem 463. Nàm quinque Olympiades, ut notum eſt omnibus, conficiunt annos viginti. Accedit etiam *Diodorus*, qui lib. 11. Bibliot. Refert Xerxem patrem Artaxerxis occiſum fuiſſe anno quarto Olympiadis ſeptuageſimæ octavæ, ipſumque Artaxerxem, Artabano regicida interfecto, rerum potitum eſſe, & Imperii Perſici gubernacula tenuiſſe. Statuamus ergo, quod extra omnem dubitationis aleam poſitum eſſe debet, Artaxerxem Longimanum regnare cœpiſſe anno primo Olympiadis ſeptuageſimæ nonæ, ſeu anno periodi

Ju-

Julianæ 4250. antè æram vulgarem 463. Ex quo palàm ſequitur annum ſeptimum Regni Artaxerxis concurrere cum anno tertio Olympiadis octogeſimæ, ſeù cum anno periodi Julianæ 4256. ante æram vulgarem 457. Fatentur quippè omnes Chronologi annum primum æræ vulgatis cœpiſſe anno primo Olymp. 195. ſeù anno periodi Julianæ 4714. His ſemel ſuppoſitis.

Probatur initium LXX. Danielis hebdomadum putandum eſſe ab anno ſeptimo Artaxerxis Longimani, hac ratione. Chriſtus occidi debuit, juxtà vaticinium Danielis, in medio hebdomadis ſeptuageſimæ, hoc eſt, anno quadringenteſimo octogeſimo ſexto ab exordio LXX. Danielis hebdomadum, atqui ab anno ſeptimo Artaxerxis Longimani uſque ad mortem Chriſti effluxerunt anni 486. Ergò ab anno ſeptimo Regni Artaxerxis Longimani putari debet initium LXX. Danielis hebdomadum. Prob. min. annus ſeptimus Regni Artaxerxis Longimani concurrit, ſicut mox diximus, cum anno tertio Olympiadis octuageſimæ, ſeu cum anno periodi Julianæ 4256. antè æram vulgarem 457. Ab hoc igitur anno ſeptimo Regni Artaxerxis Longimani uſque ad annum primum æræ vulgaris, hoc eſt, uſque ad annum periodi Julianæ 4714. effluxerunt anni 457. quibus annis ſi addas annos viginti novem æræ vulgaris (Chriſtus enim, ut in ſequenti paragrapho oſtendam, mortuus eſt anno vigeſimo nono æræ vulgaris) comperies ab anno ſeptimo Regni Artaxerxis Longimani ad obitum uſque Chriſti Domini interfluxiſſe annos 486. Adeòque Chriſtum mortuum eſſe in medio hebdomadis ſeptuageſimæ, ſicut prædictum eſt à Daniele Propheta. Porrò fixo ſemel, ac conſtituto LXX. Danielis hebdomadum initio, facili negotio intelligitur, quando nàm finem exitumque habuerint. Nàm LXX. Danielis hebdomades, ut mox dictum eſt, efficiunt annos 490. Cùm ergò ab anno ſeptimo Artaxerxis Longimani uſque ad obitum Chriſti effluxerint anni 486. ſequitur LXX. Danielis hebdomades finem, exitumque habuiſſe quadriennio integro poſt paſſionem Chriſti.

In hac ſententia, de exordio, & fine LXX. Danielis hebdomadum, omnia ſibi optimè cohærent. At in ſententia eorum, qui ab anno vigeſimo Regni Artaxerxis LXX. Danielis hebdomadum ducunt initium, ingens occurrit, & inſuperabilis difficultas. Annus ſiquidem vigeſimus Regni Artaxerxis Longimani, juxtà calculum *Julii Africani*, *Euſebii*, & *Diodori*, connecti debet cum anno quarto Olympiadis octogeſimæ tertiæ, ſeu cum anno periodi Julianæ quater milleſimo ducenteſimo ſexageſimo nono, antè æram vulgarem quadringenteſimo quadrageſimo quarto. Undè ſequitur ab anno vigeſimo Regni Artaxerxis Longimani uſque ad annum primum æræ vulgaris, ideſt, uſque ad annum periodi Julianæ quater milleſimum ſeptingenteſi-

teſimum decimum quartum, effluxiſſe dumtaxàt annos 444. quibus ſi adiicias æræ vulgaris annos triginta tres (anno ſiquidem trigeſimo tertio æræ vulgaris mortem Chriſti illigare ſolent iſti Chronologi) invenies ab anno vigeſimo Regni Artaxerxis Longimani uſque ad mortem Chriſti fluxiſſe tantummodò annos 477. quod quidem temporis intervallum, ut nemo non videt, nimis exiguum eſt ad implendum vaticinium Danielis de LXX. hebdomadibus. Daniel namque diſertè prædixit Chriſtum in medio hebdomadis ſeptuageſimæ occiſum iri, anni autem 476. conficiunt dumtaxàt ſexaginta & octo hebdomades compleras. Quapropter ſi initium LXX. Danielis hebdomadum ab anno vigeſimo Regni Artaxerxis duceretur, Chriſtus fuiſſet occiſus anno primo hebdomadis ſexageſimæ nonæ, cùm tamen juxtà Danielem debuerit occidi in medio hebdomadis ſeptuageſimæ. Hæc eſt implexa, ac ſalebroſa difficultas, in qua enodanda diù multùmque inſudarunt illi Chronologi, qui initium LXX. Danielis hebdomadum deſumendum putant ab anno vigeſimo Regni Artaxerxis Longimani. Sed ut illis Chronologis omnis omninò præcludatur aditus, rationes, quibus ab ea difficultate ſeſe expedire conantur, hic breviter expendere, ac confutare non erit inutile.

In primis nonnulli tempus, quod ab anno vigeſimo Regni Artaxerxis Longimani ad mortem uſque Chriſti Servatoris noſtri colligendum venit, laxant, altiùſque repetunt initium Regni Artaxerxis. Eâ in ſententia verſantur *Pererius*, & *Petavius*, qui epocham Regni Artaxerxis Longimani conjiciunt in annum duodecimum Xerxis patris ejus, quo anno ſuſpicantur Artaxerxem ejus filium in Imperii communionem fuiſſe aſſumptum.

Sed hæc conjectura, ut cordatè fatear, infirmo Tibicine nititur. Nullus quippè veterum, qui de Perſarum Regibus ſcripſerunt, memoriæ prodidit Artaxerxem in Regni conſortium à patre ſuo Xerxe adſcitum fuiſſe. Eamdem conjecturam multis iiſque ſolidis argumentis clariſſimus Abrincenſis Epiſcopus propoſ.9. demonſtr.Evang. impugnat, quem Lector conſulere poteſt.

Alii Chronologi cum doctiſſimo *Jacobo Uſſerio* licèt improbent tanquàm omninò fictitiam hanc Regni Artaxerxis Longimani cum patre communionem, attamen, ut à propoſita difficultate ſeſe extricare poſſint, aliquot ex Regno Xerxis eximunt annos, voluntque Xerxem ſucceſſiſſe Dario patri ſuo anno periodi Julianæ quater milleſimo ducenteſimo vigeſimo nono, antè æram vulgarem quadringenteſimo octogeſimo quinto, Artaxerxem verò Longimanum Xerxis filium, patre jàm defuncto, Regnum iniiſſe anno periodi Julianæ quater milleſimo ducenteſimo quadrageſimo primo, antè æram vulgarem quadringenteſimo ſeptuageſimo tertio,

 Sed

Sed hæc *Uſſerii*, & aliorum conjectura falſi convincitur. Primò, quia Artaxerxes Longimanus, juxtà calculum *Julii Africani, Euſebii, & Diodori*, regnare cœpit anno primo Olympiadis 79. ſeu anno periodi Julianæ quater milleſimo ducenteſimo quinquageſimo, perperàm igitur ſupponit *Uſſerius* Artaxerxem Longimanum Regnum iniiſſe anno periodi Julianæ quater milleſimo ducenteſimo quadrageſimo primo. Prætereà, juxtà calculum *Uſſerii*, Xerxes, pater Artaxerxis Longimani, regnaſſet tantùm annis duodecim, aſſerit quippè *Uſſerius* Xerxem ſucceſſiſſe Dario patri ſuo anno periodi Julianæ quater milleſimo ducenteſimo vigeſimo nono, & Artaxerxem Longimanum ejus filium, patre jàm defuncto, Regnum iniiſſe anno periodi Julianæ quater milleſimo ducenteſimo quadrageſimo primo, undè manifeſtò ſequitur Xerxis Regni epocham, juxtà calculum *Uſſerii*, altiorem eſſe epocha Regni Artaxerxis annis duodecim, quos Xerxes tantùm regnaverit, quod tamen eſt contra fidem antiquorum, qui ſcribunt Xerxem regnaſſe vel annos viginti, ut ait *Euſebius* in Chronico, vel annos viginti & unum, ut ſcribit *Ptolomæus* in Mathematico Babyloniorum, Perſarumque Regum canone.

Alii denique Chronologi, cùm probè perſpectum habeant temporis intervallum, quod ab anno vigeſimo Regni Artaxerxis usque ad obitum Chriſti colligitur, paulò brevius eſſe, contrahunt hebdomades Danielis in annos Solaribus breviores, quales ſunt anni Lunares, in quibus nullus reperitur menſis embolimus, ſeu intercalaris. Quippè ne vel pueros, qui necdùm ære lavantur, latet annum Solarem Julianum, ſeu popularem, conſtare diebus 365. & horis circiter ſex, annum verò Lunarem civilem dies continere 354. quò fit ut ſexaginta ſeptem hebdomades annorum Solarium, quæ ſimul collectæ efficiunt annos Solares 469. adæquent ſexaginta novem hebdomadas annorum Lunarium, quæ ſimul collectæ dant annos Lunares 483. Poſito autem ejusmodi hebdomadum annorum Lunarium exordio in anno vigeſimo Regni Artaxerxis Longimani, facilè reperitur ſexaginta novem hebdomadas annorum Lunarium expletas eſſe antè Baptiſmum, & prædicationem Chriſti, ac ſubindè ipſius mortem ad ſequentem hebdomadam, ſeu ſeptuageſimam pertinere. Auctor hujus ſententiæ fuit *Julius Africanus*, qui benè multos ſequaces habuit, præcipuè *Theodoretum*, *Bedam*, *Zonaram*, *Rupertum*, *Dionyſium Carthuſianum*, *Pererium*, *Torniellum*, *Danielem Huetium Abrincenſem Epiſcopum* in demonſtrat. ſua Euangelica propoſit. 9. *Samuelem Baſnagium* diſſertat. 8. tom. 2. Annal. politico Eccleſiaſt. & alios.

Verùm hæc ſententia nihilo præcedentibus verior eſt; tùm quia hujusmodi hebdomades annorum Lunarium, quales ſunt apud Ara-

Digitized by Google

Arabes, ſine menſe embolimo, ſeu intercalari, nunquàm fuerunt in uſu apud Hebræos. Tùm quia etiam certiſſimè conſtat ſolenne ſemper fuiſſe Hebræis ad Lunarem annum civilem, quo utebantur, Solari anno coæquandum, more Græcorum, quolibet biennio, vel triennio menſem intercalare, aut quolibet octennio tres menſes embolimos adjicere, ut fatetur *Julius Africanus* tùm apud *Euſebium* libro 8. de demonſtrat. Euangel. tùm apud *S. Hieronymum* in cap. 9. *Danielis*, & apud *Georgium Syncellum* in Chronographia, idque à Moyſis temporibus apud Hebræos uſitatum fuiſſe tradit *Aben Eſra*. Tantùm igitur abeſt ut Lunaris Hebræorum ſupputatio, ad quam confugiunt moderni quidam Chronologi, nobis perſuadeat admittendos eſſe in calculo LXX. Danielis hebdomadum annos purè Lunares, ideſt, abſque menſe embolimo, ut planè nos contrarium edoceat. Neque etiam annos purè Lunares intelligere cogit Angelica, & Prophetica locutio, quâ LXX. hebdomades *abbreviatæ* dicuntur; τὸ enim *abbreviatæ*, idem eſt ac *deciſæ*, ſeu *definitæ*, aut *decretæ*, ut explicat *Theodoretus*; vel, ut ait doctiſſimus *Petavius* lib. 12. de doctrina temporum cap. 35. LXX. hebdomades *abbreviatæ* dicuntur, quia ex incerto, & infinito tempore, ad certum, & conſtitutum ſpatium Prophetico vaticinio, ac divinâ ordinatione contractus eſt adventus Meſſiæ, ſive quod ex longiore intervallo, quod ab Orbis initio fluxit uſque ad Danielem, breviſſimum ad ortum Meſſiæ reſtabat, non ſecus ac ex. gr. in ſenectute vita hominis abbreviata dicitur. Idem docet *Lyranus* origine Hebræus, & in rebus Hebraicis verſatiſſimus. Quapropter immeritò moderni illi Chronologi in hac Angelica, & Prophetica locutione expiſcantur annos purè Lunares.

DILUUNTUR OBJECTIONES.

Arguitur primò: In edicto, quod Artaxerxes Longimanus anno ſeptimo Regni ſui Judæis conceſſit, ne ullum quidem verbulum eſt de poteſtate ædificandi Hieruſalem, ſeu foſſam, plateas, & muros Urbis, publicaque ædificia inſtaurandi, ſed in eo mentio dumtaxàt fit de poteſtate Judæis data Templum reparandi, & in patrium ſolum revertendi; atqui LXX. Danielis hebdomadum exordium duci, debet *ab exitu ſermonis ut iterùm ædificetur Hieruſalem*, ideſt, à promulgatione illius edicti, quo Judæis inſtaurandæ Urbis data eſt poteſtas; ejuſmodi autem edictum Judæis tantummodò conceſſum eſt anno vigeſimo Artaxerxis Longimani, ergò non ab anno ſeptimo, ſed potius ab anno vigeſimo Regni Artaxerxis Longimani duci debet exordium LXX. Danielis hebdomadum.

Reſpondeo: Quod licèt in hoc edicto Judæis conceſſo anno ſep-

timo Artaxerxis Longimani, non fiat diſerta, ſeu expreſſa, & explicita mentio de inſtaurandis mœnibus Hieruſalem, implicitè tamen facultas cingendi mœnibus Urbem in eo edicto ſatis ſuperque continetur. Legimus quippè libri 1. *Eſdræ* cap.7. Artaxerxem Longimanum anno ſeptimo Regni ſui dediſſe Eſdræ omnem petitionem ejus: *Ipſe Eſdras aſcendit de Babylone ..... & dedit ei Rex ſecundùm manum Domini Dei ejus ſuper eum, omnem petitionem ejus*. Porrò quis credat Eſdram ab illo Rege, ſeu Artaxerxe Longimano, de Judæis tam benemerito, & cui ipſemet Eſdras gratiſſimus erat, mœnium Urbis Hieruſalem inſtaurationem non poſtulaſſe? Vero igitur quàm ſimillimum eſt Eſdram anno ſeptimo Regni Artaxerxis poſtulaſſe muros Urbis ædificandi poteſtatem, eamque ab illo Perſarum Rege impetraſſe, quamvis de ea in præſenti edicto diſerta non habeatur mentio.

Arguitur ſecundò: Antè annum vigeſimum Artaxerxis Longimani Urbs ſacra, ſeu Hieruſalem, in ruderibus, cineribuſque ſepulta ſuis jacebat, ergo Judæi anno ſeptimo Regni Artaxerxis Longimani non obtinuerunt edictum de inſtaurandis mœnibus Urbis Hieruſalem: ſi enim tale decretum obtinuiſſent Judæi, illud procul dubio executioni mandaſſent. Prob. ant. ex lachrymis Nehemiæ paternæ Urbis cladem lugentis cap.11. lib.2. *Eſdræ*: *Et dixi Regi, quare non mæreat vultus meus, quia Civitas domus ſepulchrorum patris mei deſerta eſt, & portæ ejus combuſtæ ſunt igni?* Hinc idem Nehemias, aſpirante Deo, has preces Artaxerxi Longimano fudit: *Si videtur Regi bonum, & ſi placeat ſervus antè faciem tuam, ut mittas me ad Judæam ſepulchrum patris mei, & ædificabo eam*. Precibus Nehemiæ de renovanda Urbe, cùm Artaxerxes Longimanus anno vigeſimo Regni ſui annuiſſet, ille profectus Hieroſolymam, popularibus ſuis ea locutus eſt: *Vos noſtis afflictionem, in qua ſumus: quia Hieruſalem deſerta eſt, & portæ ejus conſumptæ ſunt igni: venite, & ædificemus muros Hieruſalem, & non ſimus ultrà opprobrium*. Ex quibus verbis liquidò patet antè annum vigeſimum Regni Artaxerxis Longimani Urbem ſacram necdùm mœnibus cinctam, ac renovatam fuiſſe.

Reſpondeo: Hanc facultatem reparandi muros Hieruſalem, quam Judæi anno ſeptimo Regni Artaxerxis obtinuerunt, non fuiſſe executioni mandatam, quia Samaritani, aliique infenſiſſimi eorum hoſtes armatâ manu, & clandeſtinis molitionibus Judæos ad mœnium Urbis reparationem ſeſe accingentes interturbarunt, quò factum eſt, ut Judæi ob tumultus, & hoſtium inſidias coacti fuerint aliud edictum ab Artaxerxe Longimano (anno videlicèt vigeſimo Regni ejus) poſtulare, quò ille Rex expreſſis, ac diſertis verbis confirmaret poteſtatem ædificandi mœnia Hieruſalem, quam ipſis jam anno

Digitized by Google

anno ſeptimo Regni ſui conceſſerat. Nec mirum, ſi primum edictum anno ſeptimo Artaxerxis Longimani Judæis conceſſum, quod implicitè facultatem conſtruendi muros Hieruſalem continebat, non fuerit à Judæis executioni mandatum, quandoquidem in executione poſtremi decreti dati anno vigeſimo Regni Artaxerxis Longimani, quod diſertè, & expreſsè poteſtatem muros Hieruſalem reparandi permittebat, tot, & tanta Judæi paſſi ſunt incommoda, ut parùm abſuerit quin ab incœpta murorum extructione deſiſterent. Nàm *Sanaballat*, & *Tobias Ammanites*, Arabes, Ammanitæ, & Azoti ægrè ferentes, & graviſſimâ irâ ſuccenſi, quod Judæi Hieroſolyma muris cingerent, conglomerato agmine, factaque conſpiratione in arma ruerunt, ne incœptum à Judæis opus ad umbilicum perduceretur, illudque de facto impediiſſent, niſi Judæi armis muniti, & diurnam, nocturnamque cuſtodiam agentes, hoſtium, mœnia ſubvertere molientium, impetum repuliſſent.

Arguitur tertiò: LXX. Danielis hebdomades completæ ſolùm fuerunt tempore excidii Hieroſolymitani, ergo initium LXX. Danielis hebdomadum affigi nequit anno ſeptimo Artaxerxis Longimani. Conſequens eſt evidens, nam ab anno ſeptimo Artaxerxis uſque ad excidium Hieroſolymitanum, quod contigit ſub Tito Imperatore interfluxerunt anni plusquàm 490. quo annorum ſpatio LXX Danielis continentur hebdomades. Prob. ant. ex verbis Angeli Danielem alloquentis: *Septuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper Urbem ſanctam tuam........ Et erit in Templo abominatio deſolationis &c.* Quibus verbis Angelus in LXX. hebdomadum ſpatio excidium Hieroſolymitanum includit, adeò ut ſenſus ſit, ſemel finitâ ſeptuageſimâ hebdomadâ, Templum Hieroſolymitanum exciſum iri, ergo LXX. Danielis hebdomades fuerunt tantummodò completæ in excidio Hieroſolymitano.

Reſpondeo neg. ant. ad cujus prob. diſtinguo ant. ſeptuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt ſuper populum, & ſuper Urbem ſanctam, ut veniat Meſſias, & ungatur Sanctus Sanctorum, & ut expietur peccatum, concedo, ſeptuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt ſuper populum, & ſuper Urbem ſanctam, ut vaſtentur Hieroſolyma, & Templum excindatur, nego. Senſus ergo Angelici oraculi eſt, LXX. hebdomades abbreviatas eſſe ſuper populum, & ſuper Urbem ſanctam, ideſt, Hieruſalem, ut veniat Meſſias tamdiù deſideratus, & ungatur Sanctus Sanctorum, quod reverà contigit, quandò Chriſtus Servator noſter in medio hebdomadis ſeptuageſimæ ad redimendos homines, eosque in libertatem filiorum Dei aſſerendos mortuus eſt. Dùm verò Angelus Danielem alloquens ſubdit: *Et erit in Templo abominatio deſolationis &c.* His verbis

bis prædicit quidem Angelus Hieroſolymorum devaſtationem, Templique excidium, non quod hæc immediatè poſt finem hebdomadis ſeptuageſimæ contingere deberent, ſed quia non multò poſt finem hebdomadis ſeptuageſimæ eventura erant, tanquàm pœna irroganda ſontibus Judæis qui, repudiatâ numinis indulgentiâ, neglectâ pœnitentiâ, atque Prophetarum oraculis pedibus conculcatis, Redemptorem ſuum occiderunt.

Advertat primò Lector in fine hujuſce paragraphi, ferendam non eſſe temeritatem *Joannis Marshami*, & *P. Joannis Harduini*, qui tàm inſigne Danielis de Chriſto vaticinium auſi ſunt Chriſtianis penitùs auferre, aſſerentes LXX. Danielis hebdomades longè antè Chriſti adventum fuiſſe completas, easque in Antiocho Epiphane, à quo Templum Hieroſolymitanum pollutum eſt, finem, exitumque habuiſſe. Sed illorum multis momentis redarguitur temeritas. Primò, quia SS. Patres ad probandum Chriſtum eſſe verum Meſſiam, ſemper uſi ſunt hoc vaticinio Danielis, qui, ut inquit *Theodoretus* in ſuorum commentar. præfatione, *multò apertiùs, quàm alii omnes, magni Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti prædixit adventum, neque ſolùm ea, quæ facturus eſſet, ante commemoravit, ſed etiam tempus præſignificavit, numerumque adſcripſit annorum, qui uſque ad illius adventum interceſſerunt.*

Secundò, ipſemet Chriſtus *Matth.* cap. 24. loquitur de abominatione deſolationis in Templo prędictâ à Daniele Propheta in vaticinio de LXX. hebdomadibus, tanquàm de re futura, dicens Judæis: *Cùm ergo videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele Propheta, ſtantem in loco ſancto, qui legit, intelligat*: Quibus verbis apertè oſtendit Chriſtus Dominus abominationem deſolationis, quæ prædicta eſt à Daniele Propheta, necdùm factam eſſe, ſed propediem executioni mandandam, tempore videlicèt Titi Imperatoris, qui Hieroſolymam, Templumque vaſtavit. Perperàm ergo *Marshamus*, & *Harduinus* deſolationem, & vaſtationem Templi prædictam à Daniele Propheta referunt ad tempora Antiochi Epiphanis, qui juge ſacrificium abſtulit, Templique ſanctitatem violavit. Tertiò, character deſolationis, quæ à Daniele prædicitur, trahi minimè poteſt ad Antiochi Epiphanis tempora, nàm deſolatio à Daniele prædicta *uſque ad conſummationem, & finem perſeverabit*, hoc eſt, ad finem uſque ſæculorum, at Antiochica deſolationis abominatio, ut legitur lib. 1. *Mach.* cap. 4. per tres dumtaxât annos duravit; Judas enim Machabæus triennio poſt Templum repurgavit, novum Judæi altare erexerunt, interiores Templi partes repararunt, ſacrificium obtulerunt. Nullum ergo Hieroſolymis, nullum Templo, nullum oblationibus finem Antiochus

chus Epiphanes impoſuit, ſed ipſarum dumtaxàt ordinem per triennium interturbavit, ac ſubindè Templi deſolatio, quæ facta eſt ab Antiocho Epiphane, non ea eſt quæ à Daniele prædicitur, in qua ſacrificia omninò, & ſemper ceſſare debent. Quartò, Daniel in hocce vaticinio inſignibus notis indigitat Chriſtum, quem juſtitiam ſempiternam appellat, Meſſiam, Sacerdotem, unctum, Sanctum Sanctorum, qui pactum, ſeu legem ſuam, multis confirmabit hebdomada una, & in dimidio hebdomadis excindetur, ac ceſſare faciet ſacrificium, & oblationem; quæ omnia in ſolo Chriſto Domino fuerunt impleta, cujus cruentâ morte finem accepit peccatum, deleta eſt iniquitas, adducta juſtitia ſempiterna, veteris legis figuræ completæ, omneſque cæremoniæ Moſaicæ prorsùs enervatę vires amiſerunt. Ferenda igitur non eſt temeritas *Marshami*, & *P. Harduini*, qui novis, contortis, & peregrinis interpretationibus hoc Danielis vaticinium longè ante Chriſti adventum, hoc eſt, tempore Antiochi Epiphanis, fuiſſe completum, totâ reclamante Sanctorum Patrum traditione, aſſeverare auſi ſunt.

Advertat ſecundò Lector, extitiſſe olim nonnullos qui, teſte *Sancto Auguſtino* epiſt. 199. aliàs 80. ad *Heſychium*, exiſtimabant Prophetiam Danielis de LXX. hebdomadibus eſſe complendam non in primò, ſed ſolùm in ſecundo Chriſti adventu. Qui error, ut ait ibidem Sanctus Doctor, adverſatur expoſitoribus divinorum eloquiorum, qui hanc Prophetiam non ſolùm computatione temporum, verùm etiam rebus ipſis completam fuiſſe demonſtrant, mâximè quod ibi ſcriptum eſt, *& ungetur Sanctus Sanctorum*: vel propter quod in eadem Prophetia Hebræi Codices expreſsiùs habent, *occidetur Chriſtus*, *& non erit ejus*, ideſt, non erit ejus Civitatis; quoniam ſic alienatus eſt à Judæis, qui eum propterea Salvatorem, Redemptoremque ſuum non eſſe crediderunt, quia occidere potuerunt. Neque enim in fine ſæculi ungendus, aut occidendus eſt Chriſtus, ut iſta Prophetia Danielis tunc expectetur implenda, quæ nondùm credatur impleta.

PARAGRAPHUS SECUNDUS

Quoto anno ætatis ſuæ Chriſtus mortuus ſit? & de die, hora, & loco ipſius mortis.

OBſervandum primò: Deceptos olim fuiſſe antiquiores quoſdam Scriptores Eccleſiaſticos, qui exiſtimarunt Chriſtum Dominum, poſt ſuſceptum baptiſma, uno dumtaxàt anno ſuperſtitem fuiſſe, eumque mortem oppetiiſſe anno ætatis ſuæ trigeſimo primo. Ità

cen-

cenſent *Origenes* tractatu 35. in Matth. *Philaſtrius* lib. de hæreſibus cap.58. *Cyrillus Alexandrinus* in cap.32. Iſaiæ, & *Clemens Alexandrinus* lib.1. ſtromatum, ubi poſtquam adduxit hæc Lucæ verba: *Et erat Jeſus veniens ad baptiſma quaſi triginta annorum*. Continuò ſubjungit: *Et quod anno ſolo oporteret eum prædicare, hoc quoque ſic ſcriptum eſt: annum acceptabilem Domini prædicatum me miſit*, Iſaiæ cap. 61. Eumdem errorem hæretici Valentiniani pervicacitèr defenderunt, quippè qui fictitium triginta æonum ſuorum numerum eo potiſſimum argumento probare nitebantur, quod Chriſtus triginta annos natus ad baptiſmum venerit, & duodecimo poſt menſe cruci fuerit affixus. Verùm hic error è diametro opponitur Scripturæ ſacræ, ex qua, ut mox evincam, facilè colligitur Chriſtum, poſt ſuſceptum baptiſma, quatuor peregiſſe Paſchata, ac ſubindè illum poſt annos tres, totidemque circitèr menſes a ſuſcepto Baptiſmate in crucem actum fuiſſe.

Obſervandum ſecundò, *Sanctum Irenæum* Epiſcopum Lugdunenſem lib.2. adverſus hæreſes cap.39. ubi calamum in errorem Valentinianorum ſtringit, in alium errorem huic è fronte oppoſitum impegiſſe. Aſſerit quippè Chriſtum, poſt ſuſceptum baptiſma, multis annis prædicaſſe, illumque dumtaxàt obiiſſe intra quadrageſimum, & quinquageſimum ætatis annum: hoc eſt, quando jam declinabat in ſenium, juxtà illud à Judæis dictum *Joannis* cap.8. *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidiſti?* Non me latet Cardinalem *Baronium* ad annum Chriſti 34. num. 141. affirmare *Sanctum Irenæum* in hunc errorem non fuiſſe lapſum, eaque verba, quæ in laudato *S.Irenæi* loco leguntur, à Sancto illo Doctore non fuiſſe ſcripta. Quod quidem ex eo maximè probare nititur *Baronius*, quia prius dixerat *Irenæus*: Chriſtum, poſt baptiſmum anno ætatis ſuæ trigeſimo ſuſceptum, tribus peractis Paſchatibus mortem obiiſſe. Nulli autem, inquit *Baronius*, ullo modo credibile fiet *Sanctum Irenæum* ſibi tam abſurdè contradixiſſe, ut eumdem Chriſtum anno ætatis ſuæ circiter quinquageſimo mortuum eſſe dixerit; quapropter quæcumque ea de re memorato in loco apud *Sanctum Irenæum* verba leguntur, ea ab imperito aliquo Scriptore in illius textum intruſa eſſe ſibi perſuadet Eminentiſſimus ille annalium Parens, cui etiam ſuffragatur doctiſſimus *Pagius* in ſua Critica. Verùm, ut ingenuè fatear, hæc conjectura non omninò certa videtur. Nam primò, omnium Codicum cùm editorum, tùm manuſcriptorum, qui hunc integrum *Sancti Irenæi* locum exhibent, auctoritate convellitur. Secundò, incredibile non eſt *S.Irenæum* quædam de ætate Chriſti tradidiſſe contraria his, quæ ſuperiùs de illius baptiſmo ſcripſerat: nàm non raro accidit, ut Scriptor aliquis, etſi peritiſſimus, in adverſarios ſuos, præſertim hæreticos, invectus, non-

nonnulla, quæ ſecum aliquando pugnant, congerat argumenta. Potuit ergo *Sanctus Irenæus* nimio in Valentinianos animi ardore ſuccenſus, aut æſtu diſputationis abreptus, ſuam de Chriſti Domini ætate longiùs, & ultra, quàm par erat, dilatare argumentationem. Sed ut ut ſit de mente *Sancti Irenæi* circa ætatem Chriſti, quam impræſentiarum excutere animus non eſt; nemo ſaltem negare poteſt hanc ſententiam, quæ mortem Chriſti ad annum ejus ætatis quinquageſimum refert, non ſolùm Scripturæ, & traditioni adverſari, ſed ab hiſtoriæ veritate prorsùs alienam eſſe. Enimverò Chriſtus, ut teſtatur Scriptura sacra, paſſus eſt ſub Pontio Pilato Judææ Procuratore, at ſi Chriſtus mortuus fuiſſet anno ætatis ſuæ quinquageſimo, ſub Pontio Pilato paſſus non eſſet, quia Pilatus, teſte *Joſepho*, ſuâ procurationis Judææ dignitate fuit abdicatus, antequam vita excederet Tiberius, hoc eſt, ante annum trigeſimum ſeptimum æræ Chriſtianæ, ac ſubindè longè ante annum quinquageſimum ætatis Chriſti. Narrat quippè *Joſephus* lib. 18. antiq. cap. 5. quod poſtquàm Pilatus præcipuos ac potentiores ex Samaritanis capite mulctaſſet, ſuſpicatus eos meditari defectionem, eo quod nonnulli ex illis, decepti promiſſis cujusdam impoſtoris, confluxiſſent in montem Garizim: *tùm primates adeunt Vitellium virum Conſularem & Syriæ Præſidem, Pilatumque cædis accuſant, negantes defectionem fuiſſe à Romanis illum concurſum in tirathaba, ſed refugium contra Pilati violentiam. At Vitellius, Marcello amico ad procurationem Judææ miſſo, Pilatum juſſit Romam proficiſci, reſponſurum apud Cæſarem ad objecta per Judæos crimina. Ille decem annis in ſua Provincia exactis, cùm neceſſe haberet parere Vitellio, ad Vrbem iter ſuſcepit: quò priusquàm perveniſſet, vita exceſſit Tiberius*. Ex quo *Joſephi* teſtimonio liquet Pilatum procurationem Judææ ante obitum Imper. Tiberii amiſiſſe, cùm igitur Tiberius mortuus ſit die XVII. kal. Aprilis, ſeu die XVI. Martii juxtà *Tacitum*, & *Suetonium*, vel juxtà *Dionem*, die VI. kal. Aprilis, ſeu die XXV. Martii, anni Urbis Romæ conditæ 790. æræ Chriſtianæ 37. Conſulibus *Cn. Acerronio Proculo*, & *Pontio Nigrino*, ſequitur evidentiſſimè (niſi quis in lumine Solis majorem requirat claritatem) Pilatum ſuâ procurationis Judææ dignitate fuiſſe privatum ante annum trigeſimum ſeptimum æræ Chriſtianæ, ac proindè multò ante annum Chriſti quinquageſimum. Alia argumenta legi poſſunt apud *Sanctum Auguſtinum* lib. 2. de Doctrina Chriſtiana cap. 28. ubi improbat, & refellit ſententiam eorum, qui Chriſtum vixiſſe dicunt annos 46. atque eos ex ignorantia hiſtoriæ eſſe deceptos. His itaque obſervatis.

DICO: *Chriſtum mortuum fuiſſe anno ætatis ſuæ trigeſimo tertio ineunte, anno decimo nono Imperii Proconſularis Tiberii, anno ſeptuageſimo quarto Juliano, anno primo Olympiadis ducenteſimæ ſecundæ, hebdoma-*

dum Danielis quadringenteſimo octogeſimo ſexto, periodi Julianæ quater milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo ſecundo, æræ vulgaris vigeſimo nono, Conſulibus Cajo Rubellio Gemino & Cajo Fuſio Gemino.

Probatur primò: Chriſtus baptizatus eſt anno ætatis ſuæ ineunte trigeſimo, æræ vulgaris vigeſimo ſexto, Imperii Proconſularis Tiberii decimo ſexto, ergo Chriſtus mortuus eſt anno ætatis ſuæ ineunte trigeſimo tertio, æræ vulgaris vigeſimo nono, Imperii Proconſularis Tiberii decimo nono. Antecedens ex his, quæ in Diſſertatione decima dicta ſunt, ſatis ſuperque probatum manet. Prob. conſeq. Chriſtus poſt ſuſceptum baptiſma, quatuor peregit Paſchata, primum videlicet paulò poſt ſuſceptionem baptiſmi anno ætatis ſuæ trigeſimo, æræ vulgaris vigeſimo ſexto. Alterum Paſcha celebravit Chriſtus anno ætatis ſuæ trigeſimo primo, æræ vulgaris vigeſimo ſeptimo; tertium Paſcha egit anno ætatis ſuæ trigeſimo ſecundo, æræ vulgaris vigeſimo octavo; ultimum denique Paſcha fecit Chriſtus anno ætatis ſuæ ineunte trigeſimo tertio, æræ vulgaris vigeſimo nono; ergo cùm Chriſtus baptizatus fuerit anno ineunte ætatis ſuæ trigeſimo, æræ vulgaris vigeſimo ſexto, Imperii Proconſularis decimo ſexto, palàm ſequitur eum fuiſſe Cruci affixum anno ætatis ſuę trigeſimo tertio ineunte, ęræ vulgaris vigeſimo nono, Imperii Proconſularis Tiberii decimo nono. Quod autem Chriſtus à ſuſcepto baptiſmate quatuor celebraverit Paſchata, ſatis apertè ex Scriptura ſacra colligi poteſt. Nam de primo Paſchate mentionem facit *Sanctus Joannes* cap.2. ſui Euangelii, dum dicit: Chriſtum tempore Paſchatis ementes, & vendentes ejeciſſe è Templo. Alterum Paſcha à Chriſto peractum refert idem Euangeliſta cap.5. & illud eſt, in quo Chriſtus languidum triginta octo annorum ſanavit: *Poſt hæc erat dies feſtus Judæorum, & aſcendit Jeſus Jeroſolymam,* nam *per diem feſtum*, hìc Paſcha intelligi debere aſſerunt *Sanctus Irenæus* lib.2. adverſus hęreſes cap. 29. *Euſebius* lib. 8. demonſtr. Euang. *Hieronymus*, & *Theodoretus* in cap.9. Danielis. Nomine etiam *diei feſti* ſimpliciter intelligi feſtum Paſchatis liquet ex cap.14. & 15. *Marci*, ex cap.23. *Lucæ*, & ex *Joannis* cap.5.

Dies ergo feſtus, de quo *S. Joannes* cap. 5. ſermonem habet, & in quo Chriſtus languidum ſanavit, erat dies feſtus Paſchę, non verò Pentecoſtes, aut Tabernaculorum, ut quidam falsò opinantur Scripturę ſacrę Interpretes, quibus aſſentitur *P. Bernardus Lamy* in ſua Harmonia Euangelica pag.168. Tertium Chriſti Paſcha commemorat idem Euangeliſta Joannes cap.6. & eſt illud, in quo Chriſtus ex quinque panibus quinque millia hominum ſatiavit. Ultimum denique Paſcha celebravit Chriſtus pridiè quam pateretur, ut legitur apud *Matthæum* cap.26. apud *Marcum* cap.14. & apud *Lucam* cap.22. idque, auxiliante Deo, copioſiùs infrà commonſtrabo refellendo novum ſyſte-

ſyſtema *P.Bernardi Lamy* Congreg. Oratorii Presbyteri, qui in ſua Concordia Euangelica contendit Chriſtum, eo anno, quo mortuus eſt, nullum peregiſſe Paſcha, ſed ſacroſanctum dumtaxat inſtituiſſe Euchariſtiæ Sacramentum.

Probatur ſecundò: Chriſtus, juxtà *Danielis* vaticinium, occidi debuit in medio hebdomadis Septuageſimæ, ideſt, anno quadringenteſimo octogeſimo ſexto ab initio LXX. hebdomadum, atqui in ſuperiori Paragrapho oſtendimus, annum quadringenteſimum octogeſimum ſextum ab exordio LXX. *Danielis* hebdomadum concurrere cum anno æræ vulgaris vigeſimo nono, qui connectitur cum anno ætatis Chriſti trigeſimo tertio ineunte, ergo Chriſtus mortuus eſt anno æræ vulgaris vigeſimo nono, ætatis ſuæ trigeſimo tertio ineunte.

Probatur tertiò: ex conſtanti traditione omnium antiquorum Patrum, & Scriptorum Eccleſiaſticorum, qui docent Chriſtum mortuum fuiſſe anno vigeſimo nono æræ vulgaris, ſub Conſulatu duorum Geminorum. Sic cenſent *Tertullianus* lib. contra Judæos cap. 8. *Lactantius* lib.4. inſtit. cap.10. & lib. de mortibus perſecutorum, *Severus Sulpicius* lib.2. hiſtoriæ ſacræ cap. 27. *Auguſtinus* lib. 18. de Civit. Dei cap.ult. *Hieronymus* in cap. 9. Danielis, *Victor Aquitanus*, Faſti ſub nomine Idatii à Sirmundo, & Labbæo editi, antiquiſſimus catalogus Romanorum Pontificum tempore Liberii Papæ, ideſt, quarto ſæculo exaratus, innumera Martyrologia, uno verbo, omnes fermè antiqui Scriptores, quos citat *Bollandus* in Diatriba prœliminari ad menſem Aprilem, affirmant Chriſtum in Crucem actum fuiſſe anno vigeſimo nono æræ vulgaris, Conſulibus duobus Geminis. Porrò fatentur peritiores hujus temporis Chronologi, annum vigeſimum nonum æræ vulgaris concurrere cum anno trigeſimo tertio ætatis Chriſti, idque etiam clarè deducitur ex his, quæ diximus in Diſſertatione ſexta, commonſtrando Natale proprium Chriſti conſignari debere anno quadrageſimo Imperii Auguſti, quadriennio ſolido ante æram vulgarem; cum igitur juxtà avitam Sanctorum Patrum traditionem, Chriſtus mortuus ſit anno vigeſimo nono æræ vulgaris, planum ac expeditum eſt Chriſtum mortuum eſſe anno ætatis ſuæ trigeſimo tertio, periodi Julianæ quater milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo ſecundo, Olympiadis ducenteſimæ ſecundæ anno primo, Imperii Proconſularis Tiberii decimo nono, ab obitu Imper. Auguſti decimo quinto. Huic veterum opinioni de Chriſto, Geminis Conſulibus, moriente doctiſſimi Chronologi adhæſerunt, *Petitus*, *Voſſius*, *Schelſtratus*, *Pagius*, *Paulus Baudry* Profeſſor ultraJectinus in ſuis eruditis ad Lactantium de morte perſecutorum notis, & multi alii hujus ætatis doctiſſimi Scriptores.

Probatur ultimò, impugnando ſententiam eorum, qui docent

Chriſtum mortuum eſſe anno ętatis ſuæ trigeſimo ſeptimo ; qui concurrit cum anno trigeſimo tertio ęræ vulgaris, Conſulibus *L. Sulpitio Galba*, & *L. Cornelio Sylla Felice*. Nam primò, hęc ſententia apertè pugnat cum Scriptura ſacra, quę Chriſtum anno ętatis ſuę circitèr trigeſimo baptizatum fuiſſe perhibet, eumque à ſuſcepto baptiſmate, quatuor dumtaxat peregiſſe Paſchata innuit. Secundò, pugnat etiam cum Eccleſię fide, quę profitetur Chriſtum Dominum in carne triginta tribus annis uſque ad ſuæ tempora paſſionis vixiſſe, ſicut teſtatur Venerabilis *Beda* lib. de ratione temp. cap.45. Tertiò, omnes Patres mox à me laudati tradunt: Chriſtum mortuum fuiſſe VIII. kal. Aprilis, ideſt, die 25. Martii. Teſtatur etiam *Henſchenius* ſe, præter multa Martyrologia typis edita, vidiſſe viginti manuſcripta Martyrologia in variis Europæ Archivis aſſervata, quæ mortem Chriſti aſſignant diei 25. Martii. At ſi mors Chriſti conſignanda eſſet anno æræ vulgaris trigeſimo tertio, Chriſtus mortuus eſſet, non die 25. Martii, ſed die tertiâ menſis Aprilis, quod adverſatur perpetuæ, ſibique ſemper conſtanti traditioni Eccleſiæ, quæ mortem Chriſti aſſignat diei 25. Martii, cui traditioni, cùm ſęculo decimo tertio *Rogerus Bachonus* Ord. S. Franciſci rerum Mathematicarum peritiſſimus, refragari auſus fuiſſet, aſſerens Chriſtum die tertia Aprilis anni ęræ vulgaris trigeſimi tertii paſſum fuiſſe, confeſtim de errore ſuſpectus malè audiit, ut refert *Vvadingus* tàm in lib. de Scriptoribus minorum, quàm in ſecundo tomo Annalium. Immò ſequenti ſæculo cùm *Toſtatus* eamdem Rogeri ſententiam inter alia capita Theſium Senis in Etruria, ubi Eugenii Quarti Summi Pontificis Curia tùm temporis erat, propugnaſſet; in eum acriter invectus eſt noſter *Joannes à Turrecremata Cardinalis*, nec priùs *Toſtati* ſententiam impugnare deſtitit, quàm, datis à Summo Pontifice Judicibus, *Toſtatus* erroris poſtulatus ſit, atque damnatus. Denique, Chriſtum mortuum eſſe ante annum trigeſimum tertium ęræ vulgaris non obſcurè colligitur ex his, quæ habet *Oroſius* lib.7. cap.4. Refert quippè ille Auctor, quod Tiberius Imperator poſtquàm à Pilato de vita, morte, & miraculis Salvatoris noſtri, cujus per univerſam Palęſtinam celebris erat fama, certior factus eſſet, remque ad Senatum detuliſſet; Senatus indignatione motus, quod non ſibi priùs ſecundùm morem delatum eſſet, ut de ſuſcipiendo cultu priùs ipſe decerneret, conſecrationem Chriſti recuſavit, edictoque conſtituit exterminandos eſſe ex Urbe Chriſtianos, *præcipuè cum Sejanus Tiberii Præfectus ſuſcipiendæ Religioni obſtinatiſſimè contradiceret*. Sejanus itaque, teſte *Oroſio*, obſtitit ne Tiberii ſuffragium de Chriſto inter Deos referendo à Senatu reciperetur, atqui Sejanus mortuus eſt anno trigeſimo primo ęræ vulgaris, Tiberio Cæſare V. & Lælio Sejano Conſulibus, ut contra *Poſſinum* evincunt *Pagius*

in

Digitized by Google

in ſua critica ad annum æræ vulgaris trigeſimum primum, & *Schelſtratus* lib.1. de antiq. Eccl. ergo Chriſtus mortuus eſt ante annum æræ vulgaris trigeſimum primum, alioquin ſi Chriſtus mortuus fuiſſet anno trigeſimo tertio æræ vulgaris, haud dubiè *Sejanus*, qui anno æræ vulgaris trigeſimo primo in vivis eſſe deſiit, ejus conſecrationi non interceſſiſſet.

Scio quoſdam etiamnùm reperiri Criticos, qui inter aniles fabulas referunt ea, quæ de actis Chriſti à Pilato ad Tiberium, & à Tiberio ad Senatum relatis memoriæ prodita ſunt; ajunt enim credibile non eſſe Senatum reſpuiſſe, quod Tiberio placuerat. Verùm non eſt dubium quin fallantur illi Critici, nam licèt non inficias eam, quædam acta Pilato fuiſſe à Gentilibus afficta, teſte *Euſebio* lib.1.hiſt. Eccleſ. cap.9. attamen vera & genuina extitiſſe acta Pilati nullus dubito, præſertim cùm antiqui Patres de illis actis diſertam mentionem faciant, *Tertullianus* Romanarum legum peritiſſimus in apologetico, *Juſtinus* Martyr in apologia ſecunda pro Chriſtianis, *Euſebius* lib. 2. hiſt. Eccleſ. cap.2. *Oroſius* loco mox citato, *Epiphanius* hæreſi 50. & denique *Sanctus Gregorius Turonenſis*, qui lib. 1. cap. 24. hæc habet: *Pilatus autem geſta ad Tiberium mittit, & ei tam de virtutibus Chriſti, quàm de paſſione, vel reſurrectione ejus inſinuat, quæ geſta apud nos retinentur ſcripta.* Non eſt autem incredibile Senatum reſpuiſſe, quod Tiberio placuerat; nam certum eſt Tiberium ſic artem diſſimulandi calluiſſe, ut non ægrè ferret quando Senatus quidpiam adversùs voluntatem, aut ſententiam ejus decerneret, ſicut teſtatur *Suetonius*.

DILUUNTUR OBJECTIONES.

Arguitur primò: Apoſtoli, & Diſcipuli Chriſti, maximè illi, qui verſati ſunt in Aſia, tradiderunt Chriſtum, quando mortuus eſt, jam declinaſſe in ſenium. Hujus traditionis meminit *Sanctus Irenæus* lib.2. adverſus hæreſes cap. 39. his verbis: *Quia autem triginta annorum ætas primæ indolis eſt juvenis, & extenditur uſque ad quadrageſimum annum, omnis quilibet confitebitur; à quadrageſimo, & quinquageſimo anno declinat jam in ætatem ſeniorem, quam habens Dominus noſter docebat, ſicut Euangelium, & omnes ſeniores teſtantur, qui in Aſia apud Joannem diſcipulum Domini convenerunt, id ipſum tradidiſſe eis Joannem . . . . . . quidam autem eorum non ſolùm Joannem, ſed & alios Diſcipulos viderunt, & hæc eadem ab ipſis audierunt, & teſtantur de hujuſmodi relatione.* Chriſtus ergo jam declinabat in ſenium, quando in Crucem actus eſt, ac ſubindè in juvenili ætate non eſt mortuus, anno videlicet trigeſimo tertio ineunte ætatis ſuæ, ſed potiùs anno trigeſimo ſeptimo, vel in ætate magis provectâ.

Re-

Digitized by Google

Reſpondeo: *Sanctum Irenæum*, dum aſſerit non ſolùm ſeniores, ſed etiam Euangelium teſtari Chriſtum, quando Cruci affixus eſt, in ſenium jam declinaſſe, alludere voluiſſe ad hæc verba à Judæis de Chriſto dicta, & à Joanne Euangeliſta relata, *quinquaginta annos nondùm habes, & Abraham vidiſti?* Ex quo Judæorum teſtimonio, quod ab aliis Apoſtolis, ſicut à Joanne non ſemel repetitum audierant Chriſtiani, inductus eſt *Sanctus Irenæus* ad credendum id ſeniores, qui erant in Aſia, à Joanne accepiſſe quod poſtea de ſenili ætate Chriſti tradiderunt. Sed in hoc, ut ſupra obſervavimus, deceptus eſt *S. Irenæus*, nulla quippè à Sancto Joanne de ſenili ætate Chriſti profecta eſt traditio. Credibile tamen eſt hujus traditionis Auctorem fuiſſe *Papiam*, virum, ut prodit *Euſebius*, pertenuis ingenii, cuique, ut norunt omnes, non rarò accidit, ut fabuloſas traditiones tanquam ab Apoſtolis profectas in ſuis ſcriptis inſereret, quæ etiam quoſdam veteres Patres in errorem induxerunt. Hæc autem traditio de ſenili ætate Chriſti eo potiſſimùm nomine fabulæ loco haberi debet, quod, ſicut ſuperiùs dictum eſt, nullo pacto cohærere poſſit cum his, quæ habet Scriptura Sacra de Pilato Procuratore Judææ tempore paſſionis Chriſti. Rejectâ igitur ſpuriâ illâ traditione, dicendum eſt cum *Sancto Thoma* 3.p. q.46. art.10. ad 4. Chriſtum non in ſenili, ſed potiùs in juvenili ætate mori voluiſſe propter tria: *Primò quidem, ut ex hoc magis ſuam dilectionem commendaret, quod vitam ſuam pro nobis dedit, quando erat in perfectiſſimo ſtatu. Secundò, quia non conveniebat, ut in eo appareret naturæ diminutio, ſicut nec morbus. Tertiò, ut in juvenili ætate moriens & reſurgens, futuram reſurgentium quantitatem in ſeipſo Chriſtus præmonſtraret: unde dicitur ad Epheſios cap.4. donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis Filii Dei in virum perfectum in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.*

Arguitur ſecundò: Mors Chriſti huic anno conſignari debet, quo contigit celeberrima illa eclipſis apud antiquos celebrata, maximè apud *Tertullianum* in apolog. cap.21. *Origenem* lib. 2. contra Celſum, *Sanctum Auguſtinum* epiſt.199. aliàs 80. ad Heſychium, & quæ apud Euangeliſtas *Matthæum* cap. 27. & *Lucam* cap. 23. his verbis deſignatur: *Ab hora ſexta factæ ſunt tenebræ per univerſam terram uſque ad horam nonam*. Atqui hæc Solis eclipſis incidit in annum æræ vulgaris trigeſimum ſecundum, qui concurrit cum anno ætatis Chriſti trigeſimo ſexto, & cum anno Imperii Tiberii ab obitu Auguſti decimo octavo, ergo huic anno paſſio Chriſti conſignari debet. Prob. min. ex teſtimonio *Phlegontis* Hadriani Imperatoris Liberti, qui apud *Euſebium* in Chronico hæc habet: *Quarto autem anno Olympiadis ducenteſimæ ſecundæ magna & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio Solis eſt facta: dies hora ſexta ita in tenebroſam noctem verſa, ut ſtella*

in

Digitized by Google

In Cælo viſæ ſint, terraque motus per Bithyniam magnam partem Nicææ Urbis evertit. Atqui annus quartus Olymp. ducenteſimæ ſecundæ concurrit cum anno æræ vulgaris trigeſimo ſecundo, ſeu cum anno ætatis Chriſti trigeſimo ſexto, & Imperii Tiberii ab obitu Auguſti decimo octavo, ergo reverà in hunc annum incidit Solis eclipſis, quæ à *Phlegonte*, & à ſacris Euangeliſtis tempore paſſionis Chriſti contigiſſe dicitur.

Reſpondeo cum peritiſſimis hujus temporis Chronologis: mendum reperiri circà annum olympiadis quo, teſte Phlegonte, accidit Eclipſis Solis. Ea ſi quidem Eclipſis non contigit anno quarto Olympiadis ducenteſimæ ſecundæ, ſicut per errorem in textum irrepſit, ſed accidit anno primo Olympiadis ducenteſimæ ſecundæ, qui annus, juxtà ſuppatationem communem, concurrit cum anno, vigeſimo nono æræ vulgaris, ætatis Chriſti trigeſimo tertio, & Imperii Proconſularis Tiberii decimo nono, quo anno reverà mortuus eſt Chriſtus Dominus. Errorem circa annum Olympiadis, quo, teſte Phlegonte, accidit Eclipſis Solis reperiri, velint nolint, fateri coguntur etiam illi Chronologi qui mortem Chriſti illigant anno æræ vulgaris trigeſimo tertio, qui concurrit cum anno trigeſimo ſeptimo ætatis Chriſti, & cum anno Imperii Tiberii ab obitu Auguſti decimo nono: certum quippè eſt annum quartum Olympiadis ducenteſimæ ſecundæ non concurrere cum anno trigeſimo tertio æræ vulgaris, ſed cum anno ejuſdem æræ vulgaris trigeſimo ſecundo, ſeu cum anno ætatis Chriſti trigeſimo ſexto, & Imperii Tiberii ab obitu Auguſti decimo octavo. Quapropter moderni illi Chronologi, qui mortem Chriſti conſignant anno trigeſimo tertio æræ vulgaris, ſi ſibi conſtare velint, neceſſe eſt ut dicant Eclipſim illam Solis accidiſſe anno primo Olympiadis ducenteſimæ tertiæ, ac ſubindè erraſſe Phlegontem non ſolùm in anno, ſed etiam in deſignanda Olympiade; nos verò, qui cum peritiſſimis hujus temporis Chronologis mortem Chriſti præfigimus anno æræ vulgaris vigeſimo nono, licèt fateamur in textum Phlegontis irrepſiſſe mendum circà annum Olympiadis, nullum tamen in deſignata à Phlegonte Olympiade ducenteſima ſecunda errorem agnoſcimus. Plura hac de re legi poſſunt apud doctiſſimum *Pagium* in critica Baronii ad annum 32. æræ vulgaris, ubi etiam ex teſtimonio Julii Africani, qui uno tantùm ſæculo poſt Phlegontem vixit, opuſque ab illo editum de Olympiadibus libris 16. ut ait *Suidas*, comprehenſum videre potuit, probat Phlegontem eodem anno Eclipſim collocaſſe quo Chriſtus Dominus cruci affixus eſt, hoc eſt, anno æræ vulgaris vigeſimo nono, ſub Conſulatu duorum Geminorum.

Arguitur tertiò: Chriſtus mortuus eſt, juxtà antiquam, & con-

conſtantem Eccleſiæ fidem luna decimâ quintâ, & feriâ ſextâ, atqui ex omnibus annis, qui de obitu Chriſti in controverſiam venire poſſunt, nullus reperitur, cujus prima, vel ſecunda luna plena eſſe potuerit feriâ quintâ, vel ſextâ, niſi annus trigeſimus tertius æræ vulgaris; Huic igitur anno illiganda eſt mors Chriſti, non verò anno æræ vulgaris vigeſimo nono. Probant minorem moderni Chronologi ex tabulis aſtronomicis, ex quibus juxtà rigorem aſtronomicum colligunt lunam decimam quintam incidiſſe dumtaxat in feriam ſextam anni æræ vulgaris trigeſimi tertii.

Reſpondeo: Judæos, ante Urbis Hieroſolymitanæ Cladem, nullis Cyclis, nulliſque tabulis Aſtronomicis in ſtabilienda anni ſui forma uſos fuiſſe, ſed ἀπὸ τῆς φάσεως, ſeu ab aſpectu lunæ Neomenias, ſeu initia menſium ſuorum lunarium ordinaſſe, ut tradunt vetuſtiores Rabbini apud *Langium* lib. 1. de annis Chriſti cap. 6. idemque docent *Petavius* lib. 2. de Doctrina temporum, *Onuphrius Panvinus* in Faſtis ad annum Urbis Romæ conditæ 786. *Joannes Seldenus* in Diſſertatione de anno civili veteris Reipublicæ, ſeu Judaicæ, *P. Bernardus Lamy* in ſuo tractatu hiſtorico Paſchatis Judæorum, & vetus Auctor apud *Clementem Alexandrinum* lib. 6. Stromatum ſic ſcribens de Judæis: *Et niſi luna apparuerit non agunt Sabbatum, quod dicitur primum, neque agunt Neomeniam, neque azima, neque feſtum, neque magnum diem.* Cùm igitur Judæi non computarent juxtà rigorem aſtronomicum, hoc eſt, à conjunctione lunæ cum ſole, ſed tantùm ab aſpectu, ſeu ab apparitione lunæ, quæ uno, aut altero die poſterior eſt conjunctione lunæ cum ſole, oleum & operam perdunt periti quidam hujus temporis Aſtronomi, dum putant ſe antiqua Judæorum feſta inveſtigare, & cognoſcere poſſe, computando novilunia juxtà rigorem aſtronomicum, ideſt, ab una lunæ conjunctione cum ſole ad alteram, quod ſanè nuſquàm Judæi (ſaltem quamdiù Hieroſolymis extitit Synedrium cui Neomenias juxtà apparitionem lunæ conſtituendi jus aſſertum erat) obſervarunt. Quam verò anni formam Judæi poſt Urbis Hieroſolymitanæ cladem, & extinctum Synedrium ſequuti fuerint? Planè incertum eſt. Nam cùm Judæi ſub Trajano Imperatore graviſſimis perſecutionibus jactati, & ad extrema redacti fuerint, atque ſub Adriano Imp. hàc illàc fugati, & diſſipati: veroſimile non eſt eos ſub his Imperatoribus in unum corpus coaleſcere potuiſſe ad certam quamdam, & ad leges aſtronomiæ exactam præſcribendam anni formam. Facilè tamen crediderim Judæos ſub aliis Imperatoribus meliùs habitos excogitaſſe illum cyclum annorum LXXXIV. cujus meminit *Sanctus Epiphanius* hæreſi LXX. quem tamen cyclum, utpotè vitioſum, & cum motibus corporum cæleſtium non conſentientem, rejecerunt deindè

Digitized by Google

deindè Judæi ætate ſcilicèt Rabbinorum *Abbai*, & *Rabba*, ideſt, circa annum æræ Chriſtianæ 358. tunc enim, ut teſtatur *Maimonides* in ſuo tractatu *Kiddúſch hak Kodesh*, ſeù de conſecratione menſis cap. 5. num. 3. Judæi uti cæperunt Cyclis, & tabulis Aſtronomicis annumque ſuum civilem ad medios motus, ſeù ad rationes curſus Lunæ Aſtronomicas per Cyclum Enneadecaëtericum, ideſt Decennovennalem exegerunt, quo Cyclo etiamnùm utuntur Judæi. Quocircà haud parùm, meâ quidem ſententiâ, decipiuntur nuperi quidam Chronologi, qui ex hoc recenti Judæorum Cyclo vetera Judæorum feſta ſe indagare poſſe confidunt, multaque ariolando de præteritis Judæorum temporibus ſtatuunt, quæ noviſſimi illius Cycli ratione ſunt longè antiquiora. Addo etiam, cùm difficillimum ſit inire menſium Lunarium computum, ac fermè nihil certi ex prædicta computatione colligi poſſit, multò conſultiùs eſſe, rejectis obſcuris, incertis & implexis Mathematicorum Aſtronomicis obſervationibus, antiquæ adhærere traditioni Patrum, qui Chriſtum Dominum mortuum eſſe tradunt anno vigeſimo nono æræ vulgaris ſub Conſulatu duorum geminorum. Si plura ſuper hac re Lector ſcire deſideret, adeat Kepplerum in Eclogis Chronicis, & *Bollandum* in exercit. 1. ad procemium prioris Catalogi Romanorum Pontif. tom. 1. de Actis Sanctorum menſis Aprilis.

ARGUITUR ULTIMÒ: Petrus, & Paulus, juxtà pervulgatam traditionem, martyrio fuere coronati anno decimo quarto Imperii Neronis, hoc eſt, anno æræ vulgaris ſexageſimo ſeptimo, à morte Chriſti trigeſimo quarto, ergò Chriſtus mortuus eſt, anno trigeſimo tertio æræ vulgaris. Conſequentia videtur certa, nam ab anno æræ vulgaris trigeſimo tertio, qui concurrit cum anno Imperii Tiberii ab obitu Auguſti decimo nono, uſque ad annum decimum decimum quartum Neronis, triginta quatuor effluxerunt anni, quos ſi adderis annis 33. æræ vulgaris, habebis annum æræ vulgaris ſexageſimum ſeptimum, quo Petrus & Paulus Romæ martyrii coronam ſunt adepti. Paſſus eſt igitur Chriſtus anno æræ vulgaris trigeſimo tertio.

Reſpondeo primò: Petrum & Paulum martyrio non fuiſſe coronatos anno decimo quarto exeunte Neronis, ſeù anno æræ vulgaris ſexageſimo octavo, ut cenſet *Euſebius*, nec anno decimo tertio exeunte Neronis, ſeù anno ſexageſimo ſeptimo æræ vulgaris, ut putat *Baronius*. Utrumque hîc breviter demonſtro. Primò, martyrium Petri & Pauli contingere non potuit anno decimo quarto exeunte Neronis, ſeu anno ſexageſimo octavo æræ vulgaris, quia anno decimus quartus Neronis, ut fatentur Chronologi, cæpit à die 13. Octobris anni ſexageſimi ſeptimi æræ vulgaris, Conſulibus *L. Fontejo*, & *Cajo Julio Ruſo*, finemque accepit die nona menſis Junii

nii æræ vulgaris ſexageſimi octavi, Conſulibus *C. Silio Italico*, & *M. Galerio Turpiliano*, hac enim die nona Junii mortuus eſt Nero. Cùm itaque conſtet ex perpetua Eccleſiæ Romanæ traditione, ex omnibus Calendariis tàm manuſcriptis, quàm typis editis, ex omnibus Patribus tàm antiquis, quàm recentioribus, Petrum & Paulum martyrio fuiſſe coronatos ſub Nerone die 29. menſis Junii, nullo pacto dici poteſt Petrum & Paulum occiſos fuiſſe anno decimo quarto exeunte Neronis, ſeù anno ſexageſimo octavo æræ vulgaris. Secundò, martyrium Apoſtolorum Petri & Pauli contingere etiam non potuit anno decimo tertio exeunte Neronis, ſeu anno ſexageſimo ſeptimo ęræ vulgaris, quia Nero toto hoc anno Imperii ſui decimo tertio in Græcia permanſit, Romamque dumtaxàt reverſus eſt anno ęræ vulgaris ſexageſimo octavo, Conſulibus *C. Silio Italico*, & *Galerio Turpiliano*, quos ipſe Conſulatu abdicavit, ſeque Conſulem creavit, immò omnem Senatum veneno tollere in animum induxit, ſed deſperans de ſucceſſu, & ab omnibus deſertum ſe videns fugam arripuit, ſibique mortem conſcivit die 9. Junii ejuſdem anni æræ vulgaris 68. ſicut ex Dione, & ex Joanne Xiphilino luculenter probant *Pagius* in Critica Baronii ad annum æræ vulgaris 67. & *Bollandus* tom. 1. Aprilis pag. 16. Quapropter ipſe longè probabiliùs eſſe cenſeo: Petrum & Paulum martyrio fuiſſe coronatos anno duodecimo exeunte Neronis, ſeù anno æræ vulgaris ſexageſimo ſexto, Conſulibus *C. Luccio Teleſino*, & *C. Svetonio Paulino*, hoc ſi quidem anno Romæ præſens aderet Nero, quandò illius juſſu Petrus & Paulus die 29. ejuſdem anni occiſi ſunt.

Scio clariſſimos Authores *Pagium*, *Bollandum*, & *Schelſtratum* Apoſtolorum Petri & Pauli martyrium conſignare anno undecimo exeunte Neronis, ſeù anno ſexageſimo quinto æræ vulgaris, Conſulibus *Nerva*, & *Veſtino*. Verùm, ut optimè obſervat doctiſſimus *Tilmontius* in notis in Hiſtor. Eccleſ. ſex priorum ſæculorum tom. 1. pag. 557. nulla eſt neceſſitas martyrium Petri & Pauli retrahendi ad annum 65. ęræ vulgaris, nec ad annum ejuſdem ęræ 64. ut viſum eſt, *Cl. Eliæ du Pin* Doctori Sorbonico.

Reſpondeo ſecundò: A paſſione Chriſti Domini uſque ad martyrium Apoſtolorum Petri, & Pauli non ſolùm effluxiſſe annos triginta quatuor, ut falsò ſupponunt moderni Chronologi, ſed potiùs interfluxiſſe annos triginta ſeptem. Nàm primò, ita docent Sancti Patres *Hieronymus*, *Chryſoſtomus*, *Beda*, *Rabanus*, *Nicephorus*, aliique benè multi apud *Baronium* ad annum Chriſti 67. Deindè Chriſtus, ut ſuprà oſtendimus, paſſus eſt anno æræ vulgaris vigeſimo nono, Petrus verò, & Paulus occiſi ſunt die 29. Junii anni ejuſdem æræ ſexageſimi ſexti, ex quo ſequitur à paſſione Chriſti uſque ad martyrium Apoſtolorum Petri, & Pauli interceſſiſſe ſpatium 37.

Digitized by Google

tium 37. annorum. Denique, *Apollonius*, qui ſub Commodo Imperatore Urbis Romæ Senator fuit, refert, teſte *Euſebio* lib. 5. hiſtor. Eccleſ.cap.18. *Tanquam ex veterum traditione, Dominum Apoſtolis ſuis præcepiſſe, ne intra duodecim annos Hieroſolymis excederent*. Quam *Apollonii* traditionem laudat *Clemens Alexandrinus* lib. 6. Stromatum, eamq; ſuo calculo approbat *Baronius* ad calcem anni Chriſti 34. Permanſit ergo Sanctus Petrus, juxtà hanc *Apollonii* traditionem, poſt mortem Chriſti per ſpatium duodecim annorum Hieroſolymis, ideſt, in Syria, aut in Palæſtina, aut in aliis vicinis regionibus, ita ut per quinque annos hàc illàc Euangelium prædicaverit, & per ſeptem annos Eccleſiæ Antiochenæ præfuerit: quo ſpatio 12. annorum exacto, Romam venit anno ſecundo ineunte Claudii Imperatoris, ſeù anno 42. æræ vulgaris, & Eccleſiæ Romanæ præfuit viginti quinque annis, juxtà antiquorum, & Sanctorum Patrum traditionem. Si ergo 12. annis, per quos Petrus unà cum cæteris Apoſtolis permanſit ab obitu Chriſti in Syria, & Palæſtina, vel in aliis vicinis regionibus, addas viginti quinque annos, per quos Petrus præfuit Eccleſiæ Romanæ, comperies ab obitu Chriſti uſque ad martyrium Sancti Petri effluxiſſe annos triginta ſeptem. Quod ſanè optimè cohæret cum ſententia noſtra, nàm ſi anno vigeſimo nono æræ vulgaris, cui mortem Chriſti illigavimus, adiicias annos triginta ſeptem, incides in annum æræ vulgaris ſexageſimum ſextum, quo, juxtà ſententiam noſtram, Petrus unà cum Paulo Romæ martyrio fuit coronatus.

QUÆRES PRIMÒ: *Qua hora crucifixus ſit Chriſtus Dominus, & quo pacto conciliari poſſint Euangeliſtæ Marcus, & Joannes, quorum primus* cap. 15. ait *Chriſtum fuiſſe crucifixum hora tertia, alter verò cap. 19. hora quaſi ſexta?*

Reſpondeo: Ad conciliandum utrumque Euangeliſtam circa horam crucifixionis Chriſti, hoc unum breviter obſervandum eſſe, quod quemadmodum nox apud Judæos in 4. vigilias, ità & dies in 4. ſtationes, & partes erat diviſa. Prima diei pars à diluculo auſpicabatur, & durabat uſque ad horam diei tertiam, ideſt, uſque ad nonam horam matutinam juxtà morem, quem galli in numerandis horis obſervare ſolent. Hæc autem hora vocabatur *prima*, eo quod ab hora prima initium ſumeret. Secunda pars, ſeù ſtatio diei diei incipiebat ab hora tertia, ideſt, juxta morem gallorum, ab hora nona matutina, & protrahebatur uſque ad horam ſextam, hoc eſt, uſque ad meridiem gallorum; vocabaturque *hora tertia*, quod ab hora tertia haberet exordium. Tertia diei pars inibat ab hora ſexta, ideſt, à meridie gallorum, & perdurabat uſque ad horam nonam, ſeu uſque ad horam tertiam pomeridianam gallorum, ap-

Digitized by Google

pellabaturque ſimiliter ab hora undè principium acceperat, *hora ſexta*. Quarta demùm ſtatio, ſeu pars diei incipiebat ab hora nona, videlicèt ab hora tertia pomeridiana gallorum, & durabat uſque ad occaſum Solis, & dicebatur vel hora nona, vel veſpera. Hac autem ſemel præmiſſa obſervatione, nullo negotio oſtenditur pulchrè inter ſe conſentire ambos Euangeliſtas, qui primâ fronte diſſidere videntur. Nàm quandò *Marcus* ait Chriſtum crucifixum eſſe *hora tertia*, vult dumtaxàt Chriſtum fuiſſe crucifixum horâ tertiâ jam vergente ad finem, ideſt, nondùm quidem elapsâ, ſed proximè accedente ad horam ſextam, ſeu ad meridiem gallorum. Chriſtus quippè, ut referunt ſacri Euangeliſtæ, ductus fuit è domo Caiphæ ad Pilati Prætorium mane facto, & jàm albeſcente cœlo; ductio autem illa Chriſti ad Pilatum cum turbis, & militibus, interrogationes Pilati totiès repetitæ, teſtium auditio, ſeſſiones pro tribunali, illuſiones Chriſto factæ, coronæ ſpineæ impoſitio, flagellatio, veſtium mutatio, ductio ad Herodem; & reductio ad Pilatum, ductio ad ſupplicium extra Civitatem, apparatus ſupplicii; crucifixio, hæc, inquam, omnia breviſſimo trium horarum ſpatio fieri non potuerunt, maximè cùm Pilatus frequentes necteret moras, & ſententiam de morte Chriſti de induſtria ferre cunctaretur; neceſſe ergo eſt, ut Chriſti crucifixio facta fuerit non ſub initium, ſed ſub finem horæ tertiæ, & ſic intelligendus eſt *Sanctus Marcus* quandò ait Chriſtum crucifixum eſſe *hora tertia*. Similiter dum ait *Sanctus Joannes Euangeliſta*, Chriſtum eſſe crucifixum *hora quaſi ſexta*, vult tantummodò indicare Chriſtum crucifixum eſſe horâ ſextâ nondùm quidem inceptâ, ſed jàm appetente, ideſt, proximè accedente. Ratio eſt, quia, teſte *Sancto Marco*, ab incepta hora ſexta tenebræ factæ ſunt per totam terram uſque ad horam nonam, ſi ergo Chriſtus fuiſſet crucifixus horâ ſextâ jàm inceptâ, nullum fuiſſet temporis intervallum crucifixionem Chriſti inter & tenebras factam per totam terram, quod tamen apertè falſi convincitur ex ſacris Euangeliſtis, à quibus benè multa ad crucifixionem Chriſti ſpectantia referuntur, quæ antè eclipſim Solis, ideſt, antequàm tenebræ horâ ſextâ fierent per totam terram fuerunt abſoluta, nimirùm Pilati tergiverſatio, Judæorum expoſtulatio, Salvatoris innocentiſſimi condemnatio, & ad locum ſupplicii ductio, titulorum conſignatio, eorumdem affixio, Sacerdotum proteſtatio contrà titulum crucis, Pilati reſolutio, crucis in Simonem Cyrenæum translatio, Mulierum concomitantium lamentationes, Salvatoris reſponſiones, binorum Latronum crucifixiones, veſtimentorum Chriſti diviſio, vini mirrhati cum felle propinatio, prætereuntium Chriſto crucifixo inſultantium cavillationes, & blaſphemiæ, Salvatoris pro perſecutoribus ad Patrem

trem

Digitized by Google

trem interceſſio, Latronis unius convitia, alterius Latronis pietas, & ſocii reprehenſio, Paradiſi bono Latroni à Chriſto facta promiſſio; hæc, inquam, omnia ad crucifixionem Chriſti pertinentia à ſacris Euangeliſtis facta perhibentur antequàm horâ ſextâ inceptâ fierent tenebræ per totam terram, non fuit ergo Chriſtus crucifixus horâ ſextâ, quia, eâ ſemel inceptâ, nihil omninò operis Judæi propter denſiſſimas tenebras moliri potuerunt. Quandò itaque *S. Joannes* ait Chriſtum eſſe crucifixum *hora quaſi ſexta*, idem eſt, ac ſi diceret Chriſtum fuiſſe cruci affixum horâ ſextâ, non quidem inceptâ, ſed jàm appetente, ideſt, proximè accedente, in quo nullâ antilogiâ pugnat cum *Sancto Marco*.

Duplicem alium modum conciliandi utrumque Euangeliſtam ſuppeditat *Doctor Angelicus* 3.p. q.46. art.9. ad 2. & primò ait cum *Sancto Auguſtino* lib.3. de conſenſu Euangeliſtarum cap.13. Chriſtum horâ tertiâ, juxtà *Sanctum Marcum*, fuiſſe crucifixum clamoribus Judæorum, horâ verò ſextâ Chriſtum manibus militum, juxtà *Sanctum Joannem*, fuiſſe crucifixum. Deindè dicit, notam numeri depravatam eſſe vitio indocti, & oſcitantis cujuſdam Scriptoris, quæ depravatio eò faciliùs contingere potuit, quod inter litteram græcam, quâ ſignatur numerus ternarius, & litteram græcam, quâ notatur numerus ſenarius, maxima ſit affinitas. Græcis quippè ſolemne eſt numeros ſuos litteris deſignare. Potuit ergo *Marcus* cum *Joanne* dicere crucifixionem Domini cœptam *hora quaſi ſexta*, quam numeri deſignationem Sciolus, aut imprudens aliquis Scriptor proprio marte interpolavit. Huic expoſitioni favent *S. Hieronymus* in Pſalm. 77. multique moderni Theologi, & doctiſſimi Scripturæ ſacræ interpretes, aſſerentes hoc pacto multò faciliùs explicari poſſe apparentem illam antilogiam, in qua elucidanda mirè hactenùs ſeſe torſerunt viri eruditi.

QUÆRES SECUNDÒ: *Cur Chriſtus non ſit mortuus in Nazareth, ubi fuit conceptus? neque in Bethleem, ubi natus? neque in Hebron, ubi mortuus, & ſepultus eſt Adamus, cujus peccatum motivum fuit incarnationis, & mortis Chriſti? neque intrà muros Hieruſalem, ubi ſacrificia veteris legis ſacrificium crucis adumbrantia offerebantur? ſed in Calvariæ loco extrà mœnia Hieruſalem crucifigi, & mori voluerit?*

Reſpondeo cum *Sancto Thoma* 3.p. q. 46. art. 10. quod quemadmodùm Chriſtus in parvis, & ignobilibus oppidis concipi, & naſci voluit ad confutandam inanem oſtentationem hominum, qui ut plurimùm æſtu ambitionis abrepti vanam gloriam aucupantur, ſibique honoris loco ducunt, quod ex nobilibus Civitatibus oriundi ſint, ità in exemplum humilitatis, & contemptus gloriæ, Chriſtus

Mundi

Digitized by Google

Mundi opprobrium pati voluit in celeberrima, hominibusque refertiſſimâ Civitate Hieruſalem, ſeù potiùs propè illam. Secundò, Chriſtus moriendo propè Hieruſalem adimplevit illud vatis Regii oraculum Pſalm. 75. *Deus autem Rex noſter ante ſæcula, operatus eſt ſalutem in medio terræ*, Hieruſalem ſiquidem dicitur à Sanctis Patribus, & à Geographis umbilicus, & medium terræ. Tertiò, Chriſtus crucifixus, & mortuus propè Hieruſalem, perfectè adimplevit figuras veteris legis, quia hoſtiæ, quæ ipſum prænunciabant, Hieroſolymis immolabantur, præſertim *vitulus*, & *hircus*, qui, ſicut præcipitur cap. 16. *Levitici*, ſolemniſſimo ſacrificio ad expiationem totius multitudinis offerebantur, & extrà caſtra comburebantur: undè & ipſe Chriſtus extra portam paſſus eſt, ut crux ejus, ſicut ait *Sanctus Leo*, non ſicut Templi eſſet ara, ſed Mundi, & ut nos mundanam converſationem fugientes, *exeamus ad eum extrà caſtra, improperium ejus portantes*, ut loquitur *Apoſtolus* ad *Hebræos* cap. 13. Denique, Chriſtus in loco Calvariæ, ſeu in publico damnatorum, & decollatorum loco crucifigi, & mori voluit, potiùs quàm in Hebron, ubi ſepultus eſt Adam, ut oſtenderet mortem ſuam non ſolùm fore in remedium perſonale ipſius adæ, ſed omnium totius Mundi delictorum, & *ut ibi erigerentur vexilla martyrii, ubi priùs erat area damnatorum*, inquit *Sanctus Hieronymus* in cap. 27. *Matth.* Scio multos Ss, Patres, quos citat *Jacobus Gretſerus* lib. 1. de Cruce cap. 18. exiſtimaſſe Adamum in eodem ipſo loco, ubi crux fixa fuit, ſepultum eſſe, eamque traditionem antiquitùs invaluiſſe; verùm *Sanctus Hieronymus*, vir naris emunctæ, acerrimique judicii, huic traditioni pluribus in locis fidem negat, docetque Adamum ſepultum eſſe in Civitate *Arbee*, quæ eſt *Hebron*, ubi *Abraham*, & *Sara*, *Iſaac*, & *Rebecca*, *Jacob*, & *Lia* conditi ſunt; cui *S. Hieronymi* ſententiæ ſubſcribit *S. Thomas*.

Advertat obiter Lector, Chriſtum circà æquinoctium vernum, quandò dies increſcere incipiunt, mori voluiſſe, ut commonſtraret quod nos per paſſionem ſuam à tenebris peccatorum ad lucem gratiæ eſſet perducturus, & ut in ſe adimpleret figuram agni Paſchalis, qui juxtà legem circa æquinoctium vernum immolabatur, quique Chriſtum verum agnum in Cruce pro peccatis totius mundi immolandum ſimilitudine adumbrabat.

DIS-

DISSERTATIO DECIMA SEXTA

De Morte Chriſti, ſeu utrùm Chriſtus Dominus mortuus ſit pro omnibus omninò hominibus?

OBſervandum primò, Semipelagianos olim autumaſſe Chriſtum æqualiter pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, hoc eſt, promiſcuè, & indifferenter tàm pro reprobis, quàm pro electis & prædeſtinatis oraſſe & ſanguinem ſuum fudiſſe. Id apertè colligitur ex ipſa *S. Proſperi* epiſt. ad *S. Auguſtinum*, ubi refert docere Maſſilienſes, quod Chriſtus indifferenter, & citrà ullum delectum univerſos velit ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Idem de Semipelagianis diſertè aſſerit *S. Fulgentius*, qui in libro de Incarnatione & gratia cap. 29. oſtendit in eo potiſſimum ſitum eſſe Semipelagianorum errorem, quod putarent Chriſtum ex æquo, & eodem planè ſenſu & modo pro reprobis mortem oppetiiſſe, ac pro electis ſeu prædeſtinatis, eademque voluntate velle reproborum & prædeſtinatorum ſalutem. Ex quo primo capitali Semipelagianorum errore alius naſcebatur, quem pari ſtudio propugnabant; contendebant ſi quidem, ſuppoſita illa indiſcreta, & indifferenti voluntate Chriſti de ſalute omnium hominum, ſalutem prædeſtinatorum ex ſola ipſorum voluntate pendere, ac ſubindè Deum velle omnes homines ſalvos fieri, hac ſola poſita conditione, *ſi ipſi vellent*, ut videre eſt paſſim apud *Sanctum Auguſtinum*, & apud *Sanctum Proſperum* loco mox laudato, & in carmine *de ingratis* cap. 8.

Obſervandum ſecundò, *Calvinum* lib. 3. Inſtitutionum cap. 24. num. 16. & libro *de æterna Dei prædeſtinatione*, docere Chriſtum mortuum eſſe pro ſolis prædeſtinatis, ita ut reprobi à redemptionis beneficio penitùs excludantur. Quod quidem impium dogma ſancitum eſt in Dordrectana Synodo, Calviniſtarum Diabolica ſynagoga cap. 2. art. 6. Illudque etiamnùm mordicùs tuentur de Calviniſtarum grege Pſeudo-Theologi, qui Pſeudo-Magiſtri ſui veſtigia ſequuntur. In eumdem errorem impegit *Janſenius* lib. 3. de gratia Salvatoris cap. 20. ubi licèt fateatur Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus hominibus ſufficientia pretii quod in ara Crucis æterno Patri obtulit, quodque infiniti erat valoris, negat tamen Chriſtum pro omnibus, nullo excepto, ſe dediſſe Redemptionem, vel Crucifixum, vel mortuum eſſe. Hæc enim ſunt ipſius verba: *Denique*

quia

Digitized by Google

quia Proſpero antiquior & Doctior Auguſtinus nunquàm in ſcriptis ſuis fatetur Chriſtum pro omnibus nullo excepto ſe dediſſe Redemptionem, vel Crucifixum eſſe, vel mortuum, ſed tantummodò pro illis quibus mors ejus profuit, qui certo modo multi & omnes ſunt: hinc genuiniùs, & veriùs reſpondemus Chriſtum dici ſe dediſſe Redemptionem pro omnibus, hoc eſt pro univerſa ſua Eccleſia toto Orbe diſperſa, & conſequentèr pro omnibus hominum generibus, Regibus, privatis, nobilibus, & ignobilibus &c. Et tandem in fine ejuſdem capitis ita concludit: *Quæ ſanè cùm in Auguſtini doctrina perſpicua certaque ſint, nullo modo principiis ejus conſentaneum eſt ut Chriſtus Dominus, vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro juſtorum non perſeverantium ſalute mortuus eſse, ſanguinem fudiſse, ſemetipſum Redemptionem dediſse, Patrem oraſse ſentiatur . . . . . ex quo factum eſt ut juxtà Sanctiſſimum Doctorem, non magis Patrem pro æterna liberatione ipſorum, quàm pro Diaboli deprecatus ſit.* Quibus verbis rotundè negat Janſenius Chriſtum mortuum eſſe pro impiis, & infidelibus, eiſque morte ſua contuliſſe, aut ſaltem òbtuliſse, ſeu præparaſſe auxilia ſufficientia quæ ad æternam eorum ſalutem ordinentur. Verùm hanc virulentam doctrinam, quæ à communi pietatis ſenſu abhorret, omnes ad unum deteſtantur Catholici, qui diſertis Scripturæ Sacræ teſtimoniis, conciliorum definitionibus, & Sanctorum Patrum authoritatibus ſole clariùs demonſtraut Chriſtum pro omnibus, & ſingulis hominibus mortuum eſse. Hinc optimo jure proſcripta eſt hæc Janſenii propoſitio, quæ ordine quinta eſt inter eas quæ damnatæ ſunt Innocentii X. Conſtitutione data Romæ anno æræ vulgaris 1653. pridie kal. Junii: *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum fuiſse, aut ſanguinem fudiſse.* Quæ propoſitio, ut ait idem Summus Pontifex, intellecta eo ſenſu, *ut Chriſtus pro ſalute dumtaxàt prædeſtinatorum mortuus ſit*, eſt impia, blaſphema, contumelioſa, divinæ pietati derogans, & hæretica. Huic autem Pontificiæ Conſtitutioni ab Alexandro deindè ſeptimo confirmatæ omnes Orbis Eccleſiæ Catholicæ ſubſcripſerunt.

Obſervandum tertiò: duplicem eſse gratiæ *ſufficientis* notionem. Primò, Moliniſtæ ſufficientem gratiam interpretantur eam quæ complectitur omnia quæ ad actu agendum ſunt neceſsaria, ideſt, præter quàm ad prorumpendum in actum nihil aliud neceſsarium eſt, & quæ ſine ullo alio auxilio ſuum aliquando ſortitur effectum, ſive, ut Clariùs dicam, Moliniſtæ, gratiæ ſufficientis nomine, eam intelligunt, quæ ſufficit, quæque id habet omne, quod ad effectum ſuum edendum neceſse eſt, hoc eſt, ad actum bonum exerendum, ad quem hominem movet, tametſi eum reipſa non eliciat. Secundò, Thomiſtæ nomine gratiæ *ſufficientis* eam intelligunt gratiam, non

quæ

quæ nihil aliud ad actu agendum requirat, non quæ in actum prodeat ſola, ſed quæ in voluntate imperfectos actus excitet, eam conſtituat proximè potentem, & expeditam ad proſiliendum in actum; alliciatque ad bonum, nec tamen flectat, niſi præſtò ſit gratia ſeipſa efficax. Sive Thomiſtæ, nomine gratiæ ſufficientis, intelligunt gratiam poſſibilitatis, non actionis, quæ intellectum illuſtrat, & voluntatem excitat; quæ dat homini poſſe bonum operari, quæ ſuadet pietatis opus, non perſuadet, invitat voluntatem humanam, non trahit, inſpirat velle, ſed non impartitur. Hæc eſt gratiæ ſufficientis genuina notio quæ toti probatur ſcholæ Thomiſticæ. Non me latet Ludovicum Montaltium in epiſtola 2. ad amicum provincialem, ita ad vivum vocabula reſecare, ut hanc gratiæ ſufficientis notionem, quam uſurpat ſchola Thomiſtica, tanquàm peregrinam, & inſolentem exſufflari, ſibiloque explodi debere affirmet, maxime quia, ut dictitat, omnis populus, vocum & nominum arbiter, id ſufficiens vulgò appellitat, in quo omnia inſunt neceſſaria ad agendum. Verùm, ut ingenuè fatear, hæc mera nominis quæſtio eſt, græculâ levitate, quàm Theologicâ gravitate dignior. Nec video quid novi in hac gratiæ ſufficientis notione, quam Thomiſtæ uſurpant, quidvè periculi ſub ea latere poſſit. Primo enim nihil in ea gratiæ ſufficientis notione eſſe quod novitatem ſapiat, patet ex illa pervulgata apud Theologos Eccleſiæ Catholicæ Doctrina, qua poſt *S. Thomam* 3. part. quæſt. 61. art. 1. profitentur paſſionem Chriſti eſſe cauſam ſufficientem, quæ in actu primo, & vi ſua humanam ſalutem poſſit operari, quamvis tamen ut re ipſa, &, ut ajunt, in actu ſecundo humanam ſalutem operetur, hominemque ſanctificet & emundet, neceſſaria ſit illius applicatio, quæ fit per Sacramenta, ut convenit inter omnes Theologos. Quid ni igitur à pari poterunt Thomiſtæ eam gratiam appellare *ſufficientem*, quæ verè in ordine ſuo, hoc eſt in actu primo ſufficit ut voluntatem in ratione potentiæ proximæ, & expeditæ compleat, ac perficiat, quamvis ut actum reapsè efficiat, neceſſarium ſit ut gratiæ ſe ipſa efficaci applicetur? Secundò, ſub hac gratiæ ſufficientis notione, qua utuntur Thomiſtæ, nihil omnino periculi impræſentiarum ſubeſſe poteſt, tùm quia Thomiſtæ eam quà ſcriptis, quà diſputationibus omni Moliniſtica ſignificatione exuerunt; tùm quia etiam Thomiſtæ, ne illud gratiæ ſufficientis nomen apud imperitam multitudinem promiſcuè jactatum popularem errorem foveat, vel ad ſenſum Moliniſticum præpoſterè detorqueatur, ſemper cum maxima cautione dicere ſolent: dari gratiam ſufficientem *in ſenſu Thomiſtico intellectam*, qua, inſtar antidoti, adhibita reſtrictione, excluditur omnis ſenſus Moliniſticus, qui Auditoribus alienum ſenſum affricare poſſet. Quapropter ſingularitatis alicujus vitio, ne quid graviùs dicam, ca-

rere non videntur moderni quidam Theologi, qui terminos in ſcholis conſecratos, & quibus alii Theologi citrà ullum erroris periculum utuntur, uſurpare detrectant.

Obſervandum denique, omnes Thomiſtas, unà cum *S. Thoma*, conſtanter docere, Chriſtum mortuum eſſe efficienter, ſeu voluntate conſequente pro ſolis electis, & prædeſtinatis, quatenus videlicet Chriſtus voluit ipſis electis, & prædeſtinatis conferre auxilia ab intrinſeco efficacia ad ſalutem æternam conſequendam neceſſaria, quibus certiſſimè liberantur quicumque liberantur; pro reprobis verò mortuum eſſe voluntate antecedenti, ſeu, ut ajunt, *ſufficienter*, quia reprobis voluit ſolùm conferre, aut ſaltem offerre, ſeu præparare gratias ſufficientes ad ſalutem æternam aſſequendam, præter quas tamen gratias ſufficientes, cùm aliæ ex parte Dei gratiæ, quæ ſint ſuaptè natura efficaces ad ſalutem æternam comparandam requirantur; ſequitur reprobos, quibus Deus juſto ſuo judicio gratias illas ab intrinſeco efficaces denegat, ſalutē æternam nunquam conſecuturos, quamvis ex Paſſione Chriſti Domini percipiant illas gratias ſufficientes in ſenſu Thomiſtico intellectas, quæ dant quidem *poſſe*, vel, ut loquitur *S. Auguſtinus*, bonam, ſed parvam, & invalidam voluntatem, nunquam tamen conferunt actum perfectum, ſeu velle & perficere, niſi auxiliis ab intrinſeco efficacibus applicentur. Hujus gratiæ ſe ipſa efficacis, præter auxilium ſufficiens, neceſſitatem ad omnes, & ſingulos pietatis actus invictè ex Conc. Trident. probat eruditiſſimus noſter *Antonius Reginaldus* in præclariſſimo ſuo opere nuper edito *de mente Conc. Trident. circa gratiam ſeipſa efficacem*. Hic eſt Thomiſtarum explicandi modus, qui Script. ſacræ, perpetuæ SS. PP. traditioni conſentaneus eſt, ac longè latèque diſcrepat ab eo, quem excogitavit *Ludovicus Molina* Soc. Jeſu; Nam primò *Molina* docet voluntatem antecedentem, qua Deus vult omnes ſalvos fieri, dici conditionatam eo quod pendeat à conſenſu liberi arbitrii, tanquam à conditione quam expectat, & ex cujus defectu redditur inefficax, ſuoque fruſtratur effectu. Id autem è regione opponitur doctrinæ Thomiſtarum, qui poſt Sanctos Patres, potiſſimùm *Auguſtinum*, & *Thomam*, docent voluntatem Dei nullo pacto pendere ex conſenſu, & determinatione liberi arbitrii, quamvis non negent voluntatem Dei antecedentem eo in ſenſu conditionatam dici poſſe, quod Deus omnes homines vult ſalvos fieri, ſi ſalus omnium hominum non officiat ordini divinæ illius providentiæ, vel ſi per illam non impediatur tam bonum univerſale ipſius Juſtitiæ, quàm manifeſtatio ejus attributorum. Secundò, *Molina* aſſerit Chriſtum mortuum eſſe ſufficienter pro reprobis, quia per mortem ſuam ſuppeditavit illis auxilia ſufficientia ad ſalutem adipiſcendam neceſſaria, præter quæ, nulla alia ex parte Dei auxilia ad ſalutem

Digitized by Google

lutem requiruntur, ita ut reprobi ideò damnentur, quia illis auxiliis ſufficientibus, quæ Chriſtus per mortem ſuam eis promeritus eſt, non benè utuntur, eaque proprio vitio vacua & inutilia reddunt; quibus è contra electi, ac prædeſtinati ad electionem, & perſeverantiam benè utuntur, atque ſalutem æternam conſequuntur. Aſt Thomiſtæ, gratuitæ prædeſtinationis, ac gratiæ ab intrinſeco efficacis, & ad omnia pietatis opera, juxtà avitam Sanctorum Patrum doctrinam, prorſus neceſſariæ acerrimi defenſores, conſtanter quidem docent omnibus hominibus merito mortis Chriſti gratiam ſufficientem eſſe præparatam, nunquam tamen dicunt gratiam ſufficientem talem eſſe, quæ voluntati humanæ faſces ſubmittat, ſeu cujus efficacia libero hominis ſit permiſſa arbitrio,& præter quam alia gratia ſe ipsâ efficax non requiratur, ut homo gratiæ ſufficienti cooperetur, eique obicem non ponat. Sed potius concors eſt omnium Thomiſtarum ſententia reprobos ob ſua demerita æternam incurrere damnationem; Electos verò, & prædeſtinatos gratiis ab intrinſeco efficacibus, quas Chriſtus morte ſuâ abſolutè, & efficaciter ipſis promereri voluit, liberè aſſentientes, & magno præſertim perſeverantiæ dono adjutos æternâ beatitudine donari; quos ſibi a Patre datos, & de manu ſuâ à nemine raptum iri conceptis verbis in Euangelio dicit. Hac germanâ doctrinæ Thomiſticæ expoſitione invictè ſtabilitur inconcuſſum Eccleſiæ Catholicæ dogma de morte Chriſti pro omnibus omninò hominibus, & ea tantum Chriſti mortis omnibus impenſæ generalitas excluditur, quâ indiſcriminatim collatæ omnibus hominibus aſſeruntur gratiæ ita ſufficientes, ut gratiam ſe ipsâ efficacem ad volendum, & operandum non requirant. Huic igitur doctrinæ Thomiſticæ expoſitioni, hac in diſſertatione mordicùs adhærebo, ſicque benè fortunante Deo, regiâ viâ incedam, ut, impugnando errorem Janſenii aſſerentis gratias ſufficientes omnibus hominibus per mortem Chriſti non fuiſſe præparatas, me tamen omninò alienum profitear à ſententia illorum Theologorum, qui eo in ſenſu Chriſtum pro omnibus hominibus ſufficienter mortuum eſſe contendunt, quod Chriſtus mortis ſuæ beneficio omnibus promiſcuè hominibus conferat gratias ſufficientes verſatiles, & libero ſubditas arbitrio, præter quas ad ſalutem æternam conſequendam nulla alia ex parte Dei requiratur gratia, quæ ſit ſuaptè naturâ efficax. Cæterùm quamvis ab hac Theologorum ſententiâ, utpotè principiis doctrinæ Thomiſticæ è diametro oppoſitâ, quàm longiſſimè diſcedam, eò tamen collimat votorum meorum ſumma, ut Sanctorum Patrum,præſertim *Auguſtini*, & *Thomæ* veſtigiis inſiſtentes: *Idipſum*, juxtà monitum Apoſtoli Pauli ad Rom.cap.15.ad Epheſ.cap.4.ad Philipp.cap.1.,*dicamus omnes & ſimus perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia*; *cum omni humili-*

tate, & manſuetudine; cum patientia ſupportantes invicem in charitate, ſolliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis, & unanimes in uno ſpiritu collaborantes Fidei Euangelii.

Dico: *Dogma fidei eſſe Chriſtum pro omnibus & ſingulis hominibus mortuum eſſe, ac ſanguinem ſuum fudiſſe.*

Probatur hæc aſſertio: Illud eſt fidei dogma, quod apertè ex Scriptura ſacra, ex definitionibus Conciliorum, ac Summorum Pontificum, & ex teſtimoniis SS. Patrum, præſertim *Auguſtini*, & *Thomæ* colligitur, atqui Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus & ſingulis hominibus apertè colligitur ex Scriptura ſacra; ex definitionibus Conciliorum, ex decretis Summorum Pontificum, & denique ex teſtimoniis SS. Patrum, præcipuè *Auguſtini* & *Thomæ*, ergo fidei dogma eſt Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus omninò hominibus. Prob. min. quantùm ad ſingula capita, & primò, ex locupletiſſimis Scripturæ teſtimoniis, quorum primum petitur ex cap. 53. Iſaiæ: *Vulneratus eſt*, inquit Propheta loquendo de Chriſto, *propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra, diſciplina pacis ſuper eum, & livore ejus ſanati ſumus, omnes nos quaſi oves erravimus, & poſuit Dominus in eo iniquitates omnium noſtrum*. Alterum teſtimonium deſumitur ex cap. 1. Euangelii *Joannis*, ubi de Chriſto hæc verba leguntur: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*. Non dicit Euangeliſta: Qui tollit peccata aliquorum de mundo, ſed *mundi peccatum* indefinitè. Tertium teſtimonium ſuppeditat Apoſtolus 2. ad Cor. cap. 5. ſic loquens: *Charitas enim Chriſti urget nos: æſtimantes hoc, quoniam ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt*. Quibus verbis palàm innuit Apoſtolus, Chriſtum mortuum eſſe pro his, qui in Adamo mortui ſunt, atqui Fides Catholica docet omnes & ſingulos homines mortuos eſſe in Adamo, ideſt peccatum originale ad omnes omninò Adami poſteros eſſe propagatum, vult igitur Apoſtolus Chriſtum pro omnibus omninò hominibus, nemine excepto, mortuum eſſe, ſuumque pro eorum ſalute ſanguinem fudiſſe. Id confirmat Apoſtolus cap. 2. epiſt. 1. ad Timoth. ubi poſtquam præmiſit orationes pro omnibus eſſe faciendas, quia bonum eſt, & acceptum coram Salvatore noſtro Deo, qui vult omnes ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, confeſtim ſubdit: *Unus enim Deus, unus & Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus; qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus, &c.* quo ex loco ſic elicio argumentum. Eodem modo Chriſtus dedit ſemetipſum redemptionē pro omnibus, quo modo orare debemus pro omnibus, atqui non tantum pro generibus ſingulorum, ſed etiam pro ſingulis generum, hoc eſt pro omnibus omninò hominibus orare debemus; ergo Chriſtus pro ſingulis generum, ideſt pro univerſis in individuo hominibus mortuus eſt. Hanc doctrinam idem Apoſtolus cap. 4. ejusd. epiſtolæ

vult

Digitized by Google

vult ut Timotheus ſuus diſcipulus præcipiat & doceat: *In hoc enim*, inquit, *laboramus*, *& maledicimur*, *quia ſperamus in Deum vivum*, *qui eſt Salvator omnium*, *maximè fidelium*. *Præcipe hæc*, *& doce*. Et ad Hebræos cap.2. ait: *Videmus Jeſum per paſſionem mortis*, *gloria & honore coronatum*: *ut gratia Dei*, *pro omnibus guſtaret mortem*. Denique, ut ſexcenta hujuſmodi, quæ paſſim in Scriptura ſacra tam veteris, quàm novi Teſtamenti occurrunt, miſſa faciam teſtimonia, hoc unum addam depromptum ex cap.2. epiſt.1. Joannis: *Filioli mei hæc ſcribo vobis*, *ut non peccetis*, *ſed & ſi quis peccaverit*, *advocatum habemus apud Patrem*, *Jeſum Chriſtum juſtum*: *& ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris*, *non pro noſtris autem tantùm*, *ſed etiam pro totius mundi*.

In hac retinenda, ac ſartâ tectâque contra hæreticos conſervandâ Scripturæ ſacræ doctrina omnem operam adhibuerunt Concilia, & Summi Pontifices. Concilium Nicœnum in fidei ſymbolo, quod condidit, Chriſtum propter hominum ſalutem è cœlo in terram delapſum eſſe declarat his verbis: *Qui propter nos homines*, *& propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis*. Non dicit Concilium: Propter nos fideles, vel propter nos electos; ſed propter nos homines: ut ſignificet Chriſtum ad ſingulos homines redimendos veniſſe, & pro eorum ſalute mortem ſubiiſſe. Idem ſanxit Synodus Trident. ſeſſ.6.cap.2.& 3.ubi de Chriſti morte loquens, ita ſtatuit: *Hunc propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius pro peccatis noſtris*, *non ſolùm autem pro peccatis noſtris*, *ſed etiam pro totius mundi*. *Verùm etſi ille pro omnibus mortuus eſt*, *non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt*, *ſed ii dumtaxat*, *quibus meritum paſſionis ejus communicatur*. Hoc autem Synodi Trident. decretum eludi non poteſt, dicendo prædictam Synodum non hîc agere de voluntate Chriſti ſalvandi omnes, & ſingulos homines, ſed dumtaxat de ſufficientia pretii Sanguinis Chriſti. Non, inquam, hac reſponſione eludi poteſt hæc Concilii Trident. ſanctio, quia ſi Concilium eò loci ageret tantummodò de ſufficientia pretii Sanguinis Chriſti, non verò de ſincera illius voluntate ſalvandi omnes, & ſingulos homines, brutò fulmine Calvinum, cæteroſque heterodoxos perculiſſet, contra quos hocce decretum edidit, certum quippè eſt Calvinum, alioſque hujus furfuris hæreticos, ſufficientiam Sanguinis Chriſti, utpotè infiniti, ad ſingulorum hominum ſalutem nunquam inficiatos fuiſſe. Nec etiam dici poteſt Concilium Trident. eò loci definire tantùm voluiſſe Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus, ideſt, pro generibus ſingulorum, ſed non pro ſingulis generum, ſeù pro omnibus omninò hominibus. Non illud, inquam, dici poteſt, nam, hac ſemel factâ hypotheſi, Concilii Tridentini definitio ne leviter quidem feriret Calviniſtas, quorum nullus eſt, qui neget, aut in dubium revocet Chriſtum pro generibus ſingulorum ſanguinem ſuum fudiſſe. Præter quam quod etiam

Digitized by Google

ſacra Synodus conceptis verbis ibidem aſſerit Chriſtum Dominum pro his ſanguinem fudiſſe, qui mortis ejus beneficium non recipiunt; igitur ex mente Concilii Tridentini Chriſtus non pro ſolis fidelibus, electis, & prædeſtinatis mortuus eſt, ſed etiam pro his, qui illius paſſionis beneficium non percipiunt, ſanguinem fudit. His Conciliorum definitionibus addi meritò debent publicæ orationes Eccleſiæ, in quibus Chriſtum Dominum omnium,& ſingulorum hominum Salvatorem, & Redemptorem eſſe agnoſcit, ac profitetur Eccleſia Catholica. Addi itidem debent decreta, & conſtitutiones Summorum Pontificum Innocentii X. Alexandri VII. Innocentii XII. & Clementis XI. qui hanc famoſam propoſitionem: *Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe*, tanquam hæreticam confixerunt, & ut talem ab omnibus Catholicis habendam eſſe pronunciarunt.

Hæc, quæ hactenus adduximus, momenta abundè ſufficere poſſent ad ſtabiliendum inconcuſſum iſtud fidei Catholicæ dogma, quod perpetuâ, ſibique ſemper conſtanti omnium Sanctorum Patrum, cùm Græcorum, tùm Latinorum traditione munitum omni ævo fuit in Eccleſia conſervatum. Verùm quia hæretici patrocinio S. Auguſtini perperàm gloriantur, eumque, obtorto,ut ajunt, collo, in ſuum errorem pertrahere moliuntur,ideò neceſſe eſt ad retundendam hæreticorum audaciam, ut hîc breviter oſtendam *S. Auguſtinum*, ejusque fideliſſimum diſcipulum *S. Thomam Aquinatem* conſtanter docere Chriſtum eſſe mortuum pro omnibus, & ſingulis hominibus. A duabus illis Eccleſiæ columnis *Auguſtino*, & *Thoma* avelli non poſſum, quod tenent teneo, quod docent doceo, quod prædicant prædico.

In primis *S. Auguſtinus* lib.6.contra Julianum cap.4.ex hoc Apoſtoli teſtimonio 2.ad Cor. cap. 5. *Si unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt*, invictè contra Pelagianos probat parvulos omnes peccato originali obſtrictos eſſe, quia nimirùm Chriſtus pro ipſis ſingulis mortuus eſt: *Nega igitur*, inquit Aquilinus ille Doctor, *Chriſtum pro parvulis mortuum eſſe, ut eximas eos de numero mortuorum, hoc eſt, de contagio peccatorum*. Idem argumentum S. Doctor in Pelagianos peccatum originale ab Adamo in omnes transfuſum eſſe negantes intorquet lib.2.de nuptiis,& concupiſcentia cap.3. lib.20. de Civit. Dei cap.6.& pluribus aliis in locis. Cùm igitur *S. Auguſtinus* adverſus Pelagianos probet omnes omninò homines, etiam parvulos, peccato originali ideò obſtrictos eſſe, quia Chriſtus pro illis mortuus eſt, neceſſe eſt,ut Sanctus ille Doctor crediderit Chriſtum eſſe mortuum pro omnibus, & ſingulis hominibus, alioquin non ſolùm frigida,ſed prorsùs inepta eſſet ea, quâ utitur,ratiocinatio, ſi pro iis omnibus, & ſingulis, qui in Adamo mortui ſunt, Chriſtus mortuus haud fuiſſet.

Se-

Digitized by Google

Secundò, *Sanctus Auguſtinus* lib. 2. de Symbolo ad Cathecumenos ſic loquitur de Chriſto Domino: *Inimicis ſuis vulnera demonſtraturus eſt, propter quod dictum eſt per Prophetam, videbunt in quem pupugerunt, non ut eis dicat ſicut Thomæ : Quia vidiſti, credidiſti ; ſed ut convincens eos veritas dicat: Ecce hominem, quem crucifixiſtis: ecce Deum, & hominem, in quem credere noluiſtis, videtis vulnera, quæ inflixiſtis : agnoſcitis latus, quod pupugiſtis, quoniam & per vos, & propter vos apertum eſt, nec tamen intrare voluiſtis*. Quibus verbis apertè ſignificat Sanctus Doctor, Chriſti latus apertum, ejusque ſanguinem effuſum fuiſſe etiam pro ſalute eorum, qui illum crucifixerunt.

Tertiò, *Sanctus Auguſtinus* tractatu 8. in Joannem, hæc habet: *Populi ſpernentes, propter ſuperbiam ſuam, humilitatem Dei; crucifixerunt Salvatorem ſuum, & fecerunt damnatorem ſuum*. Igitur ex *Sancto Auguſtino* Chriſtus dicitur, & reverà eſt Salvator eorum, qui ipſum crucifixerunt.

Quartò, idem Sanctus Doctor tractatu 12. in Joannem, explicans illa verba Joannis cap. 3. *Non enim miſit Deus filium ſuum in mundum, ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum*, ait: *Ergo quantùm eſt in Medico ſanare venit ægrotum, ipſe ſe interimit, qui præcepta Medici ſervare non vult, venit Salvator in mundum; quare Salvator dictus eſt mundi, niſi ut ſalvet mundum, non ut judicet mundum? Salvari non vis ab ipſo? ex te judicaberis*. Idem docet Sanctus Doctor tractatu 36. in Joannem.

Quintò, in expoſitione Pſalmi 104. mentem ſuam luculentèr aperit Sanctus Auguſtinus: *Attendamus*, inquit, *ad judicium dilectionis, & promiſſionis Dei, tales arrhas tenemus, mortem Chriſti tenemus, ſanguinem Chriſti tenemus .... erigat ergo ſe humana fragilitas, non deſperet, non ſe collidat, qui promiſit Deus eſt, & venit ut promitteret, & apparuit hominibus, venit ſuſcipere mortem noſtram, promittere vitam ſuam .... Quid tibi promiſit Deus, ò homo mortalis? quia victurus es in æternum. Non credis? crede; plus enim eſt quod fecit, mortuus eſt pro te. Quid promiſit, ut vivas cum illo? Incredibilius eſt, quod mortuus eſt æternus, quàm ut in æternum vivat mortalis. Jam quod incredibilius eſt tenemus, ſi propter homines mortuus eſt Deus, non eſt victurus homo cum Deo? nunc eſt victurus mortalis in æternum, propter quem mortuus eſt, qui vivit in æternum*. Porrò ſi *Sanctus Auguſtinus* exiſtimaſſet Chriſtum non eſſe mortuum pro omnibus, & ſingulis hominibus, non potuiſſet ex morte, quam Chriſtus pertulit, hominum animos erigere in ſpem æternæ, & immortalis vitæ conſequendæ, quam ipſis promiſit Chriſtus.

Sextò, mens *Sancti Auguſtini* magis perſpecta, ac explorata redditur ex his, quæ habet Sanctus Doctor in expoſitione Pſalmi 95. ubi hæc verba Vatis Regii: *Judicabit orbem terræ*, ſic interpretatur: *Non judi-*

judicabit partem, quia partem non emit, totum judicare debet, quia pro toto pretium dedit. Et paucis interjectis, explicat quid per orbem terræ intellexerit Propheta: *judicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate ſua. Quæ eſt veritas, & æquitas? Congregabit ſecum electos ad judicandum, cæteros autem ſeparabit ab invicem; poſiturus eſt enim alios ad dexteram, & alios ad ſiniſtram*. Quibus verbis clarè innuit *Sanctus Auguſtinus*, Chriſtum judicaturum electos, ſimul ac reprobos, quia pro ipſis pretium ſui ſanguinis in ara Crucis impendit.

Infinitus eſſem, ſi vellem ſigillatim laudare, & expendere omnia *Sancti Auguſtini* teſtimonia, quibus hæreticorum configitur error. Conſultius eſt, ut remittam Lectorem ad expoſitiones Sancti illius Doctoris in Pſalmos 59. 68. & 102. ad Præfationem Sancti Proſperi ad objectiones Vincentianas, ubi doctiſſimus ille Sancti Auguſtini diſcipulus impias, profanas, & blaſphemas opiniones, quas divinæ gratiæ hoſtes Sancto Auguſtino affingebant, recenſens; iſtam profert: *Quod Dominus noſter Jeſus Chriſtus non pro omnium ſalute, & redemptione ſit paſſus*. Eandem calumniam à Sancto Auguſtino amolitur *Sanctus Proſper* in Præfatione ad Capitula Gallorum. Quapropter Clemens XI. qui univerſalis Eccleſiæ clavum nunc feliciter regit, ut avitam Sancti Auguſtini doctrinam ad nos uſque inviolabili temporum ſerie propagatam prædeceſſorum ſuorum exemplo commendaret, optimo jure diris devovit, atque natalitiis tenebris damnavit malè natum, ac temerè in vulgus ſparſum libellum, qui ſub nomine *Joannis Launoii* Doctoris Sorbonici circumferebatur, in quo Auctor eò veſaniæ prorupit, ut Semipelagianorum errorem tanto olim molimine ab Eccleſia damnatum acritèr defendat, aſſeratque *Sanctum Auguſtinum* docuiſse, quod Chriſtus pro ſolis electis mortem ſubierit, eumque in materia de gratia, & prædeſtinatione ignotos antiquis Eccleſiæ Patribus calles aperuiſſe, fidelium animos turbaſſe, motus totâ paſſim Africâ, Galliâ, Italiâ conciviſſe, *Vvicleffo, Zuinglio, Luthero*, & *Calvino*, virulentis dogmatibus præluſiſſe: *Proſperum, Hilarium, Fulgentium, Cæſarium, Prudentium, Remigium*, aliosque *Sancti Auguſtini* diſcipulos à vetuſta Sanctorum Patrum traditione deſciviſſe. His, & aliis id genus atrocibus calumniis *Sanctum Auguſtinum*, ejusque diſcipulos onerat malè feriatus ille Auctor, quem ſuo æquiſſimo decreto dato die 28. Januarii anni MDCCIV. obtrivit Summus Pontifex Clemens XI. quem Deus Eccleſiæ ſuæ diù ſoſpitem, & incolumem ſervet. Hunc etiam malè conſarcinatum libellum egregiè, ac eleganter confutavit noſter doctiſſimus *Hyacinthus Serry* Doctor Sorbonicus, in libro, cui titulus eſt: *Auguſtinus vindicatus*.

Venio nunc ad *Sanctum Thomam*, qui *Sancti Auguſtini* doctrinam

ex

ex aſſidua lectione in purum, putumque, quod dici ſolet, ſuccum vertit, ac jure merito *Auguſtinus contractus* appellari poteſt. Ne autem varia *Sancti Thomæ* congerendo teſtimonia Lectori faſtidium ingeram, illuſtriora ſeligam, quæ rem planè conficient.

Primum, illudque palmare Angelici Doctoris teſtimonium colligo ex 1.p. qu.19. art.6. ubi quærit: *Utrùm voluntas Dei ſemper impleatur?* Et poſtquàm ſibi primo loco objecit: Deum velle omnes ſalvos fieri, nec tamen ita evenire; trifariàm reſpondet exponendo verbum illud Apoſtoli: *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*. Primò, dicit illud dictum Apoſtoli intelligendum eſſe ſecundùm diſtributionem accommodam. Secundò, ait: idem Apoſtoli dictum accipiendum eſſe de generibus ſingulorum. Tertiò reſpondet ſecundùm *Sanctum Damaſcenum* lib.2. fidei orthodoxæ cap.29. Deum velle omnes, & ſingulos homines ſalvos fieri voluntate antecedenti, ſed non voluntate conſequente, quâ vult dumtaxàt electorum, ac prædeſtinatorum ſalutem. Docet ergo *Sanctus Thomas*: Deum voluntate antecedente velle omnium, & ſingulorum hominum ſalutem, ac ſubindè Chriſtum ea voluntate antecedente pro ſingulis generum, ideſt, pro omnibus omninò hominibus ſanguinem fudiſſe, quamvis ſecundùm efficacem, ſeù conſequentem voluntatem pro electis tantùm, & prædeſtinatis mortem ſubjerit. Sic *Sanctum Damaſcenum* interpretatur *Divus Thomas*, cujus interpretatio procul omni dubio præferenda eſt interpretationi, quam adhibet *Janſenius* lib.3. de gratia Chriſti cap. 20. ubi totus eſt, ut probet voluntatem antecedenrem, quâ Deus vult omnes homines ſalvos fieri, eſſe voluntatem Creatoris, ac propterea reſpicere hominem in ſtatu naturæ innocentis conſtitutum; conſequentem verò Dei voluntatem ſupponere peccatum originale, ac reſpicere hominem in ſtatu naturæ lapſæ poſitum, in quo ſtatu Deus non vult omnes, & ſingulos homines ſalvos fieri, ſed tantùm electos, & prædeſtinatos. Quæ Janſenii interpretatio oppidò falſa eſt, & à genuino *Sancti Damaſceni* ſenſu penitùs aliena. Enim verò *Sanctus Damaſcenus* eo loci appellat illam voluntatem antecedentem, quâ Deus vult ſalutem omnium hominum, de qua loquitur Apoſtolus 1. ad Timoth. cap. 2. atqui certò certiùs eſt Apoſtolum hìc agere non de voluntate Creatoris, ſed de voluntate Salvatoris, ait enim: *Hoc bonum eſt, & acceptum coram Deo Salvatore noſtro, qui omnes homines vult ſalvos fieri*. Voluntas igitur antecedens, quâ Deus vult omnes homines ſalvos fieri, non eſt voluntas Creatoris reſpiciens hominem in ſtatu innocentiæ conſtitutum, ſed eſt voluntas Salvatoris reſpiciens hominem in ſtatu naturæ lapſæ poſitum. Præterea, Apoſtolus ibidem fideles adhortatur, ut orent pro omnibus, idque ideò bonum, & acceptum eſſe coram Deo probat, quia nimirùm *vult Deus omnes homines ſalvos fieri*,

 at per-

at perabſurda eſſet ratio hæc, ſi putaſſet Apoſtolus voluntatem Deî de ſalute omnium non reſpicere homines in ſtatu naturæ lapſæ conſtitutos, hortabatur quippè fideles, ut orarent pro ſingulis præſentis ſtatus naturæ lapſæ hominibus. Repudiatâ itaque tanquam omninò falsâ Janſenii interpretatione, dicendum eſt cum *Sancto Damaſceno*, iuxtà germanam *Sancti Thomæ* interpretationem, Deum etiam in ſtatu naturæ lapſæ velle voluntate antecedente ſalutem omnium, & ſingulorum hominum. Quod tamen, ut ſupra obſervavimus, eo in ſenſu intelligi non debet, ut voluntas, quam Deus habet, etiam in ſtatu naturæ lapſæ, de ſalute omnium hominum, pendeat ab hac conditione, *ſi ipſi velint*, ut falsò olim contendebant Pelagiani, & Semipelagiani, nam quamvis voluntas Dei antecedens ſalutis omnium hominum ſit conditionata in doctrina *Sancti Thomæ*, tamen conditionem illam, *ſi ipſi velint*, non involuit, ſed aliam importat conditionem, videlicèt, quod Deus voluntate antecedenti vult omnes ſalvos fieri, ſi major non exoriatur pulchritudo, & manifeſtatio ipſius juſtitiæ aliquos reprobantis, quàm ex ſola manifeſtatione miſericordiæ ſingulos homines ad gloriam eligentis. Hæc eſt vera doctrina *Sancti Thomæ*, qui etſi interdum aſſerat Deum velle omnes homines ſalvos fieri, *ſi obicem non ponant*, aut, *ſi ipſi velint*, non tamen hæreticorum interpretationi favet, quia iiſdem in locis è veſtigio ſubjungit, ex gratia Dei eſſe, quod aliquis non ponat obicem gratiæ, & ex Dei adjutorio ab intrinſeco efficaci pendêre, quod gratiæ, & divinæ voluntati conſenſum præbeat. Pelagiani autem volebant eam conditionem ex libero arbitrio dumtaxàt pendêre. Hinc *S. Auguſtinus* lib. 1. retract. cap. 10. ipſorum ſenſum ſic caſtigat: *Verum eſt omninò omnes homines hoc poſſe, ſi velint, ſed præparatur voluntas à Domino, & tantùm augetur munere charitatis, ut poſſint*.

Alterum *S. Thomæ* teſtimonium habetur in 3. part. quęſt. 49. art. 3. ad 2. ubi S. Pręceptor ſic loquitur: *Dicendum, quod Deus permittit Diabolo poſſe decipere homines in certis perſonis, temporibus, & locis, ſecundùm occultam rationem judiciorum ſuorum. Semper tamen per paſſionem Chriſti, eſt paratum hominibus remedium ſe tuendi contra nequitias Dæmonum, etiam tempore Antichriſti: ſed ſi aliqui hoc remedio uti negligant, nihil deperit efficaciæ Paſſionis Chriſti*. Supponit igitur *S. Thomas* hominibus per paſſionem Chriſti ſemper paratum eſſe remedium quo ſe ſe tueantur contra nequitias dęmonum, quod tamen falſum eſſet, ſi Chriſtus pro omnibus omninò hominibus non fuiſſet mortuus.

Tertium *S. Thomæ* teſtimonium legitur in art. 3. ejuſdem quæſtionis mox citatæ, ubi *S. Doctor* quærit *Utrum per Paſſionem Chriſti homines ſint liberati à pœna peccati?* & reſpondet dicendo: *Quod per Paſ-*

Paſſionem Chriſti liberati ſumus à reatu pœnæ dupliciter: uno modo directè, in quantùm ſcilicet Paſſio Chriſti fuit ſufficiens & ſuperabundans ſatisfactio pro peccatis totius humani generis; habita autem ſatisfactione ſufficienti tollitur reatus pœnæ: alio modo indirectè, inquantùm ſcilicet Paſſio Chriſti eſt cauſa remiſſionis peccati, in quo fundatur reatus pœnæ. Vult igitur *S. Thomas* Paſſionem Chriſti eſſe ſufficientem, & ſuperabundantem ſatisfactionem pro peccatis totius generis humani, ac proindè Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus, & ſingulis hominibus.

Prætèr iſta hactenùs adducta *S. Thomæ* teſtimonia, ſi quis alia longè plura ſcire deſideret, legat hujus Doctoris Angelici commentarios in epiſtolas Pauli ad omnia ejuſdem Apoſtoli loca quæ inter probandam aſſertionem ſupra laudavimus. Legat etiam articulum tertium quæſt. 8. tertiæ partis, ubi *S. Thomas* docet Chriſtum eſſe caput omnium hominum ſecundùm diverſos gradus; Primò, & principalitèr caput eſſe eorum qui ipſi actu uniuntur in gloria. Secundò, eorum qui actu ipſi uniuntur per charitatem. Tertiò, eorum qui actu ei uniuntur per fidem. Quartò, eorum qui ei uniuntur in potentia necdùm reducta in actum, reducenda tamen ſecundum divinam prædeſtinationem. Quintò, eorum qui in potentia ſunt ei uniti nunquam reducenda ad actum. Ex qua *S. Thomæ* doctrina palàm ſequitur Chriſtum caput eſſe etiam eorum qui ei uniti ſunt in potentia nunquàm licèt reducenda ad actum, ac proindè illum pro eis mortuum fuiſſe, qui nunquam hanc felicitatem obtinebunt, ut ſint actu membra ipſius. Hæc eſt *S. Thomæ*, & totius ſcholæ Thomiſticæ de morte Chriſti pro omnibus omninò hominibus conſtans, & perpetua doctrina, quam qui carpere, aut ei conſeuſionem errorum Janſenii impingere audent, hi ſanè faciliùs poterunt ſoli caliginem, mari ſiccitatem, liliis nigredinem, & balſamo fætorem exprobrare. Adire poteſt Lector, ſi diſcrimina Thomiſticam doctrinam inter & Janſenianam ſcire aveat, Auctores tàm domeſticos, quàm extraneos, qui, editis quà apologiis, quà invictis adductis momentis, Thomiſtarum doctrinam à Janſeniſmi labe vindicarunt. Inter domeſticos Conſuli poſſunt Patres *Joannes Nicolai*, *Bernardus Guiart*, *Gonetus*, *Contenſonus*, *Piccinardi*, *Maſſoulie*, & *Serry*. Inter extraneos verò egregiè hac Provincia defuncti ſunt Patres *Annatus*, *Deſchamps*, *Martinonus*, & *Martinez de Ripalda* Societatis Jeſu Scriptores. Quapropter ridendi ſunt potiùs quàm refellendi illi, qui Thomiſtas tenaces antiquæ de gratia ſeipſa efficaci, & de prædeſtinatione gratuita doctrinæ, quam Scriptura, & Patres, omneſque antiquiores tradunt Scholaſtici, famoſis libellis apud imperitos Janſeniſmi inſimulare præſumunt. Poterunt quidem nonnulli ſcholæ Thomiſticæ infenſi ignarę plebi fumos vendere, & ad populum Phaleras jactare atque oſtentare, at, medius

 fidiùs,

fidius, viris doctis,& in traditione Eccleſiæ exercitatis nemo unquàm perſuadere poterit, Thomiſtarum de gratia ſe ipſa efficaci, & de prædeſtinatione gratuita doctrinam quidquam affinitatis habere cum erroribus hæreticorum, à quibus certè multis Paraſangis diſtat.

Diluuntur objectiones.

Arguitur primò: Chriſtus in Scriptura Sacra mortis ſuæ beneficium reſtringit ad ſolos electos & prędeſtinatos, ergo non eſt mortuus pro omnium in individuo hominum ſalute. Prob. ant. *Joannis* cap. 10. ſic loquitur Chriſtus *animam meam pono pro ovibus meis*, nomine autem ovium intelliguntur electi & prędeſtinati, ut liquet ex his quæ eodem in capite ſubnectit Chriſtus: *oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me; & ego vitam æternam do eis*. Præterea, *Matth.* cap. 26. Chriſtus dixit diſcipulis ſuis: *Hic eſt ſanguis meus qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum &c.* ergo Chriſtus non eſt mortuus pro omnibus, & ſingulis hominibus, ſed ſolùm pro multis, ideſt, prędeſtinatis & electis.

Reſpondeo: hæc duo Scripturæ Sacræ teſtimonia in objectione adducta, ne tantillùm quidem adverſari fidei dogmati de morte Chriſti pro omnium hominum ſalute. Ad primum ſiquidem dico: Chriſtum pro ſolis ovibus ſuis, ideſt, pro electis & prędeſtinatis mortuum eſſe voluntate abſolutâ & conſequente, quatenùs confert illis beneficio mortis ſuæ auxilia ab intrinſeco efficacia ad ſalutem, & prçcipuè *magnum*, ut loquitur Synodus Tridentina, *perſeverantiæ donum*, uſque in finem. Verùm etſi Chriſtus pro ſolis electis & prædeſtinatis mortuus ſit voluntate efficaci & conſequente, hoc tamen non impedit quominùs voluntate antecedenti ſanguinem ſuum fuderit pro reprobis qui ſalutem æternam nunquam conſequentur. Id patet primò, quia multi reprobi ex morte Chriſti aliquem fructum percipiunt, ii nimirùm qui in baptiſmo, aut in pænitentiæ Sacramento juſtificationem conſequuntur, quamvis in ea ad finem uſque non perſeverent. Secundò, Chriſtus omnibus reprobis etiam infidelibus quandòque confert, & ſemper offert auxilia ſufficientia ad ſalutem, in ſenſu tamen Thomiſtico intellecta, quibus nullus, niſi ſuâ culpâ, privatur. Denique, voluit Chriſtus voluntate antecedente quidquid, in ſe ſpectatum, bonum eſt; objectum autem divinæ voluntatis antecedentis, ut, poſt *Sanctum Thomam*, uno ore docent omnes Thomiſtæ, eſt ſalus omnium hominum in ſe præcisè conſiderata, & abſtracta à circumſtantiis particularibus, ſicut ſalus hominum ſpectata cum circumſtantiis quæ illam comitantur, eſt obje-

Digitized by Google

objectum voluntatis conſequentis. Porrò ſalus omnium hominum præciſè in ſe conſiderata, & abſtracta à particularibus circumſtantiis, putà à ſplendore univerſi, ratione proviſoris univerſalis, & manifeſtatione juſtitiæ divinæ, &c. eſt aliquod bonum, ergò Chriſtus voluntate antecedenti reverà vult omnium hominum in individuo ſalutem, licèt voluntate conſequente, attentis videlicet omnibus circumſtantiis, velit quoſdam damnari *ſecundùm exigentiam ſuæ juſtitiæ*, inquit *S.Thomas* 1.part. qu.19. art.6. ad 1.

Ad alterum Scripturæ Sacræ teſtimonium dico: ex eo potiùs colligi Chriſtum etiam pro reprobis ſanguinem fudiſſe. Chriſtus enim corpus, & ſanguinem ſuum etiam Judæ proditori tradidit in ultima cœna, ſicut docent *S. Auguſtinus* in pſalm. 10. & *Sanctus Leo* ſerm.3. de *Paſſione Domini*, aliique Patres; Judæ verò non ſecùs ac aliis Apoſtolis porrigendo ſanguinem ſuum dixit: *Hic eſt ſanguis meus qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*. Igitur pro Juda reproborum omnium nequiſſimo ſanguis Chriſti fuit effuſus. Dum ergo dixit Chriſtus: *Hic eſt ſanguis qui pro multis effundetur*, multorum nomine *omnes* intelligit, periudè ac dum *Lucæ* cap. 7. dicitur: *remittuntur ei peccata multa*, ideſt, *omnia*, & ad Rom. cap. 5. *per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi*, hoc eſt, *omnes*. Hinc *S. Chryſoſtomus* explicans hunc locum *S. Matth.* in objectione laudatum, ait ſanguinem Chriſti fuiſſe effuſum in remiſſionem totius Orbis peccatorum. Addo etiam, quod ſi Chriſtus ſuum dumtaxàt ſanguinem effudiſſet pro electis & prædeſtinatis, non debuiſſet in ultima cœna dicere: *Hic eſt ſanguis qui pro multis effundetur*, ſed potiùs, *hic eſt ſanguis qui pro paucis effundetur*, cùm certum ſit prędeſtinatos cum reprobis comparatos paucos admodùm eſſe, juxtà illud *Matth.c.20.Multi ſunt vocati, pauci verò electi.*

ARGUITUR SECUNDÒ: ſi ex aliquo Scripturæ Sacræ loco evinci poſſet Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus omninò hominibus, maximè ex illo Apoſtoli: *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, atqui ille locus non intelligitur de omnibus hominibus, ſed de Solis electis & prędeſtinatis, ergò Chriſtus non eſt mortuus pro omnibus omninò hominibus. Prob. min. ex *S. Auguſtino* qui pluribus in locis tres in illum Apoſtoli locum affert expoſitiones, quæ ſingulæ probant Chriſtum dumtaxàt mortuum eſſe pro electis & prędeſtinatis. Prima *S. Auguſtini* expoſitio extat in Enchirid. cap. 103. ubi ait: *Ita intelligere debemus quod ſcriptum eſt: qui vult omnes homines ſalvos fieri, tanquam diceretur, nullum hominem fieri ſalvum niſi quem ſalvum fieri voluerit ipſemet, non quod nullus ſit hominum, niſi quem ſalvum fieri velit, ſed quod nullus fiat ſalvus niſi velit Deus*. Eamdem expoſitionem tradit *S. Auguſtinus* libri de Præd. Sanctorum cap.8. libri 4.

contra

Digitized by Google

contra Julianum cap. 8. & epiſt. 217. aliàs 107. ad Vitalem. Altera *S. Auguſtini* expoſitio habetur loco laudato Enchiridii cap. 103. *aut certè*, inquit, *ſic dictum eſt omnes homines vult ſalvos fieri, non quod nullus hominum eſſet quem ſalvum fieri nollet, ſed ut per omnes, omne hominum genus intelligamus per quaſcumque differentias diſtributum, reges, privatos, ignobiles, doctos, indoctos*. Tertia denique expoſitio legitur in libro de Corrept. & Gratia cap. 15. ubi hęc habet *Sanctus Auguſtinus: Poteſt etiam ſic intelligi, quod omnes homines Deus vult ſalvos fieri, quoniam nos facit velle, ſicut miſit Spiritum filii ſui clamantem Abba Pater, ideſt, nos clamare facientem. De illo quippè Spiritu alio loco dicit, accepimus Spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus Abba Pater, nos igitur clamamus, ſed ille clamare dictus eſt, qui efficit ut clamemus, ſi ergo clamantem ſpiritum rectè dicit Scriptura, rectè etiam Deum volentem dicit à quo efficitur ut velimus*. Hæ ſunt tres *S. Auguſtini* in hunc Apoſtoli locum expoſitiones, quæ ad ſolos prędeſtinatos beneficium mortis Chriſti reſtringunt, ergo ex illo Apoſtolico teſtimonio probari haud poteſt Chriſtum pro omnibus in individuo hominibus mortuum eſſe. Hoc eſt Achilleum Janſenii argumentum.

Reſpondeo: tres illas adductas *S. Auguſtini* expoſitiones ſpectare abſolutam & conſequentem Dei voluntatem, qua ſolos prędeſtinatos ſalvos fieri vult, ac propterea mirum non eſſe ſi *S. Auguſtinus* ſolos prędeſtinatos ex Apoſtoli ſententia intelligendos eſſe ſignificet. At nihil obeſt quominùs pręter tres allatas *S. Auguſtini* expoſitiones, quæ pertinent ad voluntatem Dei conſequentem, & quas non ſolùm *S. Thomas*, ſed plures alii Sancti Patres, & Eccleſiæ Doctores laudant & approbanr, alia hujus loci Apoſtolici dari poſſit interpretatio quæ ſit menti *S. Auguſtini* conſentanea, dicendo nimirùm Deum voluntate antecedenti velle ſalutem omnium hominum, quamvis voluntate conſequenti velit tantummodò ſalutem prędeſtinatorum. Hanc, inquam, hujus loci Apoſtolici interpretationem implicitè ſaltem tanquam genuinam agnovit *S. Auguſtinus* iis in locis inter probationes citatis, in quibus mortem Chriſti, illiuſque voluntatem de ſalute hominum, ad reprobos etiam & infideles extendit. Cur autem Aquilinus ille Doctor hunc celebrem Apoſtoli locum de voluntate potiùs conſequente, quàm de voluntare antecedenre expoſuerit? Hæc ratio afferri poteſt. Propugnabant Semipelagiani, ſicut in limine hujuſce diſſertationis obſervatum eſt, Deum velle omnium hominum ſalutem generali tantùm voluntate, itá ut ſalus prędeſtinatorum nullo modo in peculiarem Dei voluntatem, ſed in naturæ humanæ initiales quoſdam conatus eſſet refundenda, quam ob rem ut hanc machinam, qua eorum ſuffulciebatur error, funditùs everret

ret *S. Auguſtin.* noluit hoc Apoſtoli teſtimonium, quod Semipelagiani in ſui erroris præſidium trahebant, & crambis inſtar recoctæ indeſinentèr decantabant, explicare de voluntate Dei generali, ſeù antecedente, quæ ſalutem omnium hominum ſpectat, ſed potiùs illud explicandum duxit de voluntate Dei conſequente, ſeu de decreto abſoluto, & ab intrinſeco efficaci, quo Deus vult ſalutem prædeſtinatorum; hoc enim decretum abſolutum, & ab intrinſeco efficax cùm Semipelagiani pervicacitèr admittere detrectarent, totus erat *Auguſtinus*, ut illud adſtrueret, non negando tamen generalem, ſeu antecedentem voluntatem, quam Deus habet ſalvandi etiam in ſtatu naturæ lapſæ omnes omninò homines Catholico ſenſu, non Semipelagiano expoſitam. Totâ ergo viâ à doctrina *Sancti Auguſtini* aberrat Janſenius, qui lib. 3. de gratia Salvatoris cap. 20. contendit voluntatem Dei antecedentem de ſalute omnium hominum ad ſtatum dumtaxat naturæ innocentis referendam eſſe, voluntatem verò conſequentem, quæ tantùm ſpectat ſalutem prædeſtinatorum, ad ſtatum naturæ lapſæ pertinere, itaut in hoc præſenti ſtatu voluntas Dei antecedens de ſalute omnium hominum in ſola præciſione mentis, ſeù in nuda, & ſterili Dei velleitate nihil gratiæ cauſante poſita ſit; quâ voluntatis Divinæ factâ ſemel diviſione, ita auxilia dividit Janſenius, ut ad naturam innocentem, cui voluntas Dei antecedens proſpiciebat, ſufficientia dumtaxat auxilia pertinerent; ad naturam verò lapſam, cui conſulit voluntas Dei conſequens, auxilia tantummodò efficacia pertineant. Hæc, inquam, Janſenii ſententia toto cœlo diſtat à doctrina *S. Auguſtini*, qui non ſolùm agnoſcit in ſtatu naturæ lapſæ veram, & ſinceram Dei voluntatem ſalvandi omnes homines, ſed etiam disertè docet Deum per illam voluntatem ſinceram, quam habet ſalvandi omnes homines, ſingulis offerre, ſeu præparare auxilia ſufficientia, eaque nemini denegare, niſi homo ipſe objecto obice aditum occludat. Ita expreſsè docet Sanctus ille Doctor tractatu 1. in Joannem ad ea Euangeliſtæ verba: *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Ergo*, inquit Sanctus ille Doctor, *quomodo homo poſitus in Sole cæcus, præſens eſt illi Sol; ſed ipſe Soli abſens eſt. Sic omnis ſtultus, omnis iniquus, ſic omnis impius cæcus eſt in corde, præſens eſt illi ſapientia, ſed cum cæco præſens eſt, oculis ejus abſens eſt.* Quibus verbis oſtendit Sanctus Doctor, Deum inſtar Solis omnibus promiſcuè divinæ gratiæ ſuæ radios affundere, ſed eâ privari homines, qui vel ſaucios, vel impeditos cordis oculos habent. His gemina habet *Sanctus Auguſtinus* tractatu 2. in Joannem in hæc verba: *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Opus eſt*, inquit, *ut tu non recedas, & non deſereris. Noli cadere, & non tibi occidet. Si tu feceris caſum, ille tibi faciet occaſum; ſi tu autem ſtas, præſens eſt tibi .... ſi malo non conſentires,*

ſtares,

Digitized by Google

ſtares, illuminatus maneres. Denique, *Sanctus Auguſtinus* cap.64.lib.de natura, & gratia ait: *Rectè fortaſſe quererentur (peccatores) ſi erroris, & libidinis nullus hominum victor exiſteret; cùm verò ubique ſit præſens, qui multis modis per creaturam ſibi Domino ſervientem averſum vocet, doceat credentem, conſoletur ſperantem, diligentem adhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem; non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, neque illud, quod vulnerata membra non colligis, ſed quod volentem ſanare contemnis*. Ex quibus *Sancti Auguſtini* teſtimoniis conſtat primò erraſſe Janſenium in hoc, quod voluntatem antecedentem, quâ Deus vult ſalutem omnium hominum, ad ſtatum dumtaxat naturæ innocentis pertinere velit. Secundò, erraſſe itidem Janſenium in hoc, quod à ſtatu naturæ lapſæ auxilia ſufficientia penitùs ableget, & ſola efficacia admittat, quæ duo rectâ fronte cum doctrina *Sancti Auguſtini* pugnant.

Radix illorum errorum, in quos impegit Janſenius, nulla, meâ quidem ſententiâ afferri poteſt, niſi prava, & ſiniſtra interpretatio diſcriminis gratiæ utriusque ſtatus hominis ſani, & lapſi, à *S. Auguſtino* à cap.10.uſque ad 13.lib.de corrept. & gratia adducti. Nam cùm *Sanctus Auguſtinus* ibidem aſſerat, datum fuiſſe Adamo in ſtatu innocentiæ *adjutorium ſine quo*, ſeù auxilium ſufficiens ad perſeverandum, homini verò lapſo dari *adjutorium quo*, ſeu auxilium efficax ad perſeverandum, ex hoc famoſo utriusque ſtatus diſcrimine gratiæ à *S. Auguſtino* ſtabilito ſibi perperàm perſuaſit Janſenius *Sanctum Auguſtinum* in ſtatu naturæ integræ, ſeù innocentis, gratias dumtaxat ſufficientes admiſiſſe, nullas verò efficaces, & verſâ vice Sanctum illum Doctorem in ſtatu naturæ lapſæ gratias tantummodò efficaces agnoviſſe, gratias autem ſufficientes ab eo ſtatu procul eliminaſſe. Ex quo, ut ſibi conſtaret Janſenius, coactus eſt aſſerere voluntatem Dei antecedentem ſalvandi omnes homines pertinuiſſe tantùm ad ſtatum naturæ innocentis, voluntatem verò Dei conſequentem ſalvandi ſolùm electos, & prædeſtinatos ſpectare ad ſtatum naturæ lapſæ. In qua hallucinatione, quam tamen, ſi Superis placet, clavem regiam, filum Ariadneum, baſim, ac fundamentum *Auguſtini* doctrinæ appellitat, totum ſuum ſyſtema procudit Janſenius. Verùm hanc peregrinam, & ſiniſtram Janſenii interpretationem omnes averſantur veri *SS. Auguſtini*, & *Thomæ* diſcipuli, quippè qui docent totum diſcrimen gratiæ utriusque ſtatus hominis videlicet ſani, & lapſi, à *Sancto Auguſtino* loco mox laudato ſtabilitum, in hoc dumtaxat ſitum eſſe, quod homo in ſtatu naturæ innocentis, utpotè concupiſcentiæ expers, perfectè ſanus, & juſtitiâ originali donatus, non egeret ad perſeverandum auxilio quo, ſeù auxilio efficaci medicinali Chriſti Salvatoris ſanante infirmitatem, difficultatem emolliente, & cupiditatem refrænante, quamvis ad

Digitized by Google

ad perſeverandum opus haberet homo innocens auxilio efficaci titulo ſubordinationis, & dependentiæ, quod noſtrates Thomiſtæ prædeterminationem phyſicam meritò appellant. At verò homo in ſtatu naturæ lapſæ peccato infirmatus, multis vulneribus ſauciatus, & vi concupiſcentiæ corruptæ illectus indiget, juxtà *Sanctum Auguſtinum*, ad perſeverandum, & ad omnes ſingulos pietatis actus auxilio efficaci non ſolùm titulo ſubordinationis, & dependentiæ, ſed etiam titulo infirmitatis, ſeu naturæ læſæ per peccatum originale; & quia *S. Auguſtinus* in hoc auxilio efficaci medicinali Chriſti Servatoris noſtri, homini prorſus neceſſario in ſtatu naturæ lapſæ adſtruendo potiſſimùm incumbebat adversùs Pelagianos, qui aſſerentes peccatum originale ad omnes homines non fuiſſe transfuſum, naturam humanam per illud fuiſſe infirmatam pernegabant, adeòque gratiam medicinalem neceſſariam eſſe inficiabantur; ideò Sanctus Doctor in lib. de corrept. & gratia, ut hunc Pelagianorum errorem convellat, docet homini in ſtatu naturæ lapſæ dari gratiam efficacem medicinalem, ſeù *adjutorium quo* ratione infirmitatis; Adamo verò innocenti ejusmodi auxilium datum non fuiſſe. Ne autem *Sanctus Auguſtinus* diſputando contra Pelagianos à ſcopo ſuo deflecteret, vel fruſtrà geminaret difficultates, nullam in lib. de correpṫ. & gratia conſultò mentionem fecit de *adjutorio quo*, ſeu de auxilio efficaci, quo Adamus in ſtatu innocentiæ ratione ſubordinationis, & dependentiæ opus habebat; illud ſiquidem auxilium efficax Adamo innocenti neceſſarium jam ſatis ſuperque in aliis ſuis operibus ſtabilierat *Sanctus Auguſtinus*, ut ex illius Sancti Doctoris multis, ac locupletiſſimis teſtimoniis evincunt noſtri Thomiſtæ, quæ hìc adducere ſupervacaneum eſſet. Hoc pacto omnes ad unum Thomiſtæ poſt *Sanctum Thomam* 1.2. qu.109. art.9. interpretantur diſcrimen gratiæ utriusque ſtatus à *Sancto Auguſtino* in lib. de corrept. & gratia adductum, eorumque interpretatio apprimè conſona eſt menti Aquilini illius Doctoris, qui cap. 11. mox citati libri hæc habet: *Ille*, ſcilicet Adamus, *non opus habebat eo adjutorio, quod implorant iſti*, ideſt homines in ſtatu naturæ lapſæ, *cùm dicunt: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Quoniam in eis caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem: atque in tali certamine laborantes, ac periclitantes, dari ſibi pugnandi, vincendique virtutem per Chriſti gratiam poſcunt. Ille verò nulla tali reipſa à ſe ipſo adverſus ſe ipſum tentatus, atque turbatus, in illo beatitudinis loco ſua ſecum pace fruebatur. Proindè etſi non interim lætiore nunc, verumtamen potentiore gratia indigent iſti.* Quæ *Sancti Auguſtini* verba, ſi quis nullo partium ſtudio occupatus

tantiſper expendere non gravetur, confeſtim intelliget Sanctum illum Doctorem utriusque ſtatus gratiæ diſcrimen in hoc dumtaxat poſuiſſe, quod homo in ſtatu innocentiæ conſtitutus, non opus haberet adjutorio quo, ſeu auxilio efficaci medicinali, quo nunc indiget homo lapſus, ac ſubindè toto oſtio à doctrina *Sancti Auguſtini* aberraſſe Janſenium, dum eâ gratiæ utriusque ſtatus differentiâ ab *Auguſtino* ſtabilitâ plus æquò delectatus, illam contra mentem Sancti Doctoris intellexit, ſtatuitque, quod ſicut in ſtatu naturæ integræ nulla, juxtà *S. Auguſtinum* à ſe malè intellectum, dabatur gratia ſe ipsâ efficax, ita in ſtatu naturæ lapſæ, juxtà ejusdem *S. Auguſtini* à ſe itidem falsò intellecti principia, nulla eſſet admittenda ſufficiens veri nominis gratia.

Vano itaque labore ſe ſe torquet Janſenius, dum ut probet Chriſtum non eſſe mortuum pro omnibus omninò hominibus, benè multa congerit loca, in quibus *Sanctus Auguſtinus* aſſerit, *quod Chriſtus rogavit pro ſolis prædeſtinatis*, quod Pater tradidit filium ſuum pro nobis omnibus *præſcitis, prædeſtinatis, juſtificatis, glorificatis*. Tractatu 45. in Joannem, quod *non perit unus ex illis, pro quibus mortuus eſt Chriſtus*. Epiſt. 169. aliàs 102. quod *omnis, qui Chriſti ſanguine redemptus eſt, homo eſt; non tamen omnis, qui homo eſt, ſanguine Chriſti redemptus eſt*, lib. 2. de adulterinis conjugiis cap. 13. quod denique *Deus eos, quos ſanguine mediationis redemit, facit deinceps ex malis in æternum bonos*. Hæc, inquam, & alia hujus generis *Sancti Auguſtini* teſtimonia fruſtrà congerit, & obtrudit Janſenius, quia nihil aliud ex his evincitur, quàm Chriſtum rogaſſe, & mortuum eſſe pro ſolis prædeſtinatis voluntate abſoluta, & conſequente, ſeu decreto efficaci, in quo ſtabiliendo, ut mox diximus, potiſſimùm incumbebat *Auguſtinus*; de illo quippè decreto Dei abſoluto, & efficaci de ſalute prædeſtinatorum litem præcipuè movebant Semipelagiani. Cæterùm quamvis Sanctus ille Doctor ad Semipelagianorum errorem efficaciùs oppugnandum frequentiſſimè inculcet, Chriſtum mortuum eſſe voluntate conſequente, ſeu decreto abſoluto, & efficaci pro ſolis electis, & prædeſtinatis, nunquam tamen negat Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus omninò hominibus voluntate antecedente, Catholico, non Semipelagiano ſenſu, explicatâ.

Arguitur tertiò: *Sanctus Auguſtinus* lib. 21. de Civit. Dei cap. 24. ait, quod *ſi de aliquibus Eccleſia ita certa eſſet, ut qui ſunt illi etiam noſſet, qui, licèt adhuc in hac vita conſtituti ſunt, tamen prædeſtinati ſunt in æternum ignem ire cum diabolo, tàm pro eis non oraret, quàm nec pro ipſo*; atqui Chriſtus pro illis non eſt mortuus, pro quibus non oraret Eccleſia; ergo pro reprobis, quorum futuram damnationem certò noſcebat, mortuus non eſt.

Reſpondeo: quod Eccleſia pro eis, quorum futuram damnationem

nem certò cognoſceret, non oraret oratione, quæ procederet ex voluntate abſoluta, & efficaci ſalutis illorum; oraret tamen pro eis oratione, quæ conſequeretur ex voluntate imperfecta, & generali ſalutis illorum. Hanc reſponſionem *Sancti Auguſtini* menti conſentaneam eſſe breviter ſic demonſtro. Diſputat eò loci Sanctus Doctor adversùs illos, qui in judicio Dei omnibus reis propter Sanctorum preces putant eſſe parcendum, hunc autem errorem inde refellit *S. Auguſtinus*, quod, ſi ita eſſet, nulla ſubeſſet cauſa cur non etiam Eccleſia nunc pro diabolo, & Angelis ejus oret, quod ut abſurdum eſſe evincat, aſſerit Eccleſiam, ſi modo ſciret quinam ex hominibus adhuc viventibus prædeſtinati ſunt in æternum ignem ire, pro illis non oraturam oratione nimirùm illa, quæ prodiret ex abſoluta, & efficaci voluntate, quâ Sanctos in judicio Dei pro impiis oraturos contendebant illi, quos ibidem impugnat *Sanctus Auguſtinus*. Eccleſia ergo, juxtà illum Sanctum Doctorem, ſi ſciret futuram alicujus damnationem, ſciret quoque Deum abſolutè non velle illius ſalutem, unde quia Eccleſia ſe ſe ad nutum Dei ſemper accommodat, ſalutem ejus, cujus futuram ſciret damnationem, nollet abſolutâ,& efficaci voluntate, eam tamen vellet voluntate generali, & quantum in ſe eſt, gratiaſque à Deo huic homini precaretur. Idem de oratione Chriſti dicendum occurrit, licèt enim Chriſtus pro reprobis, quorum futuram damnationem noverat, non oraverit oratione profecta ex voluntate abſoluta, efficaci, & conſequente (quæ enim eâ voluntate petiit Chriſtus, obtinuit ſemper, juxtà illud Scripturæ: *Sciebam quia ſemper me audis*; & ad Hebr. cap.5. *Exauditus eſt pro ſua reverentia*). Oravit tamen Chriſtus pro illis oratione, quæ procedebat ex voluntate antecedenti, & generali ſalutis eorum, ſicut rectè explicat *Sanctus Thomas* 3.p. q.21. art. 4. & lect.2. in cap.17. Joannis, ubi exponens hunc locum: *Non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi*, hæc habet: *Chriſtus, quantùm eſt de ſe, pro omnibus oravit, quia oratio ſua, quantùm eſt de ſe, efficax eſt ut valeat toti mundo, ſed tamen non in omnibus ſortitur effectum, niſi in Sanctis, & Electis Dei, & hoc propter impedimentum mundanorum*.

Arguitur quartò: Si Chriſtus verâ,ac ſincerâ voluntate pro ſalute omnium hominum eſſet mortuus, omnibus indiſcriminatim conferret nunc auxilia ſaltem ad ſalutem ſufficientia;atqui in doctrina Thomiſt. Chriſtus non confert omnibus auxilia ad ſalutem ſufficientia;denegat enim illa,primò, parvulis, qui in utero materno extinguuntur, vel qui ex materno egreſſi utero cõfeſtim abſque baptiſmo prematurâ morte ex hac vita rapiuntur. Baptiſmus ſi quidẽ in nova lege unicum eſt mediũ, ſeù remedium ad ſalutem parvulorum ſufficiens,ut docent Theologi poſt *S.Thomam* 3.p. q.68. Secundò, auxilia ad ſalutem ſufficientia denegat itidem Chriſtus iis, qui infideles negativè dicuntur, ſeù qui

Vv 2 nihil

Digitized by Google

nihil unquam de Euangelio audierunt. Tertiò denique Chriſtus ea auxilia ſufficientia denegat quibuſdam peccatoribus, quos Scriptura ſacra, & Sancti Patres appellant *occæcatos*, & *obduratos*, eo quod ipſis non amplius affulgeat divinæ gratiæ lumen, ergo Chriſtus verâ, & ſincerâ voluntate non eſt mortuus pro omnibus, & ſingulis hominibus.

Reſpondeo neg. maj. Nec enim neceſſe eſt ut Chriſtus omnibus promiſcuè conferat auxilia ad ſalutem ſufficientia, quamvis pro omnibus, & ſingulis hominibus mortuus ſit, ſed abundè ſufficit ut prædicta auxilia, quantùm eſt de ſe, offerat omnibus, quorum ſi aliqui illa non recipiant, ex culpa illorum eſt, quippè qui auxiliis illis ſufficientibus, vitiis,& carnis paſſionibus dediti obicem ponunt, ſicut heù nimium! Funeſtâ experientiâ conſtat infidelium, & peccatorum obduratorum, qui in pœnam præcedentium peccatorum nullis cogitationibus bonis illuſtrantur, nullis affectionibus piis percelluntur, nec ullis conſcientiæ morſibus, ac ſtimulis excitantur, immò potiùs delectantur in rebus peſſimis, atque vulneribus ſuis, quæ intentiſſimè diligunt, gloriantur. *Ut autem innoteſcat, quod latebat, & ſuave fiat, quod non delectabat, gratia Dei eſt, quæ hominum adjuvat voluntates: qua ut non adjuventur, in ipſis itidem cauſa eſt, non in Deo*. Ait *Auguſtinus* lib. 2. de peccatorum meritis, & remiſſion. cap. 17. idem docet *Sanctus Thomas* in 1. ſent. diſtinct.40. q.4. art.2. ubi inquirit, *utrum Deus ſit cauſa obdurationis*? Et argumento, *ſed contrà* ità reſpondet: *Contra eſt, quod dicunt Sancti communiter, Dionyſius, Auguſtinus, & Anſelmus, ſcilicèt quod cauſa quarè iſte non habeat gratiam, eſt quia noluit accipere, & non quia Deus non vult dare, quia lumen ſuum omnibus offert, quod lumen ab omnibus non percipitur, ſicut nec lumen Solis à cæco*. Idem repetit, ſæpiùsque inculcat Angelicus Doctor. Quamobrem ſibi vitio vertere debent infideles, & peccatores obdurati, quod gratiis ad ſalutem ſufficientibus priventur, non ſecùs, ac meritò culpantur illi qui, dùm Sol per totum Orbem radios ſuos ſpargit, lucemque affundit, oculos de induſtria occludunt, vel velum ob oculos ponunt ne videant, & illi ſunt qui, teſte Scripturâ ſacrâ, *rebelles ſunt lumini*, & qui Domino ad cordis oſtium pulſanti dicunt: *Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus*. Quod autem ſpectat parvulos, qui vel in utero materno moriuntur, vel vix in lucem editi ex hac vita ſine Baptiſmo excedunt; reſpondent Thomiſtæ: verâ, & ſincerâ voluntate antecedente Chriſtum mortuum eſſe pro illis, quatenùs videlicèt præparavit, & inſtituit generale remedium, ſeu Baptiſmum ad delendum peccatum originale, quod remedium ſi parvulis quandòque non applicetur, hoc pertinet ad voluntatem Dei conſequentem,

quâ

Digitized by Google

quâ Deus, habita ratione peccati originalis, vel ſuæ juſtitiæ manifeſtandæ causâ, non vult ut illis applicetur, & ut inquit *S. Auguſtinus* epiſt. 217. aliàs 107. ad Vitalem, & lib. de dono perſev. cap. 12. *Aliquandò cupientibus, feſtinantibusque parentibus, Miniſtris quoque volentibus, & paratis, Deo nolente non datur Baptiſmus*. Stat ergo vera, & ſincera voluntas, quam Deus habet ſalvandi omnes omninò homines, quia omnibus, & ſingulis hominibus gratias ad ſalutem ſufficientes (non Moliniſtico, ſed Thomiſtico ſenſu intellectas) offert, & præparat, licet eas non omnibus largiatur. Undè Concilium Tridentinum loco ſuprà laudato ait: *Etſi ille*, ſeu Chriſtus, *pro omnibus mortuus ſit, non tamen omnes mortis ejus beneficium ſuſcipiunt, ſed hi dumtaxàt quibus meritum paſſionis ejus communicatur*. Nec obſtat divinæ voluntatis de omnium hominum ſalute ſinceritati gratiæ ſufficientis ſubtractio, quià Deus eam intuitu graviſſimorum peccatorum ſubtrahit quibus homines ejus demeritum incurrunt; non ſecùs, ac Judex, nondùm probato homicidio, de quo aliquis homo accuſatur, cenſetur habere voluntatem ſinceram ipſum à morte liberandi, quanquàm ipſum poſteà morti tradi jubeat, dùm reus convictus eſt. Mercator etiam proceloſo expoſitus mari ſinceram habet voluntatem ſalvandi merces ſuas, non ſpectato vitæ periculo, quamvis cognito proximo vitæ ſuæ diſcrimine eas in mare projiciat. Sic Deus, habitâ dumtaxàt ratione bonitatis ſuæ, & effuſionis Sanguinis Chriſti, vult ſincerè largiri gratias ſufficientes, quanquàm poſtmodùm habitâ ratione graviſſimorum peccatorum, aut etiam ſolius culpæ originalis, aut juſtitiæ ſuæ manifeſtandæ causâ, eas juſto ſuo judicio ſubtrahit excæcatis, & obduratis in flagitiis, nec non infidelibus, & parvulis abſque Baptiſmo decedentibus. Plura hac de re legi poſſunt apud *Bellarminum* lib. 2. de gratia & lib. arb. cap. 6. & ſeq. addam hìc dumtaxàt teſtimonium *P. Becheferii* Societ. Jeſu, qui die 3. Aprilis anni 1700. publico inſtrumento, jubente Eminentiiſs. Cardinali *Noallio* Archiep. Pariſ. ſanioris doctrinæ, & avitæ diſciplinæ Eccleſiaſticæ tenaciſſimo, declarare compulſus eſt nec paucos, nec infimi nominis eſſe Theologos, qui docent induratos, & obcæcatos, omni, ad certum ſaltèm tempus, interiori gratia deſtitui. Qua de re, ſi plura ſcire aveas, legeſis hiſtoriam Congregationum de auxiliis à doctiſſimo *P. Serry* editam à pag. 455. uſque ad pag. 475. poſtremæ editionis, ubi cl. ille Auctor impotentiam moralem, ſeu voluntariam, & propria iniquitate contractam, obduratos, & excæcatos à peccato non excuſare omni argumentorum genere demonſtrat.

Arguitur quintò: Ille non cenſetur habere veram, & ſinceram voluntatem moriendi pro ſalute omnium hominum, qui benè

multis

Digitized by Google

multis hominibus confert auxilium dumtaxàt ſufficiens, cum quo tamen, ob defectum alterius auxilii, ſeu efficacis ad ſalutem omninò neceſſarii, nunquàm ſalutem æternam conſequentur, atqui Chriſtus impiis, & infidelibus in ſua impietate, vel infidelitate morituris confert, vel præparat dumtaxàt auxilium ſufficiens, cum quo tamen ob defectum alterius majoris auxilii, quod ipſis abſolutè denegat, ſalutem æternam nunquàm conſequentur, ergo Chriſtus veram, & ſinceram non habuit voluntatem ſalvandi omnes homines. Prob. min. docent communiter Thomiſtæ ad æternam ſalutem conſequendam præter auxilium ſufficiens, aliud ex parte Dei requiri auxilium, quod eſt per ſe, & ab intrinſeco efficax, quodque ex entitate, ſeu ex natura ſua diſtinguitur ab auxilio ſufficienti, itaut auxilium ſufficiens nunquàm evadere poſſit efficax, ex qua Thomiſtarum doctrina palàm ſequitur impios, & infideles, quibus Chriſtus per mortem ſuam confert dumtaxàt, aut præparat auxilium ſufficiens ad ſalutem, ipſiſque denegat auxilium efficax, ſalutem æternam nunquàm conſequuturos ob defectum auxilii efficacis, quod Chriſtus ipſis impartiri non vult.

Reſpondeo primò: Retorquendo illud argumentum in Moliniſtas, illi quippè etſi doceant, præter auxilium ſufficiens ad ſalutem æternam conſequendam omnibus indiſcriminatim conceſſum, nullum aliud ex parte Dei eſſe expectandum, fatentur attamen illud auxilium, ut fiat efficax, & ad ſalutem infallibiliter perducat, pendere non ſolùm ex conſenſu liberi arbitrii, ſed ex opportunitate quarumdam circumſtantiarum, in quibus Deus hominem conſtituit, & in quibus, eum conſenſurum certò per ſcientiam mediam prænoſcit; què fit, ut ejuſmodi gratiam, genio, indoli, temperamento, aliiſque circumſtantiis loci, & temporis accomodatam, ſoleant appellare *congruam*. Hac autem ſemel conſtitutâ ſententiâ, quam conſtat communiorem eſſe inter ſocietatis Theologos, ſic argumentum conficio: ille non eſt mortuus pro omnibus omninò hominibus, qui noluit omnibus dare gratiam congruam, quæ major eſt ſaltèm in ratione beneficii gratiâ purè ſufficienti, & quæ ad ſalutem æternam conſequendam prorſùs neceſſaria eſt, atqui ſocietatis Theologi ultrò fatentur Chriſtum noluiſſe omnibus dare gratiam congruam, ergo Chriſtus, in illorum ſententiâ, verâ, & ſincerâ voluntate non eſt mortuus pro omnibus omninò hominibus. Viden eamdem difficultatem, idemque argumentum etiam in adverſariorum ſententia recurrere?

Reſpondeo ſecundò: Quod ſive gratia efficax diſtinguatur ex entitate, ideſt, ex natura ſua à gratia ſufficienti, adeò ut gratia ſufficiens nunquàm poſſit evadere efficax, ſicut ſentiunt omnes fermè anti-

antiqui Thomiſtæ, ſive etiam gratia efficax non diſtinguatur ex entitate, ſeu ex natura ſua à gratia ſufficienti, ſed ſolùm penès intenſionem graduum efficaciæ, quibus ſuapte vi ſuperat gradus obſtinationis, & malitiæ voluntatis creatæ, ſicut poſt *Gonzalem* docet *Pater Antonius Maſſoulie* art. 1. q. 6. to. 2. libri, cui titulus eſt *D. Thomas ſui interpres*, ſemper tamen verum erit dicere Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus omninò hominibus, etiamſi impiis, & infidelibus in ſua impietate, & infidelitate morituris gratias per ſe, & ab intrinſeco efficaces non conferat. Nàm primò antiqui Thomiſtæ, qui aſſerunt gratiam efficacem diſtingui ex entitate, ſeu ex natura ſua à gratia ſufficienti, docent non Deo, ſed ſoli homini imputari debere, quod careat gratia ſe ipſa efficaci; Deus ſiquidem titulo benevolentiæ, & amicitiæ, qua proſequitur homines, gratiam efficacem, ad quam diſponit, viamque ſternit gratia ſufficiens, omnibus offert, & ex ſe reverà conferre paratus eſt; nec enim alio fine Deus auxilium ſufficiens homini confert, quam ut hominem ulteriùs promoveat, & diſponat ad alterum majus auxilium, ſeu efficax ab ipſo Deo obtinendum; quod procul omni dubio Deus conferret homini, niſi hunc divinum influxum homo malitiâ ſuâ ſiſteret, & gratiæ efficaci aditum præcluderet, non ſecùs, ac ex. gr. cùm agens naturale diſpoſitiones ad formam producendam inducit in ſubjectum, niſi hic diſpoſitionum curſus intercipiatur, ſeu impediatur, tamdiù agens influit, donec ea ultima diſpoſitio, ad quam forma conſequitur producta fuerit. Hinc *Sanctus Thomas* in cap. 6. *Joannis*, & pluribus aliis in locis ait: *Ex quo Deus paratus eſt dare gratiam omnibus, & ad ſe trahere, non imputatur ei ſi aliquis non accipiat, ſed ei qui non accipit*, & 3. contra Gentes cap. 159. *Deus quantum eſt in ſe, paratus eſt omnibus dare gratiam; vult enim omnes homines ſalvos fieri*. Cùm igitur Deus ex ſe ſit paratus conferre omnibus gratias efficaces, & in culpa hominum ſit, quod illas non recipiant, rectè ſequitur Deum velle ſalutem omnium hominum, quamvis benè multis non ſuppeditet auxilia efficacia, quæ ex entitate, & natura ſua ab auxiliis ſufficientibus diſtinguuntur. Secundò, alii Thomiſtæ, qui volunt gratiam efficacem non diſtingui ex entitate, ſeu ex natura ſua à gratia ſufficienti, ſed tantùm penès intenſionem graduum efficaciæ, quibus ſuperat gradus malitiæ voluntatis creatæ, eamque convertit; docent, inquam, illi Thomiſtæ in ſolius hominis culpa eſſe, quod gratia ſeipſa efficaci privetur. Idque illuſtrant hoc clariſſimo exemplo. Supponunt quippè voluntatem alicujus hominis ex pravis habitibus, ac diuturna peccandi aſſuetudine ad octo, vel decem gradus obſtinationis perveniſſe; ſi itàque Deus huic homini malè affecto gratiam conferat, quæ plures, & majores efficaciæ gradus

dus habeat, quam ſint gradus obſtinationis, & malitiæ in voluntate; tunc illa gratia ſuapte vi, ſeu victrici delectatione ſuperabit obſtinationem voluntatis, & erit re ipſa efficax. At ſi Deus, ità exigentibus illius hominis demeritis, gratiam minus validam conferat, & quæ in gradibus efficaciæ ſuperior, major, ac fortior non ſit gradibus obſtinationis, ſeu malitiæ voluntatis, tunc illa gratia voluntatem quidem commovebit, ſed illam non convertet, nec illius obſtinationis gradus ſuperabit, eritque tùm temporis gratia tantùm ſufficiens, & inefficax, non quidem ex defectu ſui, cum re ipſa, & vi ſua converteret voluntatem ſi minor eſſet voluntatis reſiſtentia, ſed ex defectu voluntatis, quæ obſtinatione ſua magis obſiſtit. Perindè ac ſi admotum lignum ignis non comburat, id non oritur ex parte ignis qui agit, & cui non deeſt vis agendi, ſed ex parte ligni, quod humiditate & aqua cùm ſit oppletum, efficaciæ, & vi ignis magis obſiſtit, eamque extinguit. Sic etiam Sacramenta novæ legis ſi aliquandò gratiam non producant, id non oritur ex defectu Sacramentorum, quæ potiùs, ut docent omnes Thomiſtæ, vim habent veram, & phyſicam gratiam producendi, ſed id proficiſcitur ex vitio ſuſcipientis, qui gratiæ ſuſceptioni obicem, & impedimentum ponit. Similiter igitur ſi voluntas hominis pluribus implicita malitiæ, & obſtinationis gradibus divina motione non convertatur, & alia gratia majori, ac potentiori ad actualem converſionem, & ad ſalutem conſequendam opus habeat, id non motioni divinæ, ſed reſiſtentiæ, malitiæ voluntatis adſcribi debet. Patet itaque, quod ſive gratia efficax ex entitate, ſeu ex natura ſua diſtinguatur à gratia ſufficienti, ſive ab ea tantummodò penès intenſionem graduum efficaciæ diſtinguatur, ſemper verum eſt dicere hominem ſua culpa carere gratiâ efficaci, ac ſubindè Chriſtum vera, ac ſincera voluntate mortuum eſſe pro omnibus omninò hominibus, quamvis non omnibus gratias efficaces largiatur.

Arguitur ſextò: Voluntas excludendi aliquos à gloria, eiſque abſolutè denegandi auxilia efficacia ad ſalutem conſequendam omninò neceſſaria, ſtare, & cohærere minimè poteſt cum ſincera voluntate ſalvandi omnes homines, atqui in ſententia Thomiſtarum Deus vult aliquos excludere à gloria, ipſiſque denegare auxilia efficacia ad ſalutem conſequendam neceſſaria, ergò in ſententia Thomiſtarum nequit eſſe in Deo ſincera voluntas ſalvandi omnes homines, ac proindè Chriſtus non eſt mortuus pro omnibus omninò hominibus.

Reſpondeo neg. maj. Voluntas quippè in Deo ſincera ſalvandi omnes in individuo homines optimè cohæret cum voluntate excludendi aliquos à gloria, eiſque denegandi auxilia efficacia. Ratio eſt, quia voluntas Dei antecedens habet pro ſuo objecto ſalutem omnium homi-

Digitized by Google

hominum præciſè in ſe conſideratam, & avulſam ab omnibus circumſtantiis, voluntas verò conſequens habet pro ſuo objecto ſalutem hominum ſuis omnibus indutam circumſtantiis, *aliquid autem*, inquit *Sanctus Thomas* 1.p. q.19. art.6. ad 1. *poteſt eſſe in prima ſui conſideratione, ſecundùm quod abſolutè conſideratur, bonum, vel malum, quod tamen prout cum aliquo adjuncto conſideratur, è contrario ſe habet. Sicut hominem vivere eſt bonum, & hominem occidi eſt malum, ſecundùm abſolutam conſiderationem: ſed ſi addatur circa aliquem hominem, quod ſit homicida, vel vivens in periculum multitudinis; ſic bonum eſt eum occidi, & malum eſt eum vivere: undè poteſt dici, quod Judex juſtus antecedenter vult omnem hominem vivere, ſed conſequenter vult homicidam ſuſpendi. Similiter Deus antecedenter vult omnem hominem ſalvari, ſed conſequenter vult quoſdam damnari, ſecundùm exigentiam juſtitiæ ſuæ.* Quibus verbis Doctor Angelicus optimè conciliat voluntatem ſinceram, quâ Deus vult ſalutem omnium hominum, cum voluntate quâ vult aliquos excludere à gloria, ipſiſque denegare auxilia efficacia; nàm ſicut Judex poteſt antecedenter ſincerè velle ſalutem hominis, quem tamen, attentis circumſtantiis illius vitæ, judicat, & vult conſequenter de medio tolli; ità non abſimili ratione Deus voluntate antecedente ſincerè vult ſalutem omnium hominum in ſe præciſè, & abſolutè conſideratam, ſed voluntate conſequente, ideſt, attentis circumſtantiis defectibilitatis humanæ, pulchritudinis univerſi, ordinis juſtitiæ ſuæ, & manifeſtationis ſuorum attributorum, vult aliquos excludere à gloria, ipſiſque auxilia efficacia denegare. Addo etiam quod, cùm Deus ſit proviſor univerſalis, ad quem ſpectat conſulere bono univerſi, oportet, ut ſtante ſincerâ illa voluntate, quâ vult omnes ſalvos fieri, permittat tamen aliquos excidere à gloria, & cadere in peccatum, non impartiendo malitiam, ſed ſubtrahendo gratiam ſuam, ut hinc liberi arbitrii ad bonum æquè ac malum flexibilis contingentia eluceſcat. *Vult Deus*, inquit *S. Auguſtinus* lib. de Spiritu, & Littera cap.33. *omnes homines ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, non ſic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel benè, vel malè utentes juſtiſſimè judicentur. Quod cum fit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cùm ejus Evangelio non credunt, nec ideò tamen vincunt, verùm ſeipſos fraudant magno, & ſummo bono, maliſque pœnalibus implicant, experturi in ſuppliciis poteſtatem ejus, cujus in donis miſericordiam contempſerunt.*

Arguitur ſeptimò: Deus non magis dici poteſt Salvator Infidelium, Judæorum, & iniquorum Chriſtianorum, quàm eorum Pater, atqui Deus appellari non poteſt Pater Infidelium, Judæorum, & iniquorum Chriſtianorum; ſed ſolùm dicitur Pater eorum, qui per ſpiritum adoptionis, ſeu per gratiam, juſtitiam, & charitatem fiunt filii

 Dei,

Digitized by Google

Dei, ſicut docent Sancti Patres, *Cyprianus* in tract. de Orat. Dominica, *Gregorius Niſſenus* orat. 2. in Orat. Dominic. *Chryſoſtomus* homil. 20. in Matth. *Auguſtinus* epiſt. 153. aliàs 54. ad Macedonium, *Iſidorus Peluſiota* lib. 4. epiſt. 24. *S. Thomas* in cap. 6. Matthæi, & alii, ergò ſimiliter Deus dici non poteſt Salvator Infidelium, Judæorum, & iniquorum Chriſtianorum, ſed ſolùm Electorum, ac Prædeſtinatorum, ac ſubindè Chriſtus non eſt mortuus pro omnibus omninò hominibus.

Reſpondeo neg. min. ad cujus probationem dico: Patres in objectione citatos non negare Deum eſſe Patrem omnium hominum etiam Judæorum, Gentilium, & impiorum Chriſtianorum; ſed ſolùm velle Deum ſpeciali quâdam ratione eſſe Patrem juſtorum, quâ nequaquam dici poteſt Pater Judæorum, Gentilium, & impiorum Chriſtianorum, quod eſt inconfeſſo apud omnes. Nàm primò, Deus eſt Pater Judæorum, atque Gentilium, non ſolùm quia ipſis impertiit naturam ſpiritualem, liberam, immortalem, ratione præditam, ſapientiæ, juſtitiæ, & beatitudinis capacem; vitam intellectione, liberâque volitione conſtantem, ſed etiam quia verâ, & ſincera voluntate, licèt antecedente, miſit Filium ſuum unigenitum in mundum, ut in aſſumpta communi omnibus humana natura pro omnibus etiam Judæis, & Infidelibus Sanguinem ſuum funderet, & pretium redemptionis omnibus commune dependeret. Secundò, Deus eſt Pater malorum Chriſtianorum in quantum per januam Baptiſmi eos in Eccleſiam ſuam introduxit, illoſque ad converſionem ſæpiſſimè excitat per gratias internas, per conſcientiæ remorſus, per illuminationes quibus intellectum, per pias motiones, quibus voluntatem eorum identidem prævenit, & ad ſalutaria impellit, quâ de cauſa Deus malis, & impiis Chriſtianis longè ſpecialiùs ſe Patrem exhibet, quam Judæis, & Infidelibus. Denique Deus eſt Pater juſtorum modo quodam ſpeciali, ſuperexcellenti, & ipſis ſolis eximio, quia nempe aſſumit illos in filios adoptivos, futuros hæredes ſuos, cohæredes autem Chriſti; largitur illis eſſe quoddam divinum, & ſupernaturale, vitam gratiæ, juſtitiæ, & charitatis, quâ Judæi, Infideles, & iniqui Chriſtiani privantur. Quamvis ergò Deus ſit Pater omnium hominum, etiam Infidelium, Judæorum, & iniquorum Chriſtianorum, modo tamen quodam ſpeciali, ratione videlicèt adoptionis eſt Pater Juſtorum, perindè ac Chriſtus, ut docet *S. Thomas*, eſt caput omnium hominum, præcipuè tamen juſtorum, qui per gratiam, & charitatem tanquàm membra viva cum ipſo connectuntur. Undè ſicut negari non poteſt Deum eſſe Patrem omnium hominum, præcipuè tamen juſtorum; ità etiam certum apud omnes eſſe debet Deum eſſe Salvatorem omnium hominum, maximè tamen Fidelium,

lium, ſeu Electorum, ac Prædeſtinatorum.

Arguitur ultimò: Anno Chriſti octingenteſimo quinquageſimo tertio habita eſt Synodus Cariſiaca, in qua Epiſcopi ad dirimendas controverſias, quæ jàm totam Eccleſiam Gallicanam perturbabant, congregati; quatuor ediderunt capitula, in quorum tertio definiunt, quod *Deus Omnipotens ſine exceptione vult omnes ſalvos fieri, licèt non omnes ſalventur*. Et in capitulo quarto ſtatuunt, quod *Chriſtus Dominus noſter, ſicut nullus homo eſt, fuit, vel erit, cujus natura in illo aſſumpta non fuerit: ità nullus eſt, fuit, vel erit homo, pro quo paſſus non fuerit, licèt non omnes paſſionis ejus myſterio redimantur*. In his duobus Concilii Cariſiaci capitulis clariſſimè exprimitur voluntas Dei ſalvandi omnes omninò homines, atqui tamen hæc duo capitula fuere reprobata à celeberrima Lugdunenſi Eccleſia, & à Concilio Valentino tertio, non ergo dogma fidei eſt Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus, & ſingulis hominibus. Prob. min. Eccleſia Lugdunenſis in libro *de tenenda veritate Scripturæ*, edito ab Archipræſule ſuo Remigio, viro ſanctitate, atque doctrinâ conſpicuo, acritèr invehitur in capitulum quartum Cariſiacum, in quo dicitur, quod *nullus homo fuit, eſt, vel erit, pro quo Chriſtus paſſus non fuerit*, mentemque ſuam diſertè aperit prædicta Eccleſia cap. 15. ejuſdem libri, ubi ait abſurdum, ac planè erroneum eſſe, ut pro iis, qui in ſua impietate mortui æterno jàm judicio condemnati erant, Chriſtus paſſus ſit; alioqui & pro diabolo, & angelis ejus Chriſtum paſſum dici poſſe: *Sicut ergo*, ſunt celeberrimæ illius Eccleſiæ verba, *pro illis impiis, & damnatis angelis nullatenùs Dominus Jeſus Chriſtus dicendus eſt paſſus: ità pro iſtis impiis, & damnatis hominibus abſit omninò ut paſſus eſſe credatur*. Et in libro *de tribus epiſtolis* cap. 15. diſtinguit eadem Eccleſia quatuor ordines hominum in redemptionis, & reconciliationis gratia. Primus eſt electorum, & prædeſtinatorum ad vitam æternam, de quibus nullus perire poteſt. Secundus ordo eſt Fidelium, qui rectâ fide, & pietate accedunt ad gratiam Baptiſmi, & per eam accipiunt indulgentiam peccatorum; ſed poſteà diverſis tentationibus, & iniquitatibus gratiam ipſius fidei, & redemptionis amittunt, & uſque ad exitum perſeverant in malis ſuis. Tertius ordo eorum eſt, qui adhùc in infidelitate poſiti ad Chriſti tamen Eccleſiam aliquandò vocandi ſunt per Dei miſericordiam. Quartus denique ordo illorum eſt, qui manifeſtò extrà Fidelium numerum jacent, ſeu nunquàm Fidelium cœtui aſſociari debent, ſed æternæ damnationi ſunt deſtinati. Poſito illo quadruplici hominum ordine, aſſerit Eccleſia Lugdunenſis cap. 16. pro trium priorum ordinum hominibus mortuum eſſe Chriſtum Dominum, ſed pro quarti ordinis hominibus, impiis ſcilicèt antè paſſionem Chriſti Domini in impietate, aut pro Infidelibus in infidelitate

Xx 2 mor-

Digitized by Google

mortuis nullo modo paſſum, aut crucifixum eſſe: *Unum tamen eſt, quod nos & fideliſſimè credimus, & veriſſimè novimus, quia pro illa innumerabili, & infinita multitudine impiorum, qui ab exordio mundi uſque ad paſſionem Domini per quatuor fermè annorum millia in ſua impietate ſunt mortui, & apud inferos æterna perditione damnati; nunquàm Dominus paſſus, nunquàm mortuus eſt, nec ad eos ſalvandos ullatenus venit, nec pro eis pretioſum Sanguinem fudit*. Hæc habet Eccleſia Lugdunenſis cap. 18. cujus doctrinam Epiſcopi trium Provinciarum Lugdunenſis, Viennenſis, & Arelatenſis in Synodo Valentina congregati anno Chriſti octingenteſimo quinquageſimo quinto approbarunt canone quarto, qui eſt *de redemptione Sanguinis Chriſti*, ibidemque reprobant doctrinam contentam in capitulis Cariſiacis de voluntate Chriſti ſalvandi impios, qui à mundi exordio uſque ad paſſionem Domini in ſua impietate mortui, & æternis flammis addicti ſunt; tanquàm doctrinam inutilem, noxiam, & contrariam veritati, ſic enim loquuntur: *Porrò capitula quatuor, quæ à Concilio Fratrum noſtrorum minùs perſpectè ſuſcepta ſunt, propter inutilitatem, vel etiam noxietatem, & errorem contrarium veritati; ſed & alia novemdecim ſyllogiſmis ineptiſſimè concluſa, & licèt jactetur, nulla ſæculari litteratura nitentia, in quibus commentum diaboli, potiùs quàm aliquod augmentum fidei deprehenditur, à pio auditu Fidelium penitùs explodimus, & ut talia, & ſimilia caveantur per omnia auctoritate Spiritus Sancti interdicimus*. Ex quibus verbis manifeſtum eſt Patres Synodi Valentinæ, & Eccleſiam Lugdunenſem negaſſe Chriſtum eſſe mortuum pro omnibus omninò hominibus.

Reſpondeo: Eccleſiam Lugdunenſem, & Synodi Valentinæ Patres ideò capitula Cariſiaca damnaſſe, quia errore facti putarunt Cariſiacorum Auctores capitulorum eadem prorsùs ratione, & eodem planè ſenſu definiiſſe Chriſtum eſſe mortuum pro his, qui in infidelitate, vel impietate ſua mortui, aut morituri ſunt, ac pro illis, qui per gratiam Chriſti ſanctificati in ea perſeverant, & ſalvantur. Hunc eſſe ſenſum capitulorum Cariſiacorum exiſtimarunt Eccleſia Lugdunenſis, & Synodi Valentinæ Patres. Verùm in hoc errarunt errore facti. Nàm Patres Concilii Cariſiaci in his condendis capitulis proponere dumtaxàt voluerunt avitam doctrinam Eccleſiæ, videlicèt Chriſtum ſufficienter mortuum eſſe pro impiis, & infidelibus, licèt efficaciter tantùm pro illis mortuus ſit, qui ſalutem æternam conſequuntur. Quam doctrinam, utpotè Catholicam, nunquàm Eccleſia Lugdunenſis, & Synodi Valentinæ Patres improbarunt; ſed id unum tantummodò definire voluerunt, Chriſtum non efficaciter pro illis mortuum eſſe, qui à mundi exordio uſque ad paſſionem Domini, in ſua impietate, vel infidelitate mortui æternâ ſunt damnatione

Digitized by Google

tione puniti, ut ſcilicèt eos ex inferno eriperet, ſicut Patres liberavit ex Limbo. Hanc genuinam eſſe, Eccleſiæ Lugdunenſis, & Patrum Synodi Valentinæ mentem, patet primò, quia ad ſuæ doctrinæ probationem hanc Prophetæ Oſeæ ſententiam uſurparunt: *Erò mors tua ò mors, ero morſus tuus inferne*; ſive, ut explicat *S. Gregorius* lib. 12. Moral. cap.8. & homil.22. in Euangelia, *ex eo quod mordemus, partem abſtrahimus, partem relinquimus; quia ergò in electis ſuis, Chriſtus fundìtùs occidit mortem, mors mortis extitit: quia verò ex inferno partem abſtulit, & partem reliquit, non occidit funditùs, ſed momordit infernum.* Chriſtus ergo, juxtà mentem Eccleſiæ Lugdunenſis, & Patrum Synodi Valentinæ, non eſt mortuus efficaciter pro impiis, & infidelibus, qui ab exordio mundi uſque ad paſſionem Chriſti in ſua impietate, vel infidelitate mortui ſunt, quia Chriſtus eos ab inferno non liberavit: ſed potiùs illos æternum puniendos reliquit. Secundò, Eccleſia Lugdunenſis mentem ſuam clariſſimè promit in libro de tribus epiſtolis; ubi poſtquàm cap.11. tres ſupra allatas *S. Auguſtini* expoſitiones, ad voluntatem Dei conſequentem de ſalute Electorum pertinentes, adhibuit huic teſtimonio Apoſtoli: *Qui vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*; poſteà cap.12. quartam addit illius Apoſtolici teſtimonii expoſitionem, quæ ſpectat ad voluntatem Dei antecedentem de ſalute omnium hominum, ait enim, quod Deus vult omnes homines ſalvos fieri bonitate Creatoris, & tamen eos, quos indignos ſalute judicaverit, juſtâ Judicis ſeveritate non ſalvat. Quam expoſitionem denuò approbat Eccleſia Lugdunenſis cap.13. his verbis: *Quod autem ibi ſimpliciter intelligitur Deum velle omnes homines ſalvos fieri, bonitate ſcilicet Creatoris, ità (ut putamus) fideliter poteſt recipi, ſi hanc voluntatem bonitatis ſuæ erga ſalutem hominum non credatur humano obſiſtente voluntate non poſſe implere, ſed obſiſtente humana iniquitate implere nolle.* Undè liquet Eccleſiam Lugdunenſem non negaſſe Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus omninò hominibus ſufficienter, hoc eſt, voluntate antecedente Catholico ſenſu intellecta, ſed ſolùm negaſſe Chriſtum mortuum eſſe efficaciter, ſeu voluntate conſequente pro impiis, qui in ſua impietate, vel infidelitate mortui æternis flammis ſunt addicti, ut eos ex inferno per mortem ſuam liberaret. Idem judicium ferendum eſt de Synodi Valentinæ Epiſcopis, qui, licèt capitula Concilii Cariſiaci, necdùm ſatis perſpecto, & explorato eorum germano ſenſu, cenſurâ confixerint; attamen poſtquàm re maturiùs expensâ, intellexerunt in illis capitulis definitum tantummodò fuiſſe Chriſtum mortuum eſſe ſufficienter pro impiis, aliiſque, qui pereunt, efficaciter verò pro electis, & prædeſtinatis, cenſuram, quam illis capitulis Cariſiacis inuſſerant, expunxerunt in Synodo

Lin-

Lingonenſi celebrata anno Chriſti octingenteſimo quinquageſimo nono, & in Synodo Tullenſi quindecim diebus poſt Synodum Lingonenſem apud Saponarias habitâ, in hac ſiquidem Tullenſi Synodo canones Concilii Valentini relecti, ac omnium calculo approbati ſunt, omiſsâ prædictâ cenſurâ, quæ ſic incipit: *Porrò quatuor capitula, quæ à Concilio Fratrum noſtrorum, &c.*

Advertat primò Lector in fine hujuſce paragraphi, paucos extitiſſe in quinto Eccleſiæ ſæculo obſcuri nominis viros, vulgò *Prædeſtinatianos* appellatos, qui negarunt Chriſtum mortuũ eſſe pro omnibus omninò hominibus, aliaque prava dogmata circà prædeſtinationem, & gratiam propugnarunt, qui tamen in Sectam non coaluerunt. Id probari poteſt ex pluribus momentis. Primò, quia *Fauſtus* Rejenſis Epiſc. & Semipelagianorum Coriphæus, qui ſub ſpecioſo obtentu confutandæ Prædeſtinatianæ hæreſeos duos de gratia, & libero arbitrio ad doctrinam S. Auguſtini impugnandam libros ſcripturivit, unicum dumtaxàt indigitavit Prædeſtinatianum, videlicèt *Lucidum*, qui, poſt ſuſceptam ab eodem *Fauſto* epiſtolam ad meliorem frugem revocatus, palinodiæ libellum contexuit, quem tranſmiſit ad Epiſcopos Gallicanos, ſeu ad Patres Conciliorum Arelatenſis, & Lugdunenſis, quæ id ætatis ad exterminandos paucos illos Prædeſtinatianos celebrata fuerunt. Secundò, inter errores Prædeſtinatianorum hic unus erat, quo affirmabant: *Aliquos homines ad malum divina poteſtate prædeſtinatos eſſe*, atqui conſtat ex Synodo Arauſicana paucos admodùm & viles fuiſſe illos, qui hoc virulentum dogma defendebant; legimus quippè in Synodo Arauſicana ſic Patres definiſſe: *Aliquos verò ad malum divina poteſtate prædeſtinatos eſſe non ſolùm non credimus, ſed etiam* ſi ſunt, *qui tantum malum credere velint, cum omni deteſtatione illis anathema dicimus*. Porrò ſi plures hoc in errore verſati fuiſſent, Sectamque conflaſſent, de illis Patres Synodi Arauſicanæ non ſic dubitanter fuiſſent locuti, ſed eos potiùs abſolutè damnatos anathemate perculiſſent. Tertiò, Sancti Patres, qui nono Eccleſiæ ſæculo floruerunt, *Prudentius* ſcilicet & *Remigius* negarunt extitiſſe aliquandò hæreſim Prædeſtinatianam, ſic enim loquitur *S. Prudentius* in libro contrà *Joannem Scotum Erigenam* cap. 4. *Tertiam verò hæreſim, quam Pelagianis contrariam aſſeris, qua ità donum gratiæ prædicetur, ut libertas arbitrii funditus auferatur, nec legimus, nec audivimus*. *Sanctus* verò *Remigius* in libro contrà eumdem *Joannem Scotum Erigenam* cap. 4. ait: *Quæ eſt iſta ſecunda hæreſis tam incognita, tam inaudita, quæ libero arbitrio denegato ſolius gratiæ ſit prædicatrix? niſi quia, ut nobis videtur, diſputator iſte vel Beatum Auguſtinum latenter quaſi hæreticum accuſat*. Sanè credibile non eſt Sanctos illos Patres potuiſſe nono Eccleſiæ ſæculo negare extitiſſe aliquandò Prædeſtinatianam

hære-

hæreſim, ſi Prædeſtinatiani aliquam Sectam reapsè conflaſſent. Quin, quod ſingulari obſervatione dignum eſt, Sancti Patres, qui quintum ſæculum illuſtrarunt, & hæreſum, quæ variis temporibus Eccleſiam infeſtarunt, catalogum datâ operâ texuerunt, ne per umbram quidem illius Prædeſtinatianæ hæreſeos meminerunt. De illâ quippè nullam planè mentionem fecit *S. Auguſtinus* ſive in libro de Hæreſibus, ſivè in tam multis, quos edidit, de gratia libris. Illius itidem Hæreſeos ne vola, ne veſtigium quidem extat apud apud Sanctos Proſperum, Fulgentium, Hilarium, Petrum Diaconum, & alios Sanctos Patres ſtrenuos Eccleſiæ doctrinæ defenſores, & omnis prorſus erroris impatientes. Ex illo itaque SS. Patrum ſilentio probabiliùs, ni mea me fallat mens, colligitur extitiſſe quidem quosdam in quinto ſæculo obſcuri nominis viros, qui negabant Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe, aliaque id genus circà gratiam, & prædeſtinationem prava, & exitioſa imbiberant dogmata, eos tamen adeò viles, ac paucos fuiſſe, ut ne extare quidem in Orbe judicarentur. Quapropter falsì convincitur *Sirmondus*, qui in libro, quem edidit de Hæreſi Prædeſtinatiana cap. 1. aſſerit Prædeſtinatianorum Sectam apud Monachos Adrumetinos primùm pullulare cœpiſſe. Deindè cap. 2. addit, Proſperum, & Hilarium adversùs eamdem Sectam in Galliis enatam Auguſtini opem imploraſſe, eorumque votis annuiſſe Auguſtinum conſcribendo contrà Prędeſtinatianos libros *de Prædeſtinatione Sanctorum, & de dono Perſeverantiæ*. Denique cap. 3. ſcribit, mortuo Sancto Auguſtino, Proſperum, & Hilarium ad profligandam Prædeſtinatianorum Sectam, quæ inſtar cancri longè, lateque in Galliis ſerpebat, Romam ad Celeſtinum Papam confugiſſe, à quo reſcriptum contrà Prædeſtinatianos ad Galliæ Epiſcopos directum impetrarunt. In his, inquam, quæ in tribus illis capitibus ſcribit *Sirmondus*, falsì convincitur: nàm primò, ut ait Card. *Noriſius* c. 15. lib. 2. Hiſt. Pelag. falſum eſt Monachos Adrumetinos Prædeſtinatianæ hæreſi initiū dediſſe, immò potiùs conſtat Semipelagianiſmū apud illos exortum eſſe, quem S. Auguſtinus, edito libro de gratia, & libero arbitrio, in cunis ſuffocavit, ut teſtatur idem S. Doctor lib. 2. Retract. cap. 66. ubi hæc habet: *Propter eos, qui cùm defenditur gratia putantes negari liberum arbitrium, ſic ipſi defendunt liberum arbitrium, ut negent Dei gratiam, aſſerentes eam ſecundùm merita noſtra dari, ſcripſi librum, cujus titulus eſt: de gratia, & libero arbitrio. Ad eos autem ſcripſi Monachos Adrumetinos, in quorum Monaſterio de hac re cæperat eſſe contentio*. Adrumetini ergo Monachi, teſte *S. Auguſtino*, non erant Prædeſtinatiani, ſed potiùs Semipelagiani, quippè qui aſſerebant liberum auferri arbitrium, ſi nulla hominis merita gratiàm divinam antevertant. Secundò, oppidò fallitur *Sirmondus* dùm jejunè, & citrà

citrà ullam probationem aſſerit Proſperum, & Hilarium adverſùs emergentes Prædeſtinatianos opem Auguſtini imploraſſe, cùm potiùs legenti epiſtolas Sanctorum Proſperi, & Hilarii perſpicuum ſit, geminum Auguſtini diſcipulum opem Aquilini Doctoris petiiſſe adversùs Semipelagianos, qui paſſim doctrinam Sancti Auguſtini de propoſito Dei, ſeu decreto abſoluto, & de prædeſtinatione gratuita impetebant, dictitantes: *removeri omnem induſtriam, tollique omnes virtutes, ſi Dei conſtitutio humanas præveniat voluntates, & ſub hoc prædeſtinationis nomine fatalem induci neceſſitatem*. Quibus verbis Sanctorum Proſperi, & Hilarii graphicè deſcribuntur Semipelagiani. Nec denique majorem fidem meretur Sirmondus, dùm ait, mortuo Sancto Auguſtino, Proſperum, & Hilarium Romam apud Celeſtinum Papam de Prædeſtinatianis conqueſtos fuiſſe; non majorem, inquam, in hoc fidem meretur Sirmondus: Luce ſiquidem clariùs eſt Hilarium, & Proſperum, de illis apud Celeſtinum conqueſtos fuiſſe, *qui ſan. mem. Auguſtini doctrinam reprehendunt*, quales profectò fuiſſe Semipelagianos, qui adversùs Sancti Auguſtini ſcripta inſolenter inſurgebant, eaque erroris inſimulabant, nemo inficias ibit. Quapropter rejectis illis vanis Sirmondi conjecturis, longè probabiliùs eſſe cenſeo cum Card. Norilio loco mox laudato, extitiſſe quidem in quinto ſæculo paucos rudioris intelligentiæ, & pinguioris Minervæ homines dictos *Prædeſtinatianos*, qui de morte Chriſti, de gratia, & prædeſtinatione catholicè non ſentiebant, eos tamen in ſectam minimè coaluiſſe; Semipelagianos verò, ut collatam in ſe à diſcipulis Sancti Auguſtini novæ hęreſeos ſuſpicionem graviori, & horribiliori accuſatione propellerent, indè occaſionem perperàm arripuiſſe omnes promiſcuè Auguſtini doctrinæ defenſores ſub invidioſo Prædeſtinatianorum nomine denigrandi, & hoc pacto clavum clavo trudendi. Sed tam atrocem calumniam falsò diſcipulis Sancti Auguſtini impactam, à Sancto Auguſtino, ejusque diſcipulis omni argumentorum genere amolitur *Sanctus Proſper* in Reſp. ad objectiones Gallorum.

Advertat ſecundò Lector, *Gotteſchalcum* Monachum Ordinis Sancti Benedicti in Cœnobio Orbacenſi paucorum illorum prædeſtinatianorum, qui in quinto Eccleſiæ extiterunt ſæculo, perverſa dogmata circà mortem Chriſti, prædeſtinationem, & gratiam (ſi fides habeatur Hincmaro Remenſi in Galliis Epiſcopo) nono ſæculo recoxiſſe, eumque Rabano Præſide in Moguntina Synodo anno 848. convictum, damnatumque eſſe, ac tandem eodem anno apud Remos ab Hincmaro pari ſententia perculſum, virgisque cæſum, librum ſuum in ignem coactum eſſe projicere, & in carcerem detruſum, in ſuo errore pervicaciter objiſſe. Sic de Gotteſchalco ſentiunt multi.

Verùm

Verùm *Florus* Lugdunenſis Diaconus ſub Lugdunenſis Eccleſiæ nomine eruditum edidit librum, qui extat tom.3. Concil. Gall. pag.352. in quo Hincmarum, ejusque contra Gotteſchalcum actionem, & judicium confutavit. Plurimi etiam noni ſæculi Catholici viri, & de Eccleſia benemeriti patrocinium Gotteſchalci magno animorum æſtu ſuſceperunt, quos inter ſunt *Ratramnus* Corbejenſis Monachus, *Prudentius Tricaſſinus*, *Lupus Servatus* Presbyter Moguntinus, *Lupus* Abbas Ferrarienſis,& Eccleſia Lugdunenſis. Immò non deſunt etiamnùm Catholici Auctores, ut videre eſt apud *Gilbertum Manguinum* Galliarum Regi à Conſiliis, & in hiſtoria tam ſacra, quàm prophana apprimè eruditum, qui Gotteſchalcum ab hæreſi vindicant. Sed de Gotteſchalco, hæc hiſtoricè retuliſſe pro operis ſuſcepti brevitate abundè impræſentiarum ſufficiat, nec enim juvat in hac quæſtione facti, de qua necdùm convenit inter eruditos, meum hìc interponere judicium.

DISSERTATIO DECIMA SEPTIMA

Utrùm fides in Chriſtum Mediatorem fuerit omni tempore neceſſaria, & an ſola fides in Chriſtum Mediatorem vim habeat juſtificandi, ſeù nobis applicandi merita Chriſti, ut efficaciter proſint ad ſalutem?

TRia potiſſimùm fidei Catholicæ dogmata, contra Hæreticorum errores defendenda ſuſcipio. Primò, oſtendam fidem in Chriſtum mediatorem omni ævo fuiſſe ad ſalutem neceſſariam, adeòque Ethnicos, ſive Philoſophos, qui fidem non habuerunt in Chriſtum venturum, quamvis ſecundùm rectæ rationis præcepta vixerint, æternam ſalutem non fuiſſe conſecutos. Secundò, refellam errorem hæreticorum hujus temporis Lutheranorum, Calviniſtarum, & Socinianorum, qui Magiſtrorum ſuorum veſtigiis inſiſtentes pervicacitèr contendunt homines juſtificari, fructusque Paſſionis Chriſti ipſis ad juſtitiam & ſalutem applicari per ſolam fidem in Chriſtum mediatorem, quâ quiſque certiſſimè credit ſibi per Chriſtum peccata eſſe remiſſa. Denique, commonſtrabo fidem, quæ diſpoſitio neceſſaria eſt ad juſtificationem, non eſſe fiduciam de ſingulari Dei miſericordia qua ſibi quiſque promiſſiones divinas de remiſſione peccatorum applicat, ſicut falsò aſſerunt hæretici, ſed eſſe aſſenſum præſtitum his omnibus quæ à Deo ſunt revelata.

Dico primò : *Fidem in Chriſtum mediatorem fuiſſe omni tempore ad ſalutem neceſſariam, ac ſubindè Ethnicos, ſeu Philoſophos, qui hac fide caruerunt, licèt juxtà rectæ rationis præcepta vixerint, æternam ſalutem non fuiſſe adeptos.*

Probatur primò, quia hęc eſt conſtans ac perpetua Scripturæ & Sanctorum Patrum doctrina, quæ impugnari non poteſt niſi fructus Paſſionis & Crucis Chriſti penitùs evacuetur, Nam, ut optimè arguit Apoſtolus ad *Galatas* cap. 2. *Si per legem juſtitia, ergò Chriſtus gratis mortuus eſt*, id eſt, ſi abſque fide in Chriſtum, & ex ſolis naturæ operibus aliquis juſtificari poteſt, ergò gratis mortuus eſt Chriſtus. Idem Apoſtolus ad *Roman.* cap. 1. redarguit antiquos Philoſophos qui, licèt præeunte luminis naturalis face ad notitiam Dei pervenerint, eum tamen, uti debebant, non coluerunt; Sed veritatem Dei in injuſtitia detinuerunt: *Revelatur*, inquit, *ira Dei de Cælo ſuper omnem impietatem & injuſtitiam hominum eorum qui veritatem Dei in injuſtitia detinent*. Quæ Apoſtoli verba doctiſſimus *Eſtius* in ſuo Commentario ſic interpretatur: *Hæc de Græcorum Philoſophis dicit Apoſtolus, quorum etſi quidam, ut mox dicetur, ad unius Dei notitiam philoſophando pervenerint, ut Pythagoras, Socrates, Plato, Ariſtoteles & alii, quibus adde Hermetem Trimegiſtum Sacerdotem & Philoſophum Ægyptium, Senecam Philoſophum, & Senatorem Romanum, nemo tamen omnium Deum cognitum, aut coluit, ut debuit, aut colendum prædicavit*. Immò, ut de Seneca ait *S. Auguſtinus* libro 6. de Civit. Dei cap. 10. *Colebat* ille Philoſophus, *quod reprehendebat, agebat quod arguebat, quod culpabat adorabat*. Generalem deficientis in Philoſophis Ethnicis juſtitiæ cauſam, hanc ex eorum præſumptione aſſignat *S. Auguſtinus* epiſt. 155. ad *Macedonium*, aliàs 52. *Apud eos*, inquit, *verax pietas, ideſt, verax veri Dei cultus (unde omnia rectè vivendi Duci oportet officia) non invenitur, non ob aliud, quantùm intelligo, niſi quia beatam vitam tam ipſi ſibi quodam modo fabricare voluerunt, potiùsque patrandam, quàm impetrandam putaverunt, cùm ejus Dator non ſit, niſi Deus*. Et in libris contra Julianum Aquilinus ille Doctor latiſſimè probat infidelium opera, ut plurimum plena eſſe nigredine peccatorum, perfectaſque apud illos virtutes reperiri haud poſſe. Secundò, *Sanctus Thomas* 2.2. qu. 2. art. 7. invictis rationibus probat oportuiſſe omni tempore credi aliquo modo explicitè myſterium Incarnationis, quod ab æterno fuit diſpoſitum, ut ſuam homines ſalutem aſſequerentur, atqui myſterium Incarnationis fuit Ethnicis Philoſophis penitùs ignotum, non ergo ſalutem æternam conſequi potuerunt. Denique, præter fidem in Chriſtum Mediatorem, prærequiritur ad ſalutem, ut mox contra hæreticos oſtendemus, neceſſitas bonorum operum, & conſortium Chri-

Digitized by Google

Chriſtianarum virtutum potiſſimùm timoris, & amoris Dei, veræ humilitatis, ſinceræ pœnitentiæ, & deteſtationis peccatorum, quibus virtutibus quis unquàm dicet prædito fuiſſe Philoſophos Gentiles? Qui potiùs, ut paſſim docent Sancti Patres, aut vitiis dediti, aut ſuperbiâ elati virtutes, quas ad faſtum oſtentabant, non Deo, ſed ſibimetipſis arroganti ſupercilio acceptas referebant, ſicq; ignorantes Dei juſtitiam, & ſuam quærentes ſtatuere, juſtitiæ Dei non fuerunt ſubjecti. Qua de causâ cùm paucis ab hinc annis quidam ſocietatis Scriptor, cujus nomini parco, in lib. Gall. idiom. conſcripto aſſeruiſſet Sinarum gentem, per duo circiter annorum millia ante Chriſtum natum, puram, ac integram conſervaſſe unius, ac veri Dei cognitionem, ei in Templo omnium antiquiſſimo ſacrificaſſe, multoſque per ampliſſimum illud temporis ſpatium apud Sinas fuiſſe fideles verâ ſanctitate præditos, plenos Dei Spiritu, regularum puriſſimæ charitatis obſervantiſſimos, ita ut hominum illorum ſanctitatem, & charitatem Deus etiam editis miraculis confirmaverit, hanc, inquam, illius moderni Scriptoris aſſertionem meritò ſacra Facultas Pariſienſis anno 1700. die prima Julii cenſurâ confixit, eamque damnavit tanquàm falſam, ſcandaloſam, verbo Dei contrariam, hæreticam, Chriſtianæ Fidei, & Religionis everſivam, virtutem Paſſionis Chriſti, & Crucis evacuantem.

Advertat tamen Lector, privatos aliquos Ethnicos, paucos tamen, ex ſpeciali Dei privilegio extra Populum Iſraeliticum ab Abrahæ temporibus verum Deum coluiſſe, eoſque per fidem futuri Chriſti adventus, ejuſque nomine, & gratiâ fuiſſe ſalvatos. Id liquet primò ex *S. Auguſtino*, qui lib. 18. de Civit. Dei cap. 47. propoſito *Jobi*. qui ante Moyſis tempus vixit, noto omnibus exemplo: *Divinitùs*, inquit, *proviſum fuiſſe non dubito, ut ex hoc uno ſciremus etiam per alias gentes eſſe potuiſſe, qui ſecundùm Deum vixerunt, eique placuerunt, pertinentes ad ſpiritualem Jeruſalem. Quod nemini conceſſum fuiſſe credendum eſt, niſi cui divinitùs revelatus eſt unus Mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus Jeſus, qui venturus in carne, ſic antiquis Sanctis prænuntiabatur, quemadmodum nobis veniſſe nunciatus eſt; ut una, eademque per ipſum fides omnes in Dei Civitatem, Dei Domum, Dei Templum, prædeſtinatos perducat ad Deum*. Idem docet Sanctus Doctor lib. de peccato originali cap. 24. lib. 3. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 4. & epiſt. 102. aliàs 49. ubi hæc habet: *Itaque ab exordio generis humani, quicumque in eum crediderunt, eumque utcumque intellexerunt, & ſecundùm ejus præcepta piè, & juſtè vixerunt, quandolibet, & ubilibet fuerint, per eum proculdubio ſalvi facti ſunt*. Secundò, *Sanctus Thomas* 2. 2. q. 2. art. 7. ad 3. apertè innuit, fuiſſe aliquos infideles, quibus facta eſt revelatio de Chriſto, quique æternam ſalutem conſecuti ſunt: *Dicendum*;

inquit, *quod multis Gentilium facta fuit revelatio de Chriſto .... ſi qui tamen ſalvati fuerunt, quibus revelatio non fuit facta, non fuerunt ſalvati abſque fide Mediatoris: quia etſi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen fidem implicitam in Divina Providentia, credentes Deum eſſe Liberatorem hominum ſecundùm modos ſibi placitos*. Denique, hiſtoria Eccleſiaſtica narrat anno Chriſti 780. imperantibus *Conſtantino*, & *Irene*, ad longos Thraciæ muros ciſtam effoſſam eſſe, in qua vir proceræ magnitudinis ſepultus jacebat cum hac inſcriptione: *Chriſtus è virgine naſcetur, & in eum credo. Conſtantino, & Irene Imperatoribus, Sol! me rursùs videbis*. Cæterùm, quamvis omnes Theologi ultrò fateantur aliquos inter Ethnicos extitiſſe viros, qui per fidem in Chriſtum venturum æternam ſalutem ſunt adepti, id tamen de integra natione extrà gentem Judaicam abſolutè pronunciare non ſolùm falſum eſt, ſed etiam verbo Dei, perpetuæ SS. Patrum traditioni, & Sedis Apoſtolicæ definitionibus omninò contrarium.

Dices: *Sanctus Juſtinus* in apologia prima aſſerit antiquos Philoſophos, ſolâ ratione duce, fuiſſe Chriſtianos: *Quicumque*, inquit, *cum ratione, ac verbo vixere, Chriſtiani ſunt, quamvis Athei habiti ſint, quales inter Græcos fuere Socrates, Heraclitus, atque iis ſimiles: inter Barbaros autem Abraham, & Ananias, & Miſael, & Elias, & alii complures*. Si igitur antiqui Philoſophi, ſolâ ratione duce, fuerunt Chriſtiani; ſequitur ex mente *Sancti Juſtini* illos citrà fidem in Chriſtum Mediatorem ad æternam ſalutem pervenire potuiſſe.

Reſpondeo: Quod ſi penitiùs inſpiciantur, & æqua lance ponderentur verba *Sancti Juſtini*, non erit difficile antiquum illum Patrem vindicare ab hoc errore, quem ipſi falsò affingit *Caſaubonus* exercitatione 1. contra Baronium. Enim verò *Sanctus Juſtinus* eo loci tria diſtinguit hominum genera. Primò, eorum, qui ſub lege naturali ante Moyſis tempora vixere, qualis *Abraham*, & cæteri Patriarchæ. Secundò, eorum, qui poſt Moſaicam legem vitam duxerunt, ut *Elias*, & alii. Tertiò, eorum, qui Philoſophi dicuntur, ſicut *Socrates*, & *Heraclitus*, qui ſuam inter Paganos, juxtà rectæ rationis præcepta ætatem traduxerunt. De primo, & ſecundo hominum genere nulla poteſt eſſe diſceptatio, fatentur quippè Sancti Patres, & omnes Theologi Scholaſtici eos per fidem futuri Chriſti adventus, ejusque gratiâ fuiſſe ſalute æternâ donatos. Tota itaque difficultas eſt de tertio hominum genere, nimirùm de *Socrate, Heraclito*, aliisque Philoſophis, quos *Sanctus Juſtinus* appellat Chriſtianos, eo quod cum ratione vixerint, quamvis Athei habiti ſint, & fidem de Chriſto venturo non habuerint, ex quo juxtà Sanctum illum Doctorem conſequi videtur antiquos illos Philoſophos abſque fide in Chriſtum Mediatorem ad ſalutem æternam perduci potuiſſe: verùm ab illo errore, per quam longiſſi-

Digitized by Google

giſſimè abfuiſſe *Sanctum Juſtinum*, ex triplici explicatione, quæ illius verbis adhiberi poteſt, facilè oſtenditur. Primò, quando *S. Juſtinus* dicit: *Et quicumque cum ratione vixere, Chriſtiani ſunt, &c.* nihil aliud docet, niſi hominibus ante Chriſti adventum indita fuiſſe veritatis, & rationis ſemina, ſive, ut ipſemet ibidem loquitur, univerſum hominum genus illius verbi, & rationis fuiſſe particeps. Unde ſicut licuit *Tertulliano* apologetici cap. 17. animam, quæ Deum verum cognoſcit, appellare naturaliter Chriſtianam: *ò teſtimonium*, inquit, *animæ naturaliter Chriſtianæ!* ita non abſimili ratione potuit *Sanctus Juſtinus* antiquos Philoſophos, quibus veritatis, & rationis indita erant ſemina, appellare Chriſtianos. Secundò, quando *Sanctus Juſtinus* ait: *Et quicumque cum ratione vixerunt Chriſtiani ſunt*, vult ſolùm per hæc verba confirmare id, quod ſæpè ſæpiùs in ſuis operibus inculcat, videlicèt Philoſophos Gentiles ex ſacris veteris Teſtamenti Codicibus plura hauſiſſe, defloraſſe, & agnoviſſe, quæ in his de Chriſto Prophetarum oraculis erant prædicta, atque hoc ſenſu *Juſtinus* Ethnicos Philoſophos potuit appellare Chriſtianos. Cæterùm eoſdem Philoſophos ſine fide in Chriſtum Mediatorem æternam ſalutem fuiſſe conſecutos nullibi dixit, nec ſomniavit unquàm Sanctus Juſtinus. Certè hæretici, ſchiſmatici, & excommunicati non deſinunt appellari Chriſtiani, quamvis nemo putet eos; ſi in hæreſi, vel in excommunicatione, vel in ſchismate moriantur, ſalutem æternam conſequuturos; potuit ergo Sanctus Juſtinus antiquos Philoſophos Gentiles, in quibus Verbi, ſeu veritatis, ac rationis ſemina indita erant, quodam modo nuncupare Chriſtianos, licèt pro comperto habuerit eos fide in Chriſtum Mediatorem deſtitutos ſalutem æternam nunquàm adepturos. Denique, Sanctus Juſtinus quoſdam antiquos Philoſophos appellat Chriſtianos non ſimpliciter, & abſolutè, quaſi præcipua Chriſtianæ Religionis dogmata profeſſi ſint, ſed ſolùm ſecundùm quid, & imperfectè, quatenùs videlicet, ſpretis Gentilium Idolis, verum Deum coluerunt, & purioris vitæ obſervantiores multa ad mores ſpectantia docuerunt, quæ rectæ rationi conſentanea ſunt. Hanc eſſe *Sancti Juſtini* mentem, patet ex his, quæ habet in prædicta Apologia, ubi de Philoſophis Ethnicis ſic loquitur: *Quia autem non omnia, quæ rationis ſunt, & Verbi, id quippè Chriſtus eſt, perviderunt, & promulgarunt, diverſa à ſe ipſis, & contraria perſæpè dixerunt*. Quibus verbis apertè declarat Ethnicos Philoſophos imperfectè tantùm fuiſſe Chriſtianos, eoſque Chriſtianæ Religionis dogmata, quæ imperfectè noverant, falſis opinionibus, variiſque erroribus corrupiſſe. Quis autem credat *Sanctum Juſtinum* exiſtimaſſe hujuſmodi Chriſtianos tam imperfectos æternâ potuiſſe donari beatitudine? Illius ſanè erroris inſimulari non debet vir ille doctiſſimus, & de Chriſtiana Religione optimè meritus.

Plura

Plura ſi ſuper hac re ſcire deſideret Lector, conſulat librum Gallicè editum ab *Antonio Arnaldo* Doctore Sorbonico, cui titulus eſt: *De la neceſſitè de la foy en Jeſus Chriſt pour ètre ſauvè*; ideſt: *De neceſſitate fidei in Chriſtum ad ſalutem conſequendam*: In quo doctiſſimus ille Auctor neceſſitatem fidei in Chriſtum Mediatorem omni tempore neceſſariam fuiſſe ad ſalutem multis argumentis demonſtrat, & Sanctos Patres, potiſſimùm *Juſtinum*, & *Clementem Alexandrinum* ab oppoſito errore, quem ipſis *Caſaubonus*, & *Montacutius* perperàm affingunt, egregiè vindicat.

Dico secundò: *Fidem in Chriſtum Mediatorem eſſe diſpoſitionem neceſſariam ad juſtificationem, in eam tamen ſolam refundi non debere totam vim juſtificationis*.

Antequàm probetur hæc aſſertio, obſervandum eſt triplicem ab hæreticis fidem diſtingui, videlicet *hiſtoricam*, *miraculorum*, *& promiſſionum*. Fidem hiſtoricam vocant eam, quæ divina myſteria credit, ſivè res geſtas, quæ in Scripturis ſacris memorantur, de qua fide dicitur ad Hebræos cap. 11. *Fide credimus aptata eſſe ſæcula verbo Dei*. Secundam, ideſt *miraculorum fidem* appellant eam, quâ fiunt, vel impetrantur à Deo miracula, de qua dicitur 1. ad Corinth. cap. 13. *Etſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, &c.* Tertia denique fides, quam hæretici *promiſſionum* vocant, ea eſt, quæ fertur in divinas promiſſiones de remiſſione peccatorum, de qua dicitur *Marci* cap. ult. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*. Hanc autem promiſſionum fidem duplicem adhuc aſſerunt hæretici, *generalem* unam, quâ promiſſam homini ſalutem dicunt. Alteram *ſpecialem*, quâ unusquiſque ſibi promiſſionem divinam applicans credit, ſeu potiùs confidit omnia ſibi per Chriſtum peccata eſſe remiſſa. Hinc fidem illam appellant *fiduciam* de ſingulari miſericordia Dei, qua in Chriſto Mediatore cor hominis acquieſcit, & propter ipſum ſibi condonata eſſe peccata certiſſimè confidit. In hoc ſitum eſt hæreticorum noſtri temporis impium de juſtificatione dogma. Hac præmiſsâ obſervatione,

Probatur prima aſſertionis pars, nimirùm fidem in Chriſtum mediatorem eſſe diſpoſitionem neceſſariam ad juſtificationem. Primò, ex Apoſtolo ad Rom. cap. 5. *Juſtificati igitur in fide pacem habeamus ad Deum*. Ad Hebræos cap. 11. *Credere oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & quia inquirentibus ſe remunerator ſit*. Et ibidem: *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*. Secundò, idem ſanxit Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 6. ubi hæc habet: *Diſponuntur autem*, ideſt adulti, *ad ipſam juſtitiam, dum excitati divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera eſſe, quæ divinitùs revelata, & promiſſa ſunt; atque illud in primis à Deo juſtificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu, &c.*

Quæ

Quæ Concilii Tridentini definitio exprimit doctrinam Sanctorum Patrum, qui fidem paſſim appellant principium, & originem, januam, & viam vitæ æternæ. Accedit denique ratio Theologica, quam ſuppeditat *Sanctus Thomas* primæ ſecundæ qu. 113. art. 4. motus liberi arbitrii, inquit Angelicus Doctor, ad juſtificationem ideò neceſſarius eſt, quia mens hominis à Deo movetur, Deus autem mentem hominis movet, eam ad ſe convertendo, ſicut dicitur pſal. 84. *Deus tu converſus vivificabis nos*, motus itaque mentis, quo in Deum convertatur, ad juſtificationem omninò neceſſarius eſt; atqui prima mentis in Deum converſio fit per fidem, juxtà Apoſtolum ad Hebræos cap. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere*, igitur ad juſtificationem motus fidei neceſſarius eſt.

Probatur ſecunda aſſertionis pars, videlicet in ſolam fidem refundi non debere totam vim juſtificationis. Primò, quia præter fidem in Chriſtum Mediatorem, aliæ ad juſtificationem neceſſariò prærequiruntur diſpoſitiones, nimirùm timor Dei, ſpes vitæ æternæ, amor Dei ſuper omnia dilecti, odium peccati, & vitæ novæ propoſitum, atque inchoatio, ut docet *Sanctus Thomas* 1.2. qu. 113. art. 5. Secundò, ſi ſola fides juſtificaret impium, ſola itidem fides abſque bonis operibus ſufficeret ad ſalutem, atqui ſola fides ſine bonis operibus ad ſalutem non ſufficit, ut disertè aſſerit *Sanctus Jacobus* cap. 2. ſuæ epiſtolæ: *Quid proderit, fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? numquid poterit fides ſalvare eum? . . . . . ſicut enim corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita & fides ſine operibus.* Hinc Deus ſæpè ſæpiùs nos in ſacris litteris hortatur, & admonet, ut operemur bonum, dum tempus habemus; ut vigilemus, & oremus, ut abundemus in omni opere bono; ut cum timore, & tremore ſalutem noſtram operemur; ut currentes comprehendamus gloriæ bravium, ut pulſemus, & aperietur nobis; ut petamus, & accipiemus; ut quæramus, & inveniemus; ut mandata ejus obſervemus, & ut vocationem noſtram per virtutum, & bonorum operum exercitium certam faciamus. Denique, ſi ſola fides juſtificaret ut inſtrumentum applicans juſtitiam Chriſti, ſequeretur Sacramenta novæ legis non juſtificare, ut inſtrumenta Paſſionis Chriſti, quod è regione opponitur verbo Dei ad Titum cap. 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*. Ergo in ſolam fidem refundi non debet tota vis juſtificationis.

Reſpondent heterodoxi: fidem ſalvificam, ſeu fidem, quæ juſtificat, divelli non poſſe à charitate, & ab aliarum virtutum conſortio, ac ſubindè eum, qui juſtificatur, habere unà cum fide cæteras virtutes cum ipſa indiviſè conjunctas.

Verùm hæc reſponſio multis momentis refelli poteſt. Primò, quia fidem à charitatis, cæterarumque virtutum conſortio ſeparari poſſe

poſſe, non unus probat Scripturæ ſacræ locus. Id quippè manifeſtò colligitur ex 1.ad Cor. cap.13. ubi Apoſtolus ait: *Si habuero omnem fidem . . . . charitatem autem non habuero, nihil ſum*. Et ex epiſt.Jacobi cap.2. *Fides ſine operibus mortua eſt*.

Secundò, ſi fides à charitatis, cæterarumque virtutum conſortio divelli non poſſet, ſequeretur malos, & impios, quotquot in Eccleſia Catholica extant cum bonis permixti, vel infideles eſſe, vel in ſummâ peccatorum licentiâ, atque libidine,præditos eſſe charitate, cæteriſque virtutibus Chriſtianis, quod dictu abſurdiſſimum eſt.

Tertiò, *Sanctus Auguſtinus* lib.15. de Trinit. cap. 18. apertè docet fidem ſine charitate eſſe poſſe, *ſine charitate*,inquit, *fides poteſt eſſe, ſed non & prodeſſe*. Idem docet *Sanctus Thomas* 2. 2. qu. 24. art. 12. ubi latè probat per peccatum mortale amitti charitatem, & gratiam ſanctificantem, ſed non fidem, quæ, informis licèt, remanet cum peccato, juxtà ejuſdem Angelici Præceptoris doctrinam 2. 2. qu.10. art. 4.

Quartò, ſi fides à charitate ſeparari non poſſit, ſicut dictitant hæretici, velint nolint, fateri debent, ſi ſibi conſtare velint, hominem fide ſemel præditum nunquam à charitate excidere, etiamſi in graviſſima prorumpat crimina. Enim verò docent noſtri temporis hæretici fidem, quæ juſtificat,nullo quantumvis atrociſſimo crimine amitti poſſe, ita ut *David*, cùm adulterium, & homicidium perpetravit; & *Salomon*, dum Idolis thus adolevit; & *Sanctus Petrus*, quando Chriſtum Dominum ter negavit, juſti ſemper permanſerint, fidemque juſtificantem non amiſerint. Idem docent hæretici de omnibus juſtis, quos à juſtitia, ſeu à fide juſtificante excidere non poſſe pertendunt, quamvis in nefanda prolabantur flagitia. Hæc hæreticorum doctrina apertè colligitur ex eorum libris, & Synodis, potiſſimùm ex Synodo Dorthrectana habitâ anno 1619. immò in hac doctrina præcipuum ſuæ reformationis caput, ac fundamentum ab hæreticis Calviniſtis conſtitui Sole clariùs evincit doctiſſimus *Antonius Arnaldus*, qui huic controverſiæ ultimam diem impoſuiſſe videtur in aureo opere Gallico idiomate exarato, cui titulus eſt: *Le Renverſement de la Morale de Jeſus Chriſt par les erreurs des Calviniſtes touchant la juſtification*; ideſt: *Moralis Jeſu Chriſti erroribus Calviniſtarum circa juſtificationem penitùs profligata*. Hac autem ſemel ſuppoſitâ hæreticorum doctrinâ, ſic argumentum conficio: Si fides à charitate ſeparari non poſſet, manente fide, deberet & remanere charitas, atqui contendunt noſtri temporis hæretici fidem, quæ juſtificat permanere in juſtis, etiam dum in graviſſima labuntur ſcelera, ergo neceſſe eſt, juxtà eorum doctrinam, ut in juſtis, etiam dum atrociſſima flagitia patrant, maneat charitas, quam à fide juſtificante nullo pacto divelli poſſe mordicùs propu-

pugnant. Quis autem, amabo, non execretur tam peſtilentem doctrinam, quæ Deum cum diabolo, lucem cum tenebris, juſtitiam cum iniquitate, charitatem cum peccato vinculo monſtroſo nectit, ac copulat? quid, ſodes, ſceleſtiùs, & ab omni pietatis ſenſu magis alienum, quàm dicere, eum, qui in vitiorum charibdi eſt immerſus, & in peccatorum cœno, inſtar ſuis, volutatur, juſtum eſſe, Deum diligere, & mandata Dei obſervare? profectò, ut verbis utar *Grotii* in animadverſionibus pro ſuis ad Caſſandrum notis, art. de diſcrimine peccatorum mortalium,& venialium: *Nullum potuit in Orbem Chriſtianum induci dogma perniciosius quam hoc: hominem qui credidit, aut qui regenitus eſt (nam hæc multis idem valent) poſſe prolabi in flagitia, & ſcelera, ſed accidere non poſſe, ut propterea divino favore excidat, aut damnationem incurrat. Hoc nemo veterum docuit, nemo docentem tuliſſet; nec aliud evidentiùs vidi argumentum detortæ ad privatos, & malos ſenſus Scripturæ, quàm in hoc negotio.* Hanc impiam hæreticorum doctrinam, ex qua ſequitur moralis Chriſtianæ exterminium, & quæ latiſſimum ad omnia flagitiorum genera oſtium reſerat; Apoſtolus Paulus in ſuis epiſtolis damnat, docet ſiquidem juſtitiam cum iniquitate ſociari non poſſe, Deumque ultorem præpotentem ſcelerum, molles, fures, avaros, ebrioſos in æternum perditurum: *Neſcitis*, inquit 1. ad Corinth. cap.3. *quia templum Dei eſtis, & Spiritus Sanctus habitat in vobis: ſi quis autem templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus, &c.* & cap.6. ejuſdem epiſtolæ: *An neſcitis, quia iniqui Regnum Dei non poſſidebunt? Nolite errare: neque fornicarii, neque Idolis ſervientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces Regnum Dei poſſidebunt. Et hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri.* Et 2. ad Corinth. cap. 6. *Quæ participatio juſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Chriſti ad belial? aut quæ pars fideli cum infideli? Quis autem conſenſus Templo Dei cum Idolis?* Denique ad Galatas cap.5. *Manifeſta ſunt autem opera carnis: quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, Idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, commeſſationes, & his ſimilia: quæ prædico vobis, ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non poſſidebunt.* Quæ omnia Apoſtoli loca radicitùs convellunt portentoſum iſtum hæreticorum errorem aſſerentium juſtificationem fieri per ſolam fidem, eamque fidem ſalvificam, ſeu juſtificantem, nullo alio quantumvis gravi,& enormi, præterquàm infidelitatis peccato, deperdi poſſe. Quamobrem Synodus Tridentina ad profligandas id ætatis enatas hæreſes congregata, meritò definivit ſeſſ.6. cap. 15. *Non modo infideli-*

Digitized by Google

tate, per quam & ipſa fides amittitur, ſed etiam quocumque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam juſtificationis gratiam amitti; divinæ legis doctrinam defendendo, quæ à Regno Dei non ſolùm infideles excludit, ſed & fideles quoque fornicarios, adulteros, molles, maſculorum concubitores, fures, avaros, ebrioſos, maledicos, rapaces, cæteroſque omnes, qui lethalia committunt peccata; à quibus cum divinæ gratiæ adjumento abſtinere poſſunt, & pro quibus à Chriſti gratia ſeparantur. Et Canone 27. eadem Synodus anathemate percellit eos, qui dicunt ſemel acceptam gratiam nullo alio quantumvis gravi, & enormi, præterquàm infidelitatis, peccato amitti.

Dico ultimò: *Fidem, quæ diſpoſitio neceſſaria eſt ad juſtificationem, non eſſe fiduciam de ſingulari Dei miſericordia, qua ſibi quiſque promiſſiones divinas de remiſſione peccatorum applicat, ſed eſſe aſſenſum præſtitum his omnibus, quæ ſunt à Deo revelata.* Ita docent omnes Catholici contra Calviniſtas, qui in Synodo Dorthrectana ſuæ ſectæ doctrinam his verbis proponunt: *De hac electorum ad ſalutem cuſtodia, veràque fidelium in fide perſeverantia, ipſi fideles certi eſſe poſſunt, & ſunt pro menſura fidei, qua certò credunt ſe eſſe, & perpetuò manſuros vera, & viva Eccleſiæ membra, habere remiſſionem peccatorum, & vitam æternam.* Hanc doctrinam pro aris, ac focis propugnant *Ameſius*, *Scarpæus*, *Vvindellinus*, *Paræus*, *Chamierus*, aliaque reformatæ, ſi Superis placet, religionis columina.

Probatur multis momentis Catholicorum doctrina. Primò, quia hæc fiducia, quâ quis credit, & certiſſimè confidit ſibi eſſe remiſſa peccata, è fronte opponitur Verbo Dei. Verbum quippè Dei diſertè docet, de remiſſione peccatorum, & de ſalute æterna ſemper eſſe timendum, nec de ea citra ſpecialem revelationem nos in hac mortali vita conſtitutos certiores futuros. Sic Proverbiorum cap. 20. dicitur: *Quis poteſt dicere mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato?* Et Eccleſiaſt. cap. 9. *Neſcit homo an odio, an amore dignus ſit, ſed omnia in futurum ſervantur incerta.* Idem habetur Eccleſiaſtici cap. 5. *De propitiato peccato noli eſse ſine metu, nec adjicias peccatum ſupra peccatum, & ne dicas: miſericordia Domini magna eſt, & peccatorum meorum miſerebitur.* Quibus Scripturæ ſacræ locis confoditur error noſtri temporis hæreticorum, qui, ubi primùm juſtitiam Chriſti fide apprehendiſſe ſibi viſi ſunt, nullo deinceps metu concutiuntur, dormiunt in utramvis aurem, & remiſſa ſibi eſſe peccata certò certiùs confidunt. Idem confirmat locus ille Job cap. 9. *Etiamſi ſimplex fuero, ignoravit hoc ipſum anima mea. Verebar omnia peccata mea, ſciens, quod non parceres delinquenti.* Profectò Job vir erat ſanctiſſimus, nec, ut ipſe ait, eum cor ejus reprehendebat in omni vita, & tamen metuere ſe ſignificat, at ſi fides ipſum de ſua juſtitia certum feciſſet, ea de re nullatenus

nus dubitaſſet. David etiam, cui Deus peccatum dimiſerat, ſe nihilominùs coram Deo occultorum peccatorum reum declarat his verbis: *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce ſervo tuo*. Denique, ut cætera mittam Scripturæ teſtimonia, Apoſtolus Paulus 1. ad Corinth. cap.4. ſic loquitur: *Mihi autem pro minimo eſt, ut à vobis judicer, aut ab humano die: ſed neque me ipſum judico, nihil enim mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum*. Et alibi dicit: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne cùm aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar*. Quæ Apoſtoli verba apertè excludunt fiduciam illam, quâ quis credit, & certiſſimè confidit ſe habere remiſſionem peccatorum, & vitam æternam. Huic Catholico dogmati de incertitudine juſtitiæ, ideſt, quod nemo, quantâvis ſanctitate præditus, certò noverit, aut credere debeat ſe eſſe juſtum, Sancti Patres ſuffragantur, *Sanctus Auguſtinus* in pſalm.41. explicans hæc verba: *Ad me ipſum anima mea turbata eſt*, inquit, *novi, quia juſtitia Dei manet, utrùm mea maneat? Neſcio, terret enim me Apoſtolus dicens: Qui ſtat, videat ne cadat*. S. Gregorius Magnus lib.6. epiſt.22. ad illuſtrem quamdam fœminam Imperatricis cubiculariam data, ſic ſcribit: *Quod verò dulcedo tua in tuis epiſtolis ſubjunxit, importunam te exiſtere, quoad uſque ſcribam tibi mihi revelatum eſſe, quia peccata tua dimiſſa ſunt. Rem difficilem, etiam inutilem poſtulaſti; difficilem quidem, quia ego indignus ſum, cui revelatio fieri debeat; inutilem verò, quia ſecura de peccatis tuis eſſe non debes, niſi cùm jam in die vitæ tuæ ultimo plangere eadem peccata minimè valebis. Quæ dies quoad uſque veniat, ſuſpecta, ſemper trepida metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lavare*. S. Bernardus rem adhuc luculentiùs exprimit ſerm. 1. de Septuageſima, ubi ait: *Quis poteſt dicere: Ego de electis ſum? Ego de prædeſtinatis ad vitam æternam? Ego de numero filiorum? Quis hæc, inquam, dicere poteſt reclamante Scriptura, neſcit homo an dignus ſit amore, an odio? Certitudinem itaque non habemus, ſed ſpei fiducia conſolatur nos, ne dubitationis hujus anxietate cruciemur*. Uno verbo, omnes Sancti Patres tàm Græci, quàm Latini, in eamdem ſententiam deſcendunt, quippè qui in ſuis operibus fideles frequenter adhortantur, ut in timore, & tremore ſalutem ſuam operentur. In quo ſancto timore totius pietatis, & humilitatis Chriſtianæ ſiſtit fundamentum, ſinceræ pœnitentiæ fructus, & bonorum operum, ac virtutum exercitium. Hinc viri juſti, quamdiù vivunt, licèt nihil ſibi malè conſcii ſint, ſemper tamen timent, & obrepentes quotidianas culpas quotidianis lamentis plangunt. Jugiter quidem illi invigilant, & virtutum officiis indefeſsè funguntur, orant, jejunant, conſcientiā pro virili ab humanis affectibus purgant, & quamvis indè in ſpem, & fiduciam ſalutis erigantur, plenam tamen, & omnimodam, quam promittunt, & non

dant hæretici, ſecuritatem non habent, quia probè ſciunt plerùmque vitia blandâ ad nos facie ſub ſpecie virtutum venire, Deumque conſultò voluiſſe nos latere, an verus in nobis ipſius inhabitet amor, an divinam charitatem peregrinus, & occultus mundi amor mentiatur, unde ſancto timore concuſſi orant cum Propheta: *Ab occultis meis munda me Domine, &c.* Quapropter cùm hæretici ſanctum illum timorem, quo carnes noſtræ configi debent, penitùs excutiant, hominemque juſtificari dicant per fiduciam, quâ certiſſimè confidit ſibi remiſſa eſſe peccata, eâdem operâ pietatem, & humilitatem Chriſtianam extinguunt, pœnitentiæ, cæterarumque virtutum exercitium è medio tollunt, ſecuritas namque, ut nemo neſcit, nata eſt generare ſuperbiam. Hinc jure merito *Hugo Grotius* ad calcem libri, cui titulus eſt: *Votum pro pace*, ingenuè profitetur ſe abhorrere à communi illo Proteſtantium dogmate, ſic enim loquitur: *Hoſtis non ſum niſi eorum dogmatum, quæ credo noxia aut pietati, aut ſocietati humanæ. Peccata illa, qualia Davidis, ideſt homicidia, & adulteria non imputari, verba ſunt Marlorati, dicitis quidem in juſtificatis omnibus pœnitentiam ſemper ſequi, quod ego verum non arbitror. Et deindè quæ eſt illa pœnitentia, vivere ut lubet, & deindè ſtante morte dicere Miniſtro: Nollem hoc factum, & credo juſtitiam Chriſti mihi imputari, idque verum eſſe, quia id credo; cum hoc viatico ſtatim ille in Cœlum evolat, deque eo dubitare Stygiæ eſt incredulitatis.* Hactenus *Grotius* vir ſanè eruditus, & propè noſter.

Probatur ſecundò: Nemo poteſt per ſpecialem fidem credere, ſeu certò confidere ſibi eſſe remiſſa peccata, niſi ipſi conſtet hoc eſſe revelatum à Deo, atqui nec in Scripturis ſacris, nec in traditionibus Apoſtolicis, nec in Conciliis invenitur revelatum mihi, aut tibi, aut cuipiam nunc viventium, quod ſint remiſſa peccata noſtra, ſimusque Deo grati, & accepti tanquàm filii ejus, nullus igitur per fidem ſpecialem credere, ſeu certò confidere poteſt ſibi eſſe remiſſa peccata. Minor certa eſt, major verò negari non poteſt. Fides namque Chriſtiana ſemper ſupponit revelationem Dei, quæ, ut docent omnes Theologi, eſt ratio formalis ſub qua credimus. Cùm igitur nulli fidelium nunc in terris viventium revelatum ſit à Deo ſibi condonata eſſe peccata, falsò ſibi blandiretur ille, qui fide ſpeciali certò crederet, & confideret per Chriſtum ſibi eſſe remiſſa peccata. Non eo tamen inficias hominem per conjecturas, & nonnullam experientiam dignoſcere poſſe ſe eſſe juſtificatum, at quia hæc notitia ex proprio ſenſu, vel ex teſtimonio conſcientiæ oritur, & non ex divina revelatione, infallibilis non eſt, quia cor hominis inſtabile eſt, & inſcrutabile, ut inquit *Jeremias* cap. 17. *Et ſæpè*, teſte *S. Gregorio Magno* in paſtorali 1. p. cap. 9. *ſibi mens ipſa mentitur, & fingit ſe de bono opere amare quod non amat, de mundi autem opere non amare quod amat.*

Pro-

Probatur ultimò: Fides, quæ prærequiritur ad juſtificationem, eſt aſſenſus præſtitus dogmatibus fidei, ergo non eſt fides ſpecialis, ſeu fiducia de ſingulari Dei miſericordia, quâ quis credit, & certiſſimè confidit ſibi eſſe remiſſa peccata, ſicut effutiunt noſtri temporis Hæretici. Prob. ant. ex benè multis Scripturæ ſacræ locis. Primò, *Matth.* cap. 16. poſtquàm Petrus fidei ſuæ confeſſionem edidiſſet his verbis: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, Chriſtus ità eum commendavit, *Beatus es Simon Barjona, quia caro, & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in Cœlis eſt*. Petrus à Chriſto *Beatus* appellatur, non quod crediderit, & certò confiderit ſibi eſſe remiſſa peccata, ſed quod crediderit, & palàm confeſſus fuerit divinitatem Chriſti. Secundò *Lucæ* cap. 7. Chriſtus de Centurione dicit: *Non inveni tantam fidem in Iſrael*, porrò non aliud ſe credere proteſtatus eſt pius Centurio, niſi Chriſti Divinitatem, & Omnipotentiam: *Dic tantùm*, inquit, *verbum, & ſanabitur puer meus*. Tertiò, Chriſtus *Joannis* cap. 1. laudat fidem Nathanaelis, dicentis: *Rabbi tu es Filius Dei, tu es Rex Iſrael*, quibus verbis Nathanael non fiduciam de remiſſione peccatorum, ſed aſſenſum, quem Divinitati Chriſti præſtabat, profitebatur. Quartò, Chriſtus *Joannis* cap. 20. Thomæ Apoſtolo exclamanti: *Dominus meus, & Deus meus*, reſpondit: *Quia vidiſti me, Thoma, credidiſti, beati qui non viderunt, & crediderunt*. Beatos prædicat Chriſtus illos, qui credunt, quod Thomas credidit, quid autem tunc credidit Thomas, niſi Chriſtum Deum eſſe, & à mortuis reſurrexiſſe. Quintò, *Joannes* hanc Euangelio ſuo clauſulam apponit: *Hæc ſcripta ſunt ut credatis, quia Jeſus eſt Filius Dei, & credentes vitam habeatis in nomine ejus*, quibus verbis disertè ſignificat, fidem, quæ reſpicit Divinitatem Chriſti, ipſam eſſe, quæ ad juſtitiam, & vitam æternam habendam neceſſariò prærequiritur, non verò fides illa ſpecialis, quam *fidem promiſſionum* vocitant Hæretici, & quâ volunt hominem credere, & certò confidere ſibi eſſe remiſſa peccata. Denique, Apoſtolus Paulus fidem, per quam aſſentimur dogmatibus revelatis, ubique prædicat velut teſſeram ſalutis, ad Rom. cap. 10. *Hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus*, inquit, *quia ſi confiteaiis in ore tuo Dominum Jeſum, & in corde tuo crediderìs, quod Deus illum ſuſcitavit à mortuis, ſalvus eris*. Et 1. ad Corinth. cap. 15. *Notum autem vobis facio, fratres Euangelium, quod prædicavi vobis, quod & accepiſtis, & in quo ſtatis, per quod & ſalvamini: qua ratione prædicaverim vobis, ſi tenetis, niſi fruſtrà crediddiſtis. Tradidi enim vobis in primis, quod & accepi: quoniam Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris, ſecundùm Scripturas: & quia ſepultus eſt, & quia reſurrexit tertia die, ſecundùm Scripturas*. Quibus in locis Apoſtolus fidei juſtificantis objectum datâ operâ exponit, nec tamen ait: *Tradidi vobis, ut unusquisque certò credat ſe per Chriſtum*

eſſ

eſſe juſtificatum, quod tamen dicere debuiſſet Apoſtolus ſi reverà exiſtimaſſet in hoc poſitam eſſe fidem juſtificantem, ſed ait: *Tradidi vobis, quoniam Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris, & quia ſepultus eſt, & quia tertia die à mortuis reſurrexit*, quod eſt objectum fidei dogmaticæ, quâ aſſentimur his omnibus, quæ à Deo ſunt revelata, non verò objectum fidei ſpecialis, ſeu fiduciæ de ſingulari Dei miſericordia, quâ, ſicut garriunt Hæretici, aliquis credit, & certò confidit ſibi per Chriſtum peccata eſſe remiſſa.

His omnibus meritò addi debent definitiones, & canones, quibus in Concilio Tridentino proſcriptus eſt hic Hæreticorum error. Seſſione ſexta cap.9. hæc habet Synodus Tridentina: *Quamvis autem neceſſarium ſit credere neque remitti, neque remiſſa unquam fuiſſe peccata, niſi gratis divina miſericordia propter Chriſtum: nemini tamen fiduciam, & certitudinem remiſſionis peccatorum ſuorum jactanti, & in ea ſola quieſcenti peccata dimitti, vel dimiſſa eſſe, dicendum eſt; cùm apud Hæreticos, & Schiſmaticos poſſit eſſe, immò noſtra tempeſtate ſit, & magna contrà Eccleſiam Catholicam contentione prædicetur vana hæc ab omni pietate remota fiducia. Sed neque illud aſſerendum eſt oportere eos, qui verè juſtificati ſunt, abſque ulla omninò dubitatione apud ſemetipſos ſtatuere ſe eſſe juſtificatos, neminemque à peccatis abſolvi, ac juſtificari, niſi eum, qui certò credat ſe abſolutum, & juſtificatum eſſe, atque hac ſola fide abſolutionem, & juſtificationem perfici; quaſi qui hoc non credit, de Dei promiſſis, deque mortis, & reſurrectionis Chriſti efficacia dubitet.* Et canone 12. ſacra Synodus anathemate percellit eum, qui dixerit fidem juſtificantem nihil aliud eſſe, quam fiduciam divinæ miſericordiæ peccata remittentis propter Chriſtum, vel eam fiduciam ſolam eſſe, quâ juſtificamur. Idem ſtatuit prædicta Synodus canone 13. canone 14. canone 15.

Hîc Lector obitèr advertere debet, quod licèt *Ambroſius Catharinus*, vir ingenio ſuo plùs æquò indulgens, & à caſtris *S. Thomæ* transfuga, docuerit hominem juſtum de ſua juſtitia eſſe certiſſimum, ità ut nullatenùs de ea dubitare poſſit; ſemper tamen improbavit errorem Hæreticorum,qui contendunt ſpecialis miſericordiæ fidem, quâ quis credit, & certò confidit ſibi eſſe remiſſa peccata, eſſe fidem juſtificantem. Hoc de argumento *Catharinus* duos edidit tractatus, ſtante adhùc Synodo Tridentinâ, quibus noſtri *Dominici Soto* eâ de controverſia lucubrationem paulò acerbiori ſtylo confutavit, ei autem reſpondit *Dominicus Soto* apologiâ doctiſſimâ, cùm adhùc Tridenti agerent Patres. Non eſt dubium quin potior eſſet cauſa *Dominici Soto*, ejusque ſententia Scripturæ ſacræ, traditioni, & ipſius Concilii Tridentini decretis magis conſentanea, attamen ſuam impunè *Catharinus* propugnavit ſententiam, eique nulla à Patribus Synodi

nodi erroris nota inuſta eſt. Nunc autem hæc *Catharini* opinio malè audit apud omnes Theologos, qui, quamvis ultrò fateantur juſtum poſſe de ſua juſtitia habere certitudinem probabilibus innixam conjecturis, & petitam ex internis, quos perſentit, motibus, videlicet ex ſtudio honoris Dei, ex lubenti cogitatione, & auditu rerum divinarum, & ad vitam ſecundùm Deum inſtituendam ſpectantium, ex ſerenitate, & tranquillitate animi cum interna conſolatione, ex clamore denique, ſive ex oratione devota ad Deum, affectuque tenero, & ex aliis id genus internis motibus; negant tamen juſtum poſſe habere de ſua juſtitia certitudinem abſolutam, ſeu quæ excludat omnem dubitationem, quia fit quandoque, ut his propè ſimiles motus, & affectus etiam illi ſentiant, qui juſti non ſunt, ut nempè & Deum Patrem vocent, & quâdam cordis teneritudine ſermones de Deo, rebusque divinis non illibenter auſcultent, & ſuavitatem quamdam experiantur, quæ etiam lachrymas elicit, & maleſanam aliquandò parit tranquillitatem. Quò fit ut illi motus æquivoca ſigna ſint, & interdùm fallacia, quibus proindè etſi ſuffragantibus credere nec debemus, nec tenemur, niſi expreſſum habeamus teſtimonium par illi, quod per Prophetam reddidit Deus Davidi dicentem: *Tranſtulit Dominus peccatum tuum*; vel per Chriſtum Magdalenæ dicentem: *Remiſſa ſunt ei peccata multa*; & Paralytico: *Remittuntur tibi peccata tua*. Meritò igitur exploditur ab omnibus Theologis nova, & peculiaris illa ſententia *Catharini*, qui, ut oſtenderet quanto ingenii præpolleret acumine, à regia Thomiſtarum via deſcivit, & in ſtatuendis paradoxis nimium liberalis fuit, undè non mirum ſi ab ipſa ſchola Thomiſtica, de qua malè meritus eſt, ob nimiam novandi pruriginem, fuerit ſummo conſenſu rejectus, de quo etiam Prædicatorum Ordinis Theologi, ob quinquaginta ejus aſſertiones à communi Scholarum doctrina peregrinas, coram Paulo Tertio Summo Pontifice expoſtularunt.

DILUUNTUR HÆRETICORUM OBJECTIONES

De juſtificatione per ſolam fidem, & de juſtitiæ inamiſſibilitate.

ARguitur primò: Nihil aliud ab homine peccatore Chriſtus in Euangelio exigere videtur ut ſalvus fiat, præter ſolam fidem, ergo homo per ſolam fidem in Chriſtum mediatorem juſtificatur. Prob. ant. ex multis Scripturæ ſacræ locis. *Matth.* cap. 9. Chriſtus dixit mulieri ſanguinis fluxum patienti: *Fides tua te ſalvam fecit*. Idem dixit Magdalenæ, *Lucæ* cap. 7. deindè *Matth.* cap. 15. mulierem Cha-

Chananæam his verbis Chriſtus compellat: *O mulier magna eſt fides tua, fiat tibi, ſicut vis*. Tertiò, cuidam petenti filium ſuum à dæmone liberari, reſpondit Chriſtus *Marci* cap. 9. *Si credis, omnia poſſibilia ſunt credenti*. Quartò, Chriſtus *Lucæ cap.* 8. ait patri, cujus filia defuncta erat: *Noli timere, crede tantùm, & ſalva erit*. Denique, *Joannis* cap. 3. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam*. Ergo Chriſtus nihil aliud ab homine peccatore exigit, ut ſalvus fiat, præter ſolam fidem.

Reſpondeo primò: In his, & aliis ſimilibus Scripturæ ſacræ locis, quæ magno, ſed inani ſtudio congerunt Hæretici, fidei quidem tribui juſtificationem, conſequens tamen non eſſe ſolam fidem ad juſtificationem ſufficere: alioquin, cùm ſola ſpes ab Apoſtolo ad Roman. cap.8. nominetur: *Spe ſalvi facti ſumus*, ſequeretur ſolam ſpem, abſque conſortio aliarum virtutum, juſtificare, quod, nemine reclamante, eſt planè abſurdum. Cur autem Scriptura fidei tribuat juſtificationem, triplex poteſt afferri ratio. Primò, quia fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis juſtificationis, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, & ad filiorum ejus conſortium pervenire, ut inquit Synodus Tridentina. Secundò, quià fides juſtificationem impetrat, hac quippè ratione dictum eſt Magdalenæ, *Lucæ* cap.7. *Fides tua te ſalvam fecit*; fides ſiquidem, ut hic ſumitur, eſt opus Deo gratum, cujus intuitu cætera donantur quæcumque ad juſtitiam, & ſalutem hominis pertinent. Hinc *Sanctus Auguſtinus* lib. de gratia, & libero arbitrio cap.16. ait: *Fides orando, impetrat, quod lex imperat*. Et lib. de prædeſt. Sanct. cap.7. inquit: *Ex fide ideò dicit*, Apoſtolus, *juſtificari hominem, non ex operibus, quia ipſa prima datur, ex qua impetrantur cætera, quæ propriè opera nuncupantur, in quibus juſtè vivitur*. Et in lib. de ſpiritu, & littera cap. 30. *Per legem cognitio peccati, per fidem impetratio gratiæ contra peccatum, per gratiam ſanatio animæ à vitio peccati*. Denique, fidei tribuitur juſtificatio, quia homo fidei beneficio, magis quàm aliorum actuum, humiliter profitetur, ſe non propria virtute, ſed Chriſti meritò gratis juſtificari. In his ergo Scripturæ ſacræ locis, quæ adducunt Hæretici, licèt declaretur fidem eſſe neceſſariam ad juſtificationem, non excluduntur tamen aliæ virtutes, & bona opera, maximè cum fides, de qua ibi fit ſermo, ſit fides; quæ per dilectionem operatur.

Reſpondeo ſecundò: His in locis Scripturæ ſacræ, in quibus Chriſtus ait: *Crede tantùm, & ſalva erit*. *Si credis, omnia poſſibilia ſunt credenti*, ſermonem non eſſe de juſtificatione impii, ſed de fide ad impetranda miracula neceſſariâ. Fidem autem ſolam interdùm ſufficere ad impetranda miracula convenit inter omnes Theologos,

logos, quia miracula ad fidem confirmandam, non ad ejus, qui illa obtinet, ſanctitatem comprobandam eduntur.

Arguitur ſecundò: Apoſtolus Paulus ſæpiùs in ſuis epiſtolis inculcat hominem gratis, & per fidem juſtificari, non ex operibus; ergo juſtificatio fit per ſolam fidem. Prob. ant. ad Rom. cap. 3. *Arbitramur*, inquit Apoſtòlus, *hominem per fidem juſtificari ſine operibus legis*. Et cap. 4. *Ei autem, qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum. Ei verò, qui non operatur, credenti autem in eum, qui juſtificat impium, reputatur fides ejus ad juſtitiam*. Ad Galatas cap. 2. *Scientes autem, quod non juſtificatur homo ex operibus legis; niſi per fidem Jeſu Chriſti*. Et ad Epheſios cap. 2. *Gratia eſtis ſalvati per fidem, non ex operibus*. Hinc *S. Auguſtinus* diſputans contrà Pelagianos docet, juxtà Apoſtoli doctrinam, opera legis nihil ad juſtificationem juvare, ſed potiùs per legem homines reos, & prævaricatores fieri, ergo ex Apoſtolo juſtificatio fit per ſolam fidem.

Reſpondeo: Hominem dici ab Apoſtolo gratis, & abſque operibus legis juſtificari, duplici de cauſa. Primò, quia nihil eorum, quæ juſtificationem præcedunt, ſive fides, ſive opera, ipſam juſtificationis gratiam promerentur, ut explicat Synodus Tridentina ſeſs. 6. cap. 8. ſi enim gratia eſt, jam non ex operibus: alioquin, ſicut ait Apoſtolus, *gratia non eſt gratia*. Hinc tamen colligi minimè poteſt hominem ſolâ fide juſtificari, nàm ſicut juſtificatio, licèt ex fide fiat, nihilominùs gratuita eſt, ità etiam quamvis juſtificatio exigat pœnitentiam, & amorem Dei ſuper omnia dilecti, ſeu pœnitentiæ, & charitatis opera tanquàm diſpoſitiones neceſſarias, nihilò ſecius gratuita eſt, quià hæc omnia pœnitentiæ, & charitatis opera ſunt divinæ gratiæ partus; non ſecus ac fides. *Quandò Apoſtolus ait*: arbitramur juſtificari hominem per fidem ſine operibus legis: *hoc dixit, non quià negavit, aut evacuavit opera bona, cum dicat* Deum unicuique reddere ſecundùm opera ejus, *ſed quia opera ſunt ex fide, non ex operibus fides, ac per hoc ab illo ſunt nobis opera juſtitiæ, à quo eſt ipſa fides, de qua dictum eſt*: juſtus ex fide vivit. *Homines autem non intelligentes, quod ait Apoſtolus*, arbitramur hominem juſtificari ex fide ſine operibus legis, *putaverunt eum dicere ſufficere homini fidem, etiamſi malè vivat, & bona opera non habeat*. Ait *S. Auguſtinus* lib. de gratia, & lib. arb. cap. 7. Secundò, dum Apoſtolus à juſtificatione excludit opera legis, diſputat contrà Judæos, qui habitâ lege eò ſuperbiæ delapſi ſunt, ut putarint ſolam legem ad hominem juſtificandum ſufficere, neque neceſſariam eſſe Dei gratiam: ad illorum itaque frangendam ſuperbiam Apoſtolus ſæpiùs in ſuis epiſtolis inculcat hominem gratis, & abſque operibus legis juſti-

Digitized by Google

juſtificari: *Ad hoc ducit*, inquit *Sanctus Auguſtinus* ſerm. 13. de verbis Apoſtoli, *& commendat iſta Apoſtolus propter Judæos, qui de lege gloriabantur, & libero arbitrio ſuo legem ſufficere arbitrabantur, ignorantes Dei juſtitiam, ideſt, ex fide juſtitiam datam à Domino, & ſuam volentes ſtatuere, quaſi ſuis viribus impletam, non dante fide impetratam, juſtitiæ Dei, ſicut dicit, non ſunt ſubiecti.* Hac reſponſione facilè oſtenditur contrà Hæreticos doctrinam Apoſtoli Pauli de juſtificatione non eſſe oppoſitam doctrinæ Sancti Jacobi, nàm quandò Sanctus Jacobus in ſua epiſtola Catholica ait Abrahamum ex operibus fuiſſe juſtificatum, loquitur de operibus factis ex fide, ſeu ex gratia, & ex divina miſericordia; quandò verò Paulus dicit: *Si Abraham ex operibus juſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum*, vult ſolùm, quod ſi Abraham juſtificatus eſt ex operibus antecedentibus fidem, vel ex ſolius liberi arbitrii viribus profectis, habet gloriam, ſed non apud Deum, non negat tamen Apoſtolus Paulus opera, quæ fiunt ex gratia ad iuſtificationem eſſe neceſſaria, immò eorum neceſſitatem commendat in epiſt. ad Rom. cap.2. ubi hæc habet: *Qui*, ſeu Deus, *reddet unicuique ſecundùm opera ejus: iis quidem, qui ſecundùm patientiam boni operis, gloriam & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam: iis autem, qui ſunt ex contentione, & non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio.* Et verſu 13. ejusdem epiſtolæ ſubdit: *Non enim auditores legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores legis juſtificabuntur.*

Ad auctoritatem Sancti Auguſtini reſpondeo, quod, cùm Sanctus ille Doctor diſputaret contrà Pelagianos aſſerentes gratiam Dei in veteri teſtamento non eſſe niſi legem Moyſi traditam, gratiam verò novi teſtamenti non eſſe niſi Euangelium, & exemplum Chriſti, ut hunc errorem confligeret S. Auguſtinus, docet opera legis abſque fide nihil prorsùs juvare, nihilque ad juſtificationem prodeſſe, & neminem per legem, ſed ſolùm per gratiam Chriſti à peccato liberari, ac juſtificari poſſe. Præclarè in hanc rem ait *Sanctus Auguſtinus* epiſt. 194. aliàs 105. ad Sixtum: *Neque ab illo* (peccato) *quod originaliter trahitur, neque ex his quæ unusquisque in vita propria vel non intelligendo, vel nolendo intelligere, mala congregat, vel etiam inſtructus ex lege, additamento prævaricationis exaggerat, quisquam liberatur, & juſtificatur niſi gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, non ſolùm remiſſione peccatorum, ſed priùs inſpiratione fidei, & timoris Dei, impartito ſalubriter orationis affectu, & effectu.*

Arguitur tertiò: Benè multi SS. Patres aſſerunt ſolam fidem juſtificare, ità enim docent *Origenes* ad cap. 3. epiſt. ad Romanos, *Hilarius* can. 8. in Matth. *Ambroſius*, ſeu potiùs *Hilarius Sardus* in comment. ad cap. 3. & 4. epiſt. ad Roman. inter opera S. Ambroſii,

Augu-

Auguſtinus in lib. de perfectione juſtitiæ, & in Pſalm.88. *Baſilius* hom. de humilitate, *Chryſoſtomus* homil.3. in epiſt. ad Titum, *Theodoretus*, & *Theophilactus* in cap. 3. epiſt. ad Roman. *Bernardus* epiſt. 77. & ſerm. 22. in Cantica, ergo juxtà traditionem SS. Patrum ſola fides juſtificat.

Reſpondeo: Patres in objectione laudatos, dùm aſſerunt ſolam fidem juſtificare, excludere ſolùm velle à juſtificatione primò opera legis Moſaicæ, vel opera quæ præcedunt fidem, & fiunt ex ſolis viribus liberi arbitrii. Secundò, illos Patres excludere dumtaxàt à juſtificatione neceſſitatem operis externi, ſine quo homo aliquandò juſtificari poteſt, quandò videlicet deeſt opportunitas, nec ſuppetit tempus hujusmodi opera exercendi. Denique dico Sanctos Patres excludere tantùm velle à juſtificatione virtutem Sacramentorum veteris legis, quæ vim juſtificandi non habebant; vel exhibitionem externorum Sacramentorum novæ legis, videlicet Baptiſmi, quandò non adeſt poſſibilitas illum ſuſcipiendi. Cæterum Sanctos Patres præter fidem ad juſtificationem, admiſiſſe neceſſitatem bonorum operum, ſeu charitatis, pœnitentiæ, cæterarumque virtutum, ex eo maximè liquet, quod paſſim in ſuis ſcriptis doceant eos, qui poſt Baptiſmum in aliquod grave peccatum lapſi ſunt, ad remiſſionem peccatorum, ſeu ad juſtificationem per claves Eccleſiæ obtinendam, præparari debere diuturnâ,& laborioſâ pœnitentia, peccatorum deteſtatione, omniumque virtutum, & bonorum operum exercitio. Profectò Sancti Patres, *Cyprianus* tract.de lapſis, *Ambroſius* in lib.de lapſu virginis conſecratæ, *Gregorius Nazianzenus* orat.in Sanct.lumina, *Gregorius Niſſenus* in epiſt. canonica, *Pacianus* in epiſt. 3. ad Sempronianum, & Patres Conciliorum Arelatenſis primi, Neocæſarienſis, Gangrenſis, Illiberitani, &c. eos, qui poſt Baptiſmum lapſi erant, tam luctuoſæ, & acerbæ pœnitentiæ ad reconciliationem, ſeu juſtificationem obtinendam nunquàm addixiſſent, ſi credidiſſent ſolam fidem juſtificare poſſe, nàm Hæretici ideò bonorum operum, pœnitentiæ, ac cæterarum virtutum ad juſtificationem neceſſitatem negant, quia falsò ſibi perſuadent ſolam fidem juſtificare.

Addo etiam cum noſtro *Medina* in primam ſecundæ S. Thomæ qu.113. art.5. hanc propoſitionem, *ſola fides juſtificat*, ſenſum poſſe pati Catholicum, eumque multiplicem. Primus eſt, quod fides ſola ex parte intellectus ſufficiat ad ſalutem, & juſtitiam. Secundus, quod fides formata, ſeu charitate animata, quæ ſemper prorumpit in bona opera, juſtificet, & ſufficiat ad ſalutem. Tertius ſenſus, ut fides ſumatur pro lege fidei, ideſt, ſola lex fidei juſtificat, lex enim fidei includit charitatem, & omnia quæ in lege fidei præcipiuntur. Quartus ſenſus eſt, quod ſola fides oſtendit undè vera juſtitia accipienda ſit.

Digitized by Google

Cùm itàque hæc locutio, *ſola fides juſtificat*, ſenſum Catholicum habere poſſit, nemini mirum videri debet, quod eam aliqui Sancti Patres interdùm uſurpaverint. Immò rectè ibidem obſervat noſter *Medina*, quod ſi quis impræſentiarum prædictâ locutione, *ſola fides juſtificat*, uteretur, non ſtatim ceù Hæreticus damnandus eſſet, modò conſtaret aliundè eum à ſententia de neceſſitate bonorum operum ad juſtificationem non recedere, quia Concilium Tridentinum abſolutè non damnat hanc propoſitionem, *fides ſola juſtificat*, ſed ait ſeſs.6. can.9. *Si quis dixerit, ſola fide impium juſtificari, ità ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad juſtificationis gratiam conſequendam cooperetur, & nulla ex parte neceſse eſſe eum ſuæ voluntatis motu præparari, atque diſponi; anathema ſit*. Verùm quamvis hæc locutio, *ſola fides juſtificat*, Catholicum ſenſum habere poſſit, quia tamen à verbis Hæreticorum, ſicut docet S. Thomas 3.p. qu.16. art.8. cavere maximè debemus, perperàm procul dubio ageret Theologus, qui prædictâ locutione ſive in Concionibus, ſive in diſputationibus uti vellet.

Arguitur ultimò: Qui ſemel juſtificatus eſt, peccare non poteſt, ergò qui juſtus eſt, nequit amittere juſtitiam, & charitatem, ac ſubindè omnia peccata etiam graviſſima, quæ juſtus perpetrare poteſt, ipſi propter fidem juſtificantem non ampliùs imputantur. Prob. ant. Primæ *Joannis* cap. 3. dicitur, quod *omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt*. Ex quibus verbis ſic conficitur argumentum: omnis qui ex Deo natus eſt, & in quo manet ſemen ipſius, peccatum non facit, immò peccare non poteſt, atqui ille, qui juſtificatus eſt, dicitur ex Deo natus, cum ſit filius Dei, & ſemen Dei in ipſo manet, gratia videlicèt, & charitas, ergo qui juſtus eſt, peccare non poteſt, nec proindè juſtitiam, & charitatem amittere.

Præteréà, *Sanctus Bernardus* in tractatu *de natura, & dignitate amoris*, ait Petrum, cùm peccavit, charitatem non amiſiſſe, ergo ex *Sancto Bernardo* charitas, ſeu perfecta juſtitia non amittitur per peccatum.

Reſpondeo ad utrumque momentum, & ad primùm dico: Ineptè ab Hæreticis adduci hæc *Sancti Joannis* verba ad ſtabiliendum impium, quod propugnant, de inamiſſibilitate juſtitiæ dogma, cùm certum ſit totum Apoſtoli eâ in epiſtola ſermonem huic nefando dogmati eſſe omninò oppoſitum. Enim verò *Sanctus Joannes* à primo ſtatim capite hunc errorem depellit his verbis: *Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt ullæ: Si dixerimus, quoniam ſocietatem habemus cum illo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & veritatem non facimus*. Item cap. 2. *In hoc ſcimus, quoniam cognovimus eum,*

ſi

ſi mandata ejus obſervemus. Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt, & in hoc veritas non eſt .... Si quis diligit mundum, non eſt charitas patris in eo. Item cap. 3. *Omnis, qui facit peccatum, & iniquitatem facit: & peccatum eſt iniquitas.* Cœcus ſit profectò oportet, qui non videt impium Hæreticorum de inamiſſibilitate juſtitiæ dogma fuiſſe à *Sancto Joanne* profligatum. Quandò ergo Sacer ille Euangeliſta dicit, quod *omnis, qui natus eſt ex Deo peccatum non facit, & non poteſt peccare*, idem planè eſt, ac ſi diceret eum, qui natus eſt ex Deo, ſeu qui ſanctificatus eſt, peccatum non facere, quamdiù filius Dei eſt, & gratiam ſanctificantem habet, quia gratia ſanctificans cum peccato lethali inſimul ſtare, & cohærere non poteſt, quamvis tamen ille, qui juſtificatus eſt, ſi ſemel gratiæ ſanctificantis jacturam faciat, reverà peccet, non ſecus, ac arbor bona, quamdiù bona eſt, malos fructus non producit, & mulier pudica, quamdiù pudica eſt, adulterium non committit, ſecus tamen ſi arbor vitietur, & ſi mulier pudica eſſe deſinat. Sic qui natus eſt ex Deo, quamdiù ſemen Dei, ſeu gratiam, & charitatem in ſe conſervat, generatio Dei conſervat eum, & malignus non tangit eum, at ſi volens ſemen illud abjecerit, ex quo ſemine natus eſt, charitatem amittet, & evadet filius diaboli. Ita hunc locum *Sancti Joannis* interpretantur Sancti Patres Hieronymus, Auguſtinus, & Thomas. *Credendum eſt.* Inquit *Sanctus Auguſtinus* lib. de corrept. & gratia cap.13. *quoſdam de filiis perditionis non accepto dono perſeverandi uſque in finem, in fide, quæ per dilectionem operatur, incipere vivere, & poſteà cadere, neque de hac vita, priusquam hoc eis contingat, auferri. Quorum ſi nemini contigiſſet, tamdiù haberent homines iſtum ſaluberrimum timorem, quo vitium elationis opprimitur, donec ad Chriſti gratiam, qua piè vivitur, pervenirent, deinceps jam ſecuri nunquã ſe ab illo eſſe caſuros. Quæ præſumptio in iſto teutationum loco non expedit, ubi tanta eſt infirmitas, ut ſuperbiam poſſit generare ſecuritas.* Idem docet *Sanctus Auguſtinus* lib. de dono perſeverantiæ cap.8.

Ad auctoritatem *S.Bernardi*, reſpondeo primò: Hunc tractatum *de natura, & dignitate amoris*, non eſſe germanum *S.Bernardi* fœtum, ſed *Guillelmi*, ſeu *Vvillelmi* Abbatis Monaſterii S. Theodorici propè Remos, ſicut probat doctiſſimus *Mabillonius* tom.2. recentis, quam adornavit, editionis operum S. Bernardi.

Reſpondeo ſecundò: Hunc locum, quaſi ex Sancto Bernardo deſumptum, ſibi objeciſſe *Sanctum Thomam* 2. 2. q. 24. art. 12. ad 2. Ad quem exponendum reſpondet, charitatem bifariam amitti poſſe, uno modo directè per actualem contemptum, & hoc modo dicit Angelicus Doctor Petrum non amiſiſſe charitatem: alio modo indi-

rectè,

recté, quandò videlicèt committitur aliquid contrarium charitati propter aliquam paſſionem concupiſcentiæ, vel timoris; & hoc modo Petrum amiſiſſe charitatem, ſed citò recuperaſſe. Hæc reſponſio Sancti Thomæ conſona eſt menti Auctoris tractatus illius, qui eâ ratione innuit Petrum peccando non amiſiſſe charitatem, *quia*, inquit, *peccavit potiùs in veritatem, quam in charitatem*.

Reſpondeo denique hunc Auctorem hîc non agere de charitate ſupernaturali, & Theologica, quæ per quodlibet peccatum mortale amittitur, ſed de quadam charitate acquiſita, & benevolentia humana, qua Petrus erga Chriſtum ducebatur, quam certum eſt non fuiſſe penitùs extinctam per peccatum, ſed tantùm aliquo pacto ſopitam. Ita cenſet *Duvallius* in 2.2. q.2. de charitate art.7.

Diluuntur Hæreticorum objectiones

De fide ſpecialis miſericordiæ, ſeu de fiducia, qua quis credit, & certò confidit ſibi per Chriſtum eſſe remiſſa peccata.

Arguitur primò: Apoſtolus ad Rom. cap. 4. ait: *Ideò ex fide, ut ſecundùm gratiam firma ſit promiſſio.* Quibus verbis Apoſtolus apertè deſignare voluit fiduciam, qua complectimur promiſſiones divinas, eaſque nobis applicamus, credentes, ac certiſſimè confidentes nobis per Chriſtum peccata eſſe remiſſa, ergo ex Apoſtolo fides juſtificans non eſt aſſenſus dogmatibus revelatis, ſed potiùs ſpecialis miſericordiæ divinæ fiducia qua quis credit, & certò confidit ſibi per Chriſtum condonata eſſe peccata.

Reſpondeo: Apoſtolum eo loci non loqui de promiſſione remiſſionis peccatorum, ſicut falsò ſibi perſuadent Hæretici, ſed de promiſſione Abrahamo factâ, quod gentium multarum futurus eſſet Pater, ſeu agit Apoſtolus de promiſſione vocationis gentium ad juſtitiam,& ſalutem; quæ quidem promiſſio firma,& rata eſſe non poterat, ſi juſtificatio ex lege Moyſis fuiſſet facta, tunc enim Judæi ſoli juſtitiam, & ſalutem eſſent conſecuti. Quamobrem, ut promiſſio de vocatione gentium facta Abrahamo firma,& gratuita eſſet, probat Apoſtolus Deum non juſtificare homines ex lege, neque ex operibus ex naturæ penu depromptis, ſed ex fide Jeſu Chriſti, quæ ſola gratuitæ, veræque juſtitiæ initium eſt non Judæis modo, ſed etiam gentibus. Certè de promiſſione vocationis gentium, non verò de fiducia ſpecialis miſericordiæ hîc agere Apoſtolum liquet ex ipſius verbis: *Non enim per legem*, inquit, *promiſſio Abrahæ, aut ſemini ejus ut hæres eſſet mundi: ſed per juſtitiam fidei. Si enim, qui ex lege, hæredes ſunt: exinanita eſt fides, abolita eſt promiſſio . . . . . ideo ex fide, ut ſecundùm gratiam firma ſit*

Digitized by Google

ſit promiſſio omni ſemini, non ei, qui ex lege eſt ſolum, ſed & ei, qui ex fide eſt Abrahæ, qui Pater eſt omnium noſtrum, ſicut ſcriptum eſt: quia Patrem multarum gentium poſui te, &c. Quibus verbis apertè indicat Apoſtolus ſe non loqui de promiſſione remiſſionis peccatorum, ſed de promiſſione vocationis gentium factâ Abrahamo, quod videlicet futurus eſſet Pater multarum gentium.

Arguitur ſecundò: Fideles certò noſcunt ſe eſſe juſtos, & Dei filios, ſe Spiritum Dei habere, ſe in gratia Dei converſari, Chriſtum Jeſum in ſe ipſis eſſe, ſe à charitate Dei ſeparari non poſſe; atqui certitudo illa oritur ex fide ſpecialis miſericordiæ; quâ quis credit, & confidit ſibi propter Chriſtum remiſſa eſſe peccata, ergo fides ſpecialis miſericordiæ Dei, quâ quis confidit ſibi propter Chriſtum indulta eſſe peccata, eſt fides juſtificans. Prob. maj. ex pluribus teſtimoniis Apoſtoli Pauli; & primò ad Rom. ubi ait: *Ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filii Dei.* Et infrà: *Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli......... neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro.* Deindè 1. ad Corinth. cap. 2. *Nos autem non ſpiritum hujus mundi accepimus, ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt, ut ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis.* Tertiò, 2. ad Cor. cap.1. *Gloria noſtra*, inquit Apoſtolus, *hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ: Quod in ſimplicitate cordis, & ſinceritate Dei, & non in ſapientia carnali, ſed in gratia Dei converſati ſumus in hoc mundo.* Quartò, ejuſdem epiſtolæ cap.13. *Voſmetipſos tentate ſi eſtis in fide: ipſi vos probate. An non cognoſcitis voſmetipſos, quia Chriſtus Jeſus in vobis eſt? Niſi fortè reprobi eſtis.* Denique 2. ad Corinth. cap. 4. *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus Judex.* Quibus verbis declarat Apoſtolus ſe de juſtitia, & æterna ſalute ſua eſſe certum, ac ſecurum. Hæc autem certitudo non aliundè in Apoſtolo oriebatur, quàm ex fide ſpecialis miſericordiæ Dei, ſeu ex fiducia, qua credebat, certòque confidebat ſibi propter Chriſtum peccata eſſe remiſſa, ergo fides illa ſpecialis miſericordiæ Dei eſt fides juſtificans, non verò fides, qua aſſentimur dogmatibus revelatis.

Reſpondeo ex omnibus Apoſtoli teſtimoniis tantummodò evinci, hominem habere poſſe de ſua juſtifiatione certitudinem moralem, ſeu conjecturalem, quæ ſignis illuſtribus innitatur; non verò certam animi perſuaſionem, quæ fallere non poſſit, ſeu quæ ſecuritatem de remiſſione peccatorum, & de æterna ſalute omnimodam includat, ſicut pertendunt Hæretici. Tantùm enim abeſt, ut Apoſtolus hanc certam animi perſuaſionem, quæ fallere non poteſt, de juſtifi-

juſtificatione admiſerit, ut potiùs ad Philippenſes cap.2. fideles adhortetur, ut cum timore, & tremore ſalutem ſuam operentur. Sed ut evidentius conſtet adducta Apoſtoli teſtimonia Hæreticis non favere, ea hìc breviter exponam. Primò, quandò dicit Apoſtolus ad Roman. cap.8. *Certus ſum quia neque mors, neque vita &c. neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei*, ſignificare dumtaxàt voluit vim charitatis, qua Deus ſuos electos complectitur ad eorum vocationem, juſtificationem, & glorificationem, de quibus eodem in capite ante loquutus fuerat, conſummandam, cujus charitatis tanta vis eſt, & immutabilitas tanta, ut nulla prorsùs creatura poſſit nos ab ejus ſinu divellere, faciendo ut Deus nos amare deſinat, aut illius erga nos amoris fruſtretur eventus. Secundò, quandò Apoſtolus ait 1. ad Corinth. cap.2. *Nos autem non ſpiritum hujus mundi accepimus, ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt*, idem eſt, ac ſi diceret, nos, ſcilicèt Apoſtoli, ſapientiâ hujus ſæculi non ſumus inſtituti, ſed ſpiritum Dei accepimus, quo revelante myſteria cognovimus divina, redemptionem, juſtitiam, & gloriam Electorum ſpectantia, quæ omnia gratis donavit, & ab æterno præparavit Deus diligentibus ſe, *quæ & loquimur*, inquit Apoſtolus, *non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina ſpiritus*. Legatur integrum caput ſecundum illius epiſtolæ, & luce meridiana clariùs patebit hanc eſſe germanam Apoſtoli mentem, quàm ineptè, & imperitè Heterodoxi detorquere moliuntur ad infallibilem certitudinem, quam de ſua juſtitia ſinguli juſti habere tenentur. Tertiò, quandò Apoſtolus ait 2. ad Corinth. cap. 1. *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ &c.* Vult ſolùm oſtendere, qua ſinceritate munus Apoſtolicum huc uſque geſſerit, ac deinceps gerere pergebat, ſuæ itaque conſcientiæ teſtimonio fretus in Domino gloriabatur, quod ſapientiæ ſæcularis adminiculo uſus non fuiſſet, ſed à gratia, ideſt, à gratuita, & omnipotenti Dei operatione, miracula per eum facientis, & plurimos ex gentibus ad credendum Euangelio, cujus erat miniſter, occultè & admirabiliter trahentis, fructum prædicationis expectans, ipſique totum acceptum referens, Apoſtolico munere perfunctus fuiſſet. Quartò, dùm ait Apoſtolus verſu 13. ejuſdem capitis: *Voſmetipſos tentate ſi eſtis in fide &c.* Admonet Corinthios, ut ſeipſos probent, ac tentent, ſint ne in fide, per quam Chriſtus inhabitet in illis, de quo ſanè Apoſtolus fruſtrà Corinthios admoneret, ſi ea de re jam certi eſſent; quod enim certum eſt, probatione, & exprimento nullo eget. Vult ergo eò loci Apoſtolus, ut Corinthii, ità ſe probent, ut non omnimoda certitudine, ſed tantùm morali, & conjecturali, quam ex quibuſdam ſignis internis venari poterant, dignoſcerent, an eſſent in fide, per quam Chri-

Chriſtus inhabitaret in illis. Denique, quandò Apoſtolus ait 2. ad Timoth. cap.4. *Curſum conſummavi, fidem ſervavi, in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ*, innuit tantummodò, ſe de ſua ſalute eſſe certum certitudine morali ortâ ex bona ſpe, quâ confidebat Deum, pro tot exantlatis laboribus, & Apoſtolatus miniſterio ſibi credito fideliter expleto, coronam immortalitatis ei conceſſurum. Undè ait idem Apoſtolus 1.ad Corinth. cap.9. *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne fortè, cùm aliis prædicavero, ipſe reprobus efficiar*, quibus verbis profitetur ſe de ſua ſalute non fuiſſe certum firmiſſimo aſſenſu divinæ fidei omnem profligantis formidinem. Addo etiam, nec addidiſſe pigebit, Apoſtolum Paulum habuiſſe de ſua ſalute certitudinem omnimodam propter ſpecialem revelationem ſibi à Deo factam, quæ revelatio cum aliis juſtis ordinariè non fiat, neceſſe eſt ut in timore, & tremore ſalutem ſuam operentur, ſibique de ſuæ ſalutis ſecuritate nunquàm blandiantur, *nam qui ſtat, videat ne cadat*, inquit Apoſtolus.

Arguitur tertio: Pax, & tranquillitas animæ eſt effectus juſtificationis, atqui fides ſpecialis miſericordiæ, quâ quis certò credit ſibi per Chriſtum peccata eſſe remiſſa, pacem, & tranquillitatem conciliat animæ, ergo fides ſpecialis miſericordiæ Dei verè juſtificat peccatorem.

Reſpondeo: Pacem, & tranquillitatem animæ non eſſe effectum fidei ſpecialis miſericordiæ Dei, quâ quis credit,& certò confidit ſibi per Chriſtum condonata eſſe peccata, ſed eſſe effectum gratiæ ſanctificantis, quæ animi perturbationem, & anxietatem ſedat, dum de miſericordia Dei benè ſperat peccator, fidemque concipit de remiſſione peccatorum ſuorum, quamvis de ea certus non ſit, niſi certitudine morali nixa quibuſdam conjecturis, & ſignis, quæ mentem quidem in unius potiùs, quàm alterius partis aſſenſum inclinant, ſed non cogunt, ut immobilitèr ei acquieſcat.

Arguitur ultimò: Sancti Patres, potiſſimùm *Auguſtinus*, & *Bernardus* docent juſtum Catholicâ fide cognoſcere ſe habere Spiritum Sanctum, ſibique peccata eſſe remiſſa, ergo juſtus poteſt habere de ſua ſalute certitudinem omnimodam. Prob. ant. *Sanctus Auguſtinus* ſermone 6. de verbis Apoſtoli cap. 13. ſic loquitur: *Adjuvante ipſius miſericordia, Spiritum Chriſti habemus, ex ipſa dilectione juſtitiæ, integra fide, Catholica fide Spiritum Dei nobis ineſſe cognoſcimus*. Idem docet Aquilinus ille Doctor concionibus primâ, & ſecundâ in pſalm. 88. tractatu 75. in Joannem, & tractatu 5. in primam epiſtolam Joannis. *Sanctus Bernardus* ſerm.1. de Annunciatione hæc habet: *Si credis peccata tua non poſſe deleri, niſi ab eo, in quem peccaſti,& in quem peccatum non cadit, benè facis, ſed adde adhuc ut credas, quia per ipſum tibi pecca-*

 ta

ta donantur : *hoc eſt teſtimonium*, *quod perhibet in corde noſtro Spiritus Sanctus dicens*: *Dimiſſa ſunt tibi peccata tua*. Ergo ex *Sanctis Auguſtino*, & *Bernardo* juſtus de ſua juſtitia, & ſalute certus eſſe poteſt certitudine, quæ omnem formidinem expellat.

Reſpondeo: *Sanctum Auguſtinum* non aſſerere perſpectum, ac exploratum nobis eſſe, ſeu fide Catholica certum, in nobis eſſe Spiritum Sanctum, quaſi illa in nobis Spiritus Dei habitatio ſit Catholicæ fidei objectum; ſed affirmare ſolùm nos ex fide Catholica, eaque non ſolâ, ſed conjunctâ cum dilectione juſtitiæ, velut ex ſigno probabili cognoſcere nos poſſe, quod Spiritum Chriſti habeamus. Hac reſponſione eliquantur omnia *Sancti Auguſtini* teſtimonia, quæ proferunt hæretici. Quod ſpectat *S. Bernardum*, dico: quod mellifluus ille Doctor poſtulat quidem ad juſtificationem peccatoris, ut credat Deum peccata remittere poſitis conditionibus, quibus remiſſionem ſuam alligavit, videlicet ſinceræ converſionis, bonorum operum, & pœnitentiæ fructibus; ſed nequaquàm docet *Sanctus Bernardus* neceſſe eſſe, ut peccator certò credat certitudine abſolutâ, & quæ omnem omninò formidinem excludat, ſibi eſſe remiſſa peccata per ſpecialis miſericordiæ fidem, nullâ habitâ ratione cæterarum diſpoſitionum. Ab hoc ſiquidem hæreticorum errore, quàm alienus fuerit *Sanctus Bernardus* liquidò patet ex ſermone primo ſupra laudato de Septuageſima, ubi ſic loquitur: *Quis poteſt dicere*: *Ego de electis ſum*? *ego de prædeſtinatis ad vitam*? *ego de numero filiorum ſum*? *quis hæc*, *inquam*, *dicere poteſt reclamante nimirùm Scriptura*, *neſcit homo utrùm dignus ſit amore an odio*? *certitudinem utique non habemus*, *ſed ſpei fiducia conſolatur nos*, *ne dubitationis anxietate penitùs cruciemur*. *Propter hoc*, *inquam*, *data ſunt ſigna quædam*, *& indicia manifeſta ſalutis* ..... *ut quibus certitudinem negat cauſa ſollicitudinis*, *vel fiduciam præſtet gratia conſolationis*. *Hoc enim eſt unde ſemper ſolliciti*, *& in timore*, *& tremore humiliemur neceſſe eſt ſub potenti manu Dei*, *quoniam quales ſumus*, *noſſe poſſemus ex parte*, *quales autem futuri ſumus*, *id noſſe penitùs nobis impoſſibile eſt*. *Itaque qui ſtat*, *videat ne cadat*. Legatur *Sanctus Thomas* primæ ſecundæ quæſt. 112. art. 5. ubi ex doctrina Sanctorum Patrum ſolidè probat, quod tametſi ſignis, & conjecturis (in quantum ſcilicet homo nullius ſibi conſcius peccati mortalis percipit ſe delectari in Deo, & contemnere res mundanas) poſſit conjecturis aſſequi ſe habere gratiam: id tamen certò, niſi per ſpecialem revelationem, ſibi innoteſcere haud poteſt.

Advertendum eſt in fine iſtius Diſſertationis: jure merito proſcribendum eſſe errorem *Simonis Epiſcopii*, qui in ſuis inſtitutionibus Theologicis lib. 4. ſect. 2. cap. 34. impiè poſt *Socinum* docet, non eſſe neceſſarium ad ſalutem æternam conſequendam credere etiam fide im-

Digitized by Google

implicitâ Jeſum eſſe filium Dei ex Patris eſſentia ab æterno genitum, ipſique conſubſtantialem; ſed ſatis ſuperque ad ſalutem ſufficere, ut credatur Jeſum eſſe filium Dei eâ ratione, quâ ipſe eſt Meſſias in lege promiſſus, ſive Chriſtus, & Chriſtus Dei.

Hanc impiam *Epiſcopii* ſententiam tàm à Scriptura ſacra, quàm à perpetua Eccleſiæ Catholicæ fide penitùs alienam eſſe dico. Primò, quia in ſtatu novæ legis neceſſaria omninò eſt ad ſalutem fides explicita in Deum unum, & trinum. Dicit enim Chriſtus *Matth.* cap. 28. v. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Et Marci cap. 16. v. 16. *Dixit eis: Euntes in mundum univerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur*. Porrò fides explicita in Deum unum, & trinum ſtare, & ſalvari minimè poteſt ſine fide explicita de divinitate, & conſubſtantialitate Verbi Divini cum Patre æterno, dicitur namque 1. Joannis cap. 5. v. 7. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt*. Hoc eſt, unum ſunt, unitate eſſentiæ. Neceſſaria igitur eſt ad ſalutem fides explicita de Divinitate Chriſti. Secundò, baptiſmus, nemine refragante, neceſſarius eſt ad ſalutem, atqui ad ſuſcipiendum baptiſma neceſſaria eſt fides explicita de Divinitate Chriſti. Legimus enim Actorum cap. 8. quod Eunucho Candacis Reginæ dicenti: *Ecce aqua: quid probibet me baptizari*? Reſpondit Philippus: *Si credis ex toto corde, licet: & reſpondens ait: Credo filium Dei eſſe Jeſum Chriſtum*. Tertiò, Chriſtus Matth. cap. 16. Petrum appellat *Beatum*, eo quod ejus Divinitatem fuiſſet confeſſus. Et Joannis cap. 20. v. 29. poſtquam Thomas, latus Chriſti tangendo, ejus Divinitatem agnoviſſet, dixit ei Jeſus: *Quia vidiſti me Thoma credidiſti: Beati, qui non viderunt, & crediderunt*. Quibus verbis apertè innuit Chriſtus, fidem explicitam de ſua Divinitate eſſe abſolutè neceſſariam ad ſalutem æternam conſequendam. Idque eodem in cap. v. 31. disertè confirmat S. Joannes dicens: *Hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis, quia Jeſus eſt Chriſtus filius Dei, & ut credentes, vitam habeatis in nomine ejus*. Quartò, accedit perpetua Eccleſiæ Catholicæ fides fulta ſanctionibus Conciliorum, & traditione Sanctorum Patrum, qui in tribus prioribus Eccleſiæ ſæculis floruerunt, quidquid in contrarium effutiat *Epiſcopius*. At enim Concilium Nicœnum primum anathemate perculit Arrium, quod Verbi Divini cum Patre æterno conſubſtantialitatem inficiaretur, omneſque illius Concilii Patres ſuas aures obturarunt, ſicut memoriæ prodiderunt Hiſtorici, ne tam execrabilem impietatem avitæ doctrinæ Eccleſiæ adeò contrariam ab impudorato Arrii ore prolatam auſcultarent: Epheſina itidem œcumenica Synodus Neſtorio anathema dixit, quod ſubſtantialem humanitatis

Chriſti cum Verbo Divino unionem negaret. Denique Sancti Patres, qui tribus prioribus ſæculis vixerunt, articulum de Divinitate Chriſti neceſsariò ad ſalutem credendum eſse conſtantèr profitentur. In primis *Sanctus Ignatius Martyr* in epiſtola ad Epheſios ſcribit: eos, qui Chriſto naturam divinam, vel humanam abjudicant, eſse canes rabidos, latenter mordentes, quos oportet obſervare, exiſtentes difficilè curabiles. Dehinc ſubdit: *Unus enim eſt Medicus carnalis, & ſpiritualis*, ideſt Chriſtus, *factus, & non factus, in carne Deus, in morte vita æterna, & ex Maria, & ex Deo*. S. *Irenæus* lib.3. cap. 21. arcet à Regno Cœlorum illos, qui Chriſtum eſse Deum ex Virgine natum ignorant: *Ignorantes autem eum, qui ex Virgine eſt Emmanuel*, hoc eſt, nobiſcum Deus, *privantur munere ejus, quod eſt vita æterna*. Uno verbo, ne multa congeram teſtimonia, omnes Sancti Patres, qui in tribus prioribus ſæculis in Cerinthianos, & Ebionæos, alioſque hujus furfuris heterodoxos Divinitatis Chriſti oſores calamum acuerunt, exertè docent articulum de Divinitate Chriſti, & de adoratione ipſi utpotè Deo, & æterno Patri coæquali exhibendâ ad ſalutem in nova, ſeu Euangelica lege eſse omninò neceſsarium. Mirari ergo ſubit, quâ fronte *Epiſcopius* auſus ſit aſserere articulum de Divinitate Chriſti arbitrio cujuſque Chriſtiani in tribus prioribus Eccleſiæ ſæculis fuiſse permiſsum, illiſque articulis etiamnum accenſeri debere, quos quiſque abſque ſalutis diſpendio amplecti pro libito, aut repudiare poteſt.

Sed objicit *Epiſcopius*, ſi fides de Divinitate Chriſti fuit in prioribus Eccleſiæ ſæculis ad ſalutem neceſsaria, ut quid ergo S. *Juſtinus* qui in ſecundo Eccleſiæ vivebat ſæculo, ait in dialogo cum Tryphone Judæo aliquos ſuo tempore extitiſse Chriſtianos, qui licet faterentur Jeſum eſse Chriſtum, ſeu Meſſiam, negabant tamen illum eſse Deum: *Sunt enim*, inquit S. Juſtinus, *nonnulli ex genere noſtro confitentes ipſum eſſe Chriſtum, ſed hominem ex hominibus genitum eſſe affirmant, quibus ego minimè aſſentior*. Quorsùm etiam idem Pater ibidem docet: *Non ſequi Jeſum Nazarenum non eſſe Chriſtum lege promiſſum, ex eo quia probari non poſſet eum eſſe Deum*? Sanè his verbis *Sanctus Juſtinus* palàm declarare videtur articulum de Divinitate Chriſti arbitrio cujuſque Chriſtiani fuiſſe ſuâ ætate permiſſum, & abſque ſalutis diſpendio prædictum articulum teneri, aut rejici potuiſſe.

Reſpondeo, & explico mentem *Sancti Juſtini*. Primò, quando Sanctus ille Doctor ait nonnullos ſuâ ætate fuiſſe Chriſtianos, ſeu, ut loquitur, *ex genere noſtro*, qui Chriſtum hominem ex hominibus genitum eſſe affirmabant, per illos Chriſtianos, non eos indicat *S. Juſtinus*, qui erant Catholicæ Eccleſiæ membra, ſed ſolùm *Ebionæos* indigitare intendit, apud quos Chriſtus id ætatis tanquam purus homo au-

Digitized by Google

audiebat, quorum doctrinæ *Sanctus Juſtinus* ſe minimè aſſentiri ideò dicit, quod traditionibus, quas Beati Prophetæ promulgarunt,& ipſe Chriſtus docuit, erat è diametro oppoſita. Mirum autem nemini videri debet, quod S. Juſtinus *Ebionæos* negantes divinitatem Chriſti nomine Chriſtianorum donet, cum nos etiam ſoleamus Socinianos noſtri temporis hæreticos, qui Chriſti divinitatem negant, vagâ appellatione Chriſtianos nuncupare, quamvis negemus eos eſſe Eccleſiæ membra.

Secundò, quando *Sanctus Juſtinus* ait: *Non ſequi Jeſum Nazarenum non eſſe Chriſtum lege promiſſum, ex eo quod probari non poſſit eum eſſe Deum*. Id conſultò dicit Sanctus Doctor, quò faciliori,& clariori methodo procederet contra Tryphonem, quem eo in dialogo convincendum ſuſceperat. Pertendebat quippe ille Judæus Chriſtum, ſeu Meſſiam, quem expectant Judæi, non fore Deum, ſed hominem ex hominibus naſciturum. *Sanctus* itaque *Juſtinus* nolens inter diſputandum implicare, vel geminare quæſtiones, hoc argumentum Tryphoni propoſuit, quod ipſius jugulum petebat. Dato, inquiebat *Sanctus Juſtinus*, ſed non conceſſo, quod probari non poſſit Meſſiam fore Deum, indè tamen non ſequitur Jeſum Nazarenum non eſſe Chriſtum lege promiſſum, quando quidem Jeſu Nazareno apprimè conveniunt omnes characteres, quos Judæi adſcribunt Meſſiæ in lege promiſſo, ergo ſaltem, velis nolis, fateri debes Jeſum Nazarenum eſſe verum Meſſiam in lege promiſſum. Hoc *S. Juſtini* argumentum in ſuppoſitione Tryphonis, aliorumque Judæorum peremptorium erat. Cæterùm quamvis *S. Juſtinus*, ne diſputationis ordinem perturbaret, id per conceſſionem dederit Tryphoni, attamen ad interruptam de probanda Chriſti divinitate quæſtionem propiùs accedens, probat Chriſtum olim apparuiſſe Abrahæ, Iſaaco, Jacobo, Moyſi, aliiſque Patribus, & Patriarchis; atque inde concludit, ipſum fuiſſe Deum, & omnium Dominum. Deindè, apertè docet illum virtutem eſſe à Patre, ante omnes creaturas, & ab æterno, tanquàm ignem ab igne, abſque ulla ſubſtantiæ imminutione, aut immutatione genitam. Denique, oſtendit Chriſtum ex Virgine genitum eſſe, & in eo completum eſſe illud Iſaiæ vaticinium: *Ecce Virgo concipiet, &c.* ex quibus patet quàm perperàm *Epiſcopius* S. Juſtini patrocinio glorietur, & quàm audactèr illius teſtimonio abutatur, ut probet fidem de divinitate Chriſti in tribus prioribus Eccleſiæ ſæculis non fuiſſe ad ſalutem neceſſariam.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO DECIMA OCTAVA:

Utrùm Paſſio Chriſti ſit cauſa ſalutis noſtræ per modum propriè dictæ Redemptionis, Satisfactionis, & Sacrificii?

OBſervandum eſt *Fauſtum Socinum* patriâ Senenſem, Lælii Socini nepotem, à quo Sociniani noſtri temporis hæretici ſuum traxere nomen, inter impia ſacrilegæ doctrinæ dogmata, quæ ex orco in lucem prorrupit, & per Poloniam præſertim, ac Tranſylvaniam longè, lateque infeſtis avibus diſſeminavit; duos errores docuiſſe, quos hac in Diſſertatione impugnandos ſuſcipio. Inprimis docet *Socinus*: Jeſum Chriſtum ideò Servatorem noſtrum eſſe, quia prædicatione ſua nobis ſalutis viam annunciavit, confirmavit, & in ſua ipſius perſona, cùm vitæ exemplo, tùm ex mortuis reſurgendo manifeſtò oſtendit; vitamque æternam nobis fidem habentibus daturus ſit. Docet inſuper Chriſtum Divinæ Juſtitiæ, per quam peccatores damnari, & puniri merentur, neque ſatisfeciſſe, neque ut ei ſatisfieret,opus fuiſſe: redemptionem noſtram per Chriſtum factam eſſe metaphoricam, ideſt, in ea peragenda nullum verum interveniſſe pretium, ſive nihil cuiquam pro nobis ſolutum fuiſſe; uno verbo, Chriſtum non potuiſſe divinæ juſtitiæ pro nobis ſatisfacere. Ex quo infert impius ille hæreticus, Patrem æternum ex pura miſericordia, & abſque ullo reſpectu ad Chriſti paſſionem, tanquam pretium ſibi oblatum, pœnam peccato debitam iis remittere, qui credunt in eum, qui juſtificat impium. Ita docet *Socinus* in libro *de Chriſto Servatore contra Covetum*, idemque repetit in ſua *Chriſtianæ Religionis Inſtitutione*, & in *Prælectionibus Theologicis* à cap. 16. uſque ad ultimum. Alter *Socini* error in hoc ſitus eſt, quod velit Chriſtum non fuiſſe Sacerdotem, antequàm à mortuis excitatus Cœlos aſcenderet, eumque Sacerdotale munus nequidem exercuiſſe cùm penderet in Cruce, ipſius mortem non fuiſſe ſacrificium, ſed viam quamdam, & præparationem ad illud peragendum: denique oblationem illius non fuiſſe conſummatam,antequàm à mortuis excitatus Cœlos aſcenderet. *Dico igitur*, ſunt verba *Socini* in Chriſtianæ Religionis Inſtitutione, *Chriſti oblationem, qua expiata peccata noſtra fuiſse dicuntur, non in Cruce, & per ipſam ibidem ſanguinis ſui fuſionem peractam fuiſse, quemadmodùm vulgò exiſtimant, ſed in Cœlo, & per ſui ipſius ibi coram Deo pro nobis, ut ſic dicam, præſentationem*. Ad illos igitur duos profligandos *Socini* errores, duo hîc ex Scriptura ſacra, & ex perpetua San-

Sanctorum Patrum traditione ſtabiliemus dogmata, quæ omnes Catholici ab ipſis Eccleſiæ incunabulis firmitèr crediderunt, videlicèt Chriſtum verè nos redemiſſe, Deo Patri propriè dictâ, eâque exuberantiſſimâ exhibitâ pro peccatis noſtris ſatisfactione. Deindè, ipſius mortem verum, & propriè dictum fuiſſe ſacrificium, quod Chriſtus in ara Crucis obtulit, & conſummavit.

DICO PRIMÒ: *Chriſtum per mortem, & paſſionem ſuam verè, & propriè homines redemiſſe, cumulatiſſimam Deo Patri pro eorum peccatis exhibendo ſatisfactionem.*

Probatur. Ille verè, & propriè homines redemit, qui pro illis ſufficientiſſimum pretium, ſeu plenam, ac condignam ſatisfactionem æterno Patri exhibuit, atqui Chriſtus Dominus ſufficientiſſimum pretium, & ad ſummos juris apices exactam ſatisfactionem æterno Patri pro peccatis hominum exhibuit, ergo Chriſtus homines redemit redemptione propriè dictâ. Prob. min. Primò, ratione petitâ ex *Sancto Thoma* 3.p. q. 48. art.2. ille propriè ſatisfacit pro offenſa, qui exhibet offenſo id quod magis diligit, quam oderit offenſam. Chriſtus autem ex charitate, & obedientia patiendo, majus aliquid Deo exhibuit, quàm exigeret recompenſatio totius offenſæ generis humani. Primò quidem, propter magnitudinem charitatis, ex qua patiebatur. Secundò, propter dignitatem vitæ ſuæ, quam pro ſatisfactione ponebat; quæ erat vita Dei, & hominis. Tertiò, propter generalitatem paſsionis, & magnitudinem doloris aſsumpti. Et ideò Paſſio Chriſti non ſolùm ſufficiens, ſed etiam ſuperabundans ſatisfactio fuit pro peccatis humani generis, ſecundùm illud 1. Joannis cap.2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi.* Hactenùs *S. Thomas.*

Præthereà, propriè dicta ſatisfactio, ſicut docent omnes ad unum Theologi, tria complectitur. Primò, pœnæ impoſitionem à Superiore. Secundò, ejuſdem pœnæ voluntariam ſuſceptionem in Inferiore. Tertiò tandem, commutationem pœnæ reo infligendæ in eam, quam pro eodem reo Inferior ex mandato Superioris ſuſceperit. Porrò ſatisfactio, quam Chriſtus æterno Patri exhibuit, hæc tria importat; nam primò, Pater æternus impoſuit Chriſto pœnas pro peccatis hominum perferendas, juxtà illud Iſaiæ cap.53. *Poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum.* Secundò, Chriſtus impoſitam pœnam in ſe ipſo voluntariè ſuſcepit, juxtà illud Apoſtoli ad Hebræos cap. 10. *ideò ingrediens in mundum dicit: Hoſtiam, & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi ..... tunc dixi, ecce venio.* Denique in pœnam, quam Chriſtus voluntariè in ſe ſuſcepit, commutata eſt pœna, quâ nos rei, & peccatores plecti debebamus, undè in Scriptura ſacra mors, ſeu paſſio Chriſti dicitur *Placamen*, ſeu propitiatio pro peccatis

DISSERTATIO DECIMA OCTAVA.

Vtrùm Paſſio Chriſti ſit cauſa ſalutis noſtræ per modum propriè dictæ Redemptionis, Satisfactionis, & Sacrificii?

OBſervandum eſt *Fauſtum Socinum* patriâ Senenſem, Lælii Socini nepotem, à quo Sociniani noſtri temporis hæretici ſuum traxere nomen, inter impia ſacrilegæ doctrinæ dogmata, quæ ex orco in lucem protruſit, & per Poloniam præſertim, ac Tranſylvaniam longè, lateque infeſtis avibus diſſeminavit; duos errores docuiſſe, quos hac in Diſſertatione impugnandos ſuſcipio. Inprimis docet *Socinus*: Jeſum Chriſtum ideò Servatorem noſtrum eſſe, quia prædicatione ſua nobis ſalutis viam annunciavit, confirmavit, & in ſua ipſius perſona, cùm vitæ exemplo, tùm ex mortuis reſurgendo manifeſtò oſtendit; vitamque æternam nobis fidem habentibus daturus ſit. Docet inſuper Chriſtum Divinæ Juſtitiæ, per quam peccatores damnari, & puniri merentur, neque ſatisfeciſse, neque ut ei ſatisfieret, opus fuiſse: redemptionem noſtram per Chriſtum factam eſſe metaphoricam, ideſt, in ea peragenda nullum verum interveniſſe pretium, ſive nihil cuiquam pro nobis ſolutum fuiſſe; uno verbo, Chriſtum non potuiſſe divinæ juſtitiæ pro nobis ſatisfacere. Ex quo infert impius ille hæreticus, Patrem æternum ex pura miſericordia, & abſque ullo reſpectu ad Chriſti paſſionem, tanquam pretium ſibi oblatum, pœnam peccato debitam iis remittere, qui credunt in eum, qui juſtificat impium. Ita docet *Socinus* in libro *de Chriſto Servatore contra Covetum*, idemque repetit in ſua *Chriſtianæ Religionis Inſtitutione*, & in *Prælectionibus Theologicis* à cap. 16. uſque ad ultimum. Alter *Socini* error in hoc ſitus eſt, quod velit Chriſtum non fuiſſe Sacerdotem, antequàm à mortuis excitatus Cœlos aſcenderet, eumque Sacerdotale munus nequidem exercuiſſe cùm penderet in Cruce, ipſius mortem non fuiſſe ſacrificium, ſed viam quamdam, & præparationem ad illud peragendum: denique oblationem illius non fuiſſe conſummatam, antequàm à mortuis excitatus Cœlos aſcenderet. *Dico igitur*, ſunt verba *Socini* in Chriſtianæ Religionis Inſtitutione, *Chriſti oblationem, qua expiata peccata noſtra fuiſse dicuntur, non in Cruce, & per ipſam ibidem ſanguinis ſui fuſionem peractam fuiſse, quemadmodùm vulgò exiſtimant, ſed in Cœlo, & per ſui ipſius ibi coram Deo pro nobis, ut ſic dicam, præſentationem*. Ad illos igitur duos profligandos *Socini* errores, duo hìc ex Scriptura ſacra, & ex perpetua San-

Sanctorum Patrum traditione ſtabiliemus dogmata, quæ omnes Catholici ab ipſis Eccleſiæ incunabulis firmiter crediderunt, videlicet Chriſtum verè nos redemiſſe, Deo Patri propriè dictâ, eâque exuberantiſſimâ exhibitâ pro peccatis noſtris ſatisfactione. Deindè, ipſius mortem verum, & propriè dictum fuiſſe ſacrificium, quod Chriſtus in ara Crucis obtulit, & conſummavit.

DICO PRIMÒ: *Chriſtum per mortem, & paſſionem ſuam verè, & propriè homines redemiſſe, cumulatiſſimam Deo Patri pro eorum peccatis exhibendo ſatisfactionem.*

Probatur. Ille verè, & propriè homines redemit, qui pro illis ſufficientiſſimum pretium, ſeu plenam, ac condignam ſatisfactionem æterno Patri exhibuit, atqui Chriſtus Dominus ſufficientiſſimum pretium, & ad ſummos juris apices exactam ſatisfactionem æterno Patri pro peccatis hominum exhibuit, ergo Chriſtus homines redemit redemptione propriè dictâ. Prob. min. Primò, ratione petitâ ex *Sancto Thoma* 3.p. q. 48. art.2. ille propriè ſatisfacit pro offenſa, qui exhibet offenſo id quod magis diligit, quam oderit offenſam. Chriſtus autem ex charitate, & obedientia patiendo, majus aliquid Deo exhibuit, quàm exigeret recompenſatio totius offenſæ generis humani. Primò quidem, propter magnitudinem charitatis, ex qua patiebatur. Secundò, propter dignitatem vitæ ſuæ, quam pro ſatisfactione ponebat; quæ erat vita Dei, & hominis. Tertiò, propter generalitatem paſsionis, & magnitudinem doloris aſsumpti. Et ideò Paſſio Chriſti non ſolùm ſufficiens, ſed etiam ſuperabundans ſatisfactio fuit pro peccatis humani generis, ſecundùm illud 1. Joannis cap.2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi*. Hactenùs *S. Thomas*.

Prætereà, propriè dicta ſatisfactio, ſicut docent omnes ad unum Theologi, tria complectitur. Primò, pœnæ impoſitionem à Superiore. Secundò, ejuſdem pœnæ voluntariam ſuſceptionem in Inferiore. Tertiò tandem, commutationem pœnæ reo infligendæ in eam, quam pro eodem reo Inferior ex mandato Superioris ſuſceperit. Porrò ſatisfactio, quam Chriſtus æterno Patri exhibuit, hæc tria importat; nam primò, Pater æternus impoſuit Chriſto pœnas pro peccatis hominum perferendas, juxtà illud Iſaiæ cap.53. *Poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum*. Secundò, Chriſtus impoſitam pœnam in ſe ipſo voluntariè ſuſcepit, juxtà illud Apoſtoli ad Hebræos cap. 10. *ideò ingrediens in mundum dicit: Hoſtiam, & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi ..... tunc dixi, ecce venio*. Denique in pœnam, quam Chriſtus voluntariè in ſe ſuſcepit, commutata eſt pœna, quâ nos rei, & peccatores plecti debebamus, undè in Scriptura sacra mors, ſeu paſſio Chriſti dicitur *Placamen*, ſeu propitiatio pro peccatis

tis noſtris, per illius mortem reconciliati ſumus Deo, per illius pretioſum Sanguinem ſumus redempti, & aſserti in libertatem filiorum Dei. Hanc pœnarum, quæ pro peccatis noſtris erant infligendæ, in pœnas, quas Chriſtus voluntariè in ſe ſuſcepit, permutationem, elegantèr exprimit *S. Juſtinus Martyr* ad *Diognetum* hæc ſcribens: *Proprium ipſe filium pretium redemptionis noſtræ pro nobis dedit. O dulcem permutationem!* Idem docet *Origenes* tractatu 2. in cap. 16. Matth. *Homo*, inquit, *non poteſt dare aliquam commutationem pro anima ſua: Deus autem pro animabus omnium, dedit commutationem pretioſum Sanguinem Filii ſui. Nec enim empti ſumus corruptibili argento, vel auro, ſed pretioſo Sanguine Agni immaculati*. Hæc eſt perpetua, ſibique ſemper conſtans doctrina omnium Sanctorum Patrum tàm Græcorum, quàm Latinorum, quorum alii aſserunt: Deo nunquam pro peccatis hominum potuiſse fieri ſatis, niſi Filius Dei pretium noſtræ redemptionis Deo Patri exhibuiſset, ſic docent *S. Athanaſius* in lib. de Incarnatione Verbi Dei, & S. *Leo* ſerm. 1. de Natali; alii verò dicunt: Chriſtum plus pro nobis ſolviſse, quàm debebamus: ita *Chryſoſtomus* homil. 10. in epiſt. ad Rom. *Multo plus quàm debebamus, Chriſtus pro nobis ſolvit, tantòque plura, quantò guttulam exiguam pelagus excedit immenſum*. Alii denique Patres affirmant: Chriſtum ineſtimabili pretio, ſeu ſanguine ſuo, homines redemiſse, ita *Cyrillus Hieroſolymitanus* catecheſi 13. *Baſilius* in Pſalm. 48. *Ambroſius* lib. de Joſepho Patriarcha, cap. 4. & *Auguſtinus* innumeris in locis, ſed potiſſimum in enarratione in Pſalm. 94. ubi hæc habet: *Tenebantur homines captivi ſub diabolo, & dæmonibus ſerviebant, ſed redempti ſunt à captivitate; vendere enim ſe potuerunt, ſed redimere non potuerunt. Venit Redemptor, & dedit pretium, fudit ſanguinem ſuum, & emit Orbem terrarum. Quæritis quid emerit? Videte quid dederit, ſanguis Chriſti pretium eſt.* Ex quibus omnibus hoc argumentum in Socinianos inſtaurari poteſt. Scriptura, & omnes Sancti Patres docent Chriſtum eſse Redemptorem noſtrum, eum mortuum, & crucifixum eſse pro nobis, Deo Patri condignam ſatisfactionem exhibuiſse, ejusque ſanguinem pretium eſse, quod pro peccatis noſtris perſolutum eſt; atqui omnes iſtæ locutiones Scripturæ, & Sanctorum Patrum eſsent omninò falſæ, ſi mors Chriſti, ut aſserunt Sociniani, conferret tantùm ad veritatis confirmationem, & ad præbendum patientiæ exemplum, ergo Socinianorum doctrina è fronte opponitur Scripturæ ſacræ, & Sanctorum Patrum traditioni. Prob. min. Paſſio, ſeu mors Apoſtolorum, & Martyrum plurimùm contulit ad veritatis doctrinæ, quam prædicabant, confirmationem, & ad præbendum heroicæ patientiæ, ac fortitudinis exemplum, atqui, hoc non obſtante, nullus unquam dixerit Apoſtolos, & Martyres pro nobis paſsos, & crucifixos eſse, noſque eorum ſanguine tanquam per-

ſoluto

Digitized by Google

ſoluto pretio emptos, ac redemptos eſse, ergo ſi mors Chriſti conferret tantùm ad veritatis confirmationem, & ad relinquendum patientiæ exemplum, ſicut contendit *Socinus*, falsò Scriptura ſacra, & Sancti Patres aſsererent Chriſtum paſsum, ac crucifixum eſse pro nobis, ejusque Sanguinem pretium fuiſse Deo Patri pro peccatis noſtris perſolutum. Hinc optimè obſervat *Sanctus Thomas* 3. p. qu. 48. art. 5. in reſponſione ad tertiam objectionem ſibi propoſitam, quod, quia paſſiones Sanctorum proficiunt Eccleſiæ tantùm per modum exempli, & exhortationis, ſecundùm illud 2. ad Corinth. cap. 1. *ſive tribulamur pro veſtra exhortatione, & ſalute*; ideò Sancti Martyres Redemptores dici non poſsunt. Si igitur mors Chriſti profuiſset dumtaxàt Eccleſiæ per modum exempli, & exhortationis, Chriſtus Redemptor dici non poſset, quod apertè adverſatur Scripturæ ſacræ, & Sanctis Patribus, qui frequentiſſimè docent Chriſtum eſse Redemptorem, Mediatorem, & Servatorem omnium hominum, ejusque Paſſionem omnibus prodeſse per modum Redemptionis, Satisfactionis, Sacrificii, Propitiationis, & Pretii; quibus Scripturæ, & Sanctorum Patrum locutionibus, ut ſua veritas conſtet, neceſſariò dicendum eſt: mortem Chriſti non tantùm contuliſſe ad veritatis confirmationem, & ad præbendum patientiæ exemplum, ſed reverà omnibus profuiſſe ad ſalutem per modum Redemptionis, & Satisfactionis propriè dictæ.

Reſpondet primò: *Socinus* in Prælectionibus Theologicis cap. 10 hæc omnia Scripturæ Sacræ loca, in quibus dicitur Chriſtum nos redemiſſe, ſumenda eſſe in ſenſu metaphorico, ita ut dumtaxàt ſignificetur nos à peccati, & mortis ſervitute per Chriſtum fuiſſe liberatos, nullo tamen pretio interveniente, quod in Redemptione propriè dictâ neceſſariò intervenire debet. Undè infert *Socinus*, quod ſicut *Moyſes*, potentiâ, & auctoritate ſibi à Deo traditâ, dicitur redemiſſe Iſraelitas è captivitate Ægyptiaca, quamvis nullum pro illis pretium perſolverit; ita *Chriſtus*, ſupremâ potentiâ, & auctoritate ſibi à Deo conceſſa, nos ex peccati, & mortis ſervitute, nullo pretio alicui dato, liberavit, quo in ſenſu Chriſtus Redemptione non propriè dictâ, ſed metaphoricâ dicitur nos redemiſſe. *Sacræ litteræ*, ſunt verba *Socini*, *quod etiam apud prophanos Scriptores fieri videmus, ejuſmodi verbis non propria, ſed Metaphorica ſignificatione uti ſolent: præſertim vero cum de hominum Redemptione, quam Deus procuravit, aut procuraturus ſit, aliquo modo agunt ...... itaque affirmo, cùm in novo Teſtamento Redemptionis per Chriſtum factæ ſit mentio, nihil aliud ſignificari quàm liberationem nullo pretio interveniente.*

Verùm hæc *Socini* reſponſio facilè refellitur. Primò, quia Scriptura Sacra pluribus in locis diſertè docet, Chriſtum nos redemiſ-

ſe juſto pro delictis noſtris pretio perſoluto, & plenâ, atque exuberantiſſima juſtitiæ divinæ exhibita ſatisfactione. Ecquid, amabo, ſignificant hæc verba *Matth.* cap. 20. *Filius hominis venit ſalvare quod perierat, & dare animam ſuam Redemptionem pro multis*. Et rursùs 1. ad *Corinth.* cap. 6. *Empti eſtis pretio magno*, & 1. *Petri* cap. 1. *Non corruptibilibus auro, & argento redempti eſtis de vana veſtra converſatione paternæ traditionis, ſed pretioſo ſanguine agni immaculati*. Denique, ad *Roman.* cap. 3. *Juſtificati gratis per gratiam ipſius per Redemptionem quæ eſt in Chriſto Jeſu, quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ propter remiſſionem præcedentium delictorum*. Quid, inquam, hæc & alia id genus benè multa Scripturæ Sacræ locupletiſſima teſtimonia ſignificant, niſi animam, hoc eſt, vitam Chriſti datam in Redemptionem pro nobis, eſſe pretium, & quidem pretium juſtum quod perſolvit Chriſtus ad oſtenſionem juſtitiæ divinæ propter remiſſionem præcedentium delictorum. Hinc patet quàm ineptè à *Socino* adducatur exemplum Moyſis, nam cùm Moyſes mortuus non ſit, nec ullum perſolverit pretium ut Iſraelitas liberaret à ſervitute Ægyptiaca, ſed eos dumtaxàt ſignorum poteſtate, & auctoritate ſibi à Deo traditâ in libertatem vindicarit, nullo negotio intelligitur per illam redemptionem, quâ Moyſes Iſraelitas redemiſſe dicitur, ſignificari tantùm redemptionem impropriè dictam, ſeu liberationem à ſervitute nullo interveniente pretio, quod ad veram, & propriè dictam redemptionem neceſſe eſt intervenire.

Præterea, Scriptura Sacra non ſolùm dicit Chriſtum nos liberaſſe à captivitate Diaboli, à ſervitute & à pæna peccati, ſed etiam ſæpiſſimè inculcat Chriſtum mortuum eſſe pro peccatis noſtris, ſeu propter peccata noſtra, qui Scripturæ loquendi modus apertè indicat Chriſtum pænas nobis reis & peccatoribus alioquin infligendas in ſe ultrò ſuſcepiſſe, ut iis nos morte ſua liberaret, ſe que in hominis rei locum ſubrogaſſe, ut illius vice ſubiret pænas, & Æterno Patri cumulatam omni ex Parte exhiberet ſatisfactionem, cui exolvendæ impar erat homo reus. Unde *Iſaias* cap. 53. loquendo de Chriſto, ait Deum poſuiſſe in eo iniquitates omnium noſtrum, ipſum vulneratum eſſe propter iniquitates noſtras, attritum eſſe propter ſcelera noſtra; ipſum denique verè languores noſtros tuliſſe, & dolores noſtros portaſſe. Deus autem eo fine omnium hominum iniquitates conjecit in Chriſtum, ut ab eo pænas reis hominibus debitas exigeret, ſeu plenam & accuratam ſatisfactionem, quam nullus purus homo, quibuslibet gratiis, & donis cumulatus, Deo rependere poterat. Chriſtus ergo nos à pænis peccati liberavit, plenam, condignam, & ſuperabundantem pro nobis exhibendo ſatisfactionem, juxtà

juxtà illud vatis Regii Pſ. 129. *Quia apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio*.

Reſpondet ſecundò: *Socinus*, quòd licèt in Scriptura ſæpiùs dicatur Chriſtum mortuum eſſe prò peccatis noſtris, ſeù propter peccata noſtra, indè tamen inferri minimè debet Chriſtum divinæ juſtitiæ ſatisfeciſse. Mori enim, inquit *Socinus*, pro peccatis, ſeu propter peccata alicujus, ut verba ipſa ſonant, idem eſt ac mori cauſa, & occaſione peccatorum illius. Hic autem peccatorum alicujus cauſa vel occaſione moritur, qui ideò moritur ut quis à peccatis retrahatur, utque illi fides fiat, ſi à peccando ceſset, peccata ſibi condonatum iri. Cum igitur Chriſtus, ut hæc in nobis fierent, mortuus ſit; meritò pro peccatis noſtris, ſeu propter peccata noſtra traditus eſſe, & paſſus ac mortuus dicitur; quamvis pro ipſis peccatis noſtris juſtitiæ divinæ non ſatisfecerit. Hinc infert *Socinus* quod quandò apud Iſaiam ſcriptum legimus de Chriſto cap.53. *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit*, non eſt intelligendum, quod Chriſtus pœnas peccatis noſtris debitas in ſe ſuſceperit, aut ſuſtinuerit, atque divinæ juſtitiæ ſatisfecerit, ſed quod Chriſtus morbos noſtros, ideſt, peccata abſtulerit. Ita reſpondet *Socinus* in Prælectionibus Theologicis cap.20. & in reſponſione ad *Jacobum Palæologum* part.2. cap. 7.

Sed hæc *Socini* reſponſio vim apertè facit Scripturæ Sacræ. Primò, quia hæc præpoſitio, *pro*, ex ſolito Scripturæ Sacræ uſu ſignificat rei, aut perſonæ, in alterius rei, aut perſonæ locum ſubrogationem, ut ex.gr. quando *Matth.* cap. 5. dicitur pro pœna talionis *dandum eſſe oculum pro oculo, dentem pro dente*, Et *Lucæ* c. 11. *numquid pro piſce ſerpentem dabit illi*? in his, inquam Scripturæ Sacræ locis præpoſitio, *pro*, ſignificat ſubrogationem unius rei in locum alteriùs rei, ergò ſimiliter quandò Scriptura Sacra dicit Chriſtum mortuum eſſe *pro* peccatis noſtris, idem eſt ac ſi diceret Chriſtum ſe ipſum in hominis rei locum ſubrogaſſe, ut pœnas pateretur quibus homo reus affici debebat. Secundò, Apoſtolus ad *Galatas* cap. 3. ait quod *Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum*, Chriſtus autem ideò factus eſt pro nobis maledictum, quia pœnas peccatis noſtris debitas, ſibique à Patre impoſitas in ſe ultrò ſuſcepit, patientèr ſuſtinuit, & ut ab his nos liberaret, in ligno crucis ſuſpenſus eſt, *ſcriptum eſt* ait Apoſtolus, *maledictus omnis qui pendet in ligno*. Tertiò, Chriſtus, ut ait Iſaias cap. 53. attritus, & vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, quas Deus in eum conjecit, ergò reverà Chriſtus paſſus eſt pœnas, quas promerebamur, ac divinæ juſtitiæ pro peccatis noſtris abundè ſatisfecit. Quartò, Chriſtum pœnas peccatis noſtris debitas in ſe ſuſce-

ſcepiſſe, easque, ut juſtitiæ divinæ pro nobis faceret ſatis, paſſum fuiſſe; colligitur ex figuris, quibus Deus in veteri lege Chriſtum verùm Meſſiam adumbrare voluit, maximè ex illo hirco emiſſario, in quem Sacerdos, ſicut dicitur *Levitici* cap. 16. omnes iniquitates, ſeu univerſa filiorum Iſrael delicta coniiciebat, ita ut Hircus in terram ſolitariam poſteà dimiſſus pœnam pateretur quæ alioquin reis hominibus debebatur; ſic Deus Pater in Chriſtum illo Hirco emiſſario adumbratum, peccata omnium conjecit, voluitque ut pœnas in ſe ſuſciperet, ac perferret, quibus homines rei multari debebant. Denique, omnes Sancti Patres tàm Græci, quàm Latini conſtantèr docent Chriſtum mortuum eſſe pro peccatis noſtris, quia pœnas, quas juſtè merebamur, in ſe ſuſcepit, & paſſus eſt, atque juſtitiæ divinæ pro nobis miſericorditer ſatisfecit. Falſum igitur atque à ſcriptura, & traditione omnium Sanctorum Patrum omninò alienum eſt Chriſtum mortuum eſſe pro peccatis noſtris in eo ſenſu quem impiè commentus eſt *Socinus*, hoc eſt, *cauſa, & occaſione peccatorum noſtrorum*; quamvis pro peccatis noſtris juſtitiæ divinæ non ſatisfecerit.

Advertat hìc obitèr Lector, quinque potiſſimùm eſſe effectus paſſionis Chriſti. Primus, eſt *liberatio à peccato*, dicitur enim *Matth.* cap. 26. *Hic eſt ſanguis meus novi Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*. Ad Roman. cap. 7. *Nunc autem ſoluti ſumus à lege peccati, in qua detinebamur*. Ad Epheſios cap. 1. *In quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus, remiſſionem peccatorum, ſecundùm divitias gratiæ ejus, quæ ſuperabundavit in nobis*. Ad Titum cap. 2. *Qui dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate*. Et denique ad Hebræos cap. 2. *Sic & Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata*.

Alter effectus paſſionis Chriſti, eſt *depulſio diabolicæ ſervitutis*, cui eramus mancipati. Qua de cauſa Chriſtus, imminente paſſione ſua dicebat *Joannis* cap. 12. *Nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras*. Chriſtum etiam de principatibus, & poteſtatibus inferni morte ſua triumphaſſe docet Apoſtolus ad Coloſs. cap. 2. *Et vos cùm mortui eſſetis in delictis ..... convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta: delens quod adversùs nos erat Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio affigens illud cruci: & expolians principatus & poteſtates, traduxit confidentèr palàm triumphans illos in ſemetipſo*.

Tertius effectus paſſionis Chriſti, eſt *liberatio à pœna peccati*, maximè originalis, paſſio quippè Chriſti, ut inquit *Sanctus Thomas* 3. part. quæſt. 49. art. 3. liberat nos à reatu pœnæ duobus modis. Uno modo directè, in quantum paſſio Chriſti fuit ſufficiens, & ſuper-

ſuperabundans ſatisfactio pro peccatis humani generis. Alio modo indirectè, prout paſſio Chriſti eſt cauſa remiſſionis peccati, in quo fundatur reatus pœnæ. Applicatur autem nobis paſſio Chriſti per fidem, & charitatem, & per ſacramenta per quæ incorporamur ei tanquàm membra ſuo capiti.

Quartus effectus paſſionis Chriſti, eſt *reconciliatio hominum cum Deo*, cui per peccatum originale eramus exoſi, *& reconciliet ambos in uno corpore Deo per Crucem, interficiens inimicitias in ſemetipſo*, inquit Apoſtolus ad Epheſios cap. 2.

Quintus effectus paſſionis Chriſti, eſt *apertio Regni Cæleſtis*, nemini quippè antè paſſionem Chriſti aditus patuit ad Regnum Cęlorum. Addi etiam poteſt ſextus paſſionis Chriſti effectus per ordinem ad ipſummet Chriſtum, videlicet ejus corporis exaltatio, quam per paſſionem ſuam promeruit, juxtà illud Apoſtoli ad Philippenſes cap. 2. *Chriſtus factus eſt obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod & Deus exaltavit illum, &c.* De his paſſionis Chriſti effectibus plura lege apud *Sanctum Thomam* 3. part. quæſt. 49. art. 1. & aliis quinque ſequentibus.

DICO SECUNDÒ: *Mortem Chriſti fuiſſe verum, ac propriè dictum ſacrificium.*

Probatur hæc aſſertio, primò, ex Apoſtolo Paulo, qui in tota fermè epiſtola ad Hebræos non ſolùm probat Sacerdotium Chriſti, quod fuit ſecundùm ordinem Melchiſedech, præſtantiùs eſſe Sacerdotio Aaronis ſignificatione, perpetuitate, firmitate, unitate, auctoritate, ac perfectione, ſed etiam luculenter oſtendit Chriſtum in ara Crucis verum, & propriè dictum conſummaſſe Sacrificium. Hæc enim habet cap. 7. *Talis enim decebat, ut nobis eſſet Pontifex ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior Cœlis factus: qui non habet neceſſitatem quotidiè, quemadmodùm Sacerdotes, priùs pro ſuis delictis hoſtias offerre, deindè pro populi: Hoc enim fecit ſemel ſeipſum offerendo.* Et cap. 9. ejuſdem epiſtolæ, *ſi enim ſanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus, inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis: quantò magis Sanguis Chriſti, qui per Spiritum Sanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis.* Et cap. 10. *Et omnis quidem Sacerdos præſtò eſt quotidiè miniſtrans, & eaſdem ſæpè offerens hoſtias, quæ nunquàm poſſunt auferre peccata: Hic autem unam pro peccatis offerens hoſtiam, in ſempiternum ſedet in dextera Dei...... una enim oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos.* Ex quibus Apoſtoli teſtimoniis hoc in Socianos poteſt intorqueri argumentum. Chriſtus verum, & propriè dictum obtulit ſacrificium, quandò ſe ipſum æterno Patri hoſtiam obtulit pro delictis hominum, atqui Chri-

Digitized by Google

Chriſtus, teſte Apoſtolo, ſeipſum in ara Crucis æterno Patri hoſtiam obtulit pro delictis hominum, & hac unâ oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos, ergo mors Chriſti verum, & propriè dictum fuit ſacrificium.

Præterea, omnes Sancti Patres docent culpam hominum deleri non potuiſſe, niſi per ſacrificium, quod Chriſtus moriendo Deo Patri obtulit, nàm cùm omnes omninò homines eſſent immundi, & inquinati, hoſtiam offerre minimè poterant, quæ inquinatos mundaret: *Offerat ergo*, inquit *Sanctus Auguſtinus* in Pſalm. 149. *ſeipſum mundus Sacerdos, & mundet: Hoc fecit Chriſtus. Nihil mundum invenit in hominibus, quod offerret pro hominibus: Seipſum obtulit mundam victimam, hoſtiam immaculatam. Fœlix victima, munda victima, vera victima, hoſtia immaculata.* Sancto Auguſtino ſuccinit S. Gregorius Magnus, qui lib. 17. moral. cap. 18. hæc habet: *Sed quis eſſet ſine peccato homo, ſi ex peccati commixtione deſcenderet? Proindè venit propter nos in uterum Virginis Filius Dei. Ibi pro nobis factus eſt homo, ſumpta eſt ab illo natura, non culpa. Fecit pro nobis ſacrificium, corpus ſuum exhibuit victimam ſine peccato, quæ & humanitate mori, & juſtitia mundare potuiſſet.* Denique, ut miſſa faciam innumera Sanctorum Patrum teſtimonia, unum dumtaxàt proferam Sanctum Leonem, qui ſerm. 8. de paſſione Chriſti, ſic loquitur: *Paſcha noſtrum, ut ait Apoſtolus, immolatus eſt Chriſtus; qui ſe novum, & verum reconciliationis ſacrificium offerens Patri, non in Templo, cujus jam finita erat reverentia; non intra ſepta Civitatis, ob meritum ſceleris ſui diruenda; ſed foris, & extra caſtra crucifixus eſt, ut veterum victimarum ceſſante myſterio, nova hoſtia, novo imponeretur altari, & Crux Chriſti non Templi eſſet ara ſed mundi.* Ex quibus verbis patet Chriſtum in ara Crucis obtuliſſe ſacrificium, quod non ad Templum, non ad Urbem, non ad gentem aliquam ſingulariter pertinere, aut arctari poterat; ſed par erat toti redimendo generi humano, quod divinæ juſtitiæ, æternæque legi non aliâ victimâ conciliari poterat.

His Sanctorum Patrum teſtimoniis duplicem addo rationem Sancti Thomæ. Primam tradit Doctor ille Angelicus 3. p. q. 22. art. 2. ubi inquirit: *Utrùm Chriſtus ſimul fuerit Sacerdos, & hoſtia?* Quam difficultatem ſolido iſto ratiocinio ſolvit: Indiget homo ſacrificio propter tria. Uno quidem modo ad remiſſionem peccati, per quod à Deo avertitur, & ideò Apoſtolus dicit ad Hebræos cap. 5. ad Sacerdotem pertinere: *Ut offerat dona, & ſacrificia pro peccatis.* Secundò, ut homo in ſtatu gratiæ conſervetur, ſemper Deo inhærens, in quo ejus pax, & ſalus conſiſtit. Undè & in veteri lege immolabatur hoſtia pacifica pro offerentium ſalute, ut habetur Levitici

Digitized by Google

vitici cap. 3. Tertiò, ad hoc quod ſpiritus hominis perfectè Deo uniatur; quod maximè erit in gloria. Undè in veteri lege offerebatur holocauſtum quaſi totum incenſum; ut dicitur Levitici cap. 1. Hæc autem per humanitatem Chriſti nobis provenerunt: Nàm primò quidem peccata noſtra deleta ſunt, ſecundùm illud ad Rom. cap. 4. *Traditus eſt propter delicta noſtra.* Secundo, gratiam nos ſalvantem per ipſum accepimus: ſecundùm illud ad Hebræos cap. 5. *Factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ.* Tertiò, per ipſum perfectionem gloriæ adepti ſumus, juxtà illud ad Hebræos cap. 10. *Habemus fiduciam per ſanguinem ejus in introitum Sanctorum*, ſcilicet in gloriam cœleſtem. Et ideò Chriſtus, in quantum homo, non ſolùm fuit Sacerdos, ſed & hoſtia perfecta, ſimul exiſtens hoſtia pro peccato, & hoſtia pacifica, & holocauſtum. Hactenùs Sanctus Thomas.

Alteram rationem profert *Doctor Angelicus* 3. p. q. 48. art. 3. ubi quærit: *Utrùm paſſio Chriſti operata ſit per modum ſacrificii?* Sacrificium, inquit, dicitur aliquid factum in honorem propriè Deo debitum, ad eum placandum; Chriſtus autem ſeipſum obtulit in paſſione pro nobis, & hoc ipſum, quod voluntariè paſſionem ſuſtinuit, Deo maximè gratum, & acceptum fuit; paſſio igitur Chriſti verum eſt, ac propriè dictum ſacrificium. Obſervat etiam ibidem Angelicus Doctor poſt Sanctum Auguſtinum hoc ſacrificium, quod Chriſtus æterno Patri pro nobis obtulit in ara Crucis præfiguratum fuiſſe omnibus veteris legis ſacrificiis, quæ ad unum Chriſtum verum Meſſiam collimabant. *Hujus veri ſacrificii multiplicia, variaque ſigna erant ſacrificia priſca Sanctorum, cum hoc unum per multa figuraretur, tanquàm verbis multis res una diceretur: Ut ſine faſtidio multùm commendaretur. Huic ſummo, veroque ſacrificio cuncta ſacrificia falſa ceſſerunt.* Verba ſunt *Sancti Auguſtini* lib. 10. de Civit. Dei cap. 20. Meritò igitur Eccleſia Catholica credit Chriſtum Dominum in terris exiſtentem fuiſſe verum Sacerdotem, ejusque mortem propriè dictum ſacrificium, quo placatus eſt Deus, juſtificatus homo, ſublatæ pœnæ, & excuſſum à noſtris cervicibus duræ diabolicæ ſervitutis jugum. Fuit autem Chriſtus in terris Sacerdos non præcisè quatenùs homo, nec præcisè quatenùs Deus erat, ſed prout erat homo Verbo Divino ſubſtantialiter conjunctus, itaut humanitas Chriſti fuerit principium, *quo* operationum, quibus Sacerdotis officio perfungebatur, Verbum verò Divinum fuerit earumdem operationum principium *quod*, ab eoque infinitam dignitatem, infinitumque pretium hauſerint. Ratio eſt, quia Chriſtus ſub ea ratione fuit Sacerdos in terris, qua extitit mediator, iisdem quippè officiis fungitur mediator, quibus Sacerdos, atqui Chriſtus non fuit media-

Digitized by Google

mediator, prout Deus ſeorſim ab humanitate conſideratus, ſicut docent omnes Catholici contrà Calvinum, qui in duabus epiſtolis, quas ſcripſit ad Polonos adversùs *Stancarum* Mantuanum in Academia Regiomontana Lutheranæ Theologiæ profeſſorem, contendit Chriſtum ſecundùm utramque naturam, divinam, & humanam, mediatorem fuiſſe; nec etiam Chriſtus fuit mediator ratione ſolius humanitatis, ſicut decimo ſexto ſæculo ineptè effutiebat laudatus *Stancarus*, ſed Chriſtus fuit mediator quatenùs homo ſubſtantialiter Verbo Divino unitus, ergo pari quoque ratione Chriſtus non fuit Sacerdos ut homo à perſona divina præciſus, neque ut Deus ab humanitate ſeorſim conſideratus, ſed ut homo Verbo Divino ſubſtantialiter conjunctus.

Diluuntur objectiones

Quas contrà ſatisfactionem Chriſti proponunt Sociniani.

Arguitur primò: Si Chriſtus homines Sanguine ſuo, velut perſoluto pretio, redemiſſet, debuiſſet illud pretium perſolvere, vel æterno Patri, vel diabolo, qui homines tenebat captivos, atqui Chriſtus Sanguinem ſuum, qui dicitur pretium Redemptionis noſtræ, non perſolvit æterno Patri, ab eo ſiquidem captivi non detinebamur; nec etiam diabolo, ſic enim maxima inureretur contumelia Sanguini Chriſti, ergo Chriſtus nemini perſolvit pretium Redemptionis noſtræ, ac ſubindè homines non redemit Redemptione propriè dictâ.

Reſpondeo cum *S. Thoma* 3. p. q.48. art.4. ad 2. & 3. Chriſtum perſolviſſe pretium Redemptionis noſtræ æterno Patri, qui, licet nos non detineret captivos, tamen ut ſupremus rerum omnium Moderator jus habet exigendi pœnas ab hominibus, qui eum peccatis ſuis offenderant, & quos juſtè ob præcedentem culpam diaboli poteſtati permiſerat. Hinc Scriptura ſæpiùs affirmat Chriſtum mortuum eſſe, ſuumque pretioſum Sanguinem fudiſſe ut nos reconciliaret Deo Patri, cui antehàc eramus inviſi, & ut noſtra expiaret peccata cruento illo, quod obtulit in ara crucis ſacrificio. Non ſolvit ergò Chriſtus pretium Redemptionis noſtræ diabolo, qui tantùm erat lictor, & miniſter juſtitiæ vindicantis, ſed illud perſolvit Deo Patri, qui, tanquàm omnium hominum Judex, eos poſt peccatum primi parentis juſſit torqueri ſub diaboli poteſtate. Hæc reſponſio confirmari poteſt egregio teſtimonio Sancti Gregorii Nazianzeni, qui orat. 42. poſtquàm hanc ſibi propoſuit quæſtionem *Eccui fuſus eſſet Sanguis Chriſti?* & alternantes hinc & indè ventilavit rationes eccur diabolo, eccur

cur Deo noſtri inſtar pretii impenſus eſſe vel negaretur, vel affirmaretur? Suam tandem his verbis proponit ſententiam : *Perſpicuum utique eſt Patrem quidem accepiſſe, non quod petierit, aut eo opus habuerit; ſed propter diſpenſationem, & quod oporteret deificata humanitate hominem ſanctificari, ut Deus ipſe nos liberaret, tyranno per vim ſuperato, & ad ſe reduceret per mediatorem Filium, qui in honorem Patris, cui per omnia cedere perſpicitur, id diſpenſaret*. Eadem fermè ratione loquuntur *Athanaſius* lib. de Incarnat. Verbi Divini, *Cyrillus Alexandrinus* lib.15. de Adoratione, *Auguſtinus* lib.4. de Trinitate cap.13. *Bernardus* epiſt. 190. & alii Sancti Patres, quorum teſtimonia legi poſſunt apud *Thomaſſinum* lib.9. de Incarnat. Verbi cap.8.

Arguitur ſecundò : Si Chriſtus pleniſſimè pro peccatis noſtris ſatisfeciſſet, nulla in condonandis peccatis miſericordia Dei reſplenduiſſet, ſed tantùm ſumma ejus reluxiſſet juſtitia, cujus ſeveritati in peccatis puniendis per mortem Chriſti fuiſſet cumulatiſſimè ſatisfactum; atqui ſæpè ſæpiùs in Scriptura ſacra dicitur, Deum propter nimiam charitatem, quâ dilexit nos, omnia peccata noſtra miſericorditer nobis condonaſſe, ergò Chriſtus Deo Patri plenam pro peccatis noſtris non exhibuit ſatisfactionem.

Reſpondeo : Miſericordiam Dei in condonandis peccatis maximè in hoc collucere, quod cùm homines plenæ, ac condignæ Deo exhibendæ ſatisfactioni impares omninò eſſent, miſit Deus miſeratione motus Filium ſuum unigenitum, qui per incarnationem factus homo, ſeſe vadem, ac fide juſſorem dedit pro peccatoribus, atque ſui Sanguinis fuſione plenam, & omnibus ſuis numeris abſolutam ſatiſfactionem Deo Patri exhibuit, & omnia damna, quæ generi humano intulerat primigenia labes, cum fœnore reſarcivit. Poterat Deus, ſi voluiſſet, omnes homines juſto ſuo judicio in maſſa perditionis relinquere, & perpetuis miſeriis addicere, à quibus tamen eos ex pura, & gratuita miſericordia liberavit, dando Filium ſuum, qui, ut Deus, poſſet afferre remedium, & ut homo præberet exemplum, *Sic Deus dilexit mundum ut Filium ſuum daret*, *Joannis* cap.3. Potuitne, quæſo, Deus, qui dives eſt in miſericordia, theſauros bonitatis ſuæ ampliori liberalitate profundere? Tantùm igitur abeſt, ut plena, & rigoroſa ſatisfactio, quam Chriſtus pro peccatis noſtris exhibuit, cohærere non poſſit cum bonitate Dei miſericorditer nobis condonantis peccata, ſicut impiè contendit *Socinus*, ut potiùs magis, ac magis commendet miſericordiam Dei Patris, qui Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis, licèt indigniſſimis, tradidit illum, & in eum conjecit pœnas peccatis noſtris debitas.

Arguitur tertiò : Iniquum omninò videtur ut inſons pro ſontibus puniatur, præſertim cùm ipſi ſontes adſint, qui puniri poſſunt.

Digitized by Google

Eam ob rem Deus in lege disertè cavit ne quis alterius pœnas ferret, ait enim *Deuteronomii* cap. 24. *Non occidentur patres pro filiis, neque occidentur filii pro patribus, ſed quiſque pro peccato ſuo occidetur.* Et Ezechielis cap. 18. *Anima, quæ peccaverit, ipſa morietur; filius non portabit iniquitatem patris, neque pater portabit iniquitatem filii.* Si ergo ex Dei ſententia, atque decreto, nec filius ipſe propter patris peccata, nec pater propter peccata filii puniri debet, qui credibile eſt Deum voluiſſe pœnas peccatorum noſtrorum à Chriſto innocente, & alieno repoſcere, eumque tàm atrocitèr excarnificare? Cùm igitur ab æquitate, & bonitate Dei hoc ſit penitùs alienum, nullâ ratione dici poteſt Deum Patrem in Chriſtum innocentem conjeciſſe pœnas peccatis debitas.

Reſpondeo: Iniquum quidem eſſe ut inſons invitus pro ſontibus puniatur, ſed non eſſe iniquum, ſed potiùs decentiſſimum ut inſons pro ſontibus puniatur, ſi ipſe nullâ prorsùs neceſſitate obſtrictus, ſed ſponte volens, & ex motivo charitatis in ſe ſuſcipiat pœnas ſontibus debitas, præſertim ſi ſontes impares ſint ſatisfactioni exhibendæ. Porrò homines, qui erant rei, plenam, ac condignam Deo ſatisfactionem exhibere non poterant, tùm quia peccatum contrà Deum commiſſum habet quamdam infinitatem, ut inquit *S. Thomas*; tùm quia injuria Deo irrogata ordinis eſt ſuperioris, homines autem, quibuslibet gratiis, & donis ſupernaturalibus exornati, ſunt ordinis creati, adeòque infinitè inferioris; quò fit ut valor ſatisfactionis ab ipſis profectæ pertingere nullatenùs poſſit ad gravitatem injuriæ Deo per peccatum illatæ: Conclamatum itàque erat de nobis, nullaque ſpes affulgebat recuperandæ ſalutis, niſi Chriſtus, qui erat Deus & homo, & cujus ſatisfactionis meritum ob perſonæ divinæ dignitatem erat infinitum, in ſe hominum ſuſcepiſſet pœnas, ac plenam, quam Deus exigebat, ſatisfactionem exhibuiſſet. Quocircà, cùm Chriſtus hujusmodi pœnas liberè, & ex plenitudine charitatis, quâ genus humanum deperibat, in ſe ſuſceperit; non eſt violata juſtitia, ſed ſumma potiùs Chriſti refulſit charitas, dùm pro ſontibus inſons ipſe & immaculatus punitus eſt. Ad teſtimonia Scripturæ ſacræ, in quibùs dicitur, quod filii non portabunt iniquitatem parentum, dico: Hæc Scripturæ ſacræ teſtimonia eſſe intelligenda de pœnis animæ, iiſque æternis, quas luituri non ſunt filii, qui ſcelera paterna non imitantur, ſed piè, juſtèque vivunt. Hoc tamen non impedit quominùs Deus juſtè aliquandò à filiis, & pronepotibus pro peccatis alienis, ſeu paternis expetat pœnas temporarias, & quidem corporis, juxtà illud Exodi cap. 20. *Ego ſum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem eorum, qui oderunt me.* Legitur etiam in oratione Jeremiæ: *Patres*

noſtri

Digitized by Google

noſtri peccaverunt, & non ſunt: & nos iniquitates eorum portavimus.

Arguitur quartò: Omnes actiones humanitati Chriſti propriæ, fuerunt finitæ, utpotè procedentes ab humanitate, quæ eſt principium finitum, atqui per actionem finitam ſatisfieri haud poteſt æquivalenter pro culpa, quæ eſt infinita; ergo Chriſtus per actiones humanitati ſuæ proprias non potuit juſtitiæ divinæ æquivalenter ſatisfacere.

Præthereà, rigoroſa, ſeu plena, & accurata ſatisfactio fieri debet ex bonis, quæ ſatisfacienti ſint propria; ideò quippè ſervus ex rigore juſtitiæ nequit hero ſuo ſatisfacere, quia quæcumque ſervus habet, non ſunt ipſi propria, ſed ſubſunt heri dominio; atqui omnes actiones Chriſti, utpotè creatæ, non fuerunt ſub dominio humanitatis Chriſti, ſed ſub dominio Dei; nihil ſiquidem creatum eſt, in quod Deus ſummum non obtineat dominium, non potuit igitur Chriſtus ex propriis bonis ſatisfacere.

Reſpondeo ad primum momentum, omnes actiones humanitati Chriſti proprias, fuiſſe quidem finitas in genere, ut ajunt, phyſico, ideſt, ſi ſpectentur per ordinem ad principium efficiens, à quo emanabant, fuiſſe tamen infinitas in genere moris, ſeu moraliter, ſi conſiderentur comparatè ad perſonam divinam, quæ per principium efficiens in Chriſto operabatur. Ratio eſt, quia actionis finitas, aut infinitas moralis petitur ex dignitate perſonæ, quò enim perſona dignior eſt, vel minus digna, eò majorem, vel minorem dignitatem actionibus conciliat. Hinc ſatisfactio exhibita à Rege longè majoris eſt dignitatis, excellentioriſque pretii, quàm ſatisfactio, quæ à plebejo fuerit peracta. Cùm igitur in Chriſto perſona, quæ per actiones humanitati proprias ſatisfaciebat, eſſet infinitæ dignitatis, erat quippè perſona divina, ſequitur actiones, quæ immediatè proficiſcebantur ex Chriſti humanitate, hauſiſſe pretium, & valorem infinitum ex ipſa perſona divina humanitatem ſuſtentante, adeòque Chriſtum per actiones humanitati proprias plenè, & abundè Dei juſtitiæ feciſſe ſatis, juxtà illud ad Roman. cap. 5. *Ubi abundavit delictum, ſuperabunvit gratia.*

Ad alterum momentum reſpondeo: Omnes actiones Chriſti, utpotè creatas, fuiſſe quidem ſub dominio Dei univerſali, at quia dominium Dei univerſale non tollit dominium particulare, quo quælibet cauſa creata libera fruitur in ſuos actus, de quibus pro nutu & libito diſponere poteſt, ideò Chriſtum, qui perfectiſſimâ præditus fuit libertate, ſuarum actionum dominum fuiſſe, ac ſubindè non ex alienis, ſed ex propriis bonis Deo Patri ſatisfeciſſe.

Arguitur quintò: Chriſtus in ſubeunda morte non fuit liber,

Digitized by Google

ergo non potuit per mortem ſuam Deo pro peccatis hominum ſatisfacere. Conſeq. Eſt evidens, nàm ſatisfactio ſupponit neceſſario libertatem in ſatisfaciente. Prob. antec. Si Chriſtus fuiſſet liber in ſubeunda morte, potuiſſet non mori, ac ſubindè non velle mortem à Patre ſibi imperatam, atqui Chriſtus, utpotè impeccabilis, & ſummè Sanctus, non potuit non velle mortem ſibi à Patre imperatam, ergò non fuit in ſubeunda morte liber.

Huic objectioni Theologi varias adhibent reſponſiones. Alii cum doctiſſimo *Petavio* putant præceptum de ſubeunda morte Chriſto à Patre æterno impoſitum non abſolutum fuiſſe imperium, ſed ſimplicem dumtaxat ſignificationem conſilii, & voluntatis paternæ, quâ Chriſto multa fuere propoſita media ad humanam recuperandam ſalutem opportuna, ex quibus, quod vellet eligeret, ita ut quodcumque ex his omnibus ſibi propoſitis mediis ſeligeret, id gratum, & acceptum Patri futurum eſſet. Alii cum *Gregorio de Valentia*, & *Vaſqueſio* exiſtimant mortem Chriſti ſpeciali quodam mandato præſcriptam fuiſſe, ſed circumſtantias loci, temporis, & ſuppliciorum voluntati ejus fuiſſe permiſſas, ut in iis ſuam voluntatem experiretur. Alii volunt expectatum eſſe Chriſti conſenſum in primo Incarnationis momento, antequàm Pater quidquam imperaret. Alii cenſent præceptum de ſubeunda morte Chriſto fuiſſe impoſitum, ſed cum facultate illud acceptandi, aut repudiandi. Cardinalis etiam *de Lugo* docet Chriſtum accepiſſe à Patre præceptum de ſubeunda morte, ſed eum potuiſſe diſpenſationem, aut commutationem illius præcepti impetrare. Verùm illæ reſponſiones non ſolùm obedientiæ Chriſti meritum, ut latè noſtri Thomiſtæ in tractatu de Incarnatione probant, aut tollunt, aut plurimùm elevant, ſed etiam apertè Scripturæ ſacræ adverſantur. Nam primò, quod moriendi præceptum fuerit à Patre Chriſto impoſitum, docet ipſe Chriſtus his verbis Joannis cap. 14. *Ut cognoſcat mundus, quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater ſic facio.* Et cap. 18. *Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* Et Joannis cap. 6. *Deſcendi de Cœlo, non ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem ejus, qui miſit me.* Secundò, mortis genus, locum, tempus, & cæteras circumſtantias voluntati humanæ Chriſti non fuiſſe permiſſas, ſed à Deo determinatas, palàm itidem innuit Scriptura ſacra. Nam, ut verbis utar doctiſſimi *Ludovici Thomaſſini* Presbyteri Oratorii Domini Jeſu lib. 5. Theologicorum dogmatum de Incarn. Verbi cap. 14. Quid, amabo, ſignificant illa in Scripturis frequentiùs iterata verba? *Nondùm venit hora mea.* Et, *nondùm aſcendo ad Templum.* Et, *nondùm venerat hora ejus.* Non ne paritèr hæc inſinuant horarum, temporumque momenta, non humanâ, ſed divinâ voluntate homini Chriſto diſpenſari. Et quod de temporis,

hoc

Digitized by Google

hoc de aliis circumſtantiis ſtatuendum eſt. Sed quid etiam expreſſiùs hac ſæpiùs à Chriſto in Euangelio repetitâ conteſtatione? *A me ipſo facio nihil.* Nùm ſuopte conſilio, & voto faciebat nihil Chriſtus, ſi ejus humano conſilio, & voto omnia Pater permiſerat; ſi ne ad mortem quidem ullo eum obligaverat præcepto? Nam cùm ejus operum Principatus morti, ejuſque Cruci debeatur, ſi hanc paterna voluntas præcipere abſtinuerat, quorsùm attinuiſſet de reliquis mandandis ſatagere? rejectis itaque horumce Theologorum reſponſionibus.

Reſpondeo neg. aut. ad cujus prob. diſting. maj. ſi Chriſtus fuiſſet liber in ſubeunda morte, potuiſſet non mori, ac ſubinde non velle mortem præcisè, & ſecundùm ſe ſpectatam concedo, potuiſſet non velle mortem reduplicativè ut imperatam,& præceptam à Deo nego. Similiter diſting. min. ſed Chriſtus, utpotè impeccabilis, non potuit non velle mortem reduplicativè ut imperatam à Deo concedo, non potuit non velle mortem præcisè, & ſecundùm ſe ſpectatam neg.min. Mors itaque Chriſti bifariam conſiderari poteſt,primò reduplicativè, ut præcepta à Deo, & ſub illa ratione Chriſtus non poterat non velle mortem, quia cùm eſſet propter unionem hypoſtaticam ab intrinſeco impeccabilis neceſſariò debebat velle medium ſub ea reduplicatione, quâ neceſſariam connexionem habebat cum ultimo fine, à quo Chriſtus recedere non poterat;porrò mors reduplicativè ut præcepta, & imperata à Deo, erat medium neceſſariò connexum cum ultimo fine, ex quo ſequitur Chriſtum non potuiſſe non velle mortem reduplicativè ut imperatam à Deo. Secundò, mors Chriſti ſpectari poteſt ſecundùm ſe, ideſt ex præcisâ ſuâ ratione, quatenùs videlicet eſt aliquid finitum,& limitatum non habens eſſentialem cum ultimo fine, ſeu cum Deo ſummè dilecto connexionem, & ſub illa ratione voluntas Chriſti liberè verſabatur circà mortem, tùm quia nihil finitum, & limitatum, cujusmodi eſt mors ſecundùm ſe ſpectata, poteſt neceſſitatem inferre, ſeu libertatem adimere voluntati rationali, quæ infiniti boni capax ſolo bono infinito ſatiari, & neceſſitari poteſt; tum quia voluntas Chriſti per unionem hypoſtaticam ſimul, & viſionem beatificam cum vero, & ſummo bono individulsè conjuncta, circa cætera omnia, quæ infra ſe jacebant, indifferentiam retinebat non verſatilem, & effrænem, ſed temperatam ordine finis. Hanc doctrinam egregiè probat noſter *Vincentius Baronius* in libro quem edidit *de humana libertate, & gratia divina,* ubi multis, iisque invictis rationibus oſtendit eſſentiam, ſeu germanam libertatis notionem ſitam eſſe, non in indifferentia contrarietatis ad bonum, & malum, nec in indifferentia contradictionis ad finem, ſed in indifferentia circa media, ſeu in libera electione mediorum ſervato ordine finis, quæ indifferentia tantò perfectior eſt, quantò fortior, & intimior eſt adhæſio cum ulti-

mo

Digitized by Google

mo fine, ſcilicet Deo, ex quo infert doctiſſimus ille Auctor perfectiorem fuiſſe libertatem in Chriſto, qui peccare non potuit, quàm ſit in nobis, qui peccare poſſumus. In eamdem deſcendit ſententiam eruditus noſter *Antonius Maſſoulie* tom.1. diſsert.2. qu.5. art. 3. & qu. 8. art.3. libri, quem inſcripſit: *Divus Thomas ſui interpres de divina motione, & libertate creata.*

Ex qua ſanâ Theologorum doctrinâ manifeſtò elicitur, quod, quamvis Chriſtus non habuerit indifferentiam contrarietatis, quam vocant, ad bonum, & malum, utpotè ab intrinſeco impeccabilis, neque indifferentiam contradictionis circa ultimum finem, utpotè à momento conceptionis ſuæ comprehenſor, reverà tamen in omnibus ſuis operibus meruerit eo videlicet merito, quod perſonæ à peccato, & ſervitute peccati prorsùs liberæ,putà homini Deo competit. Ratio eſt, quia Chriſtus ſemper habuit liberam poteſtatem ſeligendi media ſervato ordine finis, quippè qui per unionem hypoſtaticam, & viſionem beatam intimè Deo unitus, independens omninò erat ab omnibus bonis creatis, finitis, & limitatis, quæ nullam ei neceſſitatem imponere poterant, immò, quibus ipſe propter naturæ ſuæ dignitatem perfectè dominabatur. Quapropter hoc maximè obſervandum diſcrimen intereſt inter meritum Chriſti ſatisfacientis, & meritum, quod cadit in homines in ſtatu naturæ lapſæ conſtitutos, quod ad meritum Chriſti ſatisfacientis pro nobis requirebatur tantùm indifferentia eligendi media ſervato ordine finis, at verò ad meritum, quod competit hominibus in ſtatu naturæ lapſæ, requiritur indifferentia, ſeu poteſtas contrarietatis ad bonum, & malum, quia hujus meriti radix in eo potiſſimùm ſita eſt,quod quis cupiditatem ſuam refrænet, tumultuantes paſſiones in ordinem redigat, easque, quantùm divinâ gratiâ adjutus poteſt, propter amorem juſtitiæ domare, & deſtruere adnitatur. De quo merito legitur Eccleſiaſtici cap. 31. *Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit.*

Arguitur ſextò: Stricta,& rigoroſa ſatisfactio debet eſse ad alterum, ſicut enim nemo ſibi propriè injurius eſt,ita nec ſibi aliquid ſolvit, aut ſibi vim ſatisfaciendi ſuppeditat, atqui ſatisfactio Chriſti non fuit ad alterum, ſed unius ad ſe ipſum, nam cùm Chriſtus eſset Deus, culpâ hominum erat offenſus, ſi ergo ipſe pro culpa hominum ſatisfecit, ſatisfactio, quam exhibuit, non fuit ad alterum, ſed unius ad ſe ipſum.

Prætereà, ſtricta ſatisfactio fieri debet ex bonis, quæ aliis titulis non ſunt debita creditori, nam ex. gr. ſi Petrus debeat Paulo centum nummos titulo cenſus annui, & titulo mutui, ſi det tantummodò centum nummos, non ſatisfacit, ſed tenetur adhuc centum ſolvere nummos, atqui omnes actus Chriſti Deo debiti erant titulo religionis, obe-

Digitized by Google

obedientiæ, & gratitudinis, ergo non potuit Chriſtus actionibus ſuis Deo titulo juſtitiæ ſatisfacere.

Denique, ut ſtricta, & accurata ſit ſatisfactio, neceſse eſt ut creditor ex debito juſtitiæ exhibitam ſatisfactionem acceptare teneatur, atqui Deus non tenebatur ex juſtitia ſatisfactionem Chriſti acceptare, nullus ſiquidem tenetur acceptare ſatisfactionem, quæ exhibetur ab alio, quàm à reo, ſeu ab eo, qui intulit offenſam, ſicut ex. gr. ſi Galliæ Rex fuiſset ab uno ex ſuis ſubditis læſus, tametſi alius Rex ipſi ſatisfactionem offerret, non teneretur illam acceptare; ergo cùm Deus fuerit offenſus ab hominibus, quamvis Chriſtus illi offerat ſatisfactionem, hanc tamen Deus acceptare non obſtringitur.

Reſpondeo ad ſingula illa momenta, & ad primum dico: Satiſfactionem, quam Chriſtus pro nobis exhibuit, fuiſse ad alterum, non ſolùm ſi conſideretur, prout fuit exhibita Patri æterno, & Spiritui Sancto, ſiquidem Pater, & Spiritus Sanctus, ut fides docet, ſunt perſonæ realiter à Chriſti, ſeu Verbi Divini perſona diſtinctæ, ſed etiam ſi ſatisfactio Chriſti conſideretur quatenùs exhibita fuit perſonæ Verbi Divini. Ratio eſt, quia Verbum Divinum in ſe ipſo, ſeu in natura divina ſubſiſtens, virtualitèr, ſicut docent Theologi, diſtinguitur à ſe ipſo, quatenùs in humana natura ſubſiſtit, quò fit, ut Verbum Divinum propter diſtinctas, quas terminat, naturas, & plures, quas habet, operationes, diſtinctasque voluntates, virtualiter multiplex ſit. Quando igitur Chriſtus, ſeu Verbum Divinum, ut ſubſiſtens in natura humana, ſibi ſatisfecit ut ſubſiſtenti in natura divina, ejus ſatiſfactio fuit ad alterum, quia Chriſtus, ſeu Verbum Divinum ut ſubſiſtens in natura divina, virtualitèr diſtinguitur à Verbo Divino ut ſubſiſtenti in natura humana, propter diſtinctionem naturarum, voluntatum, & operationum, quæ diſtinctio ſat ſuperque ſufficit ut ſatisfactio, quam Chriſtus, ſeu Verbum Divinum ut ſubſiſtens in natura humana ſibi ut ſubſiſtenti in natura divina exhibuit, ſit ad alterum.

Ad alterum momentum reſpondeo diſting. maj. Stricta ſatisfactio debet eſse ex bonis, quæ creditori aliis titulis non ſint debita, ſi illi tituli augeant, & multiplicent debita, concedo, ſi non augeant, nec multiplicent debita, nego. Similiter diſting. min. ſed omnes actus Chriſti erant Deo debiti titulis religionis, obedientiæ, & gratitudinis, & illi tituli ſupervenientes augebant, ſeu multiplicabant in Chriſto debitum, nego, non multiplicabant debitum, novamque non afferebant obligationem, concedo, & nego conſeq. explicatur hæc reſponſio. Verum quidem eſt eâdem ſolutione pluribus titulis ſatisfieri haud poſſe, quando multiplicant debitum, & novam ſecum inducunt obligationem, ſicut patet exemplo in objectione adducto, nam

nam ideò Petrus, qui Paulo debet centum nummos titulo cenſus annui, & alios centum titulo mutui, non cenſetur ſatisfacere, ſi Paulo ſolvat centum dumtaxat nummos, quia tituli cenſus annui, & mutui multiplicant in Petro debitum, at quando tituli ſupervenientes non multiplicant debitum, nec novam afferunt obligationem, unâ & eadem ſolutione omnibus illis titulis ſatisfieri poteſt. Ex. gr. Debeo titulo mutui centum nummos Petro in urgente neceſſitate conſtituto, de mè benè merito,& cui ex ſententia Judicis ſolvere compellor, tunc eadem centum nummorum ſolutione ſatisfacio juſtitiæ, charitati, gratitudini, & obedientiæ, ita non abſimili ratione, etſi actus Chriſti Deo debiti eſſent titulis religionis, obedientiæ,gratitudinis, &c. quia tamen illi tituli in Chriſto debitum non multiplicabant, ſeu non efficiebant, ut alii actus præter eos, quos Chriſtus eliciebat, Deo debiti eſſent, diverſi illi tituli non impediebant quominùs ſatisfactio à Chriſto exhibita eſſet ex ſtricta, perfecta, ac rigoroſa juſtitia.

Ad ultimum reſpondeo:potuiſſe quidem abſolutè Deo non exhiberi ſatisfactionem Chriſti, at ex ſuppoſitione, quod Deus voluerit eam ſibi offerri, debuiſſe ab illo acceptari, tùm quia Deus non potuit non exaudire filium ſuum unigenitum ſibi coæqualem, & conſubſtantialem, cujus ſatisfactionis dignitas erat infinita; tùm quia etiam Apoſtolus ad Hebræos aſſerit Chriſtum exauditum eſſe *pro ſua reverentia*, hoc eſt, pro reverentia, quæ debetur Filio Dei naturali infinitâ pollenti dignitate, non potuit ergo Deus ſatisfactionem ſibi à filio ſuo unigenito in ea quam ſuſcepit humanitate exhibitam repudiare. Hinc admitti non debet ſententia Doctoris Subtilis, qui docet ſatisfactionem, quam Chriſtus Dominus exhibuit, non fuiſſe à Deo acceptatam propter ipſiusmet ſatisfactionis dignitatem, quam falsò ſupponit eſſe finitam, ſed tantùm fuiſſe acceptatam ex pura gratia perſonæ offenſæ, ſeu Dei Patris liberè eam acceptantis; hæc, inquam, Scoti ſententia admitti non debet, quia ſi ſatisfactio Chriſti fuiſſet ſolùm acceptata ex pura gratia Dei offenſi per peccatum, ſatisfactio, quam exhibuit Chriſtus, eſſet imperfecta, ac ſubindè gratis mortuus eſſet, nam purus homo ejuſmodi ſatisfactionem imperfectam, fundatam nimirùm in gratia perſonæ offenſæ, ſeu in libera, & extrinſeca Dei acceptatione perindè exhibere potuiſſet. Unde quemadmodum arguit Apoſtolus ad Galatas cap. 2. *Si per legem juſtitia, ergo gratis mortuus eſt Chriſtus*, ideſt, ſi lex naturalis, aut ſcripta vim habuit homines juſtificandi, gratis mortuus eſt Chriſtus; ſic pari modo contra Scotum, ejuſque diſcipulos argui poteſt: ſi Chriſti ſatisfactio non fuit à Deo acceptata propter ejus meritum, & dignitatem, ſed tantùm ex mera gratia perſonæ offenſæ, ergo ſatisfactio Chriſti fuit imperfecta, ergo gratis mortuus eſt Chriſtus, quia purus homo eandem ſatisfactio-

nem

nem imperfectam Deo exhibere potuiſſet, ſicut docent omnes Theologi. Hanc Scoti ſententiam à doctrina Sanctorum Patrum alienam eſſe latè probant noſtri Thomiſtæ in ſuis commentariis in 1. qu. 3. p. Summæ S. Thomæ. Nititur tamen *P.Claudius Fraſſen* Franciſcanus ſacræ Fac. Pariſienſis Doctor, tom.3. Scoti Academici tract.1.diſput.3. art.1. ſect.3. conciliare Scoti ſententiam cum opinione Thomiſtarum: *Hæc controverſia*, inquit, *facilè componi poſſet, & utraque ſententia conciliari, dicendo*: *Chriſtum reverà meruiſſe pro infinitis hominibus quantùm ad ſufficientiam, non quod opera ipſius meritoria habuerint bonitatem, & dignitatem infinitam, quod etiam plurimi Thomiſtæ concedunt, ſed quod tantæ fuerint dignitatis, tantique valoris ex eo quod procederent à perſona divina, ut Deus per eorum valorem, & dignitatem ſummam motus fuerit ad illa acceptanda pro omnibus omninò hominibus, etiamſi numero eſsent infiniti*. Verùm hic Auctor, pace ipſius dixerim, ad componendam iſtam controverſiam non ſolùm gratis, ſed etiam falsò ſupponit plurimos è ſchola Thomiſtica Theologos eſſe,qui concedunt opera Chriſti meritoria non habuiſſe bonitatem, & dignitatem infinitam, quod tamen nullus unquam conceſſit Thomiſta, immò omnes ad unum hujus ſcholæ Theologi docent omnes operationes Chriſti fuiſſe theandricas, & habuiſſe non quidem in genere phyſico,ſed in genere moris bonitatem, & dignitatem infinitam.

Arguitur ſeptimò: Sanctus Petrus 1. ſuæ epiſtolæ cap. 2. hæc habet: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus*. Quibus verbis apertè innuit *Sanctus Petrus* Chriſtum eſſe mortuum, non ut pro peccatis noſtris ſatisfaceret, ſed ut eum ſequi volentibus oſtenderet viam ſalutis, eisque probitatis, innocentiæ, & patientiæ exempla, quæ ſectarentur, relinqueret. Nec enim efficaciùs potuit Chriſtus movere, & inducere fideles ad ſingularem illam probitatem, & innocentiam retinendam, ſine qua ſalutem adipiſci nequeunt, quàm dum ipſe, quamvis innocens, prior probroſam, & cruentam mortem guſtavit, & gravia, atque humanæ naturæ per ſe intolerabilia mala expertus abundè fuit, dum in Cruce pependit. Ergo ex hoc Sancti Petri teſtimonio patet, Chriſtum mortuum eſſe, non ut pro delictis noſtris divinæ juſtitiæ faceret ſatis, ſed ut ſuis fidelibus proponeret probitatis, innocentiæ, & patientiæ exempla, quæ imitari poſſent.

Reſpondeo: Sanctum Petrum eò loci duo circa Paſſionem Chriſti Domini commendare voluiſſe. Primò, dum dixit: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis*, palàm indicat Chriſtum ſe ſubrogaſſe in locum omnium noſtrum, qui eramus peccatores, & pœnas peccatis noſtris debitas in ſe ſuſcepiſſe, ac pertuliſſe; nam hæc præpoſitio, *pro*, ut ſuperius obſervatum eſt, juxtà uſitatum Scripturæ ſacræ loquendi modum, ſubroga-

rogationem unius perſonæ in locum alterius ſignificat. Secundò, dum ait: *Vobis relinquens exemplum*, adhortatur omnes fideles, ut patientiæ, humilitatis, juſtitiæ, & cæterarum virtutum exempla, quæ Chriſtus in Cruce moriendo illis reliquit, imitentur, ac ſemper præ oculis habeant; quod certè nemo Catholicus negat, immò Catechiſmus Concilii Tridentini in expoſitione quarti articuli Simboli, inter beneficia, quæ in Chriſti Domini Paſſione conſequuti ſumus, hoc præſertim enumerat, quod in Paſſione Chriſti omnium virtutum clariſſima exempla habeamus, nam & patientiam, & humilitatem, & eximiam charitatem, & manſuetudinem, & obedientiam, & ſummam animi conſtantiam, non ſolùm in perferendis propter juſtitiam doloribus, ſed etiam in morte oppetenda, ita oſtendit Chriſtus Dominus, ut verè dicere poſſimus Salvatorem noſtrum, quæcumque vitæ præcepta toto prædicationis ſuæ tempore verbis nos docuit, ea omnia uno Paſſionis die in ſe ipſo expreſſiſſe. Idem docet *Sanctus Thomas* 3. p. q.46. art.3.

Arguitur ultimò: Si Chriſtus integram, atque omnibus numeris perfectam pro nobis ſatisfactionem exhibuiſset, nullam à peccatoribus ſatisfactionem Eccleſia exigere deberet, ea quippè ſatisfactio ab homine facta derogaret infinitæ, & exuberantiſsimæ ſatisfactioni Chriſti, atqui Eccleſia à peccatoribus ſatisfactionem pro eorum delictis exigit, ut conſtat tam ex veteri, quàm ex recenti Eccleſiæ diſciplina, non credit ergò Eccleſia Chriſtum pro peccatis generis humani pleniſsimè ſatisfeciſſe.

Reſpondeo neg. mai. quià licèt Chriſtus morte ſua fontes ſalutis aperuerit, Sacramenta inſtituerit, mortem devicerit, principem hujus mundi ſuperaverit, uno verbo, plenam, & ſuperabundantem pro peccatis noſtris ſatisfactionem impenderit, non ea tamen fuit ejus intentio ut homines negligentèr, otiosè, & oſcitanter vitam ſanctis operibus vacuam tranſigerent, ſed potiùs voluit Chriſtus ut meritum paſſionis, & ſatisfactionis ſuæ, quæ, ut docet *Sanctus Thomas* 3. part. quæſt. 49. artic. 1. ad 4. eſt cauſa univerſalis remiſſionis peccatorum, applicaretur hominibus per fidem, per bona opera, per Sacramenta ab ipſo inſtituta. Certè hanc fuiſſe intentionem Chriſti, non ſolùm colligitur ex veteri praxi & diſciplina Eccleſiæ quæ graves ac diuturnas pænitentias hominibus imponebat, ut pro delictis ante actæ vitæ ſatisfacere poſſent, verùm etiam id apertè deducitur ex ſcriptura, & ex perpetua traditione Sanctorum Patrum, qui conſtanter docent omnibus hominibus de peccatis commiſſis pænitentiæ agendæ neceſſitatem incumbere. Hęc praxis Eccleſiæ rectè explicatur in libro *de Frequenti Communione*, quem præter ſexdecim Epiſcopos, & viginti Doctores, conventus

etiam

Digitized by Google

etiam Epiſcoporum Auſcenſis Provinciæ anno 1645. probavit, & populo Chriſtiano impensè commendavit. Soli noſtri temporis hæretici hanc Eccleſiæ Catholicæ doctrinam de neceſsitate bonorum operum improbant, quippè qui, ut liberius vivant, & vitæ deliciis indulgeant, pænitentiæ, bonorumque operum neceſsitatem horrent, & averſantur. Errant autem dum dictitant ſatisfactiones, quas à nobis exigit Eccleſia, injurias eſſe ſatisfactioni Chriſti, nam firmiter credunt omnes Catholici omnem dignitatem, fructum, & valorem ſatisfactionum noſtrarum oriri dumtaxat ex infinita dignitate gratiæ, & ſatisfactionis Chriſti, ſine qua invalidæ prorsùs, & inefficaces ad ſalutem eſſent actiones, & ſatisfactiones noſtræ. Quapropter ſicut, fatentibus ipſiſmet hęreticis, non ſunt ſuperfluæ, & inutiles in terris orationes noſtræ, quamvis Chriſtus nunc in Cælis aſſidens ad dexteram Dei Patris ſufficienter oret pro nobis, ita quoque nec ſatisfactioni Chriſti derogant, nec ſupervacaneæ ſunt ſatisfactiones noſtræ, quamvis Chriſtus pro delictis noſtris pleniſſimè fecerit ſatis. Verùm quia hęreticos noſtri temporis pœnitentiæ oſores invictis rationibus in ſuis Polemicis lucubrationibus confutarunt Catholici Doctores, plura nos hîc non adjiciemus, ſed illos tanquàm ſues in volutabro luti grunnientes relinquemus.

Ad complementum hujuſcè Diſſertationis, advertendum eſt cum *Sancto Thoma* 3. part. quęſt. 46. art. 1. non fuiſſe ſimplicitèr, & abſolutè neceſſarium, ut Chriſtus pœnas peccatis noſtris debitas in ſe ſuſciperet & pateretur pro liberatione generis humani. Primò, quia Deus vitæ & necis Dominus eſt, & ideò etiam ſi peccata, per quæ homo mortem æternam incurrit, citrà ullam ſatisfactionem condonaſſet, miſericorditer quidem, at non injuſtè egiſset. Secundò, quia Deus nulla lege obſtringebatur perditum hominem liberare, ſed potuiſset pro ſuo arbitrio eum citra injuriam, vel juſtam ipſius querelam relinquere in maſsa perditionis, & in damnatione perpetua; nam cùm tota natura humana ſit per peccatum Adami vitiata, & perpetuæ damnationi obnoxia, ſi Deus omnes homines divina gratia ſua, & æterna gloria privaret, injuſtitiæ argui non poſset, cùm gratiæ & ſalutis nulli debitor ſit; Deus enim cujus vult miſeretur, & quem vult indurat. Denique Deus potuiſset, vel ſolo verbo, vel ſola incarnatione, vel una guttula ſanguinis, aliiſque infinitis modis totum liberare genus humanum abſque diris & acerbis tormentis paſsionis, abſque probroſo, & execrando mortis ſupplicio quod elegit. Hinc *Sanctus Auguſtinus* libro 13. de Trinit. cap. 10. & *Sanctus Thomas* art. 2. jam citatæ quęſtionis, docent alium poſſibilem modum liberandi hominem Omnipotenti Deo non defuiſse. Cęterùm quamvis non fuerit abſolutè neceſsarium Chriſtum pati, &

 mori

mori pro liberatione generis humani, ſuppoſita tamen ſemel præſcientia, & prẹordinatione divina de Paſſione Chriſti, neceſse fuit neceſsitate, ut ajunt Theologi, conſequentiæ, & infallibilitatis Chriſtum pati & mori ad liberandum genus humanum. Prẹordinatio namque divina eſt æterna, infallibilis, & immutabilis. Hinc Chriſtus attento ordine prẹſcientiæ, & prẹdefinitionis divinæ, ait *Joannis* cap. 3. *Oportet exaltari filium hominis*. Et *Lucæ* cap. 22. *Filius hominis, ſecundùm quod definitum eſt, vadit*. Et cap. ult. *Neceſſe eſt impleri omnia quæ ſcripta ſunt in lege Moyſis, & Prophetis, & Pſalmis de me*. Hæc tamen prẹordinatio divina non prẹpedivit liberam voluntatem Chriſti ſua ſponte, & ex commiſeratione hominum ſe ſe hoſtiam pro eorum liberatione offerentis, undè ait *Iſaias* cap. 53. *Oblatus eſt quia ipſe voluit*. Si quis autem quẹrat cur Deus, qui potuiſſet per unicum ſuæ voluntatis actum, aut per alium poſſibilem modum hominem liberare, eique condonare peccata, voluerit ut filius ſuus unigenitus per dira paſſionis tormenta redimeret genus humanum? Reſpondebo cum *S. Thoma* 3. part. qu. 46. art. 3. ſanandæ noſtræ miſeriæ convenientiorem alium non fuiſſe modum eo quo Deus nos liberare dignatus eſt per mediatorem Jeſum acerbis in paſſione tormentis cruciatum. Primò, quia dum homo recolit Chriſtum pro redemptione generis humani dira paſſionis ſubjiſſe tormenta, cognoſcit quantùm Deus hominem diligat, ejuſque voluntas, quaſi admotis igniculis, ad illum redamandum vehementer exardeſcit. Secundò, quia Chriſtus in cruce moriendo reliquit nobis exempla patientiæ, charitatis, humilitatis, juſtitiæ, ac cẹterarum virtutum. Tertiò, quia per paſsionem ſuam Chriſtus non ſolùm à peccato hominem liberavit, ſed ei gratiam ſanctificantem, & gloriam promeruit. Quartò, quia homo à peccato magis abhorrere debet, cùm ſciat ſe à peccato ſanguine Chriſti fuiſſe redemptum. Quintò, quia ad majorem hominis gloriam, & dignitatem ceſsit, dùm homo Diabolum vicit, ejuſque ſuperbiam ſuperavit Chriſtus non per ſolam potentiam deitatis, ſed per juſtitiam, & humilitatem paſsionis.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO DECIMA NONA

Utrùm Chriſtus, anno quo mortuus eſt, Paſcha cum Judæis celebrarit, ſeu comederit Agnum Paſchalem?

OBſervandum primò, tempus celebrandi Judaici Paſchatis fuiſſe à lege pręfixum ad veſperam diei decimæ quartæ menſis primi, ſicut legitur *Exodi* cap. 12. *Decima die menſis hujus tollet unuſquiſque agnum per familias, & domos ſuas ...... & ſervabitis eum ad quartam decimam menſis hujus: immolabitque eum multitudo filiorum Iſrael.* Et *Levitici* cap. 23. *Menſe primo, quarta decima die menſis ad veſperum, Phaſe Domini eſt.* Primus autem anni menſis apud Judæos ille eſt qui partim Martio, partim Aprili noſtro reſpondet, quique ab ipſis appellatur *Abib*, ſeu *Niſan*, & à quo ducitur Veris initium. Quamvis enim menſis *Abib*, ſeu *Niſan* eſſet anteà dumtaxàt ſeptimus apud Hebræos, attamen poſt exceſſum ex Ægypto pro primo menſe haberi cœpit, Deo ita jubente *Exodi* cap. 12. *menſis iſte vobis principium menſium: primus erit in menſibus anni.* Quod tamen non obtinuit niſi in Sacris, annus quippè civilis auſpicabatur à menſe *Tiſri* circà Autumnum.

Obſervandum ſecundò, veſpertinum illud tempus, quod Paſchatis Judaici celebrationi, ſeu agni paſchalis immolationi ex lege deſtinatum erat, non fuiſſe priorem veſperam quæ initium erat diei decimæ quartæ, ſed fuiſſe poſteriorem veſperam, in quam eadem dies decima quarta deſinebat. Ratio eſt, quia ſeptem dies azymorum numerabantur à priori veſpera diei decimæ quintæ, qua ineunte comedebatur agnus paſchalis, ad finem uſque diei vigeſimæ primæ, ſicut pręcipitur *Exodi* cap. 12. *Septem diebus azyma comedetis .... primo menſe, quarta decima menſis ad veſperam, comedetis azyma uſque ad diem vigeſimam primam ejuſdem menſis ad veſperam.* Agnus itaque paſchalis non comedebatur, nec immolabatur in priori veſpera, ſeu initio diei decimæ quartæ, ſed in poſteriori veſpera ſeu ſub finem ejuſdem diei decimæ quartæ; alioquin non ſeptem, ſed octo dies azymorum eſſent numerandi. Hinc verſu 8. ejuſdem capitis dicitur: *Et edent carnes nocte illa aſſas igni, & azymos panes.* Nox autem illa pertinebat ad diem decimam quintam, ac ſubindè præcedente veſpera, quæ finis erat diei decimæ quartæ, immolabatur agnus paſchalis, in cujus comeſtione, quæ poſt ſolis occaſum fiebat, dies azymorum incipiebant, & uſque ad diem vigeſimam primam

primam incluſivè perdurabant. Appellabantur verò dies azymorum, quia ſeptem illis diebus pane fermentato Judęis uti minimè licebat, erantque illi dies inſtituti ad refricandam memoriam inſignis illius beneficii, quo Angelus vaſtator omnes ad unum Ægypti primogenitos interficiens, ſalvos, & incolumes reliquit Hebręos, quorum poſtes agni ſanguine tincti erant, & qui ab Ægyptiis expulſi, citò & abſque mora ſe ſe itineri accingere debuerunt, nec per temporis anguſtias expectare potuerunt, donec panis eſſet fermentatus, ſed pręproperè panes azymos concoquere coacti ſunt. Ut igitur tanti beneficii ſenſum ex hebręorum animis nulla oblitteraret ætas, lex azymorum uſum per ſeptiduum pręſcripſit quot annis religiosè obſervandum. E ſeptem autem azymorum diebus primus, & ultimus feſti erant ac ſolemnes, quia ut in primo die ex dura captivitate Ægyptiaca in libertatem Hebręi aſſerti ſunt, ita in ſeptimo die Pharao Ægyptiorum Rex cum omnibus ſuis copiis maris rubri fluctibus fuit abſorptus.

Obſervandum ultimò, quatuor circa pręſentem, quam verſamus, quęſtionem extare ſententias. Prima eſt Gręcorum qui aſſerunt Chriſtum, anno quo mortuus eſt, non celebraſſe Paſcha, ſeu agnum paſchalem non comediſſe die à lege pręſcripta, ideſt, decima quarta in ſecundis veſperis, ſed die integra Paſcha anticipaſſe, agnumque paſchalem comediſſe, & Sacro Sanctam Euchariſtiam inſtituiſſe die decima tertia, in qua Judęis pane fermentato veſci adhùc licebat. Unde colligunt Chriſtum, in conficiendo Euchariſtiæ Sacramento, uſum fuiſſe non pane azymo, ſed fermentato. Altera ſententia eſt Patris Bernardi *Lamy* Congregationis Oratorii Presbyteri, qui in ſua concordia Evangelica, & in tractatu Hiſtorico *de veteri Judæorum Paſchate* Gallicè conſcripto contendit Chriſtum, anno, quo in crucem actus eſt, Paſcha non peregiſſe, ſeu agnum paſchalem non comediſſe, ſed ſolùm inſtituiſſe auguſtiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum die decimâ tertia in ſecundis veſperis, eumque fuiſſe cruci affixum die decima quarta, qua die juxtà legem immolari & comedi debebat agnus paſchalis. Tertia ſententia eſt omnium fermè Theologorum, qui poſt *S. Thomam* 3. part. quęſt. 46. art. 9. docent Chriſtum, anno quo ex hac vita migravit, Paſcha peregiſſe, ſeu manducaſſe agnum paſchalem, eadem die qua illud Judęi hoc anno celebrarunt, videlicet die decima quarta primi menſis in ſecundis veſperis, ſicut erat in lege pręceptum. Poſtrema ſententia eſt multorum modernorum, quos inter pręcipuè numerantur *Paulus Burgenſis*, *Janſenius*, *Maldonatus*, *Scaliger*, *Sethus Calviſius*, & Auctor Gallicæ Analyſeos, ſeu *P. Mauduit* Congregationis Oratorii Presbyter, diſſertatione xxx. qui licèt fateantur Chri-
ſtum

ſtum, anno, quo è vivis exceſsit, Paſcha celebraſse ſeu agnum paſchalem comediſse die Jovis, ſeu die decima quarta à conjunctione Lunæ cum Sole, in ſecundis veſperis, juxtà legis Moſaicæ præceptum, cenſent tamen Judęos hoc anno Paſcha non celebraſse, ſeu non manducaſſe eadem die unà cum Chriſto agnum paſchalem, ſed illos Paſcha procraſtinaſſe ad ſequentem diem, ſeu diem Veneris, quæ licèt à conjunctione Lunæ cum Sole eſſet dies decima quinta primi menſis, attamen propter Neomeniæ translationem Synedrii decreto factam ad diem ſequentem poſt conjunctionem Lunæ cum Sole, erat apud Judęos dies decima quarta primi menſis. Unde colligunt prędicti Auctores, Chriſtum, anno, quo mortuus eſt, non eadem die agnum paſchalem comediſse, qua illum manducarunt Judæi. His premiſsis obſervationibus.

DICO PRIMÒ: *Chriſtum, anno quo mortuus eſt, Paſcha celebraſſe, hoc eſt, comediſſe agnum paſchalem die decima quarta menſis Niſan in ſecundis veſperis.*

Probatur primò: Feſtivitas primæ diei azymorum incipiebat à ſecundis veſperis diei decimæ quartæ primi menſis, ſeu *Niſan*, atqui Chriſtus Dominus, anno quo mortuus eſt, agnum paſchalem cum Apoſtolis comedit primâ die azymorum, ergò Chriſtus, anno quo mortuus eſt, legale Paſcha peregit, die decimâ quartâ primi menſis in ſecundis veſperis. Major certa eſt, Judæi nàmque feſtos ſuos dies ab occaſu Solis ad alium occaſum ducebant, adeò, ut noctem ſequentem, & diem craſtinum ad noctem uſque excluſivè complecterentur; juxtà illud Levitici cap. 17. *A veſpera uſque ad veſperam celebrabitis Sabbata veſtra*. Per Sabbata autem, quælibet feſta, maximè verò ſolemniora intelliguntur. Cùm igitur prima dies azymorum, quę apud Hebræos ſolemnis erat, ſemper incideret in diem decimam quintam primi menſis, ejus proindè feſtivitas incipiebat à ſecundis veſperis diei decimæ quartæ. Prob. minor ex teſtimonio trium Euangeliſtarum, qui conceptis verbis aſſerunt Chriſtum primâ azymorum die legale Paſcha celebraſſe, ſeu agnum paſchalem cum Diſcipulis ſuis comediſſe. In primis *S. Matthæus* cap. 26. hæc habet: *Prima autem die azymorum, acceſſerunt Diſcipuli ad Jeſum, dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Paſcha? Sanctus Marcus* cap. 14. *Et primo die azymorum, quando Paſcha immolabant, dicunt ei Diſcipuli, quò vis eamus, & paremus tibi ut manduces Paſcha*. Denique *Sanctus Lucas* cap. 22. *Venit autem dies azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha. Et miſit Petrum & Joannem, dicens: Euntes, parate nobis Paſcha ut manducemus.* Ex quibus locupletiſſimis Euangeliſtarum teſtimoniis Sole clariùs patet, Chriſtum comediſſe cum Diſcipulis ſuis Paſcha legale ineunte jàm ſolemnitate primæ diei azymorum, hoc eſt, in ſecundis veſperis diei

Digitized by Google

diei decimæ quartæ primi menſis, tunc enim incipiebat ſolemnitas primæ diei azymorum.

Probatur ſecundò: Agnus paſchalis, ut in confeſsò eſt apud omnes, comedi debebat, juxtà legis præſcriptum, die decimâ quartâ primi menſis in ſecundis veſperis, ergò Chriſtus, anno quo mortuus eſt, agnum paſchalem comedit cum Diſcipulis ſuis die decimâ quartâ primi menſis in ſecundis veſperis. Ant. à nemine negatur. Prob. conſeq. Primò, quia credibile non eſt Chriſtum, qui Moſaicam legem ad ſummos juris apices jugiter obſervavit, voluiſſe in ſupremi Paſchatis celebratione eam transgredi, & antevertere legitimam diem ad Paſcha peragendum præfixam, hoc eſt, diem decimam quartam primi menſis ad veſperam. Secundò, ſi Chriſtus, anno quo mortuus eſt, Paſcha legale non peregiſſet die decimâ quartâ in ſecundis veſperis, ſicut erat in lege præſcriptum, ſed illud celebraſſet die decimâ tertia ad veſperam, ut affirmant Græci, omni procul dubio Judæorum Sacerdotes, qui criminationum cauſas ad perdendum Chriſtum undique quærebant, ipſum violatæ legis palàm inſimulaſſent, integrâ ſiquidem die legitimam Paſchatis celebrationem anticipaſſet Chriſtus; quod quidem à Juda proditore facilè admodùm reſcire potuiſſent Principes Sacerdotum, qui tamen hanc in celebrando Paſchate legis transgreſſionem nunquàm Chriſto objecerunt. Denique ſi Chriſtus, anno quo mortuus eſt, diem ad Paſcha peragendum à lege præfixam antevertiſſet, non auſus fuiſſet ille Pater-familias, ad quem Chriſtus miſit Diſcipulos ut Paſcha apud ipſum pararent, cœnaculum ſuum ad agnum paſchalem die non legitima comedendum præbere, juſtè quippe timuiſſet, ne intempeſtivâ illa legis transgreſſione Judæorum odium in ſe concitaret, pœnaſque lueret, quæ transgreſſoribus legis infligebantur. Ex his ergò momentis perſpicuum eſt, Chriſtum Dominum, anno quo mortuus eſt, paſcha celebraſſe, ſeu agnum paſchalem comediſſe die decimâ quartâ primi menſis in ſecundis veſperis.

Reſpondet P. *Lamy*, Chriſtum, cùm eſſet legis obſervantiſſimus, legale Paſcha, anno quo mortuus eſt, celebrare nec potuiſſe, nec debuiſſe, nec voluiſſe. Supponit quippè prædictus Auctor anno æræ Chriſtianæ trigeſimo tertio, cui conſignat mortem Chriſti, diem decimam quartam primi menſis cępiſſe, juxtà calculum Aſtronomicum, feriâ quintâ, ſeu die Jovis poſt occaſum Solis, cùm igitur Chriſtus cruci fuerit affixus die ſequenti, ſeu die Veneris, juxtà perantiquam Eccleſiæ traditionem, ſequitur Chriſtum mortuum fuiſſe in fine, ſeu in ſecundis veſperis diei decimæ quartæ, ac ſubindè eum, morte præventum Paſcha legale, quod dumtaxàt in ſecundis veſperis diei decimæ quartæ mactari & comedi debebat, peragere nec potuiſſe, nec debuiſ-

Digitized by Google

debuiſſe, nec voluiſſe. Ad teſtimonium verò trium Evangeliſtarum, qui aſſerunt Diſcipulos acceſſiſſe ad Chr iſtum dicentes: *Ubi vis paremus tibi comedere Paſcha?* Reſpondet *P. Lamy*, Diſcipulos acceſſiſſe ad Chriſtum principio diei decimæ quartæ, hoc eſt, juxtà calculum Aſtronomicum *Patris Lamy*, feriâ quintâ, ſeu die Jovis poſt occaſum Solis, eosque à Chriſto poſtulaſſe: *Ubi vis paremus tibi comedere Paſcha?* Tunc enim, ſeu principio diei decimæ quartæ Paſcha parari debebat, ædes ſiquidem, in quibus agnus paſchalis in fine, ſeu in ſecundis veſperis diei decimæ quartæ mactandus, & comedendus erat, expurgari oportebat ab omni fermento, quod fieri ſolebat magnâ adhibitâ diligentiâ & religione, comparandæ etiam erant placentæ infermentatæ, & aliæ hujusmodi res venales, quæ peragendo Paſchati prorsùs neceſſariæ erant. Miſſi itàque ſunt Petrus, & Joannes principio diei decimæ quartæ, ſeu die Jovis poſt occaſum Solis ut Paſchati parando incumberent, Chriſtus tamen, qui paulò poſt, ſeu facto veſpere ejusdem diei, ſeu feriæ quintæ in ſerotina cœna cum duodecim Apoſtolis diſcubuit, agnum paſchalem non comedit, quia agnus paſchalis non in exordio diei decimæ quartæ, ſed tantùm ſub finem ejusdem diei ritè, & ſecundùm legem immolari, & comedi debebat. Cùm igitur Chriſtus ſub finem diei decimæ quartæ, ideſt, feriâ ſextâ, ad cujus veſperam agnus paſchalis comedi debebat, in cruce pependerit; non potuit hoc anno legale Paſcha, quod à Petro, & Joanne fuerat anteriori die præparatum, comedere morte impeditus.

Verùm hæc Reſponſio *P. Lamy* multis momentis falſi convinci poteſt. Primò, quia gratis ſupponit hic Auctor Chriſtum mortuum eſſe anno trigeſimo tertio æræ vulgaris, cùm tamen, ſicut ſuprà à nobis oſtenſum eſt, longè probabiliùs ſit Chriſtum mortuum eſſe anno vigeſimo nono ęrę vulgaris ſub Conſulatu duorum geminorum, quo ſemel admiſſo, nullius planè roboris eſt argumentum, quod ex obſervationibus Aſtronomicis deſumit *Pater Lamy*. Secundò, hic Auctor falsò ſupponit principio diei decimæ quartæ ædes ab omni fermento expurgari debuiſſe; Judæis ſiquidem, juxtà legem, pane fermentato veſci licebat principio diei decimæ quartæ, & ab eo abſtinere dumtaxàt debebant in ſecundis veſperis ejusdem diei decimæ quartæ, tunc enim incipiebat feſtivitas primæ diei azymorum: *Septem diebus*, inquit Scriptura, *erunt azyma*, *in die primo non erit fermentum in domibus veſtris*. Neceſſe ergo non erat ut principio diei decimæ quartæ ædes ab omni fermento expurgarentur. Tertiò, non eſt veriſimile Diſcipulos Chriſti principio diei decimæ quartæ ab illo poſtulaſſe: *Ubi vis paremus tibi comedere Paſcha?* Quandoquidem non ignorabant Diſcipuli Chriſti, Paſcha celebrari, ſeu agnum paſchalem mactari, & comedi, tantùm debere, juxtà legis præſcri-

Fff ptum,

ptum, ſub finem diei decimæ quartæ. Intempeſtiva ergo fuiſſet illa Diſcipulorum interrogatio, ſi ab illis facta fuiſſet principio diei decimæ quartæ, ut ſupponit *P. Lamy*. Quartò, ſacri Euangeliſtæ *Matthæus, Marcus*, & *Lucas*, hanc diem, quâ Diſcipuli acceſſerunt ad Chriſtum ad parandum Paſcha, appellant *primam diem azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha, quandò Paſcha immolabant Judæi*, porrò, prima dies azymorum, ut conſtat apud omnes, non à principio, ſed à fine diei decimæ quartæ incipiebat. Paſcha itidem, ſeu agnus paſchalis occidi, & immolari debebat ſub finem diei decimæ quartæ, Diſcipuli ergo ſub finem diei decimæ quartæ acceſſerunt ad Chriſtum dicentes: *Ubi vis paremus tibi comedere Paſcha?* Ac ſubindè fallitur *Pater Lamy*, dùm aſſerit: Diſcipulos principio diei decimæ quartæ acceſſiſſe ad Chriſtum ad parandum Paſcha. Miſſi autem ſunt à Chriſto Domino *Petrus*, & *Joannes* ad parandum Paſcha, non poſt occaſum Solis, ſeu horâ ſextâ poſt meridiem, ut ait *Pater Lamy* (tunc enim non potuiſſent hi Diſcipuli parare Paſcha, quia jàm effluxiſſet præfixum tempus agni paſchalis immolationis, quæ antè horam poſt meridiem ſextam fieri debebat) ſed miſſi ſunt *Petrus*, & *Joannes* ad parandum Paſcha horâ circiter prima poſt meridiem exeuntis diei decimæ quartæ; quo fit, ut hac hora è Bethania confeſtim profecti ſat temporis habuerint ad emendum, & præparandum agnum paſchalem, quem, antè horam poſt meridiem ſextam ejuſdem diei decimæ quartæ, mactari, & immolari oportebat. Quintò, tres mox memorati Euangeliſtæ, poſtquàm dixerunt Diſcipulos miſſos à Chriſto paraſſe Paſcha, confeſtim exhibent Chriſtum diſcumbentem cum Apoſtolis, & cœnantem cum illis: *Et cùm facta eſſet hora diſcubuit, & duodecim Apoſtoli cum eo, & ait illis: Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum antequàm patiar*. Quid autem, amabo, Chriſtus in illa ultima cœna, quam egit cum Diſcipulis ſuis, manducavit niſi legale Paſcha, ad quod præparandum paulò antè miſerat Diſcipulos ſuos Petrum, & Joannē? Nec enim veroſimile eſt illos Diſcipulos miſſos à Chriſto, ut pararent Paſcha, cibos duntaxàt communes præparaſſe, quibus in ultima cœna unà cum Chriſto paſcerentur. Idque confirmatur ex verbis, quæ Chriſtus inter cœnandum protulit *Lucæ* cap. 22. *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum antequam patiar*. Hoc eſt, ardentiſſimè deſideravi hanc cœnam paſchalem vobiſcum peragere, in qua ſingularia, & eximia amoris mei vobis exhibiturus ſum argumenta, & magna myſteria traditurus antequam patiar; Paſcha ſiquidem manducare, ſemper de agno paſchali in Scripturis ſacris intelligitur. Nec valet, quod reponit *Pater Lamy*; hoc vehemens deſiderium Chriſti manducandi agnum paſchalem non fuiſſe impletum. Non valet,

valet, inquam, iſta reſponſio, primò, quia Chriſtus hanc ultimam cœnam cum Apoſtolis ſuis peregit primâ die azymorum, ut teſtantur ſacri Euangeliſtæ, hoc eſt, ſub finem diei decimæ quartæ, quandò ex legis præſcripto immolabatur, & comedebatur agnus paſchalis, ut quid ergo Chriſtus in hac ultima cœna agnum paſchalem non manducaſſet? Secundò, Chriſtus non juſſiſſet Diſcipulis ſuis, ut Paſcha, ſeu agnum paſchalem eâ die præpararent, ſi prævidiſſet fore ut morte præventus agnum paſchalem hoc anno manducare non poſſet. Tertiò, Chriſtus juſſit Petro, & Joanni, ut dicerent ei, apud quem cœnam paraturi erant: *Ubi eſt refectio mea, ubi Paſcha cum Diſcipulis meis manducem?* Quæro igitur an Chriſtus Paſcha celebraverit apud eum, cujus domum indicaverat, nec ne? Si primum: ergo Chriſtus anno, quo mortuus eſt, legale Paſcha peregit, ſeu agnum paſchalem reverà comedit. Si ſecundùm: ergo Chriſtus vanâ ſpe lactavit eum, cujus, ad parandum Paſcha, domum Petro, & Joanni indicaverat, ſuiſque, quod citrà impietatem dici haud poteſt, promiſſis non ſtetit. Nec efficacior eſt altera ejuſdem Auctoris reſponſio, dùm ait: Chriſtum per *Paſcha* deſignare voluiſſe Sacroſanctam Euchariſtiam, quam in ultima cœna inſtituere debebat; non, inquam, efficacior eſt illa reſponſio, nàm licèt hæc verba: *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum*, ad Euchariſtiam,quam Chriſtus in ultima cęna inſtituit, poſſint ex parte referri; certum tamen eſt ea potiſſimùm à Chriſto dicta fuiſſe, ut intelligerent Apoſtoli ſermonem eſſe de agno paſchali, & de aliarum rerum ad ipſius comeſtionem apparatu, quod jàm eis ſat ſuperque declaraverat, dùm miſit Petrum, & Joannem, ut dicerent ei apud quem cœnaturus erat: *Apud te facio Paſcha cum Diſcipulis meis, Matth.* cap. 26. *Ubi eſt refectio mea, ubi Paſcha cum Diſcipulis meis manducem? Marci* cap. 14. Addo etiam Chriſtum Dominum, dùm protulit hæc verba: *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum*, voluiſſe per promomen *hoc* indigitare rem aliquam præſentem, tunc autem necdùm præſens erat Euchariſtia, quia eam Chriſtus ſolùm poſt cœnam legalem inſtituit; non ergo Euchariſtiam, ſed agnum paſchalem per hæc verba Chriſtus deſignare voluit. Denique ex hac reſponſione *Patris Lamy* tria graviſſima emergunt incommoda, quæ hic breviter ſubiicio.

Primò: Si Chriſtus ultimam cœnam, in qua Sacroſanctam inſtituit Euchariſtiam, peregiſſet principio diei decimæ quartæ, ideſt, exeunte die decima tertia primi menſis, ſicut aſſerit *P. Lamy*, ſequeretur Chriſtum., dùm inſtituit Euchariſtiam, non pane azymo, ſed fermentato uſum fuiſſe. Judæi ſiquidem principio diei decimæ quartæ, ſeu ſub finem diei decimæ tertiæ primi menſis panem fermen-

tatum comedebant. Quis autem non videt, ſi ſemel concedatur Chriſtum in ultima cœna pane fermentato uſum fuiſſe, Græcos, qui Euchariſtiam in pane fermentato conficiunt, validum indè, & palmare ex Chriſti exemplo poſſe deſumere argumentum ad improbandum ritum Eccleſiæ Latinæ, quæ in Euchariſtiæ confectione utitur pane azymo. Ut igitur Eccleſiæ Latinæ in azymo conſecrantis ritum contra Græcos vindicemus, neceſſe eſt, ut dicamus Chriſtum ultimam cum Apoſtolis ſuis cœnam peregiſſe non principio diei decimæ quartæ, ſed ſub finem ejusdem diei, quandò videlicèt Judæi Paſcha immolabant, & à pane fermentato abſtinebant. Hinc Sancti Patres diſputantes adversùs Quartodecimanos, qui aſſerebant Chriſtianos perindè, ac Judæos Paſcha celebrare debere die decimâ quartâ in quamcumque hebdomadæ diem incideret, eo quod ſuum Paſcha eâ die Chriſtus celebraſſet, nunquam hi Sancti Patres illos Hæreticos impugnantes negarunt Chriſtum Paſcha ſuum celebraſſe die decimâ quartâ primi menſis, id etiam nuſquam negavit *Victor* Papa contra Aſiaticos agens, nec Concilium Nicœnum primum, à quo Quartodecimanorum error proſcriptus eſt. Argumento igitur eſt Sanctos illos Patres pro comperto habuiſſe, Chriſtum ultimam cœnam, in qua Euchariſtiam inſtituit, peregiſſe non principio diei decimæ quartæ, ſeu die decimâ tertiâ exeunte, ut contendit *Pater Lamy*, ſed ſub finem diei decimæ quartæ, quandò Judæi agnum paſchalem comedebant.

Secundò, ex ſententia *Patris Lamy* aſſerentis Chriſtum morte præventum non potuiſſe comedere agnum paſchalem, ſequitur Apoſtolos, anno quo Chriſtus mortuus eſt, agnum paſchalem non comediſſe. Enim verò, quî credibile eſt die decima quarta, qua Chriſtum Dominum mortuum eſſe ſupponit *Pater Lamy*, & qua à Judæis agnus paſchalis comedi debebat, potuiſſe Apoſtolos, furente adhuc Judæorum rabie, ſimul in unum convenire locum ad edendum agnum paſchalem, vel in ſocietate Judæorum paſchalem cœnam peregiſſe? Apoſtoli igitur, anno quo Chriſtus mortuus eſt, juxtà ſententiam *P. Lamy*, legem de celebrando Paſchate violaſſent, pœnamque incurriſſent latam lib. Num. cap. 9. v. 13. *Si quis autem mundus eſt, & in itinere non fuit, & tamen non fecit Phaſe, exterminabitur anima illa de populis ſuis, quia ſacrificium Domino non obtulit tempore ſuo: peccatum ſuum ipſe portabit.*

Denique, hæc *P. Lamy* ſententia novitatem ſapit, & aliena eſt à perpetua Sanctorum Patrum tàm Græcorum, quàm Latinorum traditione, ex qua, ut fatetur hic Auctor, evidenter conſtat, Chriſtum, anno quo mortuus eſt, non ſolùm in ultima cœna, quam propediem moriturus peregit cum Diſcipulis ſuis, inſtituiſſe Euchari-

ſtiæ

ſtiæ Sacramentum,ſed etiam agnum paſchalem comediſſe. Hinc Concilium Tridentinum perpetuæ illius traditionis veſtigiis inſiſtens, ſtatuit, quod Chriſtus *celebrato veteri Paſcha, quod in memoriam exitus ex Ægypto multitudo filiorum Iſrael immolabat, novum inſtituit Paſcha, ſeipſum ab Eccleſia per Sacerdotes ſub ſignis viſibilibus immolandum in memoriam tranſitus ſui ex hoc mundo ad Patrem, quandò per Sanguinis ſui effuſionem nos redemit*. Eccleſia etiam in officio Corporis Chriſti, concinnato à S. Thoma id apertè innuit, dùm in hymno publicè canit:

Poſt agnum typicum expletis epulis,
Corpus Dominicum datum Diſcipulis &c.

Repudiatâ itàque ſententiâ *P. Lamy*, ſtandum eſt perpetuæ Sanctorum Patrum, & Eccleſiæ Catholicę traditioni, quia, juxtà Concilii Tridentini ſanctionem ſeſſ. 4. nemo ſuæ prudentiæ innixus, Scripturam ſacram ad ſuos ſenſus contorquens, contrà eum ſenſum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione Scripturarum ſacrarum, aut etiam contrà unanimem conſenſum Patrum, ipſam Scripturam interpretari debet. Alia argumenta, quibus convellitur hæc ſententia *Patris Lamy*, fuſiori calamo Auctor Gallicę Analyſæos diſſertatione vigeſima nona proſequitur.

DICO SECUNDÒ: *Judæos, anno, quo Chriſtus mortuus eſt, Paſcha peregiſſe, ſeu agnum paſchalem comediſſe die decima quarta primi menſis in ſecundis veſperis.*

Hanc aſſertionem negant moderni quidem Scriptores, quos inter potiſſimùm recenſetur *P. Mauduit* Congregationis Oratorii Presbyter, Auctor Gallicæ Analyſæos, qui diſſertatione vigeſima nona licèt fateatur Chriſtum, anno, quo mortuus eſt, Paſcha, juxtà præſcriptum legis, ſub finem diei decimæ quartæ primi menſis, hoc eſt, ad veſperam diei Jovis, celebraſſe; docet tamen diſſertat. triceſima, Judæos, anno, quo Chriſtus cruci affixus eſt, Paſcha ſuum diſtuliſſe uſque ad diem decimam quintam primi menſis, ideſt, uſque ad veſperam diei Veneris, qua crucifixerunt Chriſtum, quæ dies, quamvis à conjunctione Lunæ cum Sole fuerit reverà dies decima quinta primi menſis reſpectu tamen Judæorum, qui anno, quo Chriſtus mortuus eſt, *Neomeniam*, ſeu Novilunium die duntaxàt ſequenti poſt conjunctionem Lunæ cum Sole conſecrarunt, fuit dies decima quarta primi menſis. Ut autem ſuum ſyſtema probet prædictus Auctor, ſupponit feſtum azymorum, anno, quo Chriſtus mortuus eſt, incidiſſe in feriam ſextam, ſeu in diem Veneris, ac ſubindè,

cùm

cùm Sabbatum, quod erat apud Judæos feſtum, continuum eſset; duos dies feſtos; anno, quo Chriſtus mortuus eſt, proximè fuiſse conſequtos. Sed quia hæc feſtorum conſecutio populo gravis erat, cùm nec ſepelire mortuos in fervidis illis regionibus, nec alia hujusmodi opera etiam pia, nec multùm laborioſa diebus feſtis Judæi factitare poſsent, indè colligit doctiſſimus ille Auctor, Judæos, anno, quo Chriſtus mortuus eſt, juxtà decretum Synedrii, majorumque ſuorum traditionem, Neomeniam tranſtuliſse ad diem ſequentem poſt conjunctionem Lunæ cum Sole. Ex qua conſecrationis Neomeniæ tranſlatione ait: Primò, factum eſſe ut dies decimus quartus primi menſis, à Neomeniæ conſecratione, inciderit, anno, quo Chriſtus mortuus eſt, in feriam ſextam, ſeu in diem Veneris, ad cujus veſperam Judæi agnum paſchalem manducarunt, quem Chriſtus unà cum Diſcipulis ſuis comederat antecedenti die, qui, à conjunctione Lunæ cum Sole, fuit decimus quartus primi menſis. Quapropter, juxtà illum Auctorem, Chriſtus, & Judæi agnum paſchalem hoc anno manducarunt die decima quarta primi menſis, cum hoc tamen diſcrimine, quod Chriſtus, anno, quo mortuus eſt, legale Paſcha ad veſperam diei decimæ quartæ primi menſis à conjunctione Lunæ cum Sole peregit, Judæi verò, anno quo Chriſtus paſsus eſt, Paſcha celebrarunt ad veſperam diei decimæ quartæ primi menſis, juxtà tranſlationem Neomeniæ auctoritate Synedrii factam ad diem ſequentem poſt conjunctionem Lunæ cum Sole. Secundò ait *R. P. Mauduit* ex hac Neomeniæ tranſlatione ad diem ſequentem poſt conjunctionem Lunæ cum Sole factum eſse; ut primus azymorum dies feſtus qui, anno, quo Chriſtus mortuus eſt, incidere debebat in diem Veneris, translatus ſit in Sabbatum, ſicque cautum ſit ne duo continenter dies feſti conſequerentur. Hæc eſt ratio, qua præcipuè nititur doctiſſimus *Pater Mauduit*, quæ multis momentis falſi convinci poteſt.

Primò, quia etſi Judæi modo in kalendariis ſuis ità Neomenias diſponere ſoleant, ut feſti dies cum Sabbato nunquàm continui ſint, atque ut hoc vitent incommodum, canones quosdam habeant de ſuis feſtis, quos accuratè obſervant, qualis ille eſt de Paſchate, *nunquam Badu Paſcha*, ideſt, Paſcha nunquam incidat in ſecundam, quartam, aut ſextam feriam, ſeu in dies Lunæ, Mercurii, Veneris hac voce *Badu* ſignificatas; certum tamen eſt illos canones, quibus impræſentiarum utuntur moderni Judæi, fuiſse antiquis Judæis penitùs ignotos tempore paſſionis Chriſti. Id demonſtrant viri eruditi tùm ex Talmudicis libris longè poſt paſſionem Chriſti ſcriptis, qui paſſim meminere feſtorum, quæ Sabbato continua ſunt; tùm etiam ex teſtimonio *Aben Ezra* peritiſſimi Rabbini, qui in cap. 23. Levitici aſse-

aſſerit tàm ex *Miſna*, quàm ex *Talmude* probari Paſcha in ſecundam, quartam, & ſextam feriam plerùmque incidiſse. Idem demonſtrat *Abbas Bartholocius* in Bibliotheca Rabbinica ex *Miſna*, & *Gemara*. Suppetit etiam in lib. 13. antiq. Jud. cap. 16. exemplum feſti Sabbato continui, refert quippè ibidem Joſephus ex Nicolao Damaſceno: Antiochum pugnaturum adverſus Parthorum ducẽ duobus diebus in itinere fuiſſe remoratum, petente Hyrcano Judæo propter feſtorum celebrationẽ, in qua non erat legitimum Judęos proficiſci, nàm quinquageſima feſtivitas, ideſt, Pentecoſtes, poſt Sabbatum inſtabat, in qua Judæis minimè licèt, vel in Sabbatis, vel in feſto die viam conficere. Denique, Sancti Patres, & Scriptores Eccleſiaſtici, *Euſebius* lib. 5. hiſt. Eccl. cap. 23. *Epiphanius* hæreſi 50. *Auguſtinus* de hæreſibus cap. 29. *Philaſtrius* in hæreſi de feſto Paſchatis, *Theodoretus* lib. 3. fab. Hæret. & multi alii affirmant Quartodecimanos (quibus ſolemne erat iiſdem diebus Paſcha celebrare, quibus Judæi) Paſcha peregiſse in quamlibet hebdomadis diem incidebat, nulla excepta. Quod quidem argumento eſt, Judæos tùm temporis Neomenias necdùm ſuo loco moviſse, ne paſchale feſtum Sabbato continuum eſset, ac proindè iſtam feſtorum translationem à recentioribus Judæis fuiſſe invectam.

Secundò: Agnus paſchalis non potuit alibi immolari, quàm in Templo Hieroſolymitano, poſt ſanguinem ad Altare fuſum, & adipem igne abſumptum, ſicut docet *Maimonides* lib. de Paſchate cap. 1. ſect. 6. In Templo autem mactari haud potuit agnus paſchalis, niſi omni conſentiente populo, quò fit ut dies mactationis agni paſchalis à privato homine anticipari minimè potuerit, juxtà illud Exodi cap. 12. v. 6. *Immolabitque eum*, ideſt, agnum, *univerſa multitudo filiorum Iſrael ad veſperam*. Si igitur Judæi, anno quo Chriſtus mortuus eſt, Paſcha ſuum diſtuliſſent ad veſperam diei decimæ quintæ, agnus paſchalis fuiſſet hoc anno dumtaxàt immolatus in Templo Hieroſolymitano die decimâ quintâ, ex quo ſequeretur Chriſtum, qui paſcha celebravit ſub finem diei decimę quartæ, agnum paſchalem comediſſe in Templo Hieroſolymitano non mactatum, eoque facto legem violaſſe.

Tertiò: Si Judæi, anno quo Chriſtus mortuus eſt, judicio, & decreto Senatus *Sanhedrin*, Paſcha ſuum ad diem decimam quintam tranſtuliſſent, procul dubio Chriſtus, celebrando Paſcha ad veſperam diei decimæ quartæ, Judæos offendiſſet, quippè qui feſtum non obſervaſſet ſecundùm illam diem, quæ fuiſſet præfixa à Synedrio, cujus judicio omnes Judæi parêre tenebantur, etiamſi in conſecrandis Neomeniis, ſeu Noviluniis, & in deſignandis feſtis diebus in aliquem errorem incidiſſet, ſicut teſtatur *Maimonides* in tractatu *Kidduſch Hak*

Ko-

Kodesh, ſeu de conſecr. menſis cap. 2. n.10. his verbis: *Cùm Domus Judicii*, ſeu Sanhedrin, *Neomeniam conſecravit, ſive erret, aut in errorem incidat, illa tamen eſt conſecrata: nec quiſquam eſt, qui non teneatur feſta obſervare, ſecundùm illam diem, licèt errorem noverit.*

Quartò: Supponit doctiſſimus *P. Mauduit*, Judæos à conjunctione Lunæ cum Sole, juxtà rigorem Aſtronomicum, Neomeniam computare ſolitos eſſe, & ab eis dumtaxàt Neomeniam ad diem ſequentem poſt conjunctionem Lunæ cum Sole fuiſſe translatam, quando duo feſta hoc anno fuiſſent continua. Atqui hanc doctiſſimi illius Auctoris ſuppoſitionem falſam eſſe, liquet ex his quæ diximus in §.2. diſſert.XV. ubi in reſponſ. ad 3. objectionem obſervavimus, Judæos antè Urbis Hieroſolymitanæ cladem, nullis cyclis, tabulisve Aſtronomicis in ſtabilienda anni ſui forma uſos eſſe, nec à conjunctione Lunę cum Sole Neomenias, ſeu Novilunia computaſſe, ſed tantùm ab aſpectu, ſeu ab apparitione Lunæ; quæ apparitio, uno, aut altero die poſterior eſt conjunctione Lunæ cum Sole. Stare ergo non poteſt ſyſtema *P.Mauduit* falsâ illâ ſuppoſitione ſuperſtructum.

Quintò: Moderni illi Auctores, qui aſſerunt Judæos, anno quo Chriſtus mortuus eſt, Paſcha ſuum tranſtuliſſe uſque ad diem decimam quintam, ut hoc pacto prima dies azymorum, quæ apud Judęos feſtiva erat, incideret in Sabbatum, ne duo feſta continua eſſent, non vident, inquam, moderni illi Auctores ſe in eamdem impingere difficultatem, nàm ſi anno quo Chriſtus mortuus eſt, prima azymorum dies, judicio & decreto Sanhedrin, in Sabbatum eſt translata, ſequitur ultimum, ſeu ſeptimum azymorum diem incidiſſe in diem Veneris, & cum ſequente Sabbato fuiſſe continuum, cùm igitur ſeptimus azymorum dies apud Judæos perindè feſtus eſſet, ac primus, non potuiſſent Judęi per illam Paſchatis translationem ad diem decimam quintam, hoc eſt, ad veſperam diei Veneris factam impedire quo minùs duo feſta, anno quo Chtiſtus mortuus eſt, eſſent continua. Quapropter illi Auctores incidunt in Scyllam volentes vitare Charybdim.

Denique *S.Thomas* 3.p. q.46. art.9.ad 1. diſertè docet Chriſtum, anno quo mortuus eſt, unà cum Judæis eadem die, ſeu decimâ quartâ primi menſis in ſecundis veſperis Paſcha celebraſſe. Sic enim loquitur: *Et ideò quidam dicunt, quod Chriſtus die convenienti (ideſt, decima quarta Luna) Paſcha cum Diſcipulis ſuis manducavit, demonſtrans, quod uſque ad ultimum diem non erat contrarius legi; ut Chryſoſtomus dicit ſuper Matthæum; ſed Judæi occupati circà procurationem mortis Chriſti contrà legem celebrationem Paſchæ in craſtinum diſtulerunt . . . . . . Sed nec illud videtur conſonum verbis Marci, dicentis: Primo die azymorum, quandò Paſcha immolabant. Simùl ergò Chriſtus, & Judæi vetus Paſcha celebrarunt.* Do-

Digitized by Google

Doctiſſimus *P. Paulus Pezronius* Ordinis Ciſtercienſis, & ſacræ Facultatis Pariſienſis Doctor, in erudita admodùm Diſſertatione, quam ſuæ Hiſtoriæ Euangelicæ ſubjecit, exiſtimat Chriſtum, anno quo è vivis abiit, legale paſcha eadem die cum Judæis non celebraſſe. Quod, ut probet, principii loco ponit, veteres Hebræos uſos eſſe & annis, & menſibus lunaribus, ſic tamen ut menſis lunaris inciperet vel ab ipſa conjunctione Lunæ cum Sole, quandò videlicet fit interlunium, vel à prima Lunæ phaſi, ſeu apparitione; ex quo colligit prædictus Auctor duas apud Judæos fuiſſe Neomenias, priorem nimirùm à conjunctione Lunæ cum Sole, poſteriorem verò à prima Lunæ phaſi computatam, ac ſubindè duplicem itidem fuiſſe diem decimum quartum Lunæ, quo paſcha apud Judæos celebrari poterat; undè concludit Chriſtum, anno quo mortuus eſt, paſcha peregiſſe, ſeu agnum paſchalem cum Diſcipulis ſuis comediſſe die decimo quarto Lunæ ab ipſa conjunctione, qui erat dies Jovis, Principes verò Sacerdotum, & Judæos paſcha celebraſſe, ſeu manducaſſe agnum paſchalem die inſequenti, ſeu die Veneris, qui erat dies decimus quartus à phaſi, ſeu ab apparitione Lunæ.

Verùm illius Auctoris ſententia parùm probabilitatis habet. Nàm quamvis recentiores Judæi, teſte *Buxtorfio*, feſtum paſchatis per duos dies celebrari ſoleant, quò certiores ſint, & à vero feſti die omninò non aberrent, quamvis etiam veteres Judæi, ſi qui erant à Judæa remotiores, binos in celebratione Paſchatis dies obſervarent, quia certò ipſis innoteſcere haud poterat dies, qua Judæi Hieroſolymitani decreviſſent celebrare cujusque menſis Neomeniam, ex qua reliqua feſta pendebant, ſicut ait *Maimonides* in lib. de die feſto cap.6. ſect.14. Attamen nullo antiquitatis monumento, vel Auctoris probatæ fidei teſtimonio evinci poteſt in Judæa, & Hieroſolymis alios fuiſſe Judæos, qui uno die, alios, qui altero die Paſcha immolarent. Immò omnes Judæos, qui in Judæa, vel Hieroſolymis erant, eodem die Paſcha celebraſſe, indè facilè colligitur, quod Hieroſolymis nullum de die, quo Paſcha celebrari debebat, diſſidium eſſe poterat. Ibi quippè aderat Sanhedrin, ſeu Judæorum Senatus, ad quem ex officio tantummodò ſpectabat Neomenias conſecrare, itaut omnes tenerentur feſta obſervare ſecundùm illam diem, quam domus judicii, ſeu Sanhedrin decreviſſet, quamvis in illa die aſſignanda in aliquem errorem incidiſſet, ſicut ex *Maimonide* jam obſervatum eſt. Non eſt ergò veroſimile Chriſtum Hieroſolymis, anno quo mortuus eſt, una die celebraſſe Paſcha, reliquos verò Judæos, aut Judæorum maximam partem altera die Paſcha immolaſſe. Addo etiam falsò ſupponi à doctiſſimo illo Auctore duas apud Judæos fuiſſe Neomenias, priorem nimirum à conjunctione

Lunæ cum Sole, poſteriorem verò à prima Lunæ phaſi, ſeu apparitione computatam. Certum quippè eſt, ut ſupra obſervavimus, Judæos, tempore paſſionis Chriſti, Neomeniam, non à conjunctione Lunæ cum Sole, ſed à ſola phaſi, ſeu Lunæ apparitione computaſſe. Quapropter dicendum eſt Chriſtum, anno quo mortuus eſt, eadem die cum Judæis, hoc eſt, ad veſperam diei decimæ quartæ Paſcha peregiſſe.

Pater Joannes Harduinus modernus Societatis Jeſu Scriptor, ad conciliandam apparentem antilogiam, quæ Joannem inter & alios Euangeliſtas circà ſupremum Chriſti Domini paſcha reperiri videtur, aſſerit Galilæos, & Iſraelitas ſejunctim à Judæis Paſcha Hieroſolymis celebrare ſolitos eſſe, ita ut feſta fuerint geminata, aliudque eſſet Paſcha Galilæorum, & Iſraelitarum, aliud paſcha Judæorum. Quo ſemel ſuppoſito, ait laudatus Auctor, quod Chriſtus Dominus, cùm in Galilæa altus, & educatus eſſet, peregit Hieroſolymis, anno quo mortuus eſt, unà cum Diſcipulis ſuis itidem Galilæis Paſcha die integrâ antè Paſcha Judæorum. Additque *Harduinus* beneficio illius ſyſtematis de duplici Paſchate Galilæorum videlicet & Judęorum, omnia, quæ in ea controverſia de ſupremo Chriſti paſchate viſa ſunt hactenùs viris eruditis intricata maximè, itá plana fieri & expedita, ut ne vel minimus quidem ſcrupulus animo hærere poſſit. Nàm, inquit, cum agnorum mactatio, quæ *Paſcha* dicitur, gemina foret, tres priores Euangeliſtæ, Matthæus, nimirum, Lucas, & Marcus, dùm dicunt Chriſtum primâ die azymorum, in qua neceſſe erat occidi paſcha, miſiſſe Petrum, & Joannem, ut pararent paſcha, tres illi Euangeliſtæ, inquit *Harduinus*, loquuntur de priori Galilæorum, & Iſraelitarum Paſchate, quod, anno quo Chriſtus mortuus eſt, præceſſit integrâ die paſcha Judæorum. Quandò verò *S. Joannes* cap. 19. diem, quâ Chriſtus mortuus eſt, appellat *Paraſceven Paſchæ*, voluit hic Euangeliſta, juxtà *Harduinum*, deſignare illud Paſcha, quod Judæi, anno quo Chriſtus mortuus eſt, peregerunt die ſequenti poſt Paſcha Galilæorum, & Iſraelitarum. In hoc ſitum eſt *Harduini* ſyſtema de ſupremo Chriſti Paſchate.

Sed hoc ſyſtema de ſupremo Chriſti Domini Paſchate, quod procudit *Harduinus*, quodque extat inter ſelecta illius *Patris* opera Amſtelodami anno 1709. typis excuſa, novum eſt, ac planè inauditum commentum, quod facilè refelli poteſt. Primò, quia tam in ſacris Litteris, quàm in Sanctis Patribus, & in omnibus Scripturæ ſacræ cùm antiquis, tùm modernis Interpretibus ne minimum quidem extat veſtigium duplicis Paſchatis Galilæorum ſcilicèt ac Judæorum, ſed unius dumtaxàt mentio fit paſchatis celebrandi Luna 14. primi menſis in ſecundis veſperis. Secundò, abhorret ab omni ſpecie veri,

quod

quod Chriſtus Dominus, qui ex tribu Juda, & ex proſapia David erat oriundus, voluerit cum Galilæis, & Iſraelitis paſcha peragere ſejunctim à Judæis, qui id ægrè non ſolùm tuliſſent, ſed Chriſtum indè calumniandi occaſionem arripuiſſent. Denique, fictitium omninò eſt, quod ad ſuum de duplici paſchate Galilæorum, & Judæorum ſyſtema adſtruendum affirmat *Harduinus*, videlicet ne Judæi eadem die cum Galilæis paſcha celebrarent, ſancitum eſſe ne Judæi in *badu* paſchate fungerentur, ſed ſolùm Galilæi, ideſt, ſtatutum eſſe, quod ſi in feriam ſecundam, quartam, vel ſextam, quæ hac voce *badu* deſignantur, paſcha incideret, tunc priori loco Galilæi paſcha peragerent, poſtridiè Judæi; ſi verò in cæteras quatuor ferias, videlicet primam, tertiam, quintam, & ſeptimam, paſcha incurreret, tunc Judæi illis feriis paſchate fungerentur, Galilæi autem & Iſraelitæ poſtero die. Id, inquam planè fictitium eſt, tùm quia nullo probatæ fidei teſtimonio nititur; tùm quia etiam, ut ſuperiùs oſtendimus, canones illi, quibus in præſentia Judæi utuntur, & quibus cautum eſt ne in *badu* paſcha celebretur, antiquis Judæis tempore paſſionis Chriſti fuerunt prorsùs incogniti. Apage ergò novum iſtud, ac malè conſarcinatum ſyſtema *Joannis Harduini*, cujus benè multas tam in hiſtoria, quàm in chronologia exerrationes retexit, & confutavit Auctor libri inſcripti: *Vindiciæ veterum Scriptorum contrà Joannem Harduinum Societatis Jeſu Presbyterum*.

DILUUNTUR OBJECTIONES.

Arguitur primò: Chriſtus, anno quo mortuus eſt, non potuit in ultima cœna, quam peregit cum diſcipulis ſuis, comedere Agnum Paſchalem, ergo Chriſtus, anno quo mortuus eſt, non celebravit Paſcha legale. Prob. anteced. Chriſtus non potuit comedere Agnum Paſchalem ea in cœna, quæ facta eſt ineunte die decimâ quartâ primi menſis, atqui ultima cœna, quam Chriſtus egit cum diſcipulis ſuis, facta eſt ineunte die decimâ quartâ primi menſis, ergo Chriſtus in ea ultima cœna Agnum Paſchalem comedere non potuit. Major certa eſt, Agnus ſiquidem Paſchalis ex legis præſcripto comedi tantùm, & immolari debebat ſub finem diei decimæ quartæ primi menſis, ac ſubindè ſi ultima cœna, quam Chriſtus egit cum diſcipulis ſuis, facta ſit principio diei decimæ quartæ primi menſis, non potuit Chriſtus in illa ultima cœna Agnum Paſchale manducare, alioquin legitimam diem ad celebrandum Paſcha anticipaſſet, eumque violatæ legis reum palàm accuſaſſent Judæi. Prob. minor ex cap. 13. S. Joannis: *Ante diem feſtum Paſchæ ſciens Jeſus quia venit hora ejus, ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem, cùm dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in*

finem dilexit eos. *Et cœna facta, &c.* ex quibus verbis liquet Chriſtum cum diſcipulis ſuis ultimam cœnam peregiſſe ante diem feſtum Paſchæ, ſeu antè immolationem Agni Paſchalis. Cùm igitur immolatio, & comeſtio Agni Paſchalis fieri deberent ſub finem diei decimæ quartæ, neceſſe eſt, ut Chriſti ultima cœna, quæ, teſte Euangeliſta Joanne, antevertit feſtum Paſchæ, ſeu immolationem Agni Paſchalis, peracta fuerit principio diei decimæ quartæ.

Reſpondeo: Apud Judæos triplex dierum genus fuiſſe olim in uſu, videlicet diem legalem à veſpera in veſperam, diem naturalem ab ortu Solis in ortum, diem uſualem à media nocte ad mediam noctem. Hoc triplex dierum genus communitèr à Judæis fuiſſe olim receptum ex multis Scripturarum exemplis, multiſque argumentis probari poſſe optimè obſervat *Pererius* in cap. 1. Geneſeos. Poſito autem ſemel hoc triplici genere dierum, qui in uſu fuere apud Hebræos, nullo negotio conciliari poteſt *Sanctus Joannes* cum aliis tribus Euangeliſtis. Enim verò quando *Matthæus*, *Marcus*, & *Lucas* aſſerunt Chriſtum peregiſſe cum diſcipulis ſuis ultimam cœnam primo die azymorùm, non intelligunt per primum diem azymorum, diem naturalem, vel diem uſualem feſti azymorum, ſed intelligunt primum diem legalem feſti azymorum, qui incipiebat à poſteriori veſpera diei decimæ quartæ primi menſis, dum videlicet immolabatur Agnus Paſchalis. Quando verò *Sanctus Joannes* ait: Chriſtum peregiſſe ultimam cœnam cum diſcipulis ante diem feſtum Paſchæ, innuit dumtaxat Chriſtum egiſſe ultimam cœnam autè diem uſualem feſti Paſchæ, hoc eſt, ante mediam noctem diei decimæ quintæ, vel antè diem naturalem feſti Paſchæ, ideſt, antè ortum Solis diei decimæ quintæ. Igitur *Sanctus Joannes* non legali, ſed more communi loquens, ſecundùm quem diem craſtinum non dicimus niſi eum, quem tranſactâ nocte Sol oriens adducit, rectè ſcribit feriam quintam, ſeu diem Jovis, ad cujus veſperam Chriſtus ultimam cum diſcipulis ſuis cœnam peregit, præceſſiſſe feſtum Paſchæ, quamvis ſecundùm legem feſtum Paſchatis, anno, quo mortuus eſt Chriſtus, ipsâ feriâ quintâ, ſeu die Jovis ad veſperam auſpicaretur. Nec verò, ut optimè obſervat Eminentiſſimus annalium Parens, à Scripturarum uſu aliena eſt ea loquendi conſuetudo, *Marcus* enim cap. 15. ut alia mittam exempla, ait: *Et cùm ſerò eſſet factum* (*quia erat Paraſceve, quod eſt ante Sabbatum*) *venit Joſeph, &c.* Certè, inquit *Baronius*, propriè loquendo illud *ſerò* non erat Paraſceve, ſed principium Sabbati. Sic itaque eodem modo, ait ille doctiſſimus Cardinalis, *Joannes* Euangeliſta veſpere illud diei decimæ quartæ, quando facta eſt cœna, nominat antè diem feſtum Paſchæ; cùm tamen eſſet, ſecundùm legem, principium feſti Paſchæ. Hanc reſponſionem paucis complectitur *Sanctus Thomas*

3.p.

3.p. q. 46. art. 9. ad 1. ubi hæc habet: *Cùm autem dicitur Joannis 13.* Antè diem feſtum Paſchæ, *intelligitur hoc fuiſse decima quarta Luna, quod tunc evenit quinta feria: nam Luna exiſtente decima quinta, erat dies ſolemniſſimus Paſcha apud Judæos; & ſic eumdem diem, quem Joannes nominat:* Antè diem feſtum Paſchæ, *propter diſtinctionem naturalem dierum, Matthæus nominat* primum diem azymorum; *quia ſecundùm ritum Judaicæ feſtivitatis ſolemnitas incipiebat à veſpera præcedentis diei.*

Arguitur ſecundò: *Sanctus Joannes* cap. 18. ſic loquitur: *Erat autem mane: & ipſi,* ideſt Judæi, *non introjerunt in Prætorium, ut non contaminarentur: ſed ut manducarent Paſcha.* Quibus verbis apertè innuere videtur *Sanctus Joannes*, Judæos feriâ ſextâ, ſeu die Veneris, quâ Chriſtus damnatus, & Cruci affixus eſt, Agnum Paſchalem necdum comediſſe. Cùm igitur Judæi ex legis præſcripto Agnum Paſchalem immolare, & manducare deberent ad veſperam diei decimæ quartæ primi menſis, clarè ex hoc *Sancti Joannis* teſtimonio colligitur, vel Chriſtum paſsum eſse die decimâ quartâ, ac ſubindè morte præventum non potuiſse Agnum Paſchalem comedere, vel Judæos, anno quo Chriſtus mortuus eſt, ſuum transtuliſſe Paſcha ad diem decimam quintam primi menſis. Huic argumento tantùm tribuit *Iſaacus Caſaubonus* exercit. 16. in annales Baronii num. 34. ut putet, ſi res æquis animis, abdicatiſque præjudiciis, æſtimetur; locum hunc, vel ſolum ſufficere debere confutandæ vulgatæ opinioni, quæ aſſerit Salvatorem, & Judæos eodem die comediſſe Paſcha.

Reſpondeo: *τὸ Paſcha* non modò ex uſu Scripturæ ſacræ Agnum Paſchalem ſignificare, ſed etiam alias victimas, quibus Judæi, qui ſe re aliquâ lege prohibitâ non contaminaſsent, per ſeptem azymorum dies veſci poterant, videlicèt agnos, vitulos, arietes, hircos, boves, tauros, &c. hæc quippè erant pacifica ſacrificia, quæ per ſeptem azymorum dies offerri, & immolari ſolita erant. Sic in ſolemni Paſchate ſub Rege Ezechia 2. Paralip. cap. 30. *Comederunt ſeptem diebus ſolemnitatis immolantes victimas pacificorum.* Et Deuteron. cap. 12. ſic loquitur Deus: *Immolabis Phaſe*, ſeu Paſcha, *Domino Deo tuo de ovibus, & bobus in loco quem elegerit Dominus.* Ubi *Paſcha* nomine, oves, boves, aliæque victimæ, quæ per ſeptem azymorum dies offerri ſolenne erat, palàm deſignantur. Quando ergo Euangeliſta *Joannes* ait: Judæos noluiſſe *introire in Prætorium, ut non contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha.* Per *Paſcha*, inquit *Sanctus Thomas* loco mox laudato, *non intelligitur Agnus Paſchalis, qui immolatus fuerat decima quarta Luna, ſed dicitur cibus Paſchalis, ideſt azymi panes, quos oportebat comedi à mundis.* Addo etiam cum eodem Doctore Angelico, quod *Paſcha* poteſt ſumi pro toto feſto Judæorum, quod ſeptem diebus agebatur, idque patet ex cap. 12. Actuum Apoſtolorum, ubi *Sanctus* Lucas narrat,

rat, quod Herodes captum Petrum detruſit in carcerem, *volens poſt Paſcha producere eum populo*. Quid autem per Paſcha intelligat *Sanctus Lucas*, apertè ibidem declarat dicens: *Erant autem dies azymorum*.

Arguitur tertiò: *Sanctus Joannes* cap.19. hæc habet: *Erat autem Paraſceve Paſcha, hora quaſi ſexta*, loquitur ibi ſacer ille Euangeliſta de tempore, quo Chriſtus Dominus damnatus,& in Crucem actus eſt, eumque ipſum diem, quo Chriſtus mortuus eſt, appellat *Paraſceven Paſcha*, ideſt pridiè ante Paſcha; manifeſtum igitur eſt ex contextu Euangelii Sancti Joannis Judæos, quando Chriſtus crucifixus eſt,legale Paſcha necdùm comediſſe.

Reſpondeo: Sanctum Joannem per *Paraſceven* indigitare voluiſſe diem Veneris, quæ apud Judæos ſemper eſt Paraſceve, ſeu præparatio ad Sabbatum. Unde, teſte *Samuele Bocharto* part. 1. *Hierozoicon*, ſeu *de animalibus Scripturæ ſacræ* cap.50. ubi de Agno Paſchali agit, hebdomadis dies in Bereſith Rabba cap.11. ſic numerantur: prima hebdomadis dies, ſecunda, tertia, quarta, quinta, Paraſceve, Sabbatum. Cùm igitur dies Veneris ſemper ab Hebræis *Paraſceve* vocitetur,quid mirum ſi dies Veneris, qua Chriſtus mortuus eſt, & quæ cum feſto Paſchatis concurrebat, fuerit à Sancto Joanne *Paraſceve Paſcha* appellata, non ſecus ac Chriſtiani Dominicam Paſchæ, vel Pentecoſtes eam appellare ſolent, quæ concurrit cum feſto Paſchæ, vel Pentecoſtes. Addo præterea,ſacros Scriptores aliam non noſſe Paraſceven, ſeu præparationem, quam Sabbati, quia cùm Judæis nefas eſſet Sabbato ignem accendere, parare cibum, aliiſque id genus ſervilibus incumbere operibus, neceſſaria prorsùs erat Paraſceve, ideſt aliquot horas ante Sabbati veſperam inſumere debebant Judæi in iis inſtruendis, & præparandis, quibus ad Sabbatum tranſigendum opus habebant.

Arguitur quartò: Idem Euangeliſta eodem in capite hæc ſubdit: *Judæi ergo* (*quoniam Paraſceve erat*) *ut non remanerent corpora Sabbato* (*erat enim magnus ille dies Sabbati*) *rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, & tollerentur*. Ait ſacer ille Euangeliſta, anno, quo Chriſtus mortuus eſt, magnum fuiſſe diem Sabbati, ideſt Sabbatum ſanctiùs, atque celebriùs, quàm cæteris annis. Sanctiùs autem, anno quo Chriſtus mortuus eſt, Sabbatum eſſe non potuit, niſi quia eadem die Paſcha celebratum eſt, hac enim ratione verè magnum fuit, quia Sabbatum ſimul & Paſcha. Ergo Judæi non eodem die Paſcha legale peregerunt, quo Chriſtus Dominus illud celebravit.

Reſpondeo: Sabbatum à Sancto Joanne appellari *Magnum diem*, quia, anno quo Chriſtus mortuus eſt, Sabbatum incidit in ſecundam diem azymorum, ad quorum celebrationem Judæi omnes undequaque

que Hieroſolymam confluebant, quapropter cùm illud Sabbatum tam propter azymorum dies, quàm propter totius gentis concurſum eſſet apud Judæos in majori cultu, & veneratione, nemini mirum videri debet, quod Sanctus Joannes hoc Sabbatum appellitet *Magnum diem*.

Arguitur quintò: *Matthæus* cap. 26. & *Marcus* cap. 14. aſſerunt: Judæos de morte Chriſti in Concilio deliberantes in eam iviſſe ſententiam, ut Chriſtum non occiderent *in die feſto ne fortè tumultus fieret in populo*. Porrò ſi Chriſtus unà cum Judæis legale Paſcha celebraſſet die decimâ quartâ in poſteriori veſpera, & ſequenti die, ſeu decimâ quintâ fuiſſet Cruci affixus, hoc Judæorum decretorium judicium non fuiſſet executioni mandatum; nam cùm prima azymorum dies, quæ apud Judæos ſolemnis erat, incideret in diem decimam quintam, Chriſtus fuiſſet in die feſto crucifixus. Neceſse ergo eſt ut Chriſtus, anno quo mortuus eſt, nullum legale Paſcha peregerit, aut Paſchatis legitimum diem prævenerit, aut ſaltem ut Judæi Synedrii decreto Paſcha ſuum in alium diem tranſtulerint.

Reſpondeo: Chriſtum Dominum reverà fuiſse à Judæis crucifixum in die feſto, ſeu primo azymorum die, qui incidebat in diem decimum quintum primi menſis. Quamvis enim Principes Sacerdotum non ipsâ feſti religione deterriti, ſed potiùs perculſi metu populi, cui ſciebant Chriſtum acceptiſſimum eſſe, primùm decreviſſent nihil in Chriſtum in die feſto moliri, ne crabrones, ut ajunt, irritarent, ſibique vulgi invidiam conflarent, attamen opportunam paulò poſt nacti per proditorem Judam occaſionem interficiendi Chriſtum, eam ambabus manibus arripuerunt, & certatim in necem Chriſti, quem odio pluſquàm Vatiniano proſequebantur, conſpirarunt. Hinc in furorem, & rabiem acti omnia divina, & humana jura effractis omnibus religionis repagulis inſolenter pedibus conculcarunt, & per injuſtitiam à ſæculis inauditam Chriſtum in die feſto in jus traxerunt, ad Tribunalia rapuerunt, accuſarunt, falſos teſtes produxerunt, Romanis tradiderunt, teterrimis calumniis oppreſſerunt, & importunis clamoribus condemnationem ejus à Pilato extorſerunt. Sic Deus, qui ſapienter omnia diſponit, Judæos furore occæcari permiſit, ut mors Chriſti, quæ in die feſto contigit, plures haberet teſtes.

Arguitur ſextò: Quamvis credibile ſit Principes Sacerdotum, alioſque Judæos cæco furore abreptos, & ad omne flagitium projectos, opera ſervilia feciſſe in die feſto, ut ſæpè quæſitâ, ſibique mox datâ Chriſtum interficiendi opportunâ occaſione uterentur; non eſt tamen veroſimile Joſephum Arimathæum, qui erat homo juſtus, & Simonem Cyrenæum, Sanctaſque Mulieres voluiſſe in die feſto ſervilibus vacare operibus, atqui tamen Joſephus Arimathæus, Simon Cyre-

renæus, & Sanctæ Mulieres multa opera ediderunt eo die, quo Chriſtus crucifixus eſt, Joſephus ſiquidem Arimathæus emit ſyndonem, quâ Corpus Chriſti è Cruce ſublatum, aromatibusque condîtum involvit, in monumento repoſuit, oſtioque monumenti ſaxum advolvit, ſicut legitur *Marci* cap. 15. Sanctæ etiam Mulieres emerunt aromata, & unguenta, *Lucæ* cap. 23. Denique Simon Cyrenæus veniens de villa ſua Crucem Chriſti portavit, *Marci* cap. 15. non ergo feſtus fuit ille dies, quo Chriſtus Dominus crucifixus eſt, ac proindè ipſius mors ad diem decimum quintum, in quem primus azymorum dies incidebat, non eſt referenda, ſed potiùs ad diem decimum quartum, quando videlicet Judæi Agnum Paſchalem immolare, & comedere debebant, ex quo ſequitur Chriſtum, anno quo mortuus eſt, Agnum Paſchalem comedere non potuiſſe.

Reſpondeo: Prohibita quidem fuiſſe in die feſto opera ſervilia, non tamen opera charitatis, & pietatis, quale erat officium ſepeliendi mortuos. Id liquidò patet ex facto Tobiæ, qui mortuos in die feſto ſepeliebat, ut legitur *Tobiæ* lib. cap. 2. Deus etiam præcipit Deuteron. cap. 21. ut qui appenſus fuerit in patibulo, ſepeliatur eodem die. Præterquàm quod dici poteſt primum, & ultimum azymorum dies fuiſſe quidem feſtos apud Judæos, non tamen in illis tàm rigoroſam, & ſcrupuloſam ab operibus vacationem, ſicut erat in Sabbatis. Poterant enim Judæi hiſce feſtis azymorum diebus cibos præparare, quibus veſcerentur, ut dicitur Exodi cap. 12. *Dies prima erit ſancta, atque ſolemnis, & dies ſeptima eadem feſtivitate venerabilis: nihil operis facietis in eis, exceptis his, quæ ad veſcendum pertinent*. Potuerunt ergo piæ Mulieres in die feſto parare aromata, & Joſeph Arimathæus mercari ſyndonem ad ſepulturam Chriſti, hæc quippè erant charitatis, & pietatis opera. Quod verò ſpectat Simonem Cyrenæum, qui è villa ſua rediens, Crucem Chriſti portavit, incertum omninò eſt an Gentilis, Judæusve fuerit? Sancti Patres *Hilarius*, *Auguſtinus*, & *Leo* putant eum fuiſſe Gentilem; ſed ſi, ut alii volunt, Simon Cyrenæus fuit Judæus, dicendum eſt eum vi Romanorum militum fuiſſe coactum ad deferendum probroſum lignum, cui deferendo Chriſtus, ob fatiſcentes, jamque penitùs exhauſtas vires, impar erat.

Arguitur ſeptimò: Dies Pentecoſtes apud Judæos celebrabatur die quinquageſimo à ſecundo azymorum die, ſicut teſtatur *Joſephus* lib. 2. antiq. Jud. cap. 10. undè ſequitur, quod ſi prima azymorum dies incidiſſet in feriam ſextam, in qua mortuus eſt Chriſtus Dominus, & ſecunda azymorum dies concurriſſet cum Sabbato, Pentecoſtes feſtum eo anno non incidiſſet in diem Dominicam, ſed in diem Sabbati, ut perſpicuum eſt ex ſupputatione quinquaginta dierum factâ à ſecunda die azymorum, quæ hoc anno incidiſſet in diem Sabbati; atqui

atqui tamen, juxtà vetuſtiſſimam Eccleſiæ traditionem, Pentecoſtes feſtum, anno quo Chriſtus mortuus eſt, celebratum fuit die primâ Sabbati, quam nos Chriſtiani diem Dominicam appellamus, non igitur prima dies azymorum incidit in feriam ſextam, ſeu in diem Veneris, in qua mortuus eſt Chriſtus Dominus, ac proindè Chriſtus non eſt mortuus in die feſto, ſeu die decimâ quintâ, in quam incidebat primâ dies azymorum.

Reſpondeo primò cum *Bellarmino*, quando ſecunda azymorum dies incidebat in Sabbatum, ſolenne fuiſſe Judæis quinquaginta dies enumerare non à ſecunda azymorum die, ſed à tertia die. Ratio eſt, quia ea ſecunda azymorum die demetendus erat frumenti manipulus, qui poſteà in die Pentecoſtes, ex legis pręſcripto, Deo offerri debebat, ut legitur *Levitici* cap. 23. Sed quia hujuſmodi frumenti manipulum Sabbato demetere Judęi prohibebantur (quęlibet enim opera ſervilia, ea etiam quæ ad cibos vitæ neceſſarios pertinebant, Moyſes vetuerat ne die Sabbati pararentur) ideò quandò ſecunda azymorum dies incidebat in Sabbatum, non poterant Judęi hac ſecunda azymorum die falcem in ſegetes mittere, unde cogebantur ſequentem diem, ſeu Dominicam, quæ erat tertia azymorum dies, expectare; & ab ea die uſque ad Pentecoſten quinquagintra numerare dies. Cùm igitur ſecunda azymorum dies, anno quo Chriſtus mortuus eſt, inciderit in Sabbatum, neceſſe fuit ut Judęi, ad demetendum frumenti manipulum, ſequentem diem, ſeu primam Sabbati, quam nos diem Dominicam appellamus, expectarint; quò factum eſt ut eo anno Pentecoſres feſtum in primam Sabbati, ſeu in diem Dominicam inciderit.

Reſpondeo ſecundò: non certò apud viros eruditos conſtare, an Pentecoſtes feſtum, anno quo Chriſtus Dominus paſſus eſt, in diem Dominicam inciderit. Nam ſi Clementis Conſtitutiones excipias, & *Sancti Auguſtini* ſermonem de tempore 154. quæ ſcripta, ut fatenrur omnes critici, pſeudopigrapha ſunt, nemo, qui id aſſerat, citatur antiquior *Sancto Leone* ad Romanum Pontificatum evecto ſæculo quinto plus dimidio. Conſulat Lector *Samuelem Bochartum* loco ſuprà laudato, & doctiſſimum *Tilmontium* tomo 1. Documentorum Hiſt. Eccl. not. 8. in S. Petrum.

Arguitur octavò: Sententiæ, quæ aſſerit Chriſtum, anno quo morruus eſt, non peregiſſe Paſcha legale, patrocinantur multi Sancti Patres, & antiquiores Scriptores Eccleſiaſtici, videlicet *Sanctus Petrus Alexandrinus* Epiſcopus & Martyr, *S. Hyppolitus* Martyr Epiſcopus Portuenſis, *Apollinaris* Epiſcopus Hieropolytanus, *Clemens Alexandrinus* citati ab Auctore Chronici Alexandrini vulgati à *P. Radero* Soc. Jeſu anno 1615. & a Domino *Du Cange* denuò editi

cum hoc titulo *Chronicon Paſchale*. Eidem ſententiæ ſuffragantur *Joannes Philoponus* qui ſub Imperatore Phoca circà annum æræ Chriſtianæ 604. florebat, & duo alii Auctores Anonymi laudati à Photio in Bibliotheca Codd. cxv. & cxvi. plerique alii moderni Scriptores, quos profert *Bernardus Lamy* in ſuo tractatu Hiſtorico *de veteri Judæorum Paſchate* Gallicè conſcripto. Cum igitur hęc ſententia tot graviſsimorum nitatur teſtimoniis, nec erroris, nec novitatis inſimulari debet.

Reſpondeo: me non inficias ire quoſdam fuiſse Gręcos Auctores qui Chriſtum, eo quo paſsus eſt anno, legale Paſcha, prętermiſiſse affirmarunt, ſed ſolum velle eorum auctoritatem Flocci faciendam eſse, quia illorum ſententia fuit confutata à Sanctis Patribus, pręcipuè à *S. Epiphanio* hęreſi 30. Quæ eſt *Ebionitarum*, à *Sancto Chryſoſtomo* homilia 81. in Matthęum, & ab aliis Scriptoribus, tùm Gręcis, tùm Latinis. Undè *Photius* Codice cxvi. volumen tertium *de Sacro Paſchate* Auctoris cujuſdam Anonymi recenſens, ait: *Refert idem ſecundùm illos alios adventus ſui annos, Chriſtum Dominum ac Deum noſtrum lege præſcriptum Paſcha celebraſſe, non item eo quo proditus eſt. Quod conſideratione ſanè dignum, cum Chryſoſtomus, & Eccleſia tunc ipſum*, ſeu Chriſtum, *doceant legitimum Paſcha perfeciſſe, antequam myſticam inſtitueret cænam.* Addo etiam nullius planè ponderis eſse *Joannis Philoponi* auctoritatem, utpotè hęretici Monothelitæ, nec ullam fidem mereri opuſculum, quod ſub nomine *Sancti Petri* Epiſcopi Alexandrini circumfertur, quia non eſt genuinum Sancti illius Martyris opus, in eo quippè, ut periti obſervant critici, citantur Auctores, qui *Sancto Petro Alexandrino* Epiſcopo ſunt poſteriores, quod quidem, juxtà critices diſciplinæ regulas, manifeſtum eſt adulterini operis argumentum.

Arguitur nonò; Agnus paſchalis, antequàm aſsaretur, & comederetur, debebat inſpectante univerſo populo, immolari in templo Hieroſolymitano poſt ſanguinem ad altare fuſum & adipem igne conſumptum, ut ſupra ex Maimonide obſervatum eſt, atqui nullibi in Evangelio legimus Apoſtolos, qui à Chriſto, pridiè quàm pateretur, miſſi ſunt ut ultimam cænam pararent, agnum in templum Hieroſolymitanum adduxiſse, præſentaſse ſub nomine agni paſchalis, eumque in Congregatione totius populi Judaici mactaſse. Non eſt ergò veroſimile Chriſtum in ultima cæna agnum paſchalem manducaſse.

Prętereà, agnus paſchalis, nemine refragante, typus fuit mortis Chriſti, qui tanquàm verus agnus in cruce immolari debebat, ut igitur Chriſtus hunc typum impleret, congruum omninò erat ut eadem die moreretur, qua mactari, & comedi debebat agnus paſcha-

Digitized by Google

paſchalis, atqui agnus paſchalis immolabatur die decima quarta primi Menſis ad poſteriorem veſperam; ergò Chriſtus mortuus eſt die decima quarta in poſteriori veſpera, ac ſubindè, anno quo mortuus eſt, legale Paſcha peragere non potuit.

Reſpondeo ad primum; quod quamvis Sacri Evangeliſtæ explicitè non dicant Apoſtolos, qui à Chriſto ad pręparandam ultimam cænam miſſi ſunt, agnum paſchalem in templum Hieroſolymitanum adduxiſſe, & ritus ac cęremonias, quæ in agni paſchalis immolatione obſervari ſolitæ erant, adhibuiſſe; id tamen implicitè ſatis ſuperque innuunt, dum dicunt Petrum, & Joannem miſſos fuiſſe à Chriſto primo die azymorum ad parandum Paſcha. Addo inſuper quod ſi ex eo Evangeliſtarum ſilentio colligi poſſet Chriſtum, anno quo mortuus eſt Paſcha legale non celebraſſe, eadem operâ colligi poſſet Chriſtum, in aliis annis qui præceſſerunt ejus mortem, nullum celebraſſe Paſcha. Sacri etenim Evangeliſtæ annorum, qui Chriſti mortem præceſſerunt, deſcribentes hiſtoriam, nullam perindè mentionem faciunt rituum, & cæremoniarum quæ in Agni paſchalis immolatione obſervari ſolebant.

Ad ſecundum dico: nullam analogiam, etſi pulchrè convenire videatur, admitti debere, niſi ex Scriptura Sacra, & Sanctorum Patrum traditione probari, aut ſaltem ſuaderi poſſit. Porrò hæc analogia, quæ ſupponit Chriſtum cruci fuiſſe ſuffixum die decima quarta in poſteriori veſpera, ac ſubindè, anno quo mortuus eſt, Paſcha legale non celebraſſe, nec ex Scriptura, nec ex traditione Ss. Patrum evinci poteſt, immò utrique fidei regulæ adverſatur, non eſt igitur admittenda.

Arguitur ultimò; eodem die Chriſtus, anno quo mortuus eſt, manducavit agnum paſchalem, quo illum comederunt Hebræi quandò egreſſi ſunt ex Ægypto, atqui Hebræi, quandò egreſſi ſunt ex Ægypto, agnum paſchalem comederunt die decima tertia exeunte, non verò die decima quarta in ſecundis veſperis, ergò Chriſtus, anno quo mortuus eſt, agnum paſchalem non comedit die decima quartâ in ſecundis veſperis, ſed die decimâ tertiâ. Major certa eſt, nam ſolemne illud ſacrificium, quod Hebræi exeuntes ex Ægypto manducantes Agnum paſchalem peregerunt, Deus lib. num. cap. 9. renovandum juſſit quot annis eodem menſe, eadem die, & eadem ipſâ horâ in memoriam ſolutæ ſervitutis Ægyptiacæ. Probatur minor, Hebręi, ſicut legimus *Exodi* cap. 12. & apud *Joſephum* lib. 2. antiq. Jud. cap. 6. Profecti ſunt ex Ægypto illuceſcente die decimâ quintâ menſis Xantici, ſive Niſan, atqui ſi Hebręi in Ægypto agnum paſchalem comediſſent in poſteriori veſpera diei decimæ quartæ ejuſdem menſis, vix ac ne vix quidem intelligi, nedùm explicari poſ-

 ſet,

ſet, quo pacto omnes Hebræi intra tam anguſtum temporis ſpatium quod fluxit à poſteriori veſpera diei decimæ quartæ uſque ad diluculum diei decimæ quintæ, potuerint congregari, & in eumdem convenire locum (erant enim ſexcenta millia peditum, virorum ſcilicet bellatorum, præter ſenes, mulieres, parvulos, & promiſcuum vulgus Ægyptiorum qui judaicâ religione initiati Judęos comitari voluerunt) id autem eò difficilius creditu eſt, quod Moyſes, ut dicitur *Exodi* cap. 12. diſtrictè prohibuiſſet, ne ullus Hebręorum *Egrederetur oſtium domus ſuæ uſque mane*. Longè itaque veroſimiliùs eſt Hebręos in Ægypto agnum paſchalem immolaſſe, & comediſſe exeunte die decima tertia menſis Xantici, ſeu Niſan, eoſque per diei integræ, ſeu decimæ quartæ ſpatium ſe ſe ad iter accinxiſſe, dona ab Ægyptiis accepiſſe, & tandem Ægyptiorum ſpoliis onuſtos illuceſcente die decima quinta ejuſdem menſis, ſe itineri dediſſe, & ab Ægypto profectos fuiſſe.

Reſpondeo: Hebręos in Ægypto manducaſſe agnum paſchalem in poſteriori veſpera diei decimæ quartæ, non verò diei decimæ tertiæ. Primò, quia *Exodi* cap. 12. Moyſes Hebręis in Ægypto adhùc conſtitutis ſic præcepit: *Decima die menſis hujus tollat unusquiſque agnum per familias & domos ſuas . . . . . & ſervabitis eum ad quartam decimam menſis hujus: immolabitque eum multitudo filiorum Iſrael ad veſperam*. Secundò, idem teſtatur *Joſephus* lib. 3. Antiq. Jud. cap. 10. ubi hæc habet: *Menſe autem Xantico, qui à noſtris Niſan vocatur, & annum exorditur, Luna quarta decima, Sole Arietem obtinente, quandò quidem hoc menſe ab Ægyptiaca ſervitute liberati ſumus, ſacrificium, quod tunc exeuntes feciſſe diximus Paſcha nominatum, quot annis inſtaurare lege jubemur*. Denique id facilè colligitur ex modo quo Hebræi in Ægypto Paſcha peregerunt; non enim menſæ accumbentes, ſed ſtantes pedibus calceatis, & accinctis renibus, more eorum qui parati ſunt ad ingrediendum iter, agnum paſchalem feſtinanter comederunt. Porrò ſi Judæi in Ægypto Paſcha peregiſſent die decima tertia menſis Niſan, non fuiſſet neceſſe ut tam feſtinantèr agnum paſchalem comederent, comeſtio ſi quidem agni paſchalis integra die eorum profectionem præceſſiſſet: Certum igitur eſt Judæos in Ægypto Paſcha peregiſſe non die decima tertia, ſed decima quarta menſis Niſan, hoc eſt in pervigilio ſuæ profectionis ex Ægypto. Quo pacto autem innumerabilis penè illa Judęorum multitudo potuerit intrà tam anguſtum temporis ſpatium congregari? Facilè quiſque concipiet, ſi advertat Hebræos retrò actis diebus à Moyſe admonitos fuiſſe ut ſe ad iter prępararent, eoſque ſummâ diligentiâ temporis anguſtias ſuppleviſſe, legimus quippè *Exodi* cap. 12. Moyſem Hebræis præcepiſſe ut unusquiſque deci-

decima die menſis, quo Judæi ex Ægypto profecti ſunt, tolleret agnum per familias & domos. Addo etiam Judæos, hac nocte qua Angelus omnes Ægypti primogenitos interfecit, domi ſuæ concluſos non remanſiſſe, quamvis enim Moyſes prohibuiſſet, ne quis egrederetur oſtium domus ſuæ uſque mane, ubi tamen ex communi Ægyptiorum comploratione intellexerunt primogenitorum cædem ab Angelo exterminatore eſſe factam, urgentibus Ægyptiis tot inopinatis cladibus attritis, confeſtim è domibus exierunt, & in locum à Moyſe indictum certatim convolarunt. Sic Hebræi è captivitate Ægyptiaca in libertatem aſſerti ſingulis annis die decima quarta menſis Niſan peregerunt *Phaſe*, ſeu *Paſcha*, hoc eſt, *tranſitum* eò quod à tranſeunte Angelo trucidati ſunt omnes Ægypti primogeniti, ſervatis tantùm Iſraelitis, quorum ædes rubebant ſanguine agni.

Ad coronidem hujuſcè Diſſertationis duo hîc breviter ſunt advertenda. Primò, gravem in ſecundo Eccleſiæ ſæculo de celebrando Paſchate motam eſſe controverſiam, an videlicet Chriſtiani Lunâ decima quarta, in quemcùmque diem illa incideret, Paſcha, more Judæorum, celebrare deberent, an ſemper die Dominico? *Sanctus Polycarpus* Smyrnenſis Epiſcopus adulto ſecundo Eccleſiæ ſæculo Romam venit, ut de Paſchate *Anicetum* Papam interrogaret. Sed cùm inter ſe convenire haud poſſent, re necdùm ſatis excuſſa, ab ſe invicem diſceſſerunt, ut viri boni inter ſe diſſidentes ſolent, hoc eſt, ſalva & incolumi amicitia, ſeque mutuo pacis oſculo amplexi, ut teſtatur *Euſebius* lib. 5. Hiſtor. Eccleſ. cap. 24. eadem lis ſeneſcente eodem ſæculo renovata eſt, ac vehementiùs exarſit ſub *Victore* Papa, cujus auctoritate celebrata ſunt variis in locis varia Concilia, ut Romæ ab ipſo *Victore*, Cæſareæ Paleſtinæ à Theophilo, in Galliis ab Irenæo Lugdunenſi Epiſcopo, aliiſque in locis, & in his pro celebratione Paſchatis ſtatutus eſt Dominicus dies. Auctoritate tot Synodorum, quibus Romana de celebrando Paſchate die Dominico diſciplina ſtatuebatur, permotus Victor Papa, Polycrati Epheſiorum Epiſcopo, aliiſque Aſiaticis, qui in celebrando Paſchate Judæorum morem ſectabantur, excommunicationem minatus eſt, eoſque ab Eccleſia ſeparare voluit, ut aſſerit *Euſebius* lib. 5. Hiſtor. Eccleſ. cap. 24. At deterritus ab Iræneo Lugdunenſi, intra minas hæſit ſummus ille Pontifex, nec eos excommunicationis fulmine perculit. quapropter in Eccleſia Catholica tolerati ſunt quartodecimani, donec eorum error in apertam prorupit hæreſim, neque jam ut pii, & morum à ſuis majoribus acceptorum tenaces, ſed ut pervicaces, & opinionis ſuæ retinentiores confixi ac proſcripti ſunt in concilio primo generali Nicæno celebrato anno 325. in hoc concilio fixus fuit Paſchatis dies ad diem Dominicum proximè ſequentem

tem Lunam decimam quartam menſis primi poſt æquinoctium vernum illuceſcentem.

Advertendum eſt ſecundò, incertum omninò eſſe ad quem pertineret ea domus in qua Chriſtus Dominus ultimam cænam peregit. Quidam Ss. Patres exiſtimant Dominum illius domus fuiſſe Joannem Apoſtolum Zebedæi filium, qui ex venditione paternorum bonorum coemptam domum addixit uſibus Chriſti, Dei-paræ, & Apoſtolorum. Ita cenſent *Sanctus Damaſcenus* Orat. in Aſſumpt. B. Virginis, *Nicephorus* libro 1. Hiſtor. Eccleſ. cap. 28. *Metaphraſtes* Orat. de Dormit. Dei-paræ, & *Cedrenus* in Comp. Alii verò cum Alexandro Monacho, qui poſt quintum ſæculum floruit, putant domum, in qua Chriſtus ultimum Paſcha peregit, pertinuiſſe ad Mariam matrem Joannis cognomento Marci, quæ ſententia probatur *Baronio*, *Janſenio*, & aliis quos recenſet, & ſequitur *Cornelius à Lapide* in cap. 26. Matth. Alii denique hanc domum adjudicant Alphæo, & Mariæ, Patri, & Matri Jacobi Minoris: ſic ſentit *P. Manduit* Auctor Gallicæ Analyſeos Diſſertatione XXX. Sed ut cordatè fatear, cùm Sacri Evangeliſtæ ea de re ſileant, nihil certi ex his conjecturis, quibus indulgent illi Auctores, elici poteſt.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO VIGESIMA

De Doloribus quos Chriſtus moriendo pertulit, & de circumſtantiis paſſionis ejus, præſertìm de Cruce cui fuit ſuffixus.

HAnc Diſsertationem in duos partiar paragrahos. In primò oſtendam Chriſtum Servatorem noſtrum in paſsione ſua acerbiſsimos cùm animi, tùm corporis pertulisſe dolores, ibidemque præcipuas referam illius paſsionis circumſtantias. In altero inquiram, an conveniens fuerit Chriſtum mori in Cruce? Et quinam ſalvificæ Cruci cultus exhiberi debeat?

PARAGRAPHUS PRIMUS

In quo oſtenditur Chriſtum in paſſione ſua, tàm in corpore, quàm in anima acutiſſimos perſenſiſſe dolores, & præcipuæ ipſius paſſionis circumſtantiæ referuntur, & explanantur.

OBſervandum eſt cum *Sancto Thoma* 3. part. quæſt. 15. Chriſtum, naturam humanam aſſumendo, non ſolùm corporis ſumpſiſſe defectus, cujuſmodi ſunt ſitis, fames, dormituritio, triſtitia, laſſitudo, dolor, milleque vitæ noſtræ labores, ſed etiam animæ ſumpſiſſe paſſiones, videlicet metum, dolorem, ſpem, gaudium, iram, odium &c. Cum hoc tamen diſcrimine, quod animæ affectiones, ſeu paſſiones ſæpè ſæpiùs nos ad vitia trahant, non quidem naturæ vitio, ſed originalis culpæ, cujus reliquiæ ſic medullitùs infixæ inhæſerunt, ut compeſci quidem frænarique poſſint, evelli radicitùs nequeant, quò fit plerùmque ut in nobis propter naturæ depravationem hujuſmodi paſſiones per ignorantiam ferantur in id quod eſſet repudiandum, refugiant ea quæ ſunt expetenda, nitantur ad turpia, tenebras menti offundant, obſtrepant rationi cui obtemperare deberent, inteſtinos, ſeu domeſticos excitent tumultus, & malis vertantur in occaſionem, materiamque peccandi. At è contrà Chriſtus Dominus, quoniam hominis naturam induit, plurimis quidem incommodis è culpa natis obnoxiam, immunem tamen ab ignorantia, & ab omni vitiorum depravatione, immò à fomite peccati, non poterat affectibus naturæ noſtræ ad malum ſollicitari,

ri; cùm eſſet ab intrinſeco impeccabilis, ſed horum quid quid fuit in illo ceſſit in cumulum virtutis, & meritorum. Hac præmiſſa obſervatione.

DICO: *Chriſtum tàm in anima, quàm in corpore verè paſſum eſſe dolores, eoſque acutiſſimos.*

Probatur primò, ex Scriptura Sacra, *Iſaiæ* cap. 53. *Non eſt ſpecies ei, neque decor, & vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſideravimus eum: deſpectum, & noviſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem, & quaſi abſconditus vultus ejus, & deſpectus, unde nec reputavimus eum. Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit, & nos putavimus eum quaſi leproſum, à Deo & humiliatum.* Quibus verbis Propheta Graphicè, viviſque coloribus deſcribit paſſionem ac mortem, quam cum ſumma ignominia, doloribus, & opprobriis conjunctam Chriſtus Dominus ad expianda hominum peccata voluntariè in ſe ſuſcepit.

Reſpondent moderni quidam Rabbini hæc omnia, quæ *Iſaias* habet cap. 53. non de Meſſia, ſed de populo Judaico exilio percuſſo, & multis calamitatibus exagitato eſſe intelligenda.

Verùm quàm perperàm, & ineptè recentiores illi Rabbini iſtud Iſaiæ vaticinium ad populum Judaicum detorqueant, facilè evinci poteſt. Primò, quia omnes veteres Rabbini uno ore confirmant, traduntque Iſaiam eo in capite de Rege Meſſia loqui, ut videre eſt apud noſtrum *Raymundum Martini* in ſuo Pugione fidei. Secundò, ſi hujus capitis contextus tantiſper expendatur, facilè quiſque intelliget ſoli Chriſto, qui eſt verus Meſſias, adamuſſim quadrare omnia, quæ ibi ſunt prædicta, ſic enim loquitur Propheta: *Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & livore ejus ſanati ſumus. Omnes nos quaſi oves erravimus, unuſquiſque in viam ſuam declinavit: & poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum. Oblatus eſt, quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum: ſicut ovis ad occiſionem ducetur, & quaſi Agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum. De anguſtia, & judicio ſublatus eſt: generationem ejus quis enarrabit? Quia abſciſſus eſt de terra viventium: propter ſcelus populi mei percuſſi eum...... cum ſceleratis reputatus eſt, & ipſe peccata multorum tulit, & pro tranſgreſſoribus rogavit.* Jam verò quæro, cui meliùs, quàm Chriſto Domino congruunt admirabilis ille ortus cum infima exinanitione, & plurimorum incredulitate junctus, horrenda dolorum, qui nobis debebantur, & innocentiſſima perpeſſio? peccatorum noſtrorum bajulatio? ſumma patientia, & voluntaria animæ per mortem effuſio? ovis ad occiſionem ductæ, & agni coram tondente ſe obmuteſcentis, nec aperientis os ſuum inſtituta comparatio? cum ſceleratis deputatio? & fuſa pro tranſgreſſoribus ora-

Digitized by Google

oratio? cui, inquam, melius hæc omnia conveniunt, quàm Chriſto Domino? cujus divina generatio, pro myſterii incomprehenſibilis altitudine, & dignitate enarrari non poteſt, qui vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, tanquam ovis ad occiſionem ductus, & quaſi agnus coram tondente ſe obmutuit, ita ut Pilatus vehementer miraretur tantam Chriſti adversùs actores lenitatem, tamque generoſum mortis contemptum; qui denique cum ſceleratis reputatus eſt, utpotè inter duos latrones crucifixus, & pro transgreſſoribus, ſeu pro his, qui eum crucifigebant, rogavit, dicens: *Pater ignoſce illis*. Summa autem inſania eſt, velle hæc omnia ad populum Judaicum detorquere. Quis enim, amabo, unquàm dixerit Judæos ita innocenter pati, ut nulla ſit in ipſorum ore inventa fraus? cùm potiùs experientiâ conſtet eos eſſe viros doloſiſſimos, vindictæ cupidos, uſurarios, proditores, nebulonum peſſimos, adeò ut ipſimet ſibi malè conſcii fateri cogantur peccata ſua in cauſa eſſe cur Meſſias necdùm advenerit. Anne Judæi ita patiuntur pro delictis aliorum, ut ſuis vulneribus eos ſanent? cùm è contra Chriſtianis quotidiè imprecentur, eorumque exterminium à Deo in ſuis orationibus poſtulent. Anne denique animam inſtar victimæ ponunt, vel inſtar ovis, & manſueti agni patiuntur? & non potiùs inviti, jugi, quo premuntur, & laborum impatientes, ſeditioſi. Non ergo populo Judaico in captivitatem abducto congruit hoc Iſaiæ vaticinium, ſed ſoli Jeſu Chriſto vero Meſſiæ. Hinc *Philippus* Diaconus, ut legitur Actorum cap. 8. cùm Candacis Reginæ eunuchus iſtud Iſaiæ vaticinium in curru legens non intelligeret, de Jeſu Chriſto interpretatus eſt, & *Sanctus Petrus* 1. epiſt. cap. 2. eumdem Iſaiæ locum Chriſtum Dominum ſpectare declarat his verbis: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis ...... qui, cùm malediceretur, non maledicebat; cùm pateretur, non comminabatur: tradebat autem judicanti ſe injuſtè, qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, ut peccatis mortui, juſtitiæ vivamus, cujus livore ſanati ſumus*.

Probatur ſecundò: Nulla fuit corporis Chriſti pars, nullus ſenſus, nulla facultas, quæ non fuerit graviſſimis excruciata doloribus, ergo reverà Chriſtus acerbiſſimos dolores perpeſſus eſt. Probatur antecedens: Nam primò, pedes, & manus ipſius dirâ vi tormentorum clavis fuerunt Cruci affixæ, juxtà illud Pſalm. 21. *Foderunt manus meas, & pedes meos*. Secundò, caput ejus ſpinis compunctum eſt, & arundine percuſſum, facies ſputis oblita, ac fœdata, latus lanceâ perfoſſum, membra flagellis laniata, juxtà illud Iſaiæ cap. 50. *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, faciem meam non averti ab increpantibus, & conſpuentibus in me*. Tertiò, paſſus eſt Chriſtus *in libertate*, quia captus, & funibus vinctus; *in fama*, quia blaſphemiis, & injuriis appetitus; *in honore, & gloria*, quia illuſus, & contumeliis laceſ-

laceſſitus, & cum latronibus crucifixus; *in rebus*, quia veſtibus ſpoliatus; *in guſtu*, quia felle, & aceto potatus; *in olfactu*, quia fœtore cadaverum in Calvariæ monte ſepultorum infectus; *in auditu*, quia voces blaſphemantium, & irridentium audivit; *in viſu*, quia mœſtiſſimam Matrem ſuam, & dilectum Diſcipulum juxtà Crucem ſtantes, & flentes vidit; *in toto corpore*, quia ejus nuditas, & flagellatio ſæviſſima, & ſpinarum aculei, & Crucis geſtatio, confixio, ac ſuſpenſio in Cruce, paſſionisque diuturnitas acutiſſimos dolores ei intulerunt.

Prætereà, dolorum magnitudinem augebat ipſa corporis Chriſti conſtitutio, nam quò cujusque natura præſtantior eſt, ac generoſior, hoc ſenſus mali naturam offendentis acrior eſt, atque acerbior; nullum autem corpus hominis generoſius fuit corpore Chriſti, utpotè operatione Spiritus Sancti miraculosè in utero Virginis formato, ac ſubinde nullum corpus hominis fuit algoris, æſtus, laboris, inediæ, & doloris impatientius corpore Chriſti; nulla anima præſtantior, & acrioris ſenſus fuit animâ Chriſti, quò fit, ut ſi paribus numeris cruciatus, quos in paſſione ſua pertulit Chriſtus, alii cuipiam mortalium fuiſſent inflicti, multò minus doloris ſenſus fuiſſent allaturi.

Inſuper dolores, quos Chriſtus paſſus eſt, eò vehementiores fuerunt, quò à pluribus fuerunt ipſi inflicti. Paſſus eſt ſiquidem à Gentilibus, à Judæis, à viris, à fœminis, videlicet ab ancillis accuſantibus Petrum, paſſus eſt etiam à Principibus, & Miniſtris eorum, à ſuis popularibus, familiaribus, & notis, nimirum à Juda, qui, per ingratitudinem poſt homines natos maximam, eum prodidit, & à Petro, qui ipſum ter abnegavit.

Denique, ad ſummi doloris cumulum accedebant caſus, & ruina Judæorum, fuga diſcipulorum, ingratitudo hominum, quibus Chriſti mors non ſalutem, ſed damnationem eſſet allatura, quodque caput eſt, omnis omninò ſolatii tàm interni, quàm externi ſubtractio. In aliis ſiquidem patientibus, ut optimè obſervat *Sanctus Thomas*, mitigatur triſtitia interior, & etiam nonnunquam dolor exterior, ex aliqua conſideratione rationis per quamdam derivationem, ſeu redundantiam à viribus ſuperioribus ad inferiores; ſicut ex.gr. quando argumentis, aut exemplis nos ipſos ad aliquem doloris ſenſum fortitèr ferendum extimulamus, ſive cùm ab eo, quod moleſtum eſt, ad id, quod delectat, mentem advertimus; ſive cùm præmium contemplamur, aut illius rei merita, cujus amore patimur. Nihil horum ſibi Chriſtus paſſus eſt opitulari ad leniendos dolores, quibus in paſſione ſua torquebatur, non charitatem, quæ Martyribus moleſtiam adimebat; non invictum animi robur, quo nonnulli Ethnici fortes aliquando fuerunt; non redundantiam partis ſuperioris ad inferiorem, quia hanc redundantiam Chriſtus non permiſit; non puriſſimam innocentiam

tiam, propter quam ut à culpa, ita à pœna immunis erat; non gratiæ plenitudinem, quæ naturæ tollit imbecillitatem; non denique fruitionem divinitatis, quæ procul arcet neceſſitatem moleſta patiendi; nihil horum omnium voluit ſibi Chriſtus opitulari, ut gravioribus cruciaretur doloribus. Hinc paulò antequàm efflaret animam magnâ voce clamavit: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Hoc eſt, cur me perſecutorum ſævitiæ, tormentorum omnium acerbitati dereliquiſti omni ſolatio deſtitutum externo, interno, corporis, & animi, ſive à ratione humanâ, ſive à viſione beatifica, ſive ab ipſa divinitate mea derivando? cur omnem omninò conſolationem ſuſpendiſti, & omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me? His rationibus permotus *Sanctus Thomas* aſſerit 3.p.q.46. art.6. dolorum, quos Chriſtus in paſſione ſua pertulit, tantam fuiſſe acerbitatem, ut exceſſerint omnes dolores, quos pati poſſunt homines in hac vita. Idque jure meritò aſſerit Doctor Angelicus, quia nec noſtri plaſmatis vilitas cum Chriſti præſtantia, neque mortis noſtræ aſperitas cum illius ſupplicio, neque noſter incertus metus cum illius certiſſima, ac clariſſima notitiâ, neque denique noſtra ignorantia cum illius ſcientia conferri poteſt. Unde Pſalm.87.dicitur ex perſona Chriſti, *repleta eſt malis anima mea.* Et Threnorum cap.1. *Attendite, & videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus.*

DILUUNTUR OBJECTIONES.

Arguitur primò: Non fuit conveniens ut Chriſtus abhorreret à morte, & in ea ſubeunda ederet triſtitiæ ſigna, ergò ſatiùs dicendum eſt Chriſtum nullo pacto timuiſſe mortem, nullumque in ea obeunda pertuliſſe dolorem. Prob. ant. mortem reformidare, & in ea ſubeunda triſtitiæ prodere ſigna, hominis eſt infirmi, abjecti, ſibi parùm conſtantis, de ſe nimium ſolliciti, & vitæ temporali plus æquo addicti. E contrà verò mortem impavido vultu, & irretortis oculis aſpicere, eamque infracto pectore obire, hominis eſt conſtantis, ſibi benè conſcii, intrepidi, & omni adverſæ fortunæ caſu ſuperioris. Hinc Martyres, qui divino amore ſuccenſi erant, in graviſſimis tormentis plena lætitiæ verba profundebant, ore interrito ſævas Tyrannorum minas contemnebant, & ferrum inter & ignem nihil de vultus hilaritate remittebant, non ergo decebat ut Chriſtus, qui tàm Patrem æternum, quàm genus humanum flagrantiſſimâ charitate diligebat, mortem pertimeſceret, & in ea obeunda ederet triſtitiæ ſigna.

Reſpondeo: Chriſtum ſub diverſo ſenſu timuiſſe mortem, & non timuiſſe, voluiſſe mortem, & non voluiſſe. Primò, Chriſtus timuit, & non voluit mortem non uti nos, neceſſitate, ſed ſponte, verè tamen.

Digitized by Google

Timuit mortem non tanquam ſuum malum, ſed tanquam noſtrum; non ſuâ cauſâ, ſed noſtrâ. Timuit, non prævertente, aut obruente rationem affectu, quemadmodùm nos, ſed nihil planè offenſâ, ſed ſartâ, ac tectâ ſemper manente mentis tranquillitate. Timuit, & noluit mortem, quia per ſe mala eſt, & inimica naturæ, quam aſſumpſerat, & quia non eſt à Deo facta, ſed invidiâ diaboli intravit in mundum. Sub hac ratione Chriſtus timuit, & noluit mortem. Secundò, Chriſtus voluit, & non timuit mortem, quia eam liberè oppetiit, quia ſibi erat à Patre imperata, quia ſalutem erat paritura iis, quos amabat. In hoc ſenſu Chriſtus voluit, & non timuit mortem. Cur autem Chriſtus moriendo, non lætitiæ, ſicut Martyres, ſed triſtitiæ ediderit ſigna? Tres potiſſimùm rationes afferri poſſunt. Primò, quia Chriſtus, ut mox diximus, nihil paſſus eſt lenire ſenſum dolorum, martyribus verò charitas, qua ardebant, moleſtiam adimebat. Secundò, Chriſtus in paſſione ſua manſuetudinis, patientiæ, & obedientiæ exempla parare volebat, non fortitudinis, & animoſitatis. Exhibebat argumenta humanitatis, non oſtentamenta divinitatis; volebat ut omnes intelligerent, & crederent, ipſum verum hominem eſſe noſtræ conditionis paſſionibus obnoxium. Quod ſi Chriſtus magna vultus, & vocis alacritate, & penè non ſentienti adſimilis cruciatum pertuliſſet, quantò latiùs ſe ſe propagaſſet hæreſis Manichæorum, qui Chriſtum fantaſticum corpus aſſumpſiſſe effutiebant. Ad ſuæ itaque naturæ humanæ veritatem aſſerendam, Chriſtum totum ſe triſtitiæ permiſit, mœrori habenas laxavit, tædio gravatus eſt, cruento ſudore manavit, aſperrimam mortem reformidavit, & calicem, quem ipſi propinavit Pater, his verbis fuit deprecatus: *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte.* Denique Chriſtus in paſſione ſua non lætus, ſed triſtis eſſe voluit, quia hæc triſtitia magis quadrabat oraculis Prophetarum, qui Chriſtum verum Meſſiam ſub hac perſona ſæpiùs inducunt, ut eum nunc agno manſueto comparent, nunc liventem plagis, deformatum, deſtitutum, triſtem, abjectumque faciant, nuſquàm alacrem, erectum, animoſum. Obmuteſcentem faciunt, non magna loquentem, cumque omni dedecore, probro, infamia, & ludibriis dehoneſtatum iri vaticinantur.

Arguitur ſecundò: Si Chriſtus voluiſſet, & ſimul noluiſſet mori, fuiſſet in Chriſto contrarietas, ſeu repugnantia voluntatum, atqui in Chriſto nulla fuit contrarietas, ſeu repugnantia voluntatum, hæc ſiquidem repugnantia originem habet ex peccato originali, cujus expers fuit Chriſtus Dominus, ergo nullâ ratione dici poteſt Chriſtum voluiſſe, & non voluiſſe mori.

Reſpondeo cum S. *Thoma* 3. p. qu. 18. art. 6. negando ſequelam majo-

Digitized by Google

majoris, nàm ad contrarietatem, ſeu repugnantiam voluntatum, inquit Angelicus ille Doctor, requiritur, quod ſit circà eamdem voluntatem. Si enim unum velit homo ſecundùm appetitum ſenſitivum, & velit aliud ſecundùm appetitum rationis, non eſt hîc aliqua contrarietas, niſi fortè appetitus ſenſitivus in tantùm prævaleat, quod vel immutet, vel retardet appetitum rationis. Porrò, etſi voluntas naturalis, & voluntas ſenſualitatis in Chriſto aliquid voluerint, quàm voluntas divina, & voluntas rationis ipſius, nulla tamen fuit oppoſitio, ſeu contrarietas voluntatum in Chriſto. Primò, quia voluntas naturalis, & voluntas ſenſualitatis in Chriſto non repudiabant illam rationem, quâ voluntas divina, & voluntas rationalis in Chriſto paſſionem, ſeu mortem volebant. Secundò, quia voluntas divina, & voluntas rationis in Chriſto non impediebantur, aut retardabantur per voluntatem naturalem, aut per appetitum ſenſualitatis. Similiter etiam voluntas divina, & voluntas rationis in Chriſto non refugiebant, aut retardabant motum voluntatis humanæ, aut motum appetitus ſenſualitatis in Chriſto, placebat enim Chriſto tam ſecundùm voluntatem divinam, quàm ſecundùm voluntatem rationis, ut voluntas naturalis, & voluntas ſenſualis, quæ in ipſo erant, juxtà ordinem naturæ ſuæ moverentur. Quapropter in Chriſto nulla fuit repugnantia, ſeu contrarietas voluntatum, licèt Chriſtus ſecundùm voluntatem divinam, & voluntatem rationis vellet mori; ſecundùm verò voluntatem naturalem, & voluntatem ſenſualem non vellet mori.

Arguitur tertiò: Chriſtus pati haud potuit morbum, febrem, &c. ergò nec potuit etiam pati famem, ſitim, aliosque id genus naturæ humanæ defectus. Ant. certum eſt apud omnes Theologos. Prob. conſeq. morbus, febris, &c. ſunt defectus, ſeu infirmitates naturæ humanæ, non ſecùs ac fames, ſitis, &c. Ergò ſi Chriſtus pati non potuit morbum, febrem, &c. non potuit etiam obnoxius eſſe fami, ſiti, &c.

Reſpondeo cum *S. Thoma 3. p. qu. 15. art. 4.* Chriſtum ad ſatisfaciendum pro peccato, quo infecta erat natura humana, illos tantùm defectus aſſumpſiſſe, qui conſequuntur ex peccato communi totius naturæ, ideſt, ex peccato originali, modò tamen illi defectus non repugnarent perfectioni ſcientiæ, & gratiæ. Hinc Chriſtus non aſſumpſit ignorantiam, pronitatem ad malum, & difficultatem ad bonum, quia illi defectus opponuntur perfectioni ſcientiæ, & gratiæ. Sunt etiam quidam defectus particulares, cujusmodi ſunt varii morbi, qui ex hominum culpa originem trahunt, ex inordinato nimirùm victu, vel ex vitio virtutis formativæ, qui defectus nullum in Chriſto locum habere potuerunt, quia ejus corpus virtute Spiritus Sancti compactum eſt, nec aliquid inordinatum Chriſtus unquam in regi-

mine

mine vitæ ſuæ exercuit. Hos itàque defectus Chriſtus non aſſumpſit, ſed ſolùm illos, qui in omnibus hominibus communiter inveniuntur, ex peccato primi parentis prodeuntes, ſicut ſunt mors, fames, ſitis, & alii hujuſmodi defectus, quos Chriſtus liberè ſuſcepit, tùm ut doloribus, & ęrumnis vitæ humanæ obnoxius redemptionis myſterium expleret, tùm ut ſuo exemplo hominibus dolores, mortemque formidantibus omnem adimeret excuſationem. *Sublata eſt hoc modo,* inquit *Lactantius* lib.4. Divin. Inſtit. cap.24. *omnis excuſatio, & fateri hominem neceſſe eſt ſua culpa injuſtum eſſe, qui Doctorem virtutis, & eumdem Ducem non ſequatur.*

Arguitur quartò: Virtus mentis lenit dolorem, & innocentia patientis mitigat pœnam paſſionis. Hinc Apoſtolus 2.ad Cor. cap.7. ait: *Repletus ſum omni conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra.* Et in Annalibus Eccleſiæ legimus Martyres etiam debilioris ſexus alacri, feſtivoque animo carceres, ludibria, verbera ſuſtinuiſſe; atqui in Chriſto fuit maxima virtus mentis, ſummaque innocentia, ergò dolor paſſionis Chriſti non potuit eſſe vehementiſſimus.

Reſpondeo primò: Virtutem mentis mitigare dolorem, & innocentiam minuere pœnam paſſionis per quamdam redundantiam à ſuperioribus viribus ad inferiores, quæ redundantia, ſicut ſuprà diximus, cùm in Chriſto non fuerit, eo videlicet non permittente, ſequitur nec innocentiam Chriſti, nec virtutem mentis, quâ præditus erat, ejus dolores mitigaſſe.

Reſpondeo ſecundò: Innocentiam patientis ſublevare dolorem paſſionis quantùm ad culpam, ſed non quantum ad pœnam. Id quippè diſcriminis eſt inter reum, qui patitur, & innocentem; quod reus, qui patitur, dolet non ſolùm de pœna, ſed etiam de culpa: innocens autem, qui patitur, dolet tantummodò de pœna: qui dolor augetur ex ipſius innocentia, quatenùs apprehendit nocumentum ſibi illatum, ut magis indebitum. Ità reſpondet *Sanctus Thomas* 3.p. qu.46. artic.6. ad 5.

Arguitur quintò: Nulla triſtitia eum invadere poteſt, qui fruitur eſſentiali beatitudine ſitâ in clara, & intuitiva viſione Dei, atqui Chriſtus, etiam inter acutiſſimos dolores, & agones conſtitutus, clarâ Dei viſione fruebatur, nulli ergò triſtitiæ obnoxius eſſe potuit. Maj. certa eſt, nàm triſtitia, cùm ſit quoddam malum, nullo pacto ſtare, & cohærere poteſt cum vera, & perfecta beatitudine, quæ, juxtà *Boetium,* ſtatus eſt omnium bonorum aggregatione perfectus. Minor verò perindè certa eſt, nàm fatentur omnes Theologi Chriſtum à momento conceptionis ſuæ fuiſſe viatorem ſimùl & comprehenſorem, adeòque verâ, ac perfecta beatitudine donatum.

Reſ-

Reſpondent quidam recentiores Theologi cum noſtro *Melchiore Cano* lib.12. de locis cap.14. triſtitiam quidem abeſſe procul ab illo, qui verâ beatitudine tàm quo ad eſſentiam, quàm quo ad effectum fruitur; in eo tamen triſtitiam reperiri poſſe, qui licèt verâ potiatur beatitudine quo ad eſſentiam, quæ ſiſtit in viſione Dei, verâ tamen non fruitur beatitudine quo ad effectum, putà gaudium, delectationem, &c. Porrò, inquiunt illi Theologi, quamvis Chriſtus fruitus ſit verâ beatitudine ſumptâ ſecundùm eſſentiam, non tamen ſemper fruitus eſt verâ beatitudine ſecundùm omnes illius effectus; quia aliqui ex diſpenſatione quadam in eo impediti ſunt. Undè ſicut Chriſtus impedivit ne per totum vitæ ſuæ curſum gloria animæ ſuæ eſſentialiter beatæ efflueret in corpus; ità & in cruce noluit ut anima gaudium haberet de viſione divinitatis, ſed illud ſuaptè natura ex clara Dei viſione proditurum cohibuit, ut hoc pacto citrà ullam delectationem acerbiores cruciatus pateretur.

Verùm hęc Reſponſio omninò opponitur doctrinæ *Sancti Thomæ*, qui pluribus in locis, ſed potiſſimum 3.p. q.46. art.8. diſertè docet gaudium fruitionis in anima Chriſti jugiter perſeveraſſe etiam inter acutiſſimos dolores, quibus cruciabatur. Miſsâ itàque illâ reſponſione.

Reſpondeo cum omnibus Thomiſtis, animam Chriſti in parte ſua ſuperiori ſummum habuiſſe fruitionis gaudium, etiam dùm corpus graviſſimos in cruce dolores pateretur, ità ut tamen gaudium illud, quod erat in parte ſuperiori animę, non fuerit ad illius partem inferiorem diffuſum. Ratio eſt, quia licèt in nobis quandoque contingere poſſit ut una operatio, quæ eſt vehementiſſima in parte ſuperiori animæ, aliam partis inferioris animæ operationem impediat, vel penitùs abſorbeat, ſicut multis exemplis, & experientiis manifeſtò conſtat, id tamen locum non habuit in Chriſto, quia pars ſuperior animæ, quâ Chriſtus divina, & cæleſtia contemplabatur, non impediebatur, in his, quæ erant ſibi propria, à parte inferiori animæ, quâ Chriſtus intendebat rebus agendis circà corpus; non ſecùs ac per divinitatem Chriſti non impediebatur, ſed potiùs permittebatur caro agere, & pati quæ ſibi erant propria, ut poſt S. Damaſcenum docent omnes Theologi. Nulla quippè, ità permittente Chriſto, fiebat redundantia partis ſuperioris animæ Chriſti ad inferiorem, &, versâ vice, nulla itidem fiebat redundantia partis inferioris animæ Chriſti ad ſuperiorem. Undè ſicut gaudium fruitionis, quod erat in ſuperiori parte animæ Chriſti non diffundebatur, tempore paſſionis, in inferiorem partem animæ Chriſti, ut ab ea dolor, & triſtitia tollerentur; ſic pariter ſuperior pars animæ Chriſti non impediebatur partis inferioris dolore, quem Chriſtus cohibebat ne

in

in ſuperiorem irrueret. Quod ſanè ſpeciale fuit miraculum, ſicut reverà continuum in Chriſto fuit miraculum, quod idem homo eſſet viator ſimùl & comprehenſor, quod à gloria animæ nihil derivaretur ad corpus, quod à ſuperioris gaudio nihil ſolatii in inferiorem partem animæ Chriſti refunderetur, quod inferioribus viribus perturbatis, nec ſuperiores turbarentur, nec remitterent opus, nec quietem, & delectationem amitterent. Ità docet *Sanctus Thomas* loco mox laudato, cujus doctrinæ ſtandum eſſe cenſeo, quidquid ſit de variis aliis explicationibus *Cajetani*, & *Medinæ*, qui in quibusdam diſſentiunt, dùm ſubtilis Doctoris ſolvunt argumenta.

Arguitur ultimò: *Sanctus Hilarius* lib. 10. de Trinitate docet Corpus Chriſti flagellorum ictibus fuiſse laceratum, nihil tamen doloris fuiſse animæ illatum; undè animam Chriſti comparat cum aqua, cum igne, cum aere, quæ telo aliquo perforantur. In qua comparatione apertè innuere videtur, Sanctus ille Doctor, quod ſicut aqua, ignis, & aer nihil prorsùs doloris ſentiunt, etiamſi telo perforentur, ità & anima Chriſti nullum pertulit dolorem; dùm corpus, cui unita erat, fuit in paſſione flagellorum ictibus laceratum. Hæc ſunt ipſius verba: *Unigenitus Deus hominem verum, non deficiens à ſe Deo ſumpſit: In quem quamvis ictus inciderent, aut ſuſpenſio elevaret; afferrent quidem impetum paſſionis, non tamen dolorem paſſionis inferrent, ut telum aliquod, aut aquam perforans, aut ignem compungens, aut aera vulnerans, omnes quidem has paſſiones natura ſua infert, ut perforet, ut compungat, ut vulneret: Sed naturam ſuam in hæc paſſio illata non retinet, dùm in natura non eſt, vel aquam forari, vel pungi ignem, vel aera vulnerari, quamvis naturæ ſit teli vulnerare, & compungere, & forare. Paſſus quidem Dominus Jeſus Chriſtus, dùm cæditur, dùm ſuſpenditur, dùm confligitur, dùm moritur, ſed in corpus Domini irruens paſſio, necnon fuit paſſio, nec tamen naturam paſſionis exercuit, cum & pœnali miniſterio deſæviit, & virtus corporis ſine ſenſu pœnæ in ſe ſævientis excepit.* Et poſt pauca interjecta, ſic proſequitur: *Et homo ille de Deo eſt, habens ad patiendum quidem corpus, & paſſus eſt; ſed non habens naturam ad dolendum.* Ergo ex Sancto Hilario Chriſtus fuit omnium dolorum expers.

Idem omninò ſentire videtur *Sanctus Clemens Alexandrinus*, qui libro ſexto ſtromatum pag. 649. loquendo de Chriſto hæc habet: *Ipſe autem, ut ſemel dicam, paſſionis erat expers, ut quem nullus ſubiret motus, neque voluptas, neque dolor.* Quibus verbis Sanctus Clemens dolorem, triſtitiam, animæ perturbationes, & cunctas naturæ humanæ affectiones à Chriſto penitùs ablegare videtur.

Reſpondeo: Quod licèt non defuerint Auctores, qui S. Hilarium hujus erroris perperàm inſimularint, quos inter numerantur

Clau-

Digitized by Google

Claudius Mamertus lib. 2. de ſtatu animæ cap. 9. *Berengarius*, teſte *Lanfranco* epiſt. 50. *Blondellus*, & *Rivetus* Hæretici de Calviniſtarum grege, affirmantes Sanctum illum Doctorem ſentiiſse Chriſtum triſtitiæ, metus, doloris, aliarumque ejusmodi naturæ humanæ affectionum fuiſse omninò expertem; facilè tamen oſtendi poteſt Sanctum Hilarium ab illo errore fuiſse penitùs alienum. Enim verò in Pſalm. 53. ait, quod Chriſtus Dominus *ut abſolutiſſimum nobis humanæ humilitatis eſſet exemplum, omnia, quæ hominum ſunt, & oravit, & paſſus eſt, & ex communi noſtra infirmitate ſalutem ſibi eſt deprecatus à Patre; ut nativitatem* (ideſt, naturam) *noſtram cum ipſis infirmitatis noſtræ iniiſſe intelligeretur officiis. Hinc illud eſt, quod eſurivit, ſitivit, dormivit, laſſatus fuit, impiorum cætus fugit, mœſtus fuit, & flevit, & paſſus, & mortuus eſt.* Et in Pſalm. 54. aſserit, quod Chriſtus *etiam timorem in ſe mortis ingruentem non renuit.* Denique, ne plura congeram teſtimonia, in Pſalm. 68. hæc verba vatis regii: *Salvum me fac Domine, quoniam intraverunt aquæ uſque ad animam meam*, ſic interpretatur: *Introeuntibus enim aquis uſque ad animam, ſubjectus morti Crucis fiebat: Cùm paſſionum univerſarum impetus uſque ad mortem animæ perrumperet .... non enim incidere in Deum infirmitatum noſtrarum terror valebat, aut exercere ſe niſi in carne corporis noſtri, tanquam ſubjacente materia, poterant paſſiones.* Et infrà, *omnis in eum terror deſævientis in nos poteſtatis incubuit.* Quibus verbis Sanctus Hilarius apertè tribuit Chriſto famem, ſitim, mœrorem, triſtitiam, uno verbo, omnes humanæ infirmitatis affectiones, ac paſſiones. Legi poſſunt alia diſertiſſima ejusdem Sancti Doctoris teſtimonia in præfatione recentis editionis ejus operùm adornatę à Patribus Benedictinis Congreg. Sancti Mauri, qui hunc errorem à Sancto Hilario, de Eccleſia benè meritò, multis, iisque invictis argumentis amoliuntur. Nunc venio ad explicationem illius teſtimonii deprompti ex lib. 10. de Trinit. ubi Sanctus Hilarius dolores à Chriſto arcere videtur. Duplex autem huic teſtimonio adhiberi poteſt reſponſio. Prima eſt, quod S. ille Doctor negat tantùm eò loci dolores habuiſſe locum in Chriſto, prout eſt Verbum Divinum, dolores tamen à Chriſto, quatenùs homo eſt, excludere non intendit. Veritas hujus reſponſionis liquet ex ſcopo, in quem toto illo libro decimo collimat Sanctus Hilarius; vult ſiquidem argumentum diluere Arrianorum, qui, ſicut teſtantur Sancti Patres Gregorius Nazianzenus orat. 51. Auguſtinus de Hæreſibus cap. 19. Theodoretus ſub initium Dialogi 2. affirmabant verbum in Chriſto vices animæ ſuppleviſſe, ac ſubindè mœſtitudinem, triſtitiam, anxietatem, & dolores, quibus anima Chriſti fuit in paſſione obnoxia, in verbum ipſum cecidiſſe pertendebant. Ut igi-

 tur

tur hoc Arrianorum argumentum diluat Sanctus Hilarius, docet nullum dolorem, nullasque humanæ infirmitatis paſſiones in Chriſtum, quatenùs verbum eſt, incidere potuiſſe. Hunc ſcopum ſibi in lib. 10. de Trinit. præfixiſſe Sanctum Hilarium apertè colligitur ex verbis ipſiusmet Sancti Doctoris, qui lib. 1. de Trinitate n. 32. declarat, ſe librum decimum ſcripſiſſe adversùs Hæreticos, qui *divinæ profeſſionis naturæque immemores, ad impietatis ſuæ argumentum, diſpenſationis geſta, dictaque tenuerunt*. Hoc eſt, ut planiùs loquitur lib. 9. de Trinit. n. 5. qui ea, *quæ ab eo, ſeu Chriſto, ſecundùm hominem dicta ſunt, dicta eſſe ſecundùm naturæ divinæ infirmitatem mentiuntur*. Idem repetit lib. 11. de Trinit. & in cap. 31. *Matthæi*, ubi ait ſibi cum iis rem eſſe, *quorum ea opinio eſt, quod cadere propter ſe mæſtitudo in Deum potuerit, eumque futuræ paſſionis metus fregerit, quia dixerit: Triſtis eſt anima mea &c.* Ex ſcopo igitur, quem *S. Hilarius* hoc in lib. 10. de Trinit. ſibi propoſuit, genuinus verborum illius ſenſus nullo negocio exculpi poteſt.

Altera reſponſio traditur à *Sancto Thoma* 3. p. q. 15. art. 5. ad 1. ubi ait Sanctum Hilarium à carne Chriſti non veritatem doloris, ſed neceſſitatem dumtaxàt excludere voluiſſe, ideſt, Sanctum Hilarium negaſſe tantùm dolores in Chriſto habuiſſe locum, quantum ad illum modum, ſecundùm quem ſunt in nobis, nàm dolores nos neceſſariò pungunt, nobisque invitis licèt, ac reluctantibus dominantur propter peccatum originale, quod eſt principium, & fons, ex quo ſcaturiunt illi defectus. At verò Chriſtus, qui à peccato originali fuit prorsùs immunis, dolores non invitus præſentit, ſed liberè, nec motus in eo excitari poterant, qui ejus rationem perturbarent. Hanc explicationem Sancti Thomæ conſonam eſſe menti Sancti Hilarii colligo ex enarratione in Pſalm. 53. ubi Sanctus Hilarius hæc habet: *Paſſus ergo eſt Deus, quia ſe ſubjecit voluntarius paſſioni.* Hac geminâ reſponſione manet abundè explicatum illud S. Hilarii teſtimonium ex lib. 10. de Trin. Petitum, quapropter neceſſe non eſt recurrere ad reſponſionem Peravii, viri alioqui doctiſſimi, qui lib. 10. de Incarnatione ait Sanctum Hilarium lib. 10. de Trinit. ſentiiſse quidem corpus Chriſti naturaliter, ſeu ex naturæ ſuæ ſtatu, ac conditione nullum potuiſse doloris ſenſum percipere, hunc tamen errorem fuiſse poſteà à Sancto Hilario retractatum in libro, quem Guillelmus Epiſcopus Pariſienſis, audiente Sancto Bonaventura, dixit ſe vidiſse, & perlegiſse; quem retractationis librum ſuſpicatur Petavius eſse commentarium Sancti Hilarii in Pſalmos. Ad hanc, inquam, Petavii reſponſionem recurrere neceſse non eſt, cum ille locus Sancti Hilarii ex lib. 10. de Trinitate deſumptus, qui Petavio negotium faceſſivit, ex his, quæ hactenùs diximus, ſit ſat ſuperque elucidatus.

Quod

Quod autem ſpectat Sanctum Clementem Alexandrinum, dico: Illum nihil aliud velle, quàm Chriſtum fami, ſiti, aliiſque id genus naturæ humanæ affectionibus nulla neceſſitate fuiſse obnoxium, ſed voluntariè, & liberè illis ſubditum eſſe. Hanc eſse germanam illius Patris mentem luculenter oſtendit *Nicolaus le Nourry* Benedictinus Congreg. Sancti Mauri, in apparatu ad Bibliothecam maximam veterum Patrum, diſsertatione ſecundâ *de omnibus Clementis Alexandrini operibus*, quam diſsertat. adeat Lector, ſi plura ſcire deſideret.

De doloribus, quos Chriſtus in paſſione ſua pertulit, & quibus probavit ſe verum hominem eſse, copioſè ſatis, ut exiſtimo, huc uſque actum eſt, pauca nunc dicenda ſuperſunt de circumſtantiis paſſionis Chriſti, quibus ſe verum Deum eſſe palàm demonſtravit. Duas autem hìc potiſſimùm ſeligam, quarum prima conſiſtit in ſumma illa, & à ſæculis inaudita patientia, & longanimitate quâ Chriſtus diros paſſionis cruciatus ſuſtinuit. Non enim de vi ſibi illata conqueſtus eſt, ſed Pilato interroganti: *Non audis quanta adversùm te dicunt teſtimonia?* Ne ullum quidem verbum reſpondit, itaut Præſes vehementer miraretur tantam Chriſti adverſus accuſatores clementiam, impavidi animi conſtantiam, tamque generoſum mortis contemptum. Nec ſolùm tacuit Chriſtus falſis teſtimoniis oppreſſus, ſed etiam infenſiſſimis ſuis hoſtibus impenſiſſimè favit, pro illis Patrem oravit, convitia, & vulnera, muneribus, & hononoribus cumulavit, ipſum interimentes immortalitate donavit, quibus patientiæ, & beneficentiæ argumentis Chriſtus divinitatem ſuam comprobavit, nàm, ut inquit Tertullianus in lib. de patientia, *patientiam hujusmodi nemo hominum perpetraret.*

Altera circumſtantia, quâ Chriſtus in paſſione ſuam divinitatem demonſtravit, ſita eſt in vi, & efficacia miraculorum, quæ facta ſunt tempore paſſionis. Sol quippè, juxtà Prophetæ Amos vaticinium, obſcuratus eſt, & tenebræ factæ ſunt in univerſa terra, ſicut ait *S. Lucas* cap. 23. ſtupendi illius Solis deliquii meminere *Phlegon* Hadriani Imperatoris Libertus lib. 13. *Thallus* quoque Scriptor Gentilis, *Julius Africanus*, *Tertullianus* in Apologetico cap. 21. *Lactantius* lib. 4. Divin. Inſtitut. cap. 19. & alii. Cæterùm, quo pacto acciderit hæc eclipſis Solis tempore paſſionis Chriſti? Non una omnium eſt ſententia. *Origenes* in Matthæum hanc eclipſim in ſola Judæa per interpoſitionem nubium accidiſſe putat. Sed hæc ſententia opponitur Scripturæ aſſerenti factas eſſe tenebras *in univerſam terram*, ubi totum Orbem intelligi oportet, non totam Judæam. Alii exiſtimant hanc Solis eclipſim contigiſſe non per interpoſitionem Lunæ, quippè quæ tempore paſſionis Chriſti plena erat, & Soli è diametro oppoſita, ſed per retractionem radiorum Solis, in quantùm ſcilicet

divina virtute factum eſt, ut Solis radii ad terram non pervenirent. Denique *Sanctus Thomas* 3.p. q.44. art.2. ad 2. cenſet hanc eclipſim factam fuiſſe per interpoſitionem Lunæ inter Solem, & terram, quatenùs Divinâ Omnipotentiâ factum eſt, ut, non turbato conſueto temporum curſu, Luna, quæ erat in plenilunio, ex adverſo Solis accurrerit è loco ſuo ad Solem præter tempus debitum, & deindè à Sole recedens, in locum proprium reſtituta fuerit tempore debito. Hanc opinionem probat potiſſimùm Doctor Angelicus ex teſtimonio *Dionyſii Areopagitæ* teſtis oculati in epiſtola, quam ſcripſit ad Polycarpum, quæ epiſtola, ſi genuinus ſit Sancti Dionyſii Areopagitæ fœtus, non eſt dubium quin maximam huic ſententiæ conciliet auctoritatem. Sed ut ut ſit, in confeſsò eſt apud omnes hanc Solis eclipſim tempore paſſionis Chriſti accidiſſe modo admirabili, planè ſupernaturali, hominibus ignoto, & antehàc penitùs inaudito, ut rectè obſervat *S. Auguſtinus* epiſt. 199. aliàs 80. ad Heſychium, ubi hæc habet: *Solis ille defectus, quandò crucifixus eſt Chriſtus, verè mirabilis erat, & prodigioſus. Paſcha quippè fuerat Judæorum, quod nonniſi in Lunæ plenitudine celebratur. Secundùm Aſtrologorum numeros certum eſt, Solem, quandò Luna plena eſt, non poſſe deficere, ſed quandò finis eſt Lunæ, non quidem ſemper, ſed aliter nunquàm, cùm ſecundùm illos numeros deficit.*

Præter ſtupendum illud Solis deliquium, alia prodigia tempore paſſionis Chriſti edita memorat Scriptura ſacra. Sciſſum quippè eſt Templi velum, ad ſignificandam reſerationem myſteriorum veteris legis; aperta ſunt monumenta, ad præfigurandam vitam, quâ mortui per Chriſti Servatoris mortem donari debebant; terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, ad oſtendendum, quod lapidea hominum corda per Chriſti paſſionem ad pœnitentiam emollirentur, & quod univerſus mundus virtute paſſionis Chriſti eſſet innovandus, & in melius commutandus. Quæ prodigia tantam vim, & efficaciam habuerunt, ut Latro pendens in cruce Chriſtum confeſſus fuerit, & Centurio Gentilis, ubi hæc conſpexiſſet, exclamaverit dicens: *Verè hic homo juſtus erat*, ut ait *S. Lucas*; immò ampliùs, ut eſt apud *S. Marcum*: *Verè hic homo Filius Dei erat*.

His miraculis non pigebit addere aliud ſingulare prodigium, quo Jeſu Chriſti mors Ethnicis ſignificata eſt, quodque in libello *de defitis oraculis* Plutarchus refert, videlicèt cùm in Italiam tenderet thamus Ægyptius, navis rector, jàmque Echinadas prænavigaſſet, ſubitò remiſit ventus, & ad Paxas inſulas audita vox eſt, quę *thamum* appellaret, juberetque ipſum, ſimul ac appuliſſet ad portum Pelodem, clamare: *Magnum Pana eſſe mortuum*. Thamus morem geſſit, eâque, quam juſſus fuerat, voce editâ, ejulatus auditi ſunt.
Ve-

Vectores Romam delati portentum vulgarunt, pervenit illud ad Tiberium Cæſarem, qui à Thamo ipſo navis rectore de nuncii veritate certior factus, hominum eruditorum ſententiam ſuper ea re geſta exquiſivit. Et ne quis de veritate illius facti Hiſtorici dubitet, teſtatur *Æmilianus Rhetor* apud Plutarchum, hoc ſibi à patre *Epitherſe* rei oculato teſte narratum eſſe. Idem prodigium commendant & in tempus mortis Chriſti, qui verè *pan*, ideſt, rerum omnium conditor nuncupari poteſt, convenire demonſtrant *Euſebius* lib. 5. præpar. Eaang. cap. 9. *Baronius* ad annum Chriſti 34. *Daniel Huetius* demonſtr. Euangel. propoſit. 9. *Tilmontius* tom. 1. documentorum Hiſtor. Eccleſiaſt. not. 37. in vitam Chriſti.

PARAGRAPHUS SECUNDUS

Vtrùm fuerit conveniens Chriſtum mori in Cruce? & quinam ſalvificæ Cruci cultus impendi debeat?

OBſervandum primò: Crucem, quæ in laxa ſignificatione pro omni angore, tormento, atque interitu ſumitur, propriè nihil aliud eſſe, quàm lignum erectum, ex quo ille, qui cruciandus erat, ſuſpendebatur; & ſive clavis, ſive aliis retinaculis conſtrictus tandiù pendebat, donec fame, ſiti, doloribus conſumptus interiret. Hoc ſupplicii genere, quod erat apud Romanos maximè infame, & probroſum, plectebantur ſervi, latrones, ſicarii, ſeditioſi, falſarii, aliique id genus facinoroſi, atque viliſſimi homines, qui, priusquàm in crucem agerentur, flagellis cædebantur, columnæ interdùm alligabantur, crucem ſuam ad locum ſupplicii ſtimulis acti portare cogebantur, poſtremò nudi crucifigebantur, ſæpiùsque in prædam volucribus, ferarumque dentibus diſcerpendi relinquebantur. Quæ omnia, cùm *Lipſius, Gretſerus, Caſaubonus, Salmaſius*, & alii perdocti viri, qui de Cruce ex profeſſo diſſeruerunt, latè expoſuerint, hîc breviter annotaſſe ſufficiat.

Obſervandum ſecundò: Adversùs Crucem Chriſti aperto marte inſurgere Judæos, Gentiles, & Hæreticos. Judæi quippè & Gentiles velut opprobrium Chriſtianis objectare ſolent, quod & hominem, & ab hominibus infami affectum ſupplicio colant. Quam objectionem meritò ridet *Tertullianus* lib. de carne Chriſti cap. 5. ubi ait: *Quodcumque Deo indignum eſt, mihi expedit; ſalvus ſum ſi non confundar de Domino meo. Crucifixus eſt Dei Filius: non pudet, quia pudendum eſt: & mortuus eſt Dei Filius; prorsùs credibile eſt, quia ineptum eſt*. Hæretici etiam noſtri temporis Calviniſtæ, & Lutherani Crucem Chriſti acritèr inſectantur, aſſerentes nullum cultum à Fidelibus ipſi exhibendum

dum

dum eſſe. Sed, ut ingenuè fatear, Cruci Chriſti glorioſum eſt tales habere inſectatores, quia minùs conſtaret fidei noſtræ ſanctitas, minùs clareſcerent Sacrificii Crucis utilitas, ſanctitas, neceſſitas, & efficacia, niſi omnium adversùm ſe impiorum, terreniſque vitiis immerſorum hominum Crux Chriſti & concitaret odia, & linguas provocaret. Attamen ut omnium inimicorum Crucis Chriſti infrunita ora obſtruantur, duo hìc probanda ſuſcipio; primò, convenientiſſimum fuiſſe ut Chriſtus pateretur in Cruce. Deindè oſtendam contrà Hæreticos cultum latriæ reſpectivæ deferendum eſſe ſalvificæ Cruci.

Dico primò: *Convenientiſſimum fuiſſe ut Chriſtus Dominus moreretur in Cruce*. Ità *S. Thomas* 3.p. q.46. art.4.

Probatur primò variis rationibus petitis ex Sanctis Patribus, præcipuè ex *Lactantio* lib.4. Divin. Inſtitut. cap.26. In primis, quia Chriſtus humilis advenerat ut humilibus, & infirmis opem ferret, & omnibus ſpem ſalutis oſtenderet, debuit eo ſupplicii genere mori, quo humiles, & infirmi ſolent, ne quis eſſet omninò, qui eum non poſſet imitari. Deindè, Chriſtus Crucem ſelegit, ut corpus ſuum conſervaretur integrum, quod die tertio reſurgere ab inferis oportebat. Suffixus itàque Chriſtus cùm ſpiritum ſponte depoſuiſset, neceſsarium carnifices non putarunt oſsa ejus ſuffringere (ſicut mos eorum ferebat) ſed tantummodò latus ejus proforaverunt, & ſic integrum corpus patibulo detractum eſt, & ſepulchro diligenter incluſum. Quæ omnia idcircò facta ſunt ne læſum, ac diminutum corpus ad reſurgendum inhabile redderetur. Tertiò, Chriſtus Crucem maluit, quia illâ exaltari eum fuit neceſſe, & omnibus gentibus innoteſcere. Nàm quoniam is, qui patibulo ſuſpenditur, & conſpicuus eſt omnibus, & cæteris altior, Crux potiùs ſelecta eſt, quæ ſignificaret Chriſtum tam conſpicuum, tamque ſublimem futurum, ut ad eum cognoſcendum pariter & colendum, cunctæ nationes ex omni Orbe concurrerent. Denique, nulla gens tam inhumana eſt, nulla regio tam remota, cui aut paſſio Chriſti, aut ſublimitas paſſionis ignota ſit; & ea de cauſa Chriſtus extendit in cruce manus ſuas, Orbemque dimenſus eſt, ut jàm tunc oſtenderet, ab ortu Solis uſque ad occaſum, magnum populum ex omnibus linguis, & tribubus congregatum ſub alas ſuas eſse aliquandò venturum, ſignumque illud maximum, atque ſublime frontibus ſuis ſuſcepturum. *Mira eſt hæc gratia*, inquit *Sanctus Chryſoſtomus* in libro, quod Chriſtus ſit Deus, *nullus confunditur, nullus erubeſcit, cogitans quod maledictæ mortis ſignum fuerit Crux: ſed omnes ea magis ornantur, quam diadematum coronis, vel multis gemmatis monilibus, & torquibus; & non ſolùm non fugitur, ſed & deſideratur, & amatur, & omnes de ea ſolliciti*

ſunt,

ſunt, & ubique fulget, & ſparſa eſt in parietibus domorum, in culminibus, in libris, in Civitatibus, in vicis, in locis quæ habitantur, & non habitantur. Vellem audire à Pagano, undè ſymbolum tam maledictæ mortis, ac ſupplicii omnibus tam deſiderabile, ſi non magna Crucifixi virtus?

Probatur ſecundò aliis rationibus *Sancti Thomæ*; & primò, ſicut Adamus in Paradiſo Terreſtri conſtitutus Dei contempſit mandatum, excerpendo ex arbore pomum, ità Chriſtus in cruce poſitus tanquam fructus vitæ ex arbore pependit, & quidquid primus homo inobedientia perdidit, ipſe obedientia ſua in ligno reparavit. *Hoc eſt lignum, quod Adæ Dominus demonſtravit, dicens: De ligno vitæ, quod eſſet in medio Paradiſi edendum, de ligno autem ſcientiæ boni, & mali non edendum. Erravit Adam, mandata non tenuit, interdictum guſtavit. Per lignum cœpimus eſurire, quia ſuum caro accepit alimentum ideò Dominus in Chriſto carnem junxit, & lignum, ut fames antiqua ceſſaret, vitæ gratia redderetur. Beatum lignum Domini, quod omnia peccata crucifixit: beata caro Domini, quæ victum omnibus miniſtravit!* Ait *Sanctus Ambroſius* enarratione in Pſalm. 35. Secundò, Chriſtus cruci affixus aerem, & terram ſtillante Sanguine ſanctificavit, noſque in Cœlum traxit non ſolùm gratia ſua, ſed exemplo, quia, ut inquit *Sanctus Auguſtinus* tractatu 119. in Joannem, lignum, in quo fixa erant membra Chriſti patientis, fuit *Cathedra Magiſtri docentis*. Tertiò, Chriſtus mortem crucis elegit, quia forma crucis quatuor dimenſiones importat longitudinem ſcilicet, latitudinem, ſublimitatem, & profundum, quibus dimenſionibus ſignificabatur fore ut virtus crucis ad omnes omninò homines, ad omnium locorum latitudinem, ad omnium temporum longitudinem diffunderetur. Denique Chriſtus mortuus eſt in cruce, ut quamplurimas impleret figuras illorum miraculorum, quæ in veteri lege Deus per lignum fieri voluit, ſicut quandò Moyſes virgâ mare rubrum diviſit, & Pharaonem proſtravit; quandò in amaram aquam ligno miſſo, ex amara dulcem effecit; quandò percuſſa petra aquam ubertim per virgam eduxit; quandò denique orante Moyſe expanſis manibus admodùm crucis, Amalech devictus eſt; quibus figuris deſignabatur crux, per quam, velut per infirmum, & ignobile inſtrumentum, Chriſtus fortia quæque confudit, humanam ſapientiam domuit, diabolum exarmavit, unius Dei Religionem per totum Orbem propagavit, & homines terrenis ſordibus affixos ad cœleſtium bonorum meditationem revocavit. His de cauſis Chriſtus Servator noſter mori voluit in cruce, noluit ut ſibi caput amputaretur, ſicut Joanni Baptiſtæ, aut ut medius ſcinderetur, ſicut contigit Iſaiæ, ſed corpus ſuum integrum, & indiviſum morti ſervavit; ut non

eſſet

Digitized by Google

eſſet occaſio volentibus ſcindere Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius myſticum. Noluit etiam Chriſtus comburi ſicut holocauſta, illorum tamen in hoc implevit figurã, quod ſicut holocauſta in veteri lege altari ligneo imponebantur,itâ corpus ejus altari crucis impoſitum eſt, & loco ignis materialis, quo comburebantur holocauſta, fuit in eo ignis ardentiſſimæ charitatis. Sit igitur perfidis Judæis crux Chriſti *ſcandalum*, gentibus *ſtultitia*, nobis *Dei virtus eſt*, *& ſapientia*, quia per crucis ſacrificium veritatis lux,& veri Dei fides toti Orbi affulſerunt, ſuperſtitionum colluvies ſublata eſt,errorum,& vitiorum abolita contagio, genus humanum Deo reconciliatum, & Deus ipſi propitiatus.

Dico secundò: *Salvificam Crucem adorandam eſſe cultu latriæ reſpectivæ*. Itâ definitum eſt in ſeptima Synodo generali, ſeu Nicœna ſecunda, & in Concilio Tridentino.

Probatur primò, ex ſumma illa veneratione, qua Chriſtiani in primis Eccleſiæ temporibus crucem, in qua pependit Chriſtus, ſunt proſecuti. Teſtantur quippè Sancti Patres *Cyrillus Hieroſolymitanus* catecheſ. 4. 10. & 13. *Chryſoſtomus* in lib. *quod Chriſtus ſit Deus*, & *Paulinus* in epiſt. 11. ad Severum Sulpicium,Chriſtianos antiquitùs tàm pronis ad venerationem animis, crucem Chriſti coluiſſe, ut non ſolùm ejus fruſtula, ſeu particulas carpendi, ſed etiam auro includendi, collo ſuſpendendi, ſedulòque aſſervandi curam haberent. Vetus etiam fuit conſuetudo apud Chriſtianos, quæ etiamnùm obtinet, ut ſignum crucis in fronte manu ſua pingerent, ſive ut Chriſti paſſionem recolerent, ſive ut palàm profiterentur ſe in ſola cruce, & morte Chriſti totius ſpei, ac fiduciæ ſuæ ſacram, ut ajunt, anchoram figere. Hujus avitæ Chriſtianorum conſuetudinis diſertam mentionem faciunt antiqui Patres, præſertim *Tertullianus*, qui in lib. de corona militis cap. 3. hæc habet: *Ad omnem progreſſum, atque promotum, ad omnem aditum, & exitum, ad veſtitum, & calceatum, ad lavacra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia, quæcumque converſatio nos exercet, frontem crucis ſignaculo terimus.* Quid, amabo, ad hanc perpetuam,& conſtantem Eccleſiæ traditionẽ, atque antiquiorum Chriſtianorum uſum Hæretici noſtri temporis, quos cum Judæis, & Paganis cruci Chriſti inſultare non pudet, regerere, aut muſſitare poſſunt? Qua fronte audent Catholicos inſaniæ, deliræ ſuperſtitionis reos peragere, atque tanquàm idololatras infamare, eo quod ſalvificæ cruci Chriſti cultum latriæ reſpectivæ exhibeant, cum certum exploratumque ſit totius Orbis Chriſtianos in Eccleſiæ primordiis cultum venerandæ cruci Chriſti tàm impensè detuliſſe, non reclamantibus, ſed potiùs applaudentibus maximis Chriſtiani nominis, & utriusque tàm orientalis, quàm occidentalis Eccleſiæ luminibus? Certè negare haud poſſunt Heterodoxi

doxi à tempore Conſtantini Magni, qui poſt admirabilem lucidæ crucis in aere viſionem, cujus meminerunt *Euſebius* lib. 1. de vita Conſtantini cap. 38. & *Lactantius* lib. de morte perſecutorum cap. 44. Hoc ſalutis noſtræ ſignum ſuis militaribus vexillis inſeruit, ejusque præſidio inſignem de *Maxentio* tyranno triumphum reportavit, negare, inquam, non poſſunt Heterodoxi à tempore Conſtantini Magni omnes deinceps Imperatores eximiæ cujusdam felicitatis, ſummoque ſibi honoris loco duxiſſe crucem venerari, eam in ſuis militaribus ſcutis, armis, galeis, clypeis, nummis, purpura, & diadematibus inſculpere, ut toti Orbi præfulgêret, omniumque populorum amoris, ac venerationis eſſet objectum. Tantùm igitur abeſt ut reſpectiva adoratio, quam ſalvificæ cruci Chriſti Catholici impendunt, anilibus ſuperſtitionibus referta ſit, ſicut obganniunt male feriati Hæretici, ut potiùs à Prophetis prænunciata, ab Apoſtolis firmata, à primis Chriſtianis piè obſervata, & per totum, qua latè patet, Orbem propagata Chriſtianæ Religionis ineluctabile ſit argumentum.

Secundò, negare non poſſunt Hæretici crucem contactu corporis Chriſti fuiſſe conſecratam, divino ipſius purpuratam Sanguine, in ea diabolum fuiſſe expugnatum, homines æterno Patri reconciliatos, & conſummata omnia veteris legis ſacrificia per cruentum Chriſti ſacrificium. Ut quid ergo Chriſtianis non licebit crucem, humanæ ſalutis inſtrumentum, cultu latriæ reſpectivæ adorare? Parentum, & amicorum abſentium, aut mortuorum exuvias, vel annulos tanquàm mutui amoris pignora religiosè aſſervare, amantèr oſculari, & amplexari ſolemus, ab iis ægrè divellimur; & nobis non licebit crucem, in qua Chriſtus Servator noſter pependit, & ſalutem noſtram operatus eſt, quam ſacro ſuo Sanguine perfudit, eo, quo par eſt, honore proſequi, religiosè deoſculari, tanquàm Chriſti, noſtrique erga ipſum amoris teſſeram? Omnem ergò pietatis, & Religionis ſenſum Hæreticos exuiſſe neceſſe eſt, dùm ſalvificæ cruci Chriſti cultum latriæ reſpectivæ abjudicant.

DILUUNTUR OBJECTIONES.

Arguitur primò: Nullum Scripturæ ſacræ poteſt proferri exemplum, aut præceptum de adoratione Crucis, nullibi etiam legitur Crucem fuiſſe ab Apoſtolis adoratam. *Lege*, inquit Miniſter *Dallæus* lib. 5. de religioſi cultus objecto, *lege Lucam, & Paulum, & Petrum, & Jacobum, & Joannem; non recuſo quin tu jure Crucem colas, ſi vel unam apud eos de tui illius ligni religione litteram acceperis. Nec diſcipulorum alia eſt, quàm Apoſtolorum ratio. Nemo in aureo illo primo*

 ad

ad Conſtantinum uſque ſæculo occurrit, qui tua ligna adoret, vel oſculetur, qui ea vel deſideret, vel ſibi ad legitimum religionis cultum deeſſe conqueratur. Cum igitur Crucis adoratio nullum in ſacris litteris veſtigium habeat, nec ab Apoſtolis fuerit inſtituta, ſequitur hunc latriæ cultum, quem Chriſtiani Cruci Chriſti exhibent, ex mera ſuperſtitione profectum fuiſſe.

Reſpondeo: Ex Apoſtolorum doctrina, & ex antiquiſſimo Eccleſiæ Catholicæ uſu facilè colligi poſſe uſum latriæ reſpectivæ Cruci Chriſti impendi debere. Nam primò, quid ſibi volunt hæc verba, quæ Apoſtolus Paulus ſæpiùs inculcat in ſuis epiſtolis: *Abſit mihi gloriari niſi in Cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Chriſtus confixus ſum Cruci. Non in ſapientia Verbi, ut non evacuetur Crux Chriſti. Verbum enim Crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt, iis autem, qui ſalvi fiunt, ideſt nobis, Dei virtus.* Nonne qui ſic loquitur, verum ſe Crucis Chriſti cultorem profitetur? Præterea, in actis paſſionis Sancti Andrææ à Presbyteris, & Diaconis Achajæ conſcriptis legitur: Sanctum illum Apoſtolum, ubi vidit Crucem, cui ſuffigi debebat, eam ſalutaſſe, coluiſſe, dilexiſſe, & in ea Chriſtum adoraſſe. Tertiò, negare non poſſunt *Dallæus*, & alii ſectarii jam quarto Eccleſiæ ſæculo Chriſtianos Cruci Chriſti exhibuiſſe cultum, ex quo invictè probatur hunc cultum ex Apoſtolorum traditione manaſſe, nec enim credibile eſt omnes Chriſtianos, Epiſcopos, & Doctores, qui quarto Eccleſiæ florebant ſæculo, prorsùs ignoraſſe quænam eſſet priorum Eccleſiæ ſæculorum fides, & de induſtria voluiſſe, aut permiſiſſe, ut novum idololatriæ genus, cultusque planè ſuperſtitioſus (ſic enim Crucis venerationem appellant hæretici) inveheretur in Eccleſiam, nemine reclamante, nemine adversùs illum cultum inſurgente. Quis unquam credat nullum in quarto Eccleſiæ ſæculo fuiſſe Epiſcopum, nullum Doctorem, nullum Monachum, nullum Chriſtianum, qui ad illum cultum, ſi novus, & ſuperſtitioſus fuiſſet, ſicut blaterant hæretici, impugnandum, ac proſcribendum curam aliquam adhibere voluerit, ſed omnes quaſi lethargico ſomno oppreſſos ultrò permiſiſſe, ut nova illa ſuperſtitio totum pervaderet Orbem? Id ſanè prorsùs incredibile eſt. Cùm igitur Eccleſia jam quarto ſæculo Crucis cultum ad uſum, praximque reduxerit, argumento eſt hunc cultum ex Apoſtolorum traditione fuiſſe profectum. Denique etſi darem nullibi legi Crucem fuiſſe ab Apoſtolis adoratam, nihil inde tamen hæretici præſidii petere poſſent, tum quia illud argumentum merè negativum eſt, ac ſubindè nullius planè roboris; nec enim omnia, quæ geſſerunt Apoſtoli, memoriæ prodita ſunt; tum quia etiam temporibus Apoſtolorum Crux Chriſti, ita permittente Deo, oculis hominum impervia erat, jacebat quippè altiſſimo loco humi

humi defoſſa, nec niſi in quarto Eccleſiæ ſæculo ab Helena Conſtantini Imperatoris matre adinventa fuit, & cultui fidelium expoſita. Quid igitur mirum ſi Apoſtoli ſalvificæ Crucis cultum ad uſum ſuis temporibus reducere non potuerint?

Hac reſponſione concidunt futiles illæ quæſtiones, quas *Dallæus* cap. 2. lib. 5. *de religioſi cultus objecto* temerè proponit, cur ſcilicet Apoſtoli, & primæ ad quartum ſæculum memoriæ fideles ipſam Crucem, cui erat Chriſtus ſuffixus, jacere defoſſam paſſi ſint, neque eam unquam eruere, & adorandam proponere vel leviter conati ſint? cur locum, in quo defoſſa jacebat, ſuos non docuerint, eoſque non hortati ſint, ut in omnem ejus recuperandi occaſionem intenti vigilarent, donec rem ipſam divinitùs obtinerent? Hæ, inquam, & ſimiles vanæ quæſtiones hac reſponſione in fumum evaneſcunt, Apoſtoli ſiquidem, & trium priorum ſæculorum Chriſtiani Crucem Chriſti humi defoſſam non eruerunt, vel quia ob Judæorum,& Gentilium ſævientes perſecutiones non potuerunt; vel quia tum temporis non expedire judicarunt propter graſſantem adhuc idololatriam, ut Crux cultui fidelium exponeretur; vel quia denique timuerunt ne Crux Chriſti in illo naſcentis Eccleſiæ exordio veniret in manus Gentilium, qui ferro, flammâque in Chriſtianos ubique ſæviebant, omnemque Chriſti Servatoris noſtri memoriam abolere ſatagebant.

Arguitur ſecundò: Hiſtoria, quæ circumfertur, de inventione Crucis Chriſti meritò in dubium revocari, immò & fabulis apponi debet, ergo cultus, qui ob illam inventionem, Crucis Chriſti in Eccleſia Romana defertur, non ex pietate fidelium, ſed ex fabuloſis traditionibus exordium ſumpſit. Prob. antec. ex ſilentio *Euſebii*, qui lib.3. de vita Conſtantini cap. 28. diſertam quidem mentionem facit inventionis Dominicæ Reſurrectionis monumenti,ſeu ſepulchri Chriſti Domini tempore Conſtantini reperti, at de inventione Crucis ne ullum quidem verbum habet; in quod ſilentium deſcendere *Euſebium* multa prohibebant, diligentia ſcilicet, quæ gravem hiſtoricum decet, atque amor, quo complectebatur Conſtantini memoriam, ejuſque Matris Helenæ, cujus pietatem in repurgando Calvariæ monte, beneficentiam in pauperes, aliaſque ipſius virtutes accuratè deſcripſit. Nec ſolùm *Euſebius* Crucis inventionem ſilentio præteriit, ſed de ea etiam nihil memorat Imperator Conſtantinus in ſua ad Macarium epiſtola, in qua in gratiarum actiones erumpit ob repertum ſepulchrum Domini, ſeu, ut ait: *Sacratiſſimum Paſſionis ejus Monumentum*, repertæ autem Crucis nequaquam meminit.

Præterea, quis adeò bonus, ut credat Crucem Servatoris per trecentos & ampliùs annos ruderibus coopertam, & in terra defoſſam non computruiſſe, eamdemque ſortem obtigiſſe crucibus latro-

num, quas unà cum Cruce Domini ab Helena repertas fuiſſe memorant illius hiſtoriæ Scriptores? Nulla igitur fides habenda eſt hiſtoriæ de inventione Crucis Chriſti.

Reſpondeo: Has & ſimiles conjecturas, quibus nituntur *Salmaſius*, *Spanhemius*, *Baſnagius*, *Dallæus*, aliique ſectæ Calvinianæ gregales, ut hiſtoriæ de inventione ſalutiferæ Crucis Chriſti fidem omninò detrahant, nullius momenti, ac ponderis eſſe. Prima quidem conjectura nullum planè robur habet, quia ex ſilentio *Euſebii*, & Conſtantini Imperatoris argumentum dumtaxat purè negativum colligi poteſt, quod in rebus hiſtoricis parvi faciendum eſſe fatentur cordati Critici, maximè quando ex adverſo ſuppetunt argumenta poſitiva petita ex coævis, & probatiſſimæ fidei Auctoribus. Porrò indubitatæ fidei Auctores referunt Crucem Chriſti Servatoris noſtri ab Helena Conſtantini Imperatoris matre fuiſſe Hieroſolymis inventam, ſic enim ſcribunt *Sanctus Ambroſius* in oratione funebri Imper. Theodoſii, ubi rei geſtæ ſeriem accuratè deſcribit, *Paulinus Nolanus* epiſt. 11. ad Severum Sulpicium, item *Severus Sulpicius* lib. 2. hiſtor. *Socrates* lib.1. hiſt. cap.13. *Theodoretus* lib.1. hiſt.cap.18. *Sozomenus* lib.2.hiſt. cap.3. quibus locupletiſſimis teſtibus, & omni exceptione majoribus unum inſtar omnium addam *Sanctum Cyrillum* Patriarcham Hieroſolymitanum, qui illo tempore vixit, quo Helena Conſtantini mater Hieroſolymam luſtravit, & Inventioni Sanctæ Crucis præcipuam operam navavit, in epiſtola autem, quam *Sanctus Cyrillus* ad Imperatorem Conſtantium eâ de re ſcripſit, perſpicuè, & abſque verborum involucris teſtatur Sanctus ille Pater ſalutare Crucis lignum tempore Conſtantini Imperatoris fuiſſe Hieroſolymis repertum, ſic enim ſcribit: *Tempore quidem Deo dilectiſſimi, ac beatæ memoriæ Conſtantini Patris tui, ſalutare Crucis lignum Hieroſolymis repertum eſt, divina gratia concedente ei, qui rectè quærebat pietatem, etiam abſtruſam locorum ſanctorum inventionem.*

Non me latet hanc *Sancti Cyrilli* epiſtolam à *Riveto* Auctore Calviniſta explodi tanquàm monumentum ſuppoſititium, eo ſolo nomine, quod in prædicta epiſtola Imperator *Conſtantius*, divinitatis Chriſti impugnator acerrimus, ingentibus laudibus evehatur. Sed fallitur vir ille intemperantioris criticæ; nam verbis honorificis Principes, quamvis ſint fidei hoſtes, ſemper compellari debent. Sic SS.Patres *Athanaſius*, & *Hilarius* eumdem Imperatorem Conſtantium, eo etiam tempore, quo fidem Chriſtianam apertiùs oppugnabat, maximâ humanitate, & reverentiâ affari ſolebant. Quapropter meritò exſufflari debet hæc inanis *Riveti* conjectura, & *Sancto Cyrillo* vindicanda eſt illa epiſtola, ex qua pro Inventione Sanctæ Crucis invictum ducitur argumentum, nec enim credibile eſt *S. Cyrillum* Auctorem coævum

vum Imperatori Conſtantio fucum facere, commentis eum ludere, ac toti Orbi fabulam venditare voluiſſe.

Ad alteram conjecturam, quâ nituntur noſtri temporis hæretici, reſpondeo: Non eſſe difficile creditu Crucem Chriſti, Deo ita providente, per trecentos & ampliùs annos humi defoſſam latuiſſe, & tamen non computruiſſe. Voluit quippè Deus, ut ſalvifica Crux tamdiù terrâ operta lateret, ne in Gentilium manus veniret, ſive quando Urbs Hieroſolymitana à *Tito* Imperatore obſeſſa, & capta eſt, ſive quando *Hadrianus* Imperator vicinos Hieroſolymorum agros novis depopulationibus afflixit. Eam tamen divinâ omnipotentiâ ſuâ à corruptione ſervavit immunem, ut poſt extirpatam idololatriam, & longè, latèque propagatam Religionem Chriſtianam fidelium cultui pateret. Quod ſi eandem incorruptionis prærogativam Latronum crucibus itidem conceſſit Deus, id eo ſolo fine præſtitit, ut ad contactum ſolius Crucis Chriſti inſigni ſuſcitationis mortui miraculo, quod graviſſimi mox laudati Auctores in Inventione Sanctæ Crucis factum fuiſſe perhibent, major Cruci Chriſti conciliaretur veneratio, & ſublatâ omni dubitatione firmior apud omnes de illius tam pretioſi inventione theſauri ſtabilirentur fides, conſtansque religio. Apage ergo has & ſimiles caducas planè, & ficulneas hæreticorum conjecturas.

Arguitur tertiò: Si Crux, in qua pependit Chriſtus, cultu latriæ reſpectivæ eſſet adoranda, eo quod Chriſti contactu fuit conſecrata, pari quoque ratione adorari deberet aſina, cui triumphali apparatu inſidens Chriſtus Hieroſolyma eſt ingreſſus. Similiter os Judæ proditoris, manus Malchi, & carnificum, aliaque id genus, quæ Sanctiſſimum Chriſti Corpus terigerunt, Paſſionis inſtrumenta eſſent adoranda. Denique cultus latriæ reſpectivæ deferendus eſſet utero B. Mariæ Virginis, in quo Verbum caro factum eſt, novemque menſibus habitavit, atqui hæc omnia perabſurda ſunt, ergo Crux propter contactum Corporis Chriſti coli non debet cultu latriæ reſpectivæ.

Reſpondeo: Crucem, præ his omnibus, quæ Sanctiſſimum Chriſti Corpus tetigerunt, honoris, & cultus prærogativam optimo jure ſibi vendicare. In Cruce ſiquidem noſtra ſalus peracta eſt, hæc ſtillante fuit irrorata Sanguine Chriſti, multis nobilitata miraculis, ipſum denique Chriſtum ſuffixum magis nobis repræſentat. Futilia autem ſunt, quæ poſt *Claudium Taurinenſem* opponunt noſtri temporis hæretici. Primò, adorari non debet aſina, cui inſedit Chriſtus, quia hoc animal, non ſecus ac alia hujusmodi, quæ poſt contactum corporis Chriſti communibus uſibus pervia fuerunt, ceſſarunt eſſe ſacra; & quia etiam *non in aſino diabolum, ac dæmones reliquos vicit Chriſtus, neque in aſino ſalutem noſtram operatus eſt, ſed in Cruce. Hinc fit, ut dæmones,*

nes, cùm aſinos vident, nec tremant, nec horreant, at Crucem intuentes, perſæpè tremunt, horrentque, ſternuntur, & fugantur, ait Auctor quæſtionum ad Antiochum apud *Athanaſium* quæſtionibus 39. & 40. Prætereà, os Judæ proditoris, & manus Malchi, ac tortorum Chriſti cultu latriæ relativæ adorari non debent, quia illa membra non aliquam ſanctitatem, ſed potiùs maculam ex contactu corporis Chriſti contraxerunt, contactus quippè ille fuit violentus, & cruentus, quò fit, ut impium eſſet hiſce execrandis membris aliquem exhibere cultum. Denique licet corpus Beatæ Virginis fuerit contactu corporis Chriſti conſecratum, cultus tamen latriæ relativus, qui ſalvificæ Cruci impenditur, ei tribui non debet, ne videatur abſolutè reddi perſonæ Virginis ob propriam ipſius excellentiam, quod locum habere non poteſt in ligno Crucis, cùm ſit ſuppoſitum inanimatum, in quo nemo virtutem illam, aut excellentiam propriam ſuſpicatur.

Arguitur ultimò: *Sanctus Ambroſius* in oratione funebri Theodoſii Imperatoris hæc habet: *Invenit ergo Helena Crucem Domini, Regem adoravit, non lignum, utique quia hic Gentilis eſt error, & vanitas impiorum; ſed adoravit illum, qui pependit in ligno*. Unde ſic conficitur argumentum: *Sanctus Ambroſius* aſſerit Gentilium, & impiorum eſſe errorem adorare lignum, ſed Chriſtiani, dum Crucem adorant, lignum adorant, ergo labuntur in Gentilium errorem.

Reſpondeo diſting. maj. Adorare lignum cultu latriæ abſoluto, quaſi in eo quædam ineſſet divinitas, error eſt Gentilium concedo, adorare Crucis lignum tanquàm contactu corporis Chriſti conſecratum, ejus Sanguine irrigatum, & Redemptorem noſtrum repræſentans, error eſt Gentilium, nego. Similiter diſtinctâ minori nego conſeq. hanc reſponſionem conſentaneam eſſe menti *Sancti Ambroſii*, patet ex ipſius verbis ſequentibus: *Sapienter*, inquit, *Helena egit, quæ Crucem in capite Regum levavit, & locavit, ut Crux Chriſti in Regibus adoretur: non inſolentia iſta, ſed pietas eſt, quæ defertur ſacræ redemptioni*. Quibus verbis apertè innuit *Sanctus Ambroſius* lignum Crucis, quatenùs Chriſtum nobis Redemptorem exhibet, dignum eſſe adoratione reſpectivâ, quæ ad Prototypum, ſeu ad Chriſtum, quem nobis Crux ob oculos ponit, terminatur. Hinc *Sanctus Thomas* 3.p. qu.25. art.4. ad 3. docet, quod quamvis Chriſtiani coronam, lanceam, & clavos, quibus Chriſtus in Cruce fixus eſt, cultu latriæ relativo adorent propter unionem, & contactum membrorum Chriſti, attamen quia iſta per antonomaſiam non repræſentant Chriſtum, ſicut Crux, quæ propriè nuncupatur *Signum filii hominis*, quod apparebit in Cœlo, ut dicitur *Matth.* cap.24. ideò fideles non omnes coronas, clavos, & lanceas venerantur, benè tamen omnes Cruces ex qualibet materia, auro, argento, ligno, ſaxo vel conflatas, vel ſculptas, vel dolatas.

Quæ-

Digitized by Google

QUÆRES PRIMÒ IN FINE HUJUS PARAGRAPHI: *Quænam cauſa ſit cur in die Paraſceves, & in Sabbato ſubſequente Sacrificium ſolemne in Eccleſia prætermittatur?*

Reſpondeo duplicem ab Expoſitoribus Rituum Eccleſiaſticorum cauſam aſſignari. Prima eſt: *Quia in hac die Dominus ſeipſum obtulit, & ipſa oblatio ſufficit ad ſalutem credentium*. Quæ ratio eſt Amalarii, & vulgati Alcuini. Altera ab Innocentio I. indicatur, ſcilicet, quod iſto biduo Apoſtoli in mœrore conſtituti, jejuni permanſerint, adeò ut ob hanc cauſam *traditio Eccleſiæ habeat iſto biduo Sacramenta penitùs non celebrari*. Hæc ſecunda ratio probabilior videtur doctiſſimo *Mabillonio* comment. in ordinem Romanum part.2. Muſæi Italici.

QUÆRES SECUNDÒ: *Utrùm præter tabulam ſuppedaneam, cui affixi erant pedes Chriſti, fuerit in medio Crucis aliud lignum inſtar ſcabelluli, cui pendulum corpus acclinaretur, & quaſi inniteretur à tergo?*

Reſpondeo affirmativè. Et primò, tabulæ ſuppedaneæ, quæ pedibus hominis in cruce pendentis ſupponebatur, meminit *Sanctus Gregorius Turonenſis* cap.6. lib.de Gloria Martyrum, ubi hæc habet: *In ſtipite erecto, foramen factum manifeſtum eſt: ſuper hanc verò tabulam tanquàm ſtantis hominis ſacræ affixæ ſunt plantæ*. Secundò, in medio crucis defixum fuiſſe aliquod lignum, ſeu ſcabellulum, cui hominis in cruce pendentis corpus à tergo innitebatur, liquet ex *Sancto Irenæo*, qui lib.2.cap.42. de quinario numero diſputans, inter alia plurima, hoc quinarii numeri profert exemplum: *Ipſe habitus crucis fines, & ſummitates habet quinque, duos in longitudine, duos in latitudine, & unum in medio, ubi requieſcit, qui clavis affigitur*. Idem tradit *S. Juſtinus* in dialogo cum Triphone: *Directum eſt*, inquit, *ſummum lignum, unde ſumma pars in cornu attollitur, cum lignum ei aliud adaptatur; & utrinque ut cornua, unicornu adjunctæ ſummitates apparent; & quod in medio fixum eſt, ut cornu, & ipſum eminet, in quo vehuntur, & inſident, qui crucis ſupplicium ſubeunt*. Quibus verbis innuit *Sanctus Juſtinus* in medio crucis ſtipite fuiſſe lignum inſtar cornu, quod eminebat, & cui ille, qui è cruce pendebat, inſidebat, ac vehebatur. Accedit etiam hæc ratio, nam cùm manus ferendæ totius corporis moli pares eſſe non poſſent, verò quam proximum eſt in medio crucis ſtipite defixam fuiſſe aliquam tabulam, cui, tanquam ſcabellulo pendulum corpus acclinari, & quaſi à tergo inniti poſſet. Si plura ſcire aveat Lector, adeat *Juſtum Lipſium* lib.2. de cruce cap.10. *Gretſerum*, & alios, qui de cruce ex profeſſo diſſeruerunt.

QUÆRES TERTIÒ: *Cur Chriſtus crucifigi voluerit inter duos Latrones, quorum unus, qui erat à dextris, reſipuit, & ad fidem converſus eſt, alter verò obduratus in impietate ſua mortuus eſt?*

Reſpondeo cum *Sancto Thoma* 3.p. qu. 46. art. 11. Chriſtum voluiſſe

luiſſe inter duos Latrones crucifigi, primò, ut impleret illud *Iſaiæ* vaticinium cap.53. *Et cum iniquis reputatus eſt*: & ut oſtenderet ſe non ſolùm pro juſtis, & electis, ſed etiam pro impiis, & reprobis mortem ſubire. Secundò, quia hinc maximè effulſit potentia Chriſti, & deſtructa eſt malitia Judæorum, qui eo potiſſimùm fine ad latera Chriſti duos Latrones crucifixerunt,ut crux Chriſti cum impiorum crucibus confunderetur, & ipſe tanquam maleficiorum Princeps haberetur: *Sed non ita evenit*, inquit *Sanctus Chryſoſtomus* hom.88.in Matth. *nam de illis*, ideſt de crucibus latronum, *nihil dicitur*: *hujus autem*, ideſt Chriſti, *ubique crux honoratur*, *Reges diademata deponentes*, *aſſumunt Crucem in purpuris, in diadematibus, in armis, in menſa ſacrata, ubique terrarum Crux emicat*. Denique Chriſtus crucifixus eſt inter duos Latrones, quorum unum veniâ donavit, alterum verò condemnavit, ut hoc ſupremo judicio oſtenderet Crucem ſuam eſſe quaſi Tribunal ſupremi Judicis, qui aliquibus ſummâ, qua pollet, auctoritate parcit, quoſdam autem, citrà ullius injuriam, condemnat, ſicut in ultimo judicio apparebit. De illis Latronibus ſcribunt *Matthæus*, & *Marcus*, quod improperabant Chriſto, ſive quia duo illi Euangeliſtæ ſumunt plurale pro ſingulari, juxtà explicationem *Sancti Auguſtini* lib. 3. de conſenſu Euang. cap.13. ſive quia bonus Latro principiò quidem unà cum ſocio conviciabatur Chriſto, ſed deindè, ingruentibus tenebris, terrâ commotâ, ſaxis diruptis, Chriſtique patientiâ, manſuetudine, & charitate attentiùs conſideratis, ad meliorem frugem converſus, factique pœnitens ſocium ſuum convicia jacientem in Chriſtum increpuit dicens: *Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es? & nos quidem juſtè digna factis recipimus: hic verò nihil mali geſſit. Et dicebat ad Jeſum: Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum*, Lucæ cap.23. ſic æternam ſalutem conſequutus eſt bonus Latro, qui, ut inquit *Sanctus Bernardus* epiſt.8.*Eodem die ſimul & confeſſus latrocinia, & introductus in gloriam,brevi quodam contentus ponte Crucis ad tranſigendum de regione diſſimilitudinis in terram viventium, & de luto fæcis in Paradiſum voluptatis*. Nolint tamen ſibi blandiri peccatores, & pœnitentiam uſque ad ultimam vitæ periodum procraſtinare, quia, ut in eadem epiſtola ait mellifluus ille Doctor, converſio Latronis in exitu vitæ, non tàm exemplum, quàm miraculum fuit. *Pænitentia,quæ ab infirmo petitur, infirma eſt pænitentia*: *quæ à moriente tantùm petitur, timeo ne & ipſa moriatur*, ait *Auguſtinus* ſerm. alias 57. de tempore, nunc 255. in appendice, & ſerm. 393. aliàs 41. ex homil. Quinquag. *Si quis poſitus in ultima neceſſitate ægritudinis ſuæ voluerit accipere pænitentiam, & accipit, mox reconciliatur, & hinc vadit: fateor vobis, non illi negamus, quod petit; ſed non præſumimus, quia benè hinc exit..... agens pænitentiam ad ultimum, & reconciliatus, ſi ſecurus hinc exit, ego non*

Digitized by Google

non ſum ſecurus, Pœnitentiam dare poſſum, ſecuritatem dare non poſſum. Vis te dubio liberare? age pœnitentiam dum ſanus es; tene certum, dimitte incertum. Lege ſuper hac re *S. Cyprianum* tract. de lapſis, & epiſt.50. ad Antonianum, & *S. Bernardum* ſerm.75. de diverſis.

QUÆRES QUARTÒ: *Utrùm hi, qui Chriſtum crucifixerunt, vel in ejus mortem conſpirarunt, ipſum cognoverint? & quam de peccato ſuo excuſationem habuerint?*

Reſpondeo cum *Sancto Thoma* 3.p. qu.47. art.5.& 6. Rectores Judæorum, ſeu Legiſperitos, Scribas, & Phariſæos probè cognoviſſe Chriſtum eſſe Meſſiam à Deo promiſſum, & Prophetarum oraculis prædictum. Viderant quippe omnia,quę de Meſſia à Prophetis erant prædicta, in Chriſto fuiſſe impleta; ſæpèque ſuis oculis inſpexerant ſtupenda miracula, quæ Chriſtus ad doctrinæ ſuæ confirmationem potenti virtute edebat, quibus tamen pervicacià plusquàm adamantinà credere noluerunt. Quapropter eorum peccatum fuit graviſſimum, utpotè Deicidium; quamvis enim myſterium divinitatis Chriſti non agnoverint, dicente Apoſtolo 1. ad Cor. cap.2. *Si cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*; hæc tamen ignorantia, quia affectata erat, à crimine eos non excuſavit, ſed potiùs illud auxit. Hinc Chriſtus Joannis cap.15. dicit: *Nunc excuſationem non habent de peccato ſuo*. Graviùs ergo peccarunt Principes Sacerdotum, Scribæ, Phariſæi, aliique Judæi, qui Chriſtum tradiderunt Pilato, quam ipſemet Pilatus, quem nomine Cæſaris territum ad affectum ſui ſceleris impulerunt, & ab ipſo damnationem Chriſti clamoribus extorſerunt, ut eleganter ait *Tertullianus* apolog. cap. 21. *Ad doctrinam verò ejus*, ideſt Chriſti, *qua revincebantur Magiſtri, primoresque Judæorum ita exaſperabantur, maximè quod ad eum ingens multitudo deflecteret, ut poſtremò oblatum Pontio Pilato, Syriam tunc ex parte Romana procuranti, violentia ſuffragiorum in Crucem dedi ſibi extorſerint*. Sed Pilatus, inquit *Euſebius* lib.2. hiſt. Eccl. cap. 7. qui in Salvatorem iniqui Judicis functus eſt officio,temporibus Caji Imper. tantis, ac talibus malorum cladibus cruciatus eſt, ut proprià ſe manu transverberans, nefariam vitam vi abjeciſſe referatur; nec enim poterat tanti piaculi miniſter impunitus evadere. Graviùs etiam peccarunt Judæi, quàm milites, qui mandato Præſidis morem gerentes Chriſtum in crucem egerunt, & legis ſcientiam non habuerunt. Sed Judæorum culpam exceſſit facinus Judæ, qui præmio triginta argenteorum illectus per maximam poſt homines natos ingratitudinem Principibus Sacerdotum tradidit Chriſtum Dominum, à quo innumeris beneficiis fuerat cumulatus. Quod prædictum fuerat à *Zacharia* Propheta cap. 11. *Et conſtituerunt mercedem meam triginta argenteos*. Pro quo *Symmachus* quidem ait: *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos*. Aquila verò: *Et conſtitue-*

ſtituerunt mercedem meam triginta argenteos. *Budæus* lib. 5. *de aſſe* ait ſe Pariſiis in æde S. Joannis Lateranenſis vidiſſe argenteum unum, qui ex illis triginta eſſe dictitatur, quos Judas in Templum abjecit, ponderantem didrachmum, ſeu duas drachmas Atticas, hoc eſt duos Julios Italicos. Ex quo ſequitur, pretium, quo Chriſtus Dominus à Juda venditus eſt, non exceſſiſſe valorem ſexaginta Juliorum monetæ Italicæ. Hoc tam vili pretio ineſcatus Judas Chriſtum prodidit, ſibique confeſtim diri conſcio facti, furiisque exagitato necem conſcivit. Deteſtanda igitur, ac diris devovenda eſt hæreſis *Cajanorum*, qui fœdum, ac flagitioſum proditorem Judam miris laudibus, & honoribus efferebant, quaſi, tradendo Servatorem, plurimùm generis humani ſalutem promoviſſet,ipſique eâ de causâ gratiarum actionem reddendam eſſe ſtultè opinabantur. Hujus hæreſeos mentionem faciunt *Irenæus* lib. 1. adversùs hæreſes cap. ult. *Tertullianus* lib. de præſcriptionibus adversùs hæreticos cap.47. *Philaſtrius*, *Epiphanius*, *Hieronymus*, *Auguſtinus*, & *Theodoretus*.

Dices: Quicumque operatur ſequens opinionem probabilem gravium Auctorum ſuffragiis munitam, licet legi Dei reapsè contrariam, non peccat; tunc enim prudenter agit, ut docent etiamnùm benè multi Theologi, atqui Judæi, qui Chriſtum Dominum crucifixerunt, ſecuti ſunt opinionem probabilem nixam auctoritate gravium Auctorum, videlicet Scribarum, Phariſæorum, & Sacerdotum, qui Chriſtum juxtà legem morti adjudicandum eſſe declararunt, ergo Judæi, qui Chriſtum crucifixerunt, nullam omninò culpam contraxerunt.

Præterea, nullus lethaliter peccat, niſi præviâ peccati cognitione ejus animus illuſtretur, illiusque vitandi deſiderio extimuletur, juxtà pervulgatam quorumdam modernorum Caſuiſtarum ſententiam,atqui Judæi Chriſtum crucifigentes præviam non habuerunt notitiam illius peccati, ſed potiùs exiſtimarunt, occidendo Chriſtum, maximum ſe Deo præſtare obſequium, undè Apoſtolus 1. ad Corint. cap.2. ait, quod Judæi, *ſi cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*. Ergo Judæi propter ignorantiam, in qua verſabantur, debent ab omni culpa liberari.

Reſpondeo ad utrumque momentum, & ad primum dico: Non tàm argumentis refellendam, quàm ſanguineis lachrymis deplorandam eſſe ſententiam nonnullorum Caſuiſtarum, qui dictitant auctoritatem unius, vel aliquorum gravium Auctorum ſat ſuperque ſufficere ad opinionem Divinæ legi licet contrariam probabilitate donandam, ita ut qui illam in praxi ſectantur à peccato immunes cenſeri debeant. Nam primò, hæc ſententia latiſſimum ad omnem impietatem aditum pandit, laſcivientibus ingeniis ad corrumpendam Ethicam

Chri-

Digitized by Google

Chriſtianam laxiſſimas admittit habenas, & in totius religionis apertè graſſatur exitium, ſicut Sole clariùs demonſtrant noſtri Theologi *Baronius*, *Gonetus*, *Contenſonius*, *Natalis Alexander*, & alii tàm domeſtici, quàm extranei Auctores, qui novum iſtud probabilitatis commentum, ex quo varii in doctrina morali pullularunt errores, perdoctis lucubrationibus profligarunt. Secundò, ubi primùm hæc ſententia ſaluti animarum adeò exitioſa in vulgus ſparſa eſt, continuò totius Populi Chriſtiani pietate cum juſta deteſtatione fuit rejecta, Parrochorum tàm Rhotomagenſium, quàm Pariſienſium ſcriptis confutata, ſacrâ auctoritate Epiſcoporum Eccleſiæ Gallicanæ multis anathematis proſcripta, atque à Sede Apoſtolica vaticanis fulminibus protrita eſt. Denique, ut brevitatis ergo innumeras prætermittam rationes, quæ apud citatos Auctores legi poſſunt, *Sanctus Thomas* hanc virulentam ſententiam, longè antequam in fœtidis modernorum Caſuiſtarum paludibus enata eſſet, præfocavit quodlibeto 3. art. 10. ubi hæc habet: *Reſpondeo dicendum, quod diverſæ opiniones Doctorum Sacræ Scripturæ, ſiquidem non pertineant ad fidem, & bonos mores, abſque periculo auditores utramque opinionem ſequi poſſunt. Tunc enim habet locum, quod Apoſtolus dicit ad Rom. cap.*14. Unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet. *In his verò, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores, nullus excuſatur, ſi ſequatur erroneam opinionem alicujus Magiſtri; in talibus enim ignorantia non excuſat.* Et quodlibeto 8. art. 13. *Illud autem, quod agitur contra legem, ſemper eſt malum, nec excuſatur per hoc, quod eſt ſecundùm conſcientiam.* Denique quodlibeto 9. art. 15. *Error*, inquit Sanctus Doctor, *quo non creditur eſſe peccatum mortale quod eſt peccatum mortale, conſcientiam non excuſat à toto, licet fortè à tanto.* Quibus ſignificantibus verbis luculenter docet *Sanctus Thomas* opinionem etſi munitam gravium Auctorum ſuffragiis, ſi ſit contra legem & bonos mores, à peccato eximere haud poſſe, ac ſubinde peccaſſe Judæos, qui falsâ Magiſtrorum ſuorum opinione ducti Chriſtum Dominum in crucem egerunt.

Ad ſecundum dico: Doctrinam Laxonum Caſuiſtarum aſſerentium *nunquam peccari, niſi prævia peccati cognitione animus illuſtretur, ejusque vitandi deſiderio extimuletur*, fuiſſe die 1. Auguſti anni 1641. à ſacra Facultate Pariſienſi confixam tanquam *falſam, & viam aperientem ad excuſandas excuſationes in peccatis*. Perſtrictam itidem fuiſſe eandem doctrinam à Facultate Lovanienſi die 4. Maji anni 1657. hoc cenſorio ſtigmate: *Eſt contra communia Chriſtianæ Theologiæ principia; & innumera etiam immaniſſima hominum peccata excuſat cum pernicie animarum.* Sanè dubium non eſt, quin hac ſemel Neotericorum Caſuiſtarum admiſſa ſententiâ, excuſarentur omnia quamvis nefandiſſima crimina peccatorum, qui in malo ſunt obdurati & excæcati, quippè qui,

ut fatali heu nimium! experientia conſtat, dum malè operantur, ſuæque effræni cupiditati ex inveterata conſuetudine indulgent, nec prævia cogitatione illuſtrantur, nec peccati vitandi deſiderio ampliùs extimulantur. Excuſarentur pariter omnia peccata ignorantiæ voluntariæ, & vincibilis, quæ tamen vera eſſe peccata docent poſt Scripturam ſacram omnes ad unum SS. Patres, quos inter unum inſtar omnium laudabo *Sanctum Bernardum* in epiſt. ad Hugonem de S. Victore cap. 4. ubi hæc aurea verba ſcribit: *Si ignorantia nunquam peccatum eſt, cur dictum eſt in epiſtola ad Hebræos, quia in ſecundo tabernaculo ſemel in anno ſolus Pontifex intraret, non ſine ſanguine, quem offerret pro ſui, & populi ignorantia? Si peccatum ignorantiæ nullum eſt, non ergo peccavit Saulus, quod perſecutus eſt Eccleſiam Dei, quoniam quidem ignorans hoc fecit, manens in incredulitate. Benè itaque faciebat, quod erat blaſphemus, & perſecutor, & contumelioſus; & quod erat ſpirans minarum, & cædis in Diſcipulos Domini; in hoc ipſo quippè abundanter æmulator exiſtens paternarum ſuarum traditionum. Non ergo debuit dicere miſericordiam conſecutus ſum; ſed mercedem accepi: quippè quem ignorantia à peccato reddebat immunem, inſuper & æmulatio remunerabilem indicabat. Si, inquam, ignorantia nunquam peccatur, quid ergo cauſamur adversùs occiſores Apoſtolorum; quoniam quidem non ſolùm malum eſſe neſcierunt interficere illos, ſed inſuper quoque id faciendo arbitrati ſunt obſequium ſe præſtare Deo? Sed & fruſtrà Salvator pro ſuis orabat crucifixoribus, quippè neſcientibus (ipſò teſte) quid facerent, & ita nequaquam peccantibus. Numquid non ex his ſatis apparet in quantis jaceat ignorantiæ tenebris, qui ignorat peccari poſſe interdùm per ignorantiam.* Viden quo pacto mellifluus ille Doctor ex certiſſimis Scripturæ ſacræ teſtimoniis evincat dari peccata ignorantiæ, adeòque falſam eſſe opinionem Laxonum Caſuiſtarum, qui docent *nunquam peccari, niſi prævia peccati cognitione animus illuſtretur, ejusque vitandi deſiderio extimuletur.* Sancto Bernardo ſuccinit Sanctus Thomas pluribus in locis, maximè 3. p. qu. 47. art. 5. ad 3. ubi ait: *Dicendum quod ignorantia affectata non excuſat à culpa, ſed magis videtur culpam aggravare: oſtendit enim hominem ſic vehementer eſſe affectum ad peccandum, quod vult ignorantiam incurrere, ne peccatum vitet: & ideò Judæi peccaverunt, non ſolùm tanquàm hominis Chriſti, ſed etiam tanquàm Dei crucifixores.* Plura hac de re ſi ſcire aveas, legeſis librum, cui titulus eſt: *De advertentia ad malitiam peccati*, editum ab uno ex noſtris Theologis, videlicet *Norberto Delbecque.*

Quæres ultimò: *Utrùm Maria Virgo, Chriſto inter probra Crucis extremum ducente ſpiritum, animi, viriumque paſſa fuerit deliquium?*

Reſpondeo: Beatam Virginem, patiente dilectiſſimo Filio ſuo, acer-

acerbiſſimo quidem dolore tactam fuiſſe, verèque transfixam doloris gladio, ſicuti prænunciaverat Simeon ille juſtus in Templo, dùm dixit: *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius*; eam tamen nihil per mæſtitiam rectę rationi non conſentaneum, nihil non undecumque decorum admiſiſſe. Hinc pulchrè Euangeliſta *Joannes* cap. 19. ait: Mariam Matrem Jeſu juxta Crucem ſtetiſſe, quia non ſolùm corpore, ſed etiam fidei firmitate, & animi fortitudine impavida juxtà Crucem ſtetit erecta, ita ut virtute conſtantiſſimi pectoris, magnâque in divinas promiſſiones fiduciâ, æquam mentem ſervaverit, vireſque ſuſtinuerit, quæ alioquin ad tam horrendum ſpectaculum facilè defeciſſent. *Stabat antè Crucem Mater, & fugientibus viris, ſtabat intrepida*, inquit *S. Ambroſius* lib. de Inſtitut. Virginis cap. 7. Et in conſolatione de obitu Valentiniani, ait idem Pater: *Durum quidem funus videtis; ſed ſtabat & Sancta Maria juxtà Crucem Filii, & ſpectabat Virgo ſui Unigeniti paſſionem. Stantem illam lego, flentem non lego.* Idem fermè habet Sanctus ille Doctor lib. 10. in Lucam. Ludunt ergò nos Pictores, quorum alii, pro innata fingendi libidine, depingunt Beatam Virginem juxtà Crucem præ doloris vehementia hærentem attonitam, quaſi in ſaxeam duritiem obriguiſſet. Alii non minùs ludricè eam exhibent inter brachia Magdalenæ exanimem collapſam, operâque adjutam piarum mulierum. Inſaniunt verò nonnulli Auctores, quos non pudet aſſerere: Beatam Virginem, moriente Filio, unguibus ſibi laceraſſe genas, pugnis contudiſſe pectus, diſſipaſſe comam, omnia inconditis vociferationibus compleſſe, Judæis, Judæ, & Militibus fuiſſe imprecatam, per vicos, & plateas inſanarum mulierum more oberraſſe intemperiis obnoxiam, & tantùm non in furias actam. Quæ omnia, cùm ludrica ſint, & indecora, penitùs ablegari debent à Beata Virgine, quæ, dùm vixit, nihil antiquiùs habuit, quàm ut ſe totam divino permitteret arbitrio, & in rebus arduis, non ſecùs ac in ſecundis ſemper ſibi conſtanti vitæ ratione divinæ voluntati obſequeretur. Legi poteſt tractatus 13. *de Spaſmo B. Mariæ Virginis*, à noſtro *Cajetano* editus, qui extat in 2. tomo ejus Opuſculorum.

DIS-

DISSERTATIO VIGESIMA PRIMA

De ſepultura Chriſti, ejuſque deſcenſu ad inferos.

HAnc Diſſertationem in duos diſtribuam Paragraphos, in primò inquiram quomodò ſepultus ſit Chriſtus Dominus; & an ipſius divinitas ab ejus Corpore, Anima, & Sanguine fuerit ſeparata in triduo mortis, ac ſepulturæ? In altero differam de deſcenſu Chriſti ad inferos, & de illorum, quos hinc eripuit, liberatione.

Paragraphus primus

Quomodò ſepultus ſit Chriſtus Dominus, & an Divinitas ab ejus Anima, Corpore, & Sanguine in triduo mortis, ac ſepulturæ fuerit ſeparata?

OBſervandum primò cum *S. Thoma* 3.p. qu.51. art.1. conveniens fuiſſe Chriſtum ſepeliri, tùm ad comprobandam veritatem ipſius mortis, & reſurrectionis, undè legitur *Marci* cap.15. quod Pilatus, antequàm permitteret Chriſtum deponi de cruce, & ſepeliri, præmiſsâ diligenti inquiſitione exploratum habere voluit an reverà eſſet mortuus; tùm etiam ut firmam haberemus ſpem fore ut corpora noſtra, ſepulturæ licèt mandentur, in futura tamen reſurrectione ad vitam redire debeant, ſicut Chriſtus è tumulo glorioſus reſurrexit; tùm denique in exemplum eorum, qui per mortem Chriſti moriuntur peccatis, & quaſi ſepeliuntur mundo, vitamque planè abſconditam, & ab hominum contubernio remotam agunt, juxtà illud ad Coloſſenſes cap. 2. *Mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo*. Et ad Roman. cap.6. *Conſepulti ſumus cum Chriſto per Baptiſmum in mortem*.

Obſervandum ſecundò: Varios fuiſſe ritus, qui à diverſis hinc-indè populis in curandis defunctorum corporibus uſurpari ſolebant. Quidam enim mortuos, vel morti vicinos devorabant, ut *Scythæ, Pontici, Indi, Meſſagetæ, Derbices, Thebareni*, quibus ſolenne eſt parentes, & conſanguineos edacibus dentibus diſcerpere, eorumque carnes in viſceribus ſuis contumulare, dùm aut morbo, aut macie, aut ſenio confecti, morti, & ſepulchro vicini cenſentur, rectiùs eſſe dictitantes ut à ſe potiùs, quàm à vermibus comedantur. Alii in more poſitum habebant defunctos ſuos ſuſpendere de arboribus, ut

Col-

Digitized by Google

Colchi. Alii mortuos projiciebant in flumina, vel in paludes, ut à piſcibus abſumerentur, ſicut *Æthyopes*, inter quos tamen nonnulli, ut poſt *Herodotum* refert *Diodorus Siculus* lib. 2. Bibliothecæ, vitreis vaſis concluſos mortuos ſuos conſervabant, ut nepotibus, & poſteris ſuis eſſent notæ eorum effigies, ſemperque illorum memores eſſent. Alii in ſterquiliniis mortuos ſepeliebant, ſicut *Sabæi*, ſive *Nabathæi*. Alii canibus, & beſtiis defunctorum corpora devoranda relinquunt, ſicut *Hircani*, & *Bactriani*, qui publicos, aut domeſticos alunt canes, quos *ſepulchrales* vocant, à quibus poſt mortem lanientur, hancque optimam cenſent ſepulturam. Ab hoc ritu parum diſtat ritus *Caſpiorum*, qui viros jàm ſeptuagenarios fame enectos in ſolitudinem ejiciunt, eminùsque ſpectantes, ſi à feretro eos ab avibus detrahi videant, prædicant beatos: ſin à feris, aut à canibus, non item infelices; ſi omninò non detrahantur, infelices illos putant. Alii populi defunctos comburebant, ſicut veteres Romani. Alii denique mortuorum corpora aromatibus,& unguentis condire conſueverant,ſicut Ægyptii, & Judæi, cum hoc tamen diſcrimine, quòd Ægyptiorum conditura intrinſecùs fieret, ventre exenterato, & cerebro per nares extracto; Judæi verò unguenta, & aromata extrinſecùs admoverent, ſicut eruditè obſervat *Caſaubonus* exercit. 16. in Annales Baronii. Plura circà illos ritus, qui à diverſis populis in ſepeliendis defunctorum corporibus adhiberi ſolebant, legi poſſunt apud *Joannem Nicolai* lib.2. *de ſepulchris Hebræorum*; & apud *Gregorium Lilium Giraldum* in libello *de vario ſepeliendi ritu*. His prænotatis,

DICO PRIMÒ: *Chriſtum juxtà Judæorum ritum, qui cæteris aliis longè convenientior eſt, fuiſſe ſepultum*.

Hæc aſſertio manifeſtè colligitur ex Scriptura ſacra *Joannis* cap. 19. ubi hæc verba leguntur: *Venit ergò*, ſcilicet Joſeph Arimathæus, *& tulit corpus Jeſu. Venit autem Nicodemus, qui venerat ad Jeſum nocte primùm, ferens mixturam mirrhæ, & aloes, quaſi libras centum. Acceperunt ergò corpus Jeſu, & ligaverunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos erat Judæis ſepelire*. Quibus verbis ſacer Euangeliſta non ſolùm innuit Chriſtum juxtà ritum Judæorum fuiſse ſepultum, verùm etiam præcipuas ipſius ſepulturæ deſcribit circumſtantias, quas hìc breviter expendemus. In primis oſtendit *S. Joannes*, quinam fuerint ſepulturæ Chriſti Pollinctores, ſeu Curatores, *Joſephus* ſcilicet *Arimathæus* dives, & nobilis Decurio, ideſt, vir Senatoriâ dignitate illuſtris, qui corpus Jeſu petiit à Pilato, illudque ſepeliendi poteſtatem impetravit; & *Nicodemus Princeps Judæorum*, qui, veritus Judæorum odia, noctu ad Chriſtum primâ vice veniſse dicitur, poſteà verò in publico Senatu eum confeſsus eſt. Decebat autem ut Magnates Chriſtum ſepelirent eo modo quo honoratiſſimi,

&

& ſpectatiſſimi viri apud Judæos ſepeliri conſueverant, ut contrà intentionem Judæorum in tam honorifica ſepultura cunctis innoteſceret virtus morientis Chriſti. *Laudabiliter* igitur, ut ait *S. Auguſtinus* lib.1. de Civit. Dei cap.23. *commemorantur in Euangelio, qui corpus ejus de cruce acceptum, diligenter, atque honorificè tegendum, ſepeliendumque curarunt*. Secundò, *S. Joannes* aromata, quibus Joſephus, & Nicodemus corpus Chriſti inunxerunt, ad duas ſpecies revocat, *myrrham* ſcilicet & *aloen*, tùm quia hæc aromata, cum ſint ſucci amariſſimi, & vim habeant corpora à vermibus, & putredine liberandi, ad uſum ungendorum corporum optima habebantur. Nec enim Judæi modo, ſed & Ægyptii, Syri, aliæque nationes ex inveterata traditione mirrhâ, & aloe corpora defunctorum imbuere ſolebant, ut ea à putredine illæſa ſervarent. Tùm quia etiam myrrha, & aloes, ut ait *S. Thomas*, propter ſui amaritudinem ſignificant pœnitentiam, per quam pœnitens peccata ſua amariſſimè deplorat, carnis vitia per abſtinentiam mortificat, & in ſeipſo Chriſtum conſervat abſque corruptione peccati: odor verò aromatum ſignificat bonam famam. Quisquis ergò myrram, & aloen ſepulturæ Chriſti ſuis meditationibus perluſtraverit, omnem dabit operam ut ſua membra mortificet, memor illius moniti Apoſtolici: *Mortificate membra veſtra quæ ſunt ſuper terram*. Tertiò, aſſerit *S. Joannes* Joſephum, & Nicodemum ligaſſe corpus Jeſu *linteis*, qua in re non adverſatur aliis Euangeliſtis, qui tradunt Joſephum corpus Jeſu involviſſe in ſyndone munda, nàm, ut ait *S. Auguſtinus* lib.6. de conſenſu Euangel. cap. 23. *Licèt Joſeph involverit in ſyndone, propterea non prohibetur intelligere, quod & alia lintea poſteà addita fuerint à Nicodemo, videlicet ſudarium, quod capiti adhibebatur, & inſtitæ, quibus totum corpus alligatum eſt; undè etſi una ſyndon fuit, veriſſimè dici potuit, ligaverunt eum linteis*. Mos quippè erat apud Judæos ſudario, ſive linteolo operiendi faciem mortuorum, & corpora à pedibus uſque ad fauces inſtitis obvinciendi, non ſecùs ac infantium, qui adhùc in cunis ſunt, corpora involvuntur, & circumligantur, undè *Joannis* cap. 11. de Lazaro dicitur, quod ad Chriſti vocem è monumento *prodiit, qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus inſtitis, & facies illius ſudario erat ligata.* Erant autem *inſtitæ* faſciæ latæ uno & altero digito, quarum figuram exhibet *P. Lamy* in ſua Concordia Euangelica: conſuli etiam poteſt eruditus *P. Chiffletius* lib. de linteis ſepulchralibus Chriſti pag.22. ubi probabiliùs eſſe putat in Chriſti funeratione præter ſudarium, & inſtitas, alia adhibita eſſe linteamina, indèque contigiſſe, ut plura Chriſti ſudaria diverſis in locis reperiantur. Denique *S. Joannes* ait eo in loco, ubi Chriſtus crucifixus eſt, fuiſſe hortum, & in illo horto monumentum novum, in quo corpus Chriſti conditum eſt. Quæ circumſtantiæ latentem

tentem habent ſignificationem. Nàm per hortum, inquit *S. Thomas*, ſignificatur nos per mortem, & ſepulturam Chriſti liberari à morte, quam incurrimus per peccatum Adæ in horto Paradiſi terreſtris commiſſum. Per monumentum novum, in quo nondùm quiſquam poſitus erat, vel deſignatur Mariæ virginalis uterus, in quo nullus, præter Chriſtum conceptus fuit; vel ſignificatur, omnes Fideles per ſepulturam Chriſti novâ vitâ donari, peccati morte, & corruptione deſtructâ; vel denique comprobatur veritas reſurrectionis Chriſti, ſi enim monumentum, in quo tumulatus eſt Chriſtus Dominus, non fuiſſet novum, potuiſſent Judæi dicere non Chriſtum, ſed alium quempiam antehac ibi ſepultum reſurrexiſſe. Duas alias circumſtantias circà monumentum Chriſti refert *S. Matthæus* cap. 27. videlicèt, quod eſſet *alienum, & in petra exciſum*. Fuit alienum, tùm quia, ſicut Chriſtus natus eſt, & vixit pauper, non habens ubi reclinaret caput ſuum, ità nudus in cruce mortuus eſt, & à Joſepho Arimathæo coopertus eſt, nec proprium habere voluit ſepulchrum. Tùm quia etiam omnes alii mortui, cum habitent in regione umbræ mortis, ſepulchrorum ſunt inquilini, *& ſepulchra eorum domus illorum in æternum*, ut dicitur Pſalm. 140. at Chriſtus ſolus *inter mortuos liber*, in regione mortis peregrinus fuit, per illam duntaxàt tranſiit, tertiâ die devictâ morte ſurrecturus: *Singulariter ſum ego donec tranſeam*. Hinc *Sanctus Ambroſius* lib. 10. in Lucam eleganter ait: *Non habebat Chriſtus tumulum ſuum, etenim tumulus his paratur, qui ſub lege ſunt mortis; victor mortis tumulum ſuum non habet: quæ enim communio tumulo & Deo?* In petra autem fuit exciſum monumentum Chriſti, ne, ſi ejus corpus humi conditum fuiſſet, anſam, & occaſionem arripuiſſent protervi Judæi dicendi illud è terra per cuniculos fuiſſe effoſſum, atque ſic raptum à Diſcipulis; eadem de cauſa ingens ſaxum appoſitum eſt Chriſti ſepulchro, quod non abſque auxilio plurimorum poterat reſerari, ut evidentiùs pateret veritas reſurrectionis.

DICO SECUNDÒ: *Divinitatem nec ab anima, nec à corpore, nec à Sanctiſſimo Chriſti Sanguine fuiſſe in triduo mortis ſeparatam*. Ità *Sanctus Thomas* 3. p. q. 50. art. 2. & 3.

Antequàm probetur hæc aſſertio, non abs re erit obſervare, gravem de Sanguine Chriſti, utrùm videlicèt in triduo mortis fuerit Verbo Divino hypoſtaticè unitus, vel ab eo ſeparatus? circà annum Chriſti 1351. FF. Minores inter & Prædicatores emerſiſſe controverſiam, quæ ad tempus ſopita eſt, ſed poſteà recruduit, ac vehementiùs exarſit, magnoque hinc indè animorum æſtu coràm Pio Secundo Summo Pontifice ventilata fuit. Contendebant Franciſcani Sanguinem Chriſti in paſſione effuſum à divinitate fuiſſe ſeparatum, & ideò in triduo mortis non fuiſſe adorandum, ſicut refert *Vvadingus*

in Annalibus Minorum ad annum 1463. Id autem ex adverſo poſt Sanctum Thomam pernegabant Dominicani: gliſcente itàque contentione, & in ſchiſma populo diſtracto, nec valente Epiſcopo loci tumultum ſedare, res ad Apoſtolicam Sedem remiſſa eſt. Huic igitur enatæ controverſiæ ultimam diem impoſiturus Pius Secundus Pontif. Maximus Præfectis Generalibus utriusque Ordinis mandavit ut doctiſſimos Theologos Romam mitterent, quos in feſto Natalis Domini patienter auſcultavit tribus diebus in Palatio Apoſtolico diſputantes, præſentibus Cardinalibus, Epiſcopis, ac divini, & humani juris Doctoribus. Finitâ triduanâ diſputatione, Summus Pontifex cum Cardinalibus rem pleriſque diebus tractavit, & tandem poſt maturum examen, poſt librata omnia ab utraque parte adducta momenta, unà cum majori parte, Prædicatorum ſententiæ adhæſit, à promulgando tamen decreto abſtinuit, ne multitudo FF. Minorum, cujus id ætatis contra Turcas prædicatio erat neceſſaria, offenderetur; undè in aliam tempeſtatem opportuniorem ſanciti judicii promulgatio miſſa eſt. Quapropter hæc controverſia de Sanguine Chriſti in triduo mortis, eumdem fermè nacta eſt exitum, quem poſteà habuit famoſa de auxiliis divinis controverſia excitata Dominicanos inter & Jeſuitas. Nàm ſicut Paulus V. occultis rationibus permotus, Pontificii jàm delineati diplomatis promulgationem miſit in aliud tempus, atque interim partes diſſidentes, futuri judicii expectatione ſuſpenſas, quieſcere juſſit: ità ſimiliter Pius II. propter rationem mox allatam, in aliud tempus deciſionem litis diſtulit, vetuitque ne quis opinionem negantem Sanguinem Chriſti in triduo paſſionis à corpore ſeparatum, divinitati unitum permanſiſſe, tanquàm hæreticam proſcriberet, donec per Sedem Apoſtolicam, quid in hujusmodi quæſtione cenſendum eſſet, definiretur. Cæterùm ex accurata narratione probatæ fidei Hiſtoricorum *Spondani*, *Bzovii*, & *Odorici Raynaldi* ad annum Chriſti 1463. manifeſtò liquet Pium Secundum, & majorem partem Cardinalium in Dominicanorum deſcendiſſe ſententiam, ſuſpenſo tamen, propter temporis circumſtantias, decretorio judicio, eoque in aliud tempus procraſtinato. Hac præmiſſa hiſtorica obſervatione.

Probatur noſtra aſſertio multis momentis. Primò, quia Scriptura ſacra pluribus in locis tribuit Sanguini Chriſti in cruce pro nobis fuſo remiſſionem peccatorum, & generis humani redemptionem. *Matthæi* cap. 26. *Hic eſt Sanguis meus, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Et 1. Petri cap. 1. *Non corruptibilibus auro, & argento redempti eſtis, ſed pretioſo Sanguine Agni immaculati.* Porrò remiſſio peccatorum, & generis humani redemptio Sanguini Chriſti effuſo tribui non poſſent, ſi Sanguis Chriſti

Chriſti in triduo mortis non fuiſset Verbo Divino hypoſtaticè unitus. Secundò, ea quæ conveniunt Corpori, & Animæ Chriſti, non dicuntur de Filio Dei, niſi ratione unionis hypoſtaticæ, ſicut docent omnes Theologi, atqui id quod convenit Corpori, & Animæ Chriſti poſt mortem dicitur de Filio Dei, dicimus enim in fidei noſtræ Symbolo Filium Dei conceptum, natum eſse ex Virgine, paſsum, mortuum, ſepultum, deſcendiſse ad inferos, ergo Verbi Divini hypoſtaſis non fuit in triduo mortis à Corpore, & Anima Chriſti ſeparata. Tertiò, huic doctrinæ patrocinantur Sancti Patres tàm Græci, quàm Latini, *Sanctus Athanaſius* lib. *de ſalutari adventu Chriſti* contrà Apollinariſtas diſputans, & *Sanctus Gregorius Niſſenus* orat. 1. contrà Eunomium Arrii diſcipulum ſcribens, negant ideò in Chriſto Verbum Divinum vices Animæ ſupplere potuiſse, quia ſi Verbum Divinum in Chriſto loco Animæ fuiſset, nec mortalis, nec mortua unquàm extitiſset caro Chriſti, cum nulla quantacumque vis potuerit Deitatem Verbi ab aſsumpta carne divellere; hoc autem argumentum elumbe omninò eſset, ſi Verbi Deitas à Corpore, & Anima Chriſti fuiſset in triduo mortis ſeparata. Inter Patres Latinos *Sanctum Hilarium* unum inſtar omnium proferre abundè ſufficiet, ille quippè lib. 10. de Trinit. num.65. ait: Quod *unus atque idem eſt deſcendens, & aſcendens, unus quoque nobis Jeſus Chriſtus, & Dei Filius, & hominis filius, & verbum Deus, & homo caro, & paſſus, & mortuus, ſepultus, & reſurgens, & in Cælos receptus, & ſedens ad dexteram Dei; habens in ſe uno eodemque per diſpenſationem, atque naturam, in Dei forma, & in forma ſervi, ſine aliqua ſui partitione, quod homo eſt, & diviſione, quod Deus eſt.* Quibus verbis luculenter docet Sanctus Hilarius Chriſtum nec in paſſione, nec in morte fuiſse diviſum, ac ſubindè Verbi Deitatem à carne, & Anima Chriſti etiam in ſepulchro non fuiſse ſeparatam. Quartò, *Clemens Sextus* Romanus Pontifex in extravag. *Unigenitus* ait Chriſtum Dominum in cruce *non guttam Sanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis ſuffeciſſet, ſed velut quoddam profluvium effudiſſe*; ubi hæc verba *propter unionem ad Verbum*, apertè innuunt Sanguinem Chriſti etiam in triduo mortis Verbo Divino fuiſſe hypoſtaticè unitum. Quintò, hoc eſt commune Theologorum effatum, quod circumfertur ſub nomine Sancti Damaſceni, *Verbum Divinum, quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit*, porrò ſi in triduo mortis Corpus, Anima, & Sanguis Chriſti non fuiſſent Verbo Divino hypoſtaticè unita, dimiſiſſet Verbum Divinum in triduo mortis id quod ſemel aſſumpſerat, nimirùm Animam, Corpus, & Sanguinem. Denique Cardinalis *Palavicinus* tom. 3. Hiſt. Conc. Trid. lib. 17. cap. 6. num. 6. editionis

Digitized by Google

latinæ Antuerpienſis, refert quod cùm Frater *Amans Brixianus* Servita Epiſcopi Sebenicenſis Theologus inter diſputandum in Concilio Tridentino dixiſſet: *Corpus Chriſti demortui ſejunctum fuiſſe à Divinitate*, ingens à Theologis, qui aderant, & in ſubſelliis excitatus ſit ſtrepitus, ita ut omnes ſe ab hac opinione vehementer abhorrere palàm ſignificaverint, eamque magno fragore exploſerint. Mentem Patrum, & Theologorum Concilii Tridentini diſertè explicat ejuſdem Concilii Catechiſmus in expoſitione quarti articuli Symboli, ubi hæc habet: *Quare cùm Jeſum mortuum eſſe diximus, id ſignificamus, ejus Animam à Corpore diviſam eſſe, nec tamen concedimus divinitatem ſejunctam Corpore; quin potiùs conſtanter credimus, & confitemur, Anima ejus à Corpore diviſa, divinitatem tùm Corpori in ſepulchro, tùm Animæ apud inferos conjunctam ſemper fuiſſe*. Ex his ergo momentis certò colligitur Verbum Divinum in triduo mortis non fuiſſe à Corpore, Animâ, & Sanguine Chriſti ſeparatum.

Diluuntur objectiones

ARguitur primò: Multi Sancti Patres docent Verbum Divinum à carne Chriſti mortua fuiſſe ſeparatum, ergo hæc ſententia erroris inſimulari non debet. Prob. ant. *Sanctus Ambroſius* lib. 10. in Lucam exponens hæc verba *Matth. Clamans voce magna emiſit ſpiritum*, hæc habet: *Clamavit homo ſeparatione divinitatis moriturus, nam cum divinitas à morte libera ſit, utique mors eſſe non poterat, niſi vita diſcederet; quia vita divinitas eſt*. *Sanctus Hilarius* can. 33. in *Matth.* hæc verba: *Deus meus quare me dereliquiſti*? ſic interpretatur: *Clamor verò ad Deum Corporis vox eſt, recedentis à ſe divinitatis conteſtata diſſidium*. His ſimilia habent *Sanctus Epiphanius* hæreſi 69. quæ eſt *Arrianorum*, & *Leporius* in libello emendationis, cui Sanctus Auguſtinus, aliique Epiſcopi ſubſcripſerunt, ut videre eſt in epiſtola apud *Sanctum Auguſtinum* 219. ergo ex Sanctis Patribus Verbi deitas tempore paſſionis diſceſſit à Corpore, quod aſſumpſerat.

Reſpondent quidam Theologi: Sanctos Patres in objectione laudatos exiſtimaſſe quidem Verbum Divinum à carne Chriſti diſceſſiſſe, ſed in ſenſu longè diverſo ab eo, quem Arriani, & Apollinariſtæ Hæretici propugnabant. Nàm primò, Arriani, & Apollinariſtæ docentes Verbum Divinum fuiſſe in Chriſto loco Animæ, dicebant Verbi divinitatem, quaſi infirmam, & trepidam ne ſibi mors, & paſſio ſuſtinendæ eſſent, à Chriſto paſſuro diſceſſiſſe; at Sancti Patres in objectione citati, dùm dicunt Verbum Divinum à carne Chriſti receſſiſſe, hanc tantùm innuunt rationem, quod tanta

ſit

ſit divinitatis virtus, ut mortem, quam Chriſtus ad implendam Patris voluntatem ſubire decreverat, Corpori cum ea conjuncto contingere non poſſe arbitrentur. Secundò, Arriani, & Apollinariſtæ Verbum Divinum à carne Chriſti antè mortem, inimò antè paſſionem fuiſſe ſeparatum ſomniabant, at Sancti Patres in objectione citati docent dumtaxàt in ipſa morte deitatem Verbi à carne Chriſti fuiſſe ſeparatam. Ex quo maximum illud inter utroſque extat diſcrimen, quod cùm hi Hæretici merum hominem, illi autem Sancti Patres verum Deum pro nobis paſſum, ac mortuum eſſe conſtituant, à Sanctis Patribus infinitum, ab Hæreticis finitum ponatur redemptionis noſtræ pretium. Denique Arriani, & Apollinariſtæ totum hominem Chriſtum à divinitate deſertum, ac ſeparatum eſſe contendebant, ſed Sancti Patres in objectione adducti non negabant Verbi deitatem ſaltem cum Anima Chriſti, morte intercedente, illæſam, ac unitam permanſiſſe.

Verùm non placet hæc Theologorum reſponſio. Nàm quamvis non inficias eam, adhibitâ ſemel illa interpretatione, huic ſententiæ de diſceſſione Verbi Divini à corpore Chriſti nullam Hæreſeos notam inuri poſſe, eam tamen falſam, & improbabilem eſſe propter momenta ſuperiùs adducta aſſerere nullus dubito, nec unquàm adduci potero ut credam Sanctos illos Patres in eam iviſſe ſententiam.

Reſpondeo igitur cum *Sancto Thoma* 3.p. q. 50. art.2. ad 1. derelictionem illam, de qua loquuntur hi Sancti Patres, non eſſe referendam ad ſolutionem unionis perſonalis, ſeu ad diſceſſionem deitatis Verbi à carne Chriſti, ſed ad hoc referendam eſſe quod Deus Pater Chriſtum Filium ſuum acerbæ paſſioni tradiderit, nec eum à cœco perſequentium furore liberaverit. Undè *derelinquere*, nihil aliud ſibi vult, quàm non protegere à perſequentibus. Quandò igitur Sancti Patres explicantes hæc Pſalmiſtæ verba: *Deus meus, quare me dereliquiſti?* dicunt moriturum Corpus Chriſti à Verbo Divino fuiſſe deſertum, hoc unum dumtaxàt volunt, videlicèt Verbum Divinum paſſionis doloribus, ditæque morti Corpus Chriſti permiſiſſe, à quibus tamen, ſi voluiſset, ſpeciali protectione, & omnipotentia ſua illud facili negotio liberare potuiſset. *Tradi Dominum paſſioni*, inquit *Sanctus Leo Papa* ſerm. 66. de paſſione, *tàm fuit paternæ, quàm ipſius voluntatis: ut cum non ſolùm Pater deſereret, ſed etiam ipſe ſe quadam ratione deſereret, non trepida diſceſſione, ſed voluntaria ceſſione. Continuit enim ſe ab impiis Crucifixi poteſtas; & ut diſpoſitione uteretur occulta, uti noluit virtute manifeſta.*

Arguitur ſecundò: Chriſtus *Joannis* cap. 10. dicit: *Nemo tollit animam meam à me, ſed ego pono eam à me ipſo, & poteſtatem ha-*

beo iterùm ſumendi eam, atqui ponere animam ſuam, idem eſt, ac eam à ſe ſeparare, ergo Anima Chriſti, imminente morte, fuit à Verbo divino ſeparata.

Reſpondeo cum *Sancto Auguſtino* tract. 47. in Joannem: non Verbum Divinum, ſed carnem poſuiſſe Animam ſuam, inquirit enim ibi Sanctus Doctor, cum Chriſtus ſit ſimul Verbum, Anima, & caro, *utrum ex eo, quod eſt Verbum ponat Animam, an ex eo, quod eſt Anima, an iterùm ex eo, quod eſt caro?* Cui difficultati hoc pacto reſpondet: *Si dixerimus quod Verbum Dei animam poſuit, ſequitur quod aliquandò Anima illa ſeparata eſt à Verbo, quod eſt falſum; mors enim Corpus ab Anima ſeparavit, à Verbo autem animam ſeparatam non dico: ſi vero dixerimus quod ipſa ſe Anima ponat, ſequitur quod Anima ipſa à ſe ſeparata ſit; quod eſt abſurdum: relinquitur ergo quod caro Animam ſuam ponit, & iterùm eam ſumit, non poteſtate ſua, ſed poteſtate Verbi inhabitantis carnem.* Ex hac reſponſione Sancti Auguſtini facilè colligitur idem numero fuiſſe Corpus Chriſti viventis, ac mortui, non quidem identitate formæ, nàm Corpus Chriſti mortui fuit ab Anima ſeparatum, ſed identitate ſuppoſiti, quia non habuit aliam hypoſtaſim Corpus Chriſti vivum, & mortuum, præter hypoſtaſim Verbi Divini, ſicut docet *S.Thomas* 3.p. q.50. art.2. & 5.

Arguitur ultimò: Multæ Sanguinis Chriſti guttæ in terris remanſerunt, quæ etiamnùm in quibusdam Eccleſiis pro ſacris reliquiis conſervantur, ut videre eſt in ſacra Spina, quæ Pariſiis in Sacello Regio ſanctæ Capellæ aſſervatur; in Lanceæ ferro, quod viſitur Romæ; in ſacra ampulla, quæ in Provincia apud Sanctum Maximinum in Eccleſia Fratrum Prædicatorum colitur; in Sudario; quod extat apud Veſuntinos; necnon in aliis Dominicæ paſſionis inſtrumentis, ergo ſaltem cum illis guttis Sanguinis Chriſti Verbum Divinum non remanſit hypoſtaticè unitum, ſed ab illis potius fuit omninò ſeparatum.

Reſpondeo primò cum *Sancto Thoma* 3.p. q.54. art.2. ad 3. quod totus Sanguis, qui de Corpore Chriſti fluxit, cùm ad veritatem humanæ naturæ pertineat, in Corpore Chriſti reſurrexit: & eadem ratio eſt de omnibus particulis ad veritatem, & integritatem humanæ naturæ pertinentibus. Sanguis autem ille, qui in quibusdam Eccleſiis pro reliquiis conſervatur, non fluxit de latere Chriſti; ſed miraculosè dicitur effluxiſſe de quadam Imagine Chriſti percuſsâ. Hactenùs Sanctus Thomas.

Reſpondeo ſecundò cum doctiſſimis Theologis, illas Sanguinis Chriſti guttulas, quæ ſecundùm ſe non pertinebant ad illius Corporis integritatem, nec ei iterum in reſurrectione erant conjungendæ, remanſiſſe in terris, quia licèt Verbum Divinum ſemper fuerit hypo-

Digitized by Google

hypoſtaticè unitum illis partibus, quæ ad Corporis Chriſti integritatem pertinebant, quæque cum illo in reſurrectione denuò conjungi debebant, non fuit tamen ſemper unitum illis partibus, quæ ad integritatem Corporis Chriſti non pertinebant, & quæ cum illo in reſurrectione non erant conjungendæ, cujusmodi ſunt guttulæ iſtæ ſanguinis, capilli è capite defluentes, reſecti ungues, ſine quibus Corpus Chriſti integrum, omnibusque ſuis partibus abſolutum reſurrexit.

QUÆRES PRIMÒ: *Quamdiù Chriſtus remanſerit in ſepulchro?*

Reſpondeo cum *S.Thoma* 3.p. qu.51. art.4. Chriſtum remanſiſſe in ſepulchro unâ die integrâ, & duabus noctibus, ideſt, toto Sabbato, illiusque nocte præcedente, & nocte Dominicæ. Undè quando *Matthæi* cap.12. dicitur: *Sicut fuit Jonas in ventre cæti tribus diebus, & tribus noctibus, ſic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus*, ibi pars ſumitur pro toto. Hinc S. Leo ſerm.1. de reſurrectione ait: *Ne turbatos Diſcipulorum animos longa mæſtitudo cruciaret, denunciatam tridui moram mira celeritate breviavit, ut dùm ad integrum diem pars primi noviſſima, & pars tertii prima concurrit, & aliquantulum temporis ſpatio decideret, & nihil dierum numero deperiret*. Ut igitur quamprimùm triſtitiæ lætitia, opprobrio gloria, dolori incorruptibilitas, morti nova reſurrectionis vita, & ſepulturæ aſcenſio ſuper omnes Cœlos ſuccederet, tridui moram Chriſtus mirâ celeritate breviavit. Dicitur tamen tribus diebus manſiſſe in ſepulchro, quia in eo jacuit in extrema diei Veneris parte, totâ die Sabbati, & prima parte diei Dominicæ, & ſimiliter tribus noctibus fuit in ſepulchro. Eamdem interpretationem adhibent Sancti Patres *Hieronymus*, *Auguſtinus*, & *Doctor Angelicus*. Omninò autem improbabilis eſt ſententia *Langii*, & aliorum, qui, ut probent Chriſtum tribus diebus, totidemque noctibus integris in ſepulchro permanſiſſe, ſtatuunt Chriſtum Dominum non feriâ ſextâ, ſeu die Veneris, ſed feriâ quintâ, ideſt, die Jovis, paſſum, & ſepultum eſſe; hæc, inquam, ſententia omninò improbabilis eſt, tùm quia Chriſtus, teſte Scripturâ ſacrâ, mortuus, & ſepultus eſt in die *Paraſceves*, feria autem ſexta, ſeu dies Veneris apud Judæos *Paraſceve* appellatur; tùm quia etiam conſtat ex Scriptura ſacra diem, qui emortualem Chriſti diem ſubſequutus eſt, fuiſſe Sabbatum, quo, ut dicit *S.Lucas*, Mulieres ſiluerunt, ideſt, quieverunt, eoque tranſacto, emerunt aromata. Standum itàque eſt priori interpretationi, quam poſt Sanctos Patres tradit *S.Thomas* loco mox laudato, ubi etiam addit convenieus fuiſſe ut Chriſtus unâ die, & duabus noctibus maneret in ſepulchro, quia *per mortem Chriſti liberati ſumus à duplici morte, ſcilicet à morte animæ, & à morte corporis: & hoc ſignificatur per duas noctes, quibus Chriſtus in*

in ſepulchro permanſit: mors autem ejus, quia non fuit ex peccato proveniens, ſed ex charitate ſuſcepta, non habuit rationem noctis, ſed diei: & ideò ſignificatur per diem integrum, quo Chriſtus fuit in ſepulchro.

Quæres secundò: *Utrùm Corpus Chriſti in ſepulchro fuerit corruptum, & in cineres ſolutum?*

Reſpondeo cum *S. Thoma* 3.p. qu.51. art.3. conveniens fuiſſe ut non corrumperetur, & in cineres ſolveretur Corpus Chriſti jacens in ſepulchro. Primò, quia licèt Corpus Chriſti, quantum ad conditionem naturæ paſſibilis antè reſurrectionem, potuerit corrumpi, ut definitum eſt contrà *Julianum* Halicarnaſſi Epiſcopum, aliosque Hæreticos, qui Corpus Chriſti antè reſurrectionem incorruptibile fuiſſe dictitabant, virtus tamen divina, ſicut ipſum à morte ad vitam revocavit, ut firmam nobis futuræ reſurrectionis ſpem faceret, ità & præſtitit ut Corpus Chriſti non incurrerit maledictum illud Geneſis cap.3. *Pulvis es, & in pulverem reverteris*, ipſumque à putrefactione reddidit immune, ne mors naturæ ipſius infirmitati adſcriberetur. Eadem de causâ noluit Chriſtus mori ex morbo, ſed ex paſſione illata, cui ſe lubens obtulit. Hæc ratio, quam ſuppeditat *S. Thomas*, dubio procul præferenda eſt rationi, quam apud noſtrum *Medinam* adducit *Durandus*, aſſerens ideò Corpus Chriſti non fuiſſe in ſepulchro corruptum, quia Verbum Divinum noluit aſſumere illam corruptibilitatem, quæ ex peccato originali proficiſcebatur, quamvis aſſumpſerit mortem; hæc ſiquidem *Durandi* ratio apertè falſi convincitur, nàm, ut optimè ait *Medina*, quamquam Chriſtus fuerit peccati originalis expers, mortem tamen incurrit, ità ut, ſi violenter non fuiſſet occiſus, naturaliter mortuus eſſet, & in ſenium veniſſet, eoque mortuo, corpus ipſius fuiſſet naturâ ſuâ in cineres ſolutum, niſi divina virtus obſtitiſſet. De corruptibilitate carnis Chriſti antè reſurrectionem, legi poteſt *Leontius* lib.2. de tribus, quos edidit contrà *Neſtorium*, & *Eutychem*, ubi latè probat aſſumptam hominis à Verbo Divino naturam fuiſſe per ſe corruptelæ obnoxiam, omniaque diluit argumenta, quæ ab *Aphthardocetis*, qui à Juliano Halicarnaſſæo Hæretico Eutychiano propagati ſunt, proponebantur. Secundò, incorruptibilitatem carnis Chriſti in ſepulchro apertè declarat vates Regius Pſal.15. ubi de Chriſto loquens ait: *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Non me latet *Hugonem Grotium* hoc Pſalmiſtæ vaticinium, juxtà ſenſum litteralem, & hiſtoricum, non de Chriſto Domino, ſed de Davide Rege fuiſſe interpretatum; ſed hæc Judaizantis *Grotii* interpretatio falſi nullo negotio convincitur; tùm quia S. Petrus Actorum cap.2. hoc Pſalmiſtæ vaticinium in Chriſto complementum ſuum habuiſſe disertè teſtatur his verbis: *Providens Pſalmiſta David, locutus eſt*

eſt de reſurrectione Chriſti, quia neque derelictus eſt in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem; tùm quia etiam Davidem in ſepulchro, more cæterorum hominum, computruiſſe nullus dubitat; tùm quia denique Sancti Patres, qui diſputarunt contrà Arrianos, & Appollinariſtas aſſerentes Verbum Divinum in Chriſto loco animæ fuiſse, hoc Pſalmiſtæ vaticinium de Chriſto Domino intellexerunt. Aliud ad probandam incorruptibilitatem Corporis Chriſti in ſepulchro ſuppetit Scripturæ ſacræ teſtimonium petitum ex Pſalmo 29. ubi vates Regius in perſona Chriſti ait: *Quæ utilitas in ſanguine meo, dùm deſcendo in corruptionem*? quaſi dicat Chriſtus, *ſi corpus meum in ſepulchro putreſcat, perdetur effuſi ſanguinis utilitas*, cum è contrà imputrefactio Corporis Chriſti mortui ſit effectus virtutis divinæ carni, & animę Chriſti in triduo mortis indivulsè cohærentis, necnon idoneum teſtimonium voluntariæ ipſius mortis, cujus etiam ſignum fuit, quod Chriſtus nonniſi clamans *tradidit ſpiritum*.

QUÆRES ULTIMÒ: *Utrùm extet etiamnùm ſepulchrum Chriſti*?

Reſpondeo: Etiamnùm extare ſepulchrum Chriſti Domini, quod glorioſum fore, & ab omnibus in ſummo honore habitum iri prædixit cap. 11. Iſaias dicens: *Et erit ſepulchrum ejus glorioſum*. Multas tamen variis temporibus viciſſitudines ſuſtinuit ſepulchrum Domini, & ad illius memoriam penitùs abolendam Infideles omnem operam contulerunt. *Adrianus* quippè Imperator ſæculo poſt Chriſtum natum ſecundo, hoc eſt, circà annum æræ vulgaris 129. exiſtimans ſe fidem Chriſtianam loci injuriâ omninò exterminaturum, in loco paſſionis ſimulachrum Jovis conſecravit, Bethleemum Adonidis Fano, omniaque loca ſacra in odium Chriſtianorum prophanavit, ſicut teſtantur *Sanctus Paulinus* in epiſt. 11. ad Severum Sulpicium, *Sanctus Hieronymus* in epiſt. 13. ad Paulinum, & *Sozomenus* libro 2. Hiſtor. Eccleſ. cap. 1. Sed ad nihilum reciderunt omnes illius Imperatoris conatus, atque machinationes, nàm ſæculo quarto Deus Optimus Maximus religioſiſſimo Imperatori Conſtantino piam mentem immiſit Sepulchri Chriſti Domini inquirendi, & excitandi eo in loco Templi, ſicut memoriæ prodidit *Euſebius* lib. 3. de Vita Conſtantini cap. 24. & ſeq. ubi ſic loquitur: *Iſtud Servatoris Sepulchrum impii quidam & ſcelerati homines ex hominum memoria delere cogitabant (& quæ eorum inſcitia fuit) cenſebant veritatem ad hunc modum ſe poſſe occultare. Itaque permultùm capere laboris cæperunt, in terra aliundè & extrinſecùs invehenda, quâ locum univerſum obducerent. Deindè cùm molem terræ in immenſam altitudinem erexiſſent, conſtraviſſentque lapidibus, divinum ſepulchrum ingente aggere injecto obtegere, poſt, cùm nihil jam illis ad opus explendum deeſſet, ſuper illum terræ cumulum, ne-*

 fandum

fundum reverà, & execrabile buſtum animarum conſtruere, & receſſum laſcivæ Veneris dæmoni unà ædificare, ſimulachriſque mortuis complere: tùm deteſtabiles ibi victimas, ſuper impuras aras, & omni nequitiæ labe pollutas immolare. Et poſt pauca interjecta, deſcribit Euſebius quo pacto ſub Conſtantino Imperatore repertum ſit monumentum Servatoris: *Simul atque verò ſolum terræ oppletum ſordibus egeſtum fuit, & aliud ſolum, ideſt, locus ille monumenti ex abditis terræ ſedibus eminebat, ipſum etiam venerandum, & Sacroſanctum Salvatoris Chriſti monumentum, præter omnium ſpem, unà emerſit.* Ad hoc Auguſtiſſimum Chriſti Sepulchrum curâ, & pietate Helenæ, & Conſtantini repertum Fideles devotionis ergo undequaque certatim confluxiſſe teſtantur *Hieronymus* in epiſt. ad Marcellam, & *Theodoretus* lib. 1. Hiſt. Eccl. cap. 17. at proh dolor! Pium illum Fidelium concurſum ſeptimo ſæculo, ſeu anno à Chriſto nato 615. tempore Heraclii Imperatoris interrupit *Coſrhoes* ſecundus Perſarum Rex, qui, ut ſcribit Cedrenus Palæſtinam adortus, Hieroſolymam cœpit, & magnâ hominum ſtrage editâ, Patriarcham Zachariam unà cum Cruce Domini, aliiſque theſauris abduxit, quæ tamen omnia poſt decennium reddita ſunt ab ejus filio *Siroe*, qui, patre cœſo, fœdus cum Heraclio Imperatore iniit. Verùm non multò poſt, ideſt, anno circiter 636. barbara Saracenorum gens Hieroſolymam denuò occupavit, & Sepulchrum Domini annis 400. tenuit, hoc eſt, uſque ad finem ſæculi undecimi, quo tempore benè multi è Gallis, ac Germanis Proceribus, perſuadente Urbano Secundo Pontifice Maximo in Concilio Claromontano, & Ductore *Godefrido Bullionæo* Lotharingiæ Principe, bellum ſacrum ſuſceperunt, terram ſanctam, & Sepulchrum Chriſti Barbaris eripuerunt, novumque inſtituerunt Equitum Templariorum Ordinem, qui Patriarchæ Hieroſolymitano offerebant, & collocabant operas ſuas in coercendis latronibus, qui ad Sepulchrum Chriſti accurrentibus iter infeſtum reddebant. Tùm reſpirare, ſummâque lætitiâ perfundi cœperunt Chriſtiani quod ad Sepulchrum Chriſti viſendum, atque colendum liberum haberent aditum; ſed dùm poſt nubila amœniores ſibi Soles illuxiſſe gratulabantur, ecce novus turbo detonare cœpit, qui graviorem procellam excitavit, iſtaſque oras ſubitò invaſit. *Saladinus* namque Ægypti Sultanus, injecto inter Principes Chriſtianos diſcordiæ pomo, Hieroſolymam ſub finem ſæculi duodecimi armis obtinuit, Mahummeticam Religionem induxit, Latinos, quorum potentiam reformidabat, expulit, Græcis, Syriſque Chriſtianorum reliquiis ægrè aliquam adhùc Hieroſolymis ſtationem reliquit. A quo tempore, ità permittente Deo, amiſſum Chriſti Sepulchrum irrito, & evanido conatu recuperare tentarunt Chriſtiani, ſicque, quod ſanguineis lachry-

Digitized by Google

chrymis deplorandum eſſet, multis ab hinc ſæculis terra ſancta, & Sepulchrum Domini in manibus, & ſub jugo Infidelium manent, dùm Chriſtiani, qui contrà communem fidei hoſtem arma vertere, & acriter dimicare deberent, ſuas heu nimium! Diuturno, ac funeſto bello vires exhauriunt, ſeque mutuis atterunt cladibus.

PARAGRAPHUS SECUNDUS

De deſcenſu Chriſti ad inferos, & de illorum, quos hinc eripuit liberatione.

OBſervandum primò cum *S. Thoma* Chriſtum non deſcendiſſe ad inferos ſecundùm corpus; illud enim, ſicut in ſuperiori paragrapho dictum eſt, jacuit in ſepulchro toto eo tempore, quod fluxit à morte Chriſti uſque ad ejus reſurrectionem: *Deſcendit* Chriſtus *ad inferos*, inquit Concilium Lateranenſe ſub Innocentio Tertio, *reſurrexit à mortuis, & aſcendit in Cœlum, ſed deſcendit in anima, reſurrexit in carne, aſcendit pariter in utroque.*

Obſervandum ſecundò, Animam Chriſti non deſcendiſſe ad inferos eo genere motus, quo corpora moveri ſolent, ſed eo genere motus, quo Angelos moveri docet *S.Thomas* 1.p.q.53. art.1.

Obſervandum ultimò: Chriſtum poſt mortem ſuam deſcendiſſe ad inferos, non tanquàm ipſe pœnæ debitor eſſet, ſed ut juſtos, qui in Limbo pœnæ damni erant obnoxii, in libertatem aſſereret, ac ſempiterna felicitate donaret. Procul hinc ergo blaſphemia Hereſiarchæ Calvini, qui lib.2.Inſtit. c.16. paragr.10. eò impudentiæ prorupit, ut dicat Chriſtum in locum ſceleratorum, hoc eſt, ad inferos, ſponſorem, vadem, ac inſtar rei ſubmiſſum deſcendiſſe, ut perſolveret, ac dependeret omnes, quæ ab illis expetendæ erant, pœnas, ibique ipſum cum inferorum copiis, & æternæ mortis horrore, quaſi conſertis manibus, luctatum eſſe, ac diros in anima cruciatus damnati, & perditi hominis pertuliſſe, ideſt, ipſam ſubiiſſe damnationem, & pœnas, quæ dæmonibus, ac reprobis flammis æternis addictis ab irato Deo infliguntur; procul hinc, inquam, hæc blaſphemia Calvini injurioſa Beatitudini, qua Chriſtus à momento conceptionis ſuæ potitus eſt, & oppoſita Scripturæ ſacræ, aſſerenti Actuum cap. 2. quod Deus *Chriſtum ſuſcitavit ſolutis doloribus inferni, quibus impoſſibile erat teneri eum.* Chriſtus ergo inferos adivit, non ut pœnas damnatorum ſuſtineret, ſed ut juſtos, qui propter peccati originalis reatum in Limbo captivi detinebantur, extraheret juxtà oracula Prophetarum, qui Chriſti glorioſum de inferno, obita morte, triumphum prædixerunt; dicitur enim de

Ooo 2 Chri-

Chriſto Pſalm. 67. *Qui educit vinctos in fortitudine, ſimillter eos, qui exaſperant, qui habitant in ſepulcbris*. Et Pſalm. 105. *Quia contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit*. Idem vaticinatur Propheta Oſeas cap. 7. *Vivificabit nos poſt duos dies, in die tertia ſuſcitabit nos, & vivemus in conſpectu ejus, ſciemus, ſequemurque ut cognoſcamus Dominum: quaſi diluculum præparatus eſt egreſſus ejus, & veniet quaſi imber nobis temporaneus, & ſerotinus terræ*. Et cap. 13. *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: erò mors tua o mors, morſus tuus ero inferne*. Denique *Zachariæ* cap. 9. *Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua*. His prænotatis,

Dico primò: *Dogma fidei eſſe Chriſtum poſt mortem ſuam ad inferos deſcendiſſe*.

Probatur primò ex Pſalm. 15. *Non derelinques animam in inferno*. Ad Epheſios cap. 4. *Quod autem aſcendit, quid eſt niſi quia, & deſcendit primùm in inferiores partes terræ*. Et ad Coloſs. cap. 2. *Expolians principatus, & poteſtates, traduxit confidenter palàm triumphans illos in ſemetipſo*. Secundo, in fidei Symbolo de Chriſto dicitur: *Deſcendit ad inferos*, qui articulus licèt prætermiſſus ſit in antiquis Symbolis Nicœno videlicèt, & Conſtantinopolitano, quin & in eo, quo Romana, & Orientales Eccleſiæ utebantur, ſicut teſtatur Ruffinus Symbolum explicans Eccleſiæ Aquilejenſis: tanta nihilominùs eſt omnium Eccleſiarum in hunc Chriſti ad inferos deſcenſum conſpiratio, tantus omnium Sanctorum Patrum tàm Græcorum, quàm Latinorum ab ipſis primis Chriſtiani nominis temporibus conſenſus, ſicut clarè demonſtrant *Bellarminus* lib. 4. de Chriſto cap. 13. & *Petavius* lib. 13. de Incarn. cap. 16. & 17. ut citrà hæreſim nemo ſecùs ſentire poſſit, *quis niſi infidelis negaverit fuiſſe apud inferos Chriſtum*, inquit *Sanctus Auguſtinus* epiſt. 146. aliàs 95. ad Evodium. Denique *Sanctus Thomas* 3. p. q. 52. art. 1. probat conveniens fuiſſe ut Chriſtus poſt mortem ſuam ad inferos deſcenderet, tùm quia per ſuum ad inferiora illa loca illapſum liberavit nos à deſcenſu ad inferos, quod eſt malum licèt non culpæ, benè tamen pœnæ; tùm quià, ſicut virtus paſſionis applicatur viventibus per Sacramenta ex quibus hauriunt Fideles meritum paſſionis Chriſti,ità etiam beneficium paſſionis Chriſti applicatum eſt mortuis per illius ad inferos deſcenſum; tùm quia demùm Chriſtus, ſicut poteſtatem ſuam oſtendit in terra vivendo, & moriendo, ità virtutem ſuam manifeſtavit in inferno ipſum viſitando, & illuminando, dæmones ſua virtute profligando, Sanctos Patres, ac juſtos jàm Beatitudinis candidatos è Limbo liberando, ut in ſacro ipſius Nomine omne genuflecteretur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Nemo igitur, niſi Chriſtianæ Religionis

planè

planè rudis, inficias ire, vel in dubium revocare poteſt illud inconcuſſum Fidei dogma quo Chriſtum poſt mortem inferos adiiſſe jubemur credere.

Cæterùm, an Chriſtus in quemlibet infernum ipſa ſubſtantiali præſentia, vel ſolùm potentia, & operatione deſcenderit? Non una eſt omnium Theologorum ſententia. Alii aſſerunt animam Chriſti ſecundùm ſuam eſſentiam, hoc eſt, omnes inferiores ſubterraneas latebras ſubſtantiali pręſentia pervaſiſſe. Alii ex adverſo contendunt Animam Chriſti ſecundùm operationem duntaxàt in quemlibet infernum deſcendiſſe. Mediam inter utramque ſententiam tenet *S. Thomas* artic. 2. citatæ quæſtionis, ubi docet Animam Chriſti ſecundùm ſuam eſſentiam fuiſſe ad locum inferni, in quo Patriarchæ, & juſti, qui antè ipſum objerant, detinebantur, ut quos ipſe per gratiam interiùs viſitabat, eos itidem viſitaret, & loco. Qui locus vocatur Limbus, & ſinus Abrahæ, quantùm ad quietem, & liberationem à pœna ſenſibili; dicitur etiam infernus, quantùm ad privationē gloriæ. Quod ſpectat Infernum damnatorum, & Purgatorium, cenſet S. Thomas Animam Chriſti in neutrum locum ſecundùm ſuam eſſentiam, ſed tantùm ſecundùm operationem deſcendiſſe, ita ut in inferno damnatorum, qui perpetuis ultricibus flammis ſunt addicti, hunc habuerit effectum, quod eorum incredulitatem, ac malitiam redarguit, in Purgatorio verò juſtorum animas piacularibus pœnis necdùm plenè purgatas in certam ſpem gloriæ propediem conſequendæ erexit. De Limbo puerorum nihil explicitè dicit Sanctus Thomas, licèt forte, ut putat Cajetanus, hunc locum ſub inferno damnatorum comprehenderit. Ex hac Sancti Thomæ doctrina colligitur, Chriſtum, qui ſecundùm eſſentiam animæ in una tantùm parte inferni, ſeu in Limbo Patrum, ſubſtantiali præſentia exiſtebat, effectum ſuum ad omnes inferni partes propagaſſe, non ſecùs, ac in uno terræ loco paſſus totum, quâ latè patet, mundum ſua paſſione liberavit, & ſic facilè explanantur aliqua Scripturæ ſacræ loca, quæ prima fronte inſinuare videntur Chriſtum quemlibet infernum inviſiſſe, ſeu ingreſſu ſuo cohoneſtaſſe, ut v.gr. Eccl. cap.24. *Penetrabo omnes partes terræ*. Et 1. Petri cap.3. *Chriſtus iis, qui in carcere erant, ſpiritibus veniens prædicavit, qui increduli fuerant aliquando*. Hæc enim, & ſimilia Scripturæ ſacræ loca non probant Chriſtum Dominum omnes inferiores partes terræ, ſecundùm animam localiter penetraſſe, videlicet quemlibet infernum perluſtrando, & præſentiâ ſuâ dignando, ſed innuunt tantummodò Chriſtum ſuæ potentiæ effectum ad quemlibet infernum extendiſſe, ità tamen ut ſolos juſtos illuminaverit, juxtà illud Scripturæ: *Penetrabo omnes partes terræ, & illuminabo omnes ſperantes in Domino*.

Dices: Si qua eſſet ratio cur Chriſtus poſt mortem ad inferos deſcendiſſet, maximè quia juſtis antè mortem,& paſſionem Chriſti in Limbo detentis non patebat aditus ad Regnum Cælorum,quod ipſis per mortem Chriſti fuit reſeratum; atqui hæc ratio falſa eſt, Sanctorum felicitati inimica, & contraria pluribus diſertis Scripturæ ſacræ locis, in quibus aſſeritur eamdem prorsùs ſalutis rationem fuiſſe Sanctis veteris teſtamenti, quæ novi quo ad apertionem Regni Cœlorum, ergò inefficax omninò eſt ratio, quâ probatur Chriſtum poſt mortem ſuam ad inferos deſcendiſſe.

Reſpondeo: Quod ſicut dogma Fidei eſt in Conciliis Florentino, & Tridentino contrà Millenarios definitum, juſtos, qui poſt Chriſti paſſionem gratiâ ſanctificante exornati, plenèque purgati ex hac vita diſcedunt, confeſtim ab æquiſſimo Judice dignam meritorum ſuſcipere mercedem, & ad cœleſtem Patriam abſque mora translatos immarceſcibili æternæ gloriæ coronâ donari: ità etiam dogma Fidei eſt antè Chriſti paſſionem juſtorum animas è corporum ergaſtulis migrantes in Cœlum non evolaſſe, ſed in Limbo fuiſſe receptas, ut Chriſtum Redemptorem, à quo educerentur, ac in cœleſtem patriam transferrentur, expectarent. Tunc enim, ut inquit Apoſtolus ad Hebræos cap. 9. *Nondùm propalata erat Sanctorum via*, quæ fuſo dumtaxat Sanguine Chriſti propalari debebat. Rationem affert *Sanctus Thomas* 3.p. qu.49. art. 5. ad 1. quia etſi Sancti antè Paſſionem Chriſti, edendo juſtitiæ opera, meruerint introitum Regni cœleſtis per fidem Paſſionis Chriſti, ſecundùm illud ad Hebræos cap. 11. *Sancti per fidem vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, &c.* Quamvis etiam Sancti ante Paſſionem Chriſti fuerint ab omni peccato tàm originali, quàm actuali, & à reatu pœnæ actualium peccatorum liberati, non fuerunt tamen liberati à pœnæ originalis peccati reatu, per quem excludebantur à gloria nondum ſoluto pretio redemptionis humanæ. Idem docet *Sanctus Thomas* 3.p. q.52. art.5. ad 2. quæ doctrina expreſsè habetur in Scriptura ſacra, & in traditione Sanctorum Patrum. Legimus quippè *Lucæ* cap. 16. quod dives Epulo, cùm eſſet in inferno, vidit animam Lazari in ſinu Abrahæ quieſcentem; per ſinum autem Abrahæ intelligi limbum, in quo Juſti ante Paſſionem Chriſti detinebantur, pervulgata eſt Sanctorum Patrum, & omnium Theologorum ſententia. Apoſtolus etiam ad Epheſios cap. 4. ait, quod *Chriſtus aſcendens in altum captivam duxit captivitatem*, hoc eſt, ut interpretantur Sancti Patres, Chriſtus aſcendens in Cœlum, ſecum evexit juſtorum animas, quas è limbo, ubi captivæ detinebantur, eduxit, & cœleſtis gloriæ participes fecit. *Sed ecce*, verba ſunt *S.Gregorii* lib.13. moral. cap.14. *quia Salvatoris noſtri gratia redempti ſumus, hoc jam cæleſtis muneris habemus, ut cum à carnis noſtræ*

Digitized by Google

noſtræ inhabitatione ſubtrahimur, mox ad cæleſtia præmia ducamur. Quia dum Conditor, ac Redemptor noſter clauſtra inferni penetrans, electorum exindè animas eduxit, nos illò ire non patitur, unde jam alios deſcendendo liberavit. Hi verò, qui ante ejus adventum in hunc mundum venerunt, quantamlibet juſtitiæ virtutem haberent, ex corporibus educti, in ſinu cæleſtis patriæ ſtatim recipi nullo modo poterant: quia necdùm venerat, qui inferni clauſtra ſua deſcenſione ſalvaret, & juſtorum animas in perpetua jam ſede collocaret. Diſcrimen quod intercedit juſtos veteris Teſtamenti inter & juſtos qui ſunt in lege Euangelica, clarè exprimit *Sanctus Hieronymus* in epiſtola ad Paulam ſuper obitu Bleſillæ filiæ: *In lege veteri*, inquit, *ſub peccati Adam omnes tenebantur elogio, & ad inferos deſcendentes conſequenter lachrymæ conſequebantur ..... in Jeſu verò, ideſt in Euangelio, per quem Paradiſus eſt apertus, mortem gaudia proſequuntur.* Ex quibus Sanctorum Patrum teſtimoniis manifeſtum eſt hoc legis Euangelicæ privilegium eſſe, quod nunc qui labis prorsùs expertes ex hac mortali vita diſcedunt, è veſtigio in cœleſtem patriam evolent, cùm è contra in veteri lege quantacumque ſanctitate homines conſpicui mortem oppeterent, ad inferos deſcenderent Chriſtum Liberatorem expectaturi, juxtà Prophetarum vaticinia, quæ ſupra retulimus, & quibus revincitur error noſtri temporis hæreticorum, qui limbum Patrum explodunt, ceù locum fictitium, & Scripturæ ſacræ oppoſitum.

DICO SECUNDÒ: *Chriſtum ad inferos venientem iis tantùm impertiiſſe ſalutem, qui fidei, ac juſtitiæ merito, dignos, dum viverent, ſe tanto beneficio præbuerunt.*

Probatur primò, ex vaticinio Oſeæ Prophetæ cap. 13. *Ero mors tua ò mors, morſus tuus ero inferne*, quibus verbis ſignificatur, quod ſicut qui aliquid mordet, partem aſſumit, partem relinquit, ita Chriſtus infernum momordit, quia electos ex inferno eduxit, reprobos verò in eo reliquit, nec illos ad ſolatium, ſed eos ad majorem confuſionem, & ignominiam viſitavit, quemadmodum eos in die judicii iterùm viſitaturus eſt, juxtà illud Sophoniæ cap. 1. *Viſitabo ſuper viros defixos in fæcibus ſuis.* Secundò, Sancti Patres *Irenæus* lib. 4. cap. 39. *Epiphanius* hæreſi 69. quæ eſt Arrianor. *Petrus Chryſologus* ſerm. 122. *Gregorius Magnus* lib. 13. moral. cap. 15. & alii conſtanter docent Chriſtum ad inferos uſque penetraſſe, ut juſtos tantùm liberaret. Tertiò, Concilium tertium Valentinum, & Eccleſia Lugdunenſis nono Eccleſiæ ſæculo adeò compertum, exploratumque habuerunt Chriſtum ſolos ab inferis exemiſſe juſtos, ut ne Chriſtum quidem pro impiis, qui in ſua impietate mortui ſunt, & ante illius adventum ad inferos deſcenderunt, paſſum, & efficaciter mortuum fuiſſe definierint, ſicut oſtenſum eſt in diſſertatione decima ſexta. Quartò, *Phila-*

ſtrius

Digitized by Google

ſtrius lib. de hæreſibus, hæreſi 74. perſtringit tanquam hæreticam opinionem illorum, *qui dicunt Chriſtum Dominum in infernum deſcendiſſe, & omnibus poſt mortem etiam ſe nuntiaſſe, ut confitentes ibidem ſalvarentur; cùm hoc ſit contrarium dicenti Prophetæ David, in inferno autem quis confitebitur tibi? & Apoſtolo, qui ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt*. Eamdem hæreſim recenſet *S. Auguſtinus* lib. de hæreſibus ordine ſeptuageſimam, eamque ex profeſſo impugnat *Gregorius Magnus* lib. 7. epiſt. 15. ad Georgium Presbyterum, ubi ſic loquitur: *Nihil teneatis, niſi quod vera fides per Catholicam Eccleſiam docet, quia deſcendens ad inferos Dominus, illos ſolummodò ab inferni clauſtris eripuit, quos viventes in carne per ſuam gratiam in fide, & bona operatione ſervavit*. Denique Chriſtus ad inferos deſcendens, illis ſolis liberationis contulit fructum, qui fuerunt ejus Paſſioni conjuncti per fidem charitate formatam, per quam abſterguntur, ſeu condonantur peccata, porrò illi, qui erant in inferno damnatorum, aut penitùs fidem paſſionis non habuerunt, ſicut infideles, aut ſi fide fuerunt illuſtrati, nullam conformitatem habuerunt ad charitatem Chriſti patientis, quò fit, ut à ſuis peccatis non eſſent mundati, nec ab illis mundari potuerint, quia peccatores poſt exitum ex hac vita in malo ſunt confirmati, nec ampliùs reſipiſcere poſſunt. Hoc eſt egregium *Sancti Thomæ* ratiocinium, ex quo infert Sanctus ille Doctor, pueros etiam, qui ſolo peccato originali obſtricti è vivis exceſſerunt, non fuiſſe per deſcenſum Chriſti ad inferos è limbo eductos, quia pueri cum culpa originali ex hac vita migrantes gratiam ſanctificantem non habuerunt; nemo autem Regnum Cœlorum adipiſci poteſt, niſi gratia ſanctificante, dum in vivis degeret, fuerit exornatus, & particeps fructus Paſſionis Chriſti vel per fidem propriam, ſi ſit adultus, vel per fidei Sacramentum, ſeu Baptiſma, ſi ſit puer. Chriſtus itaque deſcendens ad inferos non liberavit puerulos, qui cum peccato originali deceſſerant, ſed eos in limbo perpetuæ, & abſolutæ damnationi addictos reliquit, ubi juxtà doctrinam *Sancti Thomæ* tàm ſupernaturali, quàm naturali orbati beatitudine, patiuntur pœnam damni, ſeu privantur viſione beatifica, vel juxtà probabilem aliorum Theologorum ſententiam, puniuntur etiam pœnâ ſenſus, mitiſſimâ tamen.

Quantùm attinet ad juſtos, qui in purgatorio erant detenti, probabiliùs cenſet *Sanctus Thomas* 3. p. q. 52. art. 8. eos qui, Chriſto ad inferos deſcendente, necdùm plenè purgati erant, non fuiſſe à flammis piacularibus liberatos, quia majorem tùm temporis efficaciam non habuit Paſſio Chriſti, quam nunc habet; eos verò, qui jam ſufficienter erant purgati, vel qui, dum adhuc viverent, per fidem, & pium erga Paſſionem Chriſti affectum promeruerunt, ut, eo ad inferos deſcendente, à temporali Purgatorii pœna liberarentur, reverà fuiſſe libera-

tos,

Digitized by Google

tos, & ſempiternâ felicitate beatos. Cæterùm quamvis non omnes juſti, qui in Purgatorio erant detenti, per deſcenſum Chriſti ad inferos à pœna temporali non fuerint liberati, dubitari tamen non poteſt quin in hoc tamdiu expectato Salvatoris adventu maximo fuerint ſolatio perfuſi, & firmâ ſpe conceptâ futuræ, ad quam jugitèr anhelabant, proximè conſequendæ beatitudinis, in profuſiſſimam eruperint lætitiam.

DILUUNTUR OBJECTIONES.

ARguitur primò: *Sanctus Petrus* 1. ſuæ epiſtolæ cap.3. loquens de deſcenſu Chriſti ad inferos, hæc habet: *Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, juſtus pro injuſtis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem ſpiritu. In quo & his, qui in carcere erant, ſpiritibus veniens prædicavit: qui increduli fuerant aliquando.* Quibus verbis non obſcurè *Sanctus Petrus* docere videtur Chriſtum, dum ad inferos deſcendit, his, qui fuerant increduli, ſive Judæi, ſive Gentiles eſſent, annunciaſſe Euangelium, eoſque ad pœnitentiam adductos gratiæ miſericordiæ ſuæ participes effeciſſe, ergo Chriſtus non ſolùm juſtos, ſed etiam Judæos, & Gentiles ab inferis liberavit.

Reſpondet doctiſſimus *Petavius* lib.13. de Incarn. cap.18. Chriſtum, juxtà citata *Sancti Petri* verba, per ſuum ad inferos illapſum nonnullis ſui notitiam, & ſalutem impertiiſſe, nimirùm illis, qui vitam ſuam rectè compoſuerant, & ſic, dum viverent, fuerant affecti, ut ſi, tùm Chriſtus adveniſſet, ad illius fidem accipiendam eſſent animo parati.

Verùm non mihi probatur hæc *Petavii* reſponſio, quippè quæ adverſatur unanimi Patrum, & Theologorum doctrinæ, aſſerentium neminem ſalutem æternam poſt mortem adipiſci poſſe, niſi dum viveret, fidem in Chriſtum mediatorem habuerit, & verâ charitate fuerit exornatus. *Conſtat enim*, inquit *Sanctus Gregorius Magnus* in epiſtola mox laudata, *quod poſt Incarnationem Domini nullus etiam ex his ſalvari poteſt, qui fidem illius tenent, & vitam fidei non habent, quia ſcriptum eſt: confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant. Et Joannes ait: qui dicit, quia novit eum, & mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt. Jacobus quoque frater Domini ſcribit dicens: Fides ſine operibus mortua eſt. Si ergo fideles nunc ſine bonis operibus non ſalvantur, & infideles, ac reprobi ſine bona actione, Domino ad inferos deſcendente, ſalvati ſunt, melior illorum ſors fuit, qui Incarnationem Domini minimè viderunt, quàm horum, qui poſt Incarnationem nati ſunt.* Rejectâ igitur hac *Petavii* reſponſione.

Reſpondeo cum *Sancto Thoma* 3.p. qu. 52. art. 2. ad 3. hæc verba Sancti Petri non eſſe referenda ad deſcenſum Chriſti ad inferos, ſed

ad ipſius divinitatis operationem, quam à principio mundi exercuit: ut ſit ſenſus, quod Chriſtus *his, qui in carcere concluſi erant*, viventes ſcilicet in corpore mortali (quod eſt quaſi quidam carcer animæ) *Spiritu ſuæ divinitatis veniens prædicavit* per internas inſpirationes, & etiam exteriores admonitiones per ora Sanctorum; his inquam, *prædicavit, qui increduli fuerant aliquando* (Noe ſcilicet prædicante) *quando expectabant Dei patientiam*, per quam differebatur pœna diluvii. Unde ſubdit ibidem S. Petrus, *in diebus Noe, cùm fabricaretur arca*. Hanc reſponſionem hauſit *Sanctus Thomas* ex epiſtola ſupra laudata S. Auguſtini ad Evodium. Aliam prætereà reſponſionem ſuppeditat Sanctus Doctor deſumptam ex S.Damaſceno, qui lib.3.de orthodoxa fide cap.29. ait hæc Sancti Petri verba referenda quidem eſſe ad deſcenſum Chriſti ad inferos, ita ut tamen hic ſenſus ſit, quod Chriſtus ſicut his, qui in terra ſunt, euangelizavit, ita & poſt mortem ſuam his, qui erant in inferno prædicavit, non quidem ut incredulos converteret ad fidem, ſed ut eorum infidelitatem confutaret. Scio *Hermam* Auctorem libri Paſtoris, quem inter opera Patrum, qui Apoſtolicis temporibus floruerunt, edidit, & egregiis notis illuſtravit *Joannes Baptiſta Cotelerius*, & *Sanctum Clementem Alexandrinum* lib. 6. ſtromatum docere Chriſtum & Apoſtolos his, qui in inferno detinebantur, ſive Judæis, ſive Gentilibus Euangelium annunciaſſe, ita ut hi, qui præ cæteris egregiè vixerant, vel peccatorum ducti ſunt pœnitentiâ, ſalvi facti fuerint per propriam uniuſcujuſque cognitionem. Verùm, præter quam quod liber Paſtoris non magnum habet apud viros eruditos auctoritatis pondus propter errores, & fabulas, quibus refertus eſt, convenit inter omnes Theologos hanc ſingularem ſententiam reponendam eſſe inter nævos Auctoris libri Paſtoris, & Sancti Clementis Alexandrini.

Arguitur ſecundò: ideò maximè Chriſtus ad inferos deſcendens non liberaſſet Judæos, & Gentiles, qui in ſua impietate, & infidelitate erant mortui, quia in inferno nulla eſt redemptio, nulluſque poſt exceſſum ex hac vita ſupereſt pœnitentiæ locus; atqui hanc rationem falſi convincit primò, exemplum *Trajani* Imperatoris Pagani, quem in impietate, & infidelitate ſua mortuum *S. Gregorius Magnus* precibus ſuis ex inferis liberavit, ſicut referunt *Joannes Diaconus* lib. 2. de vita S.Gregorii cap.44. *S.Joannes Damaſcenus* in oratione de defunctis, Euchologicum Græcorum cap.95. *S. Thomas* in ſupplem. qu. 73. art.5. ad 5. *Sanctus Antoninus*, *Vincentius Bellovacenſis*, & alii benè multi Auctores graves, & eruditi. Secundò, in actis *S.Perpetuæ Martyris* legitur eam oraſſe pro fratre ſuo *Dinocrate*, qui ſeptennis fato functus erat, illumque ſuis precibus à pœnis, quibus in loco tenebroſo plectebatur, liberaſſe. Cùm igitur ex inferis damnati precibus San-

Digitized by Google

Sanctorum eripi poſſint, multò magis credibile eſt Chriſtum inferos adeuntem liberaſſe Judæos, & Gentiles, quamvis in ſua impietate, & infidelitate mortuos.

Reſpondeo neg. min. & ad primum exemplum adductum dico: Liberationem Imperatoris *Trajani*, & fuſas ad eam impetrandam à S. Gregorio preces, à viris eruditis, & criticæ diſciplinæ peritis fabulæ loco haberi, multaque ad hanc fabuloſam narrationem exſufflandam ſuppetere momenta. Nam primò, hi, qui hanc hiſtoriam de liberatione Trajani ab inferis referunt, non ſibi conſtant, ſed variis nugis narrationes ſuas concinnant, & antilogiis involvunt, quod evidens eſt falſitatis argumentum. Secundò, procul abeſt à vero S.Gregorium Deum orare voluiſſe pro flagitioſiſſimo Principe Ethnico, Chriſtianorum perſecutore infenſiſſimo, & nefario puerorum amori addictiſſimo, ut teſtantur Auctores etiam prophani *Dio, Xiphilinus, Ælius Spartianus, & Aurelius Victor*. Tertiò, *S. Gregorius* lib. 4. dialog. cap. 44. & lib. 34. moral. cap. 16. docet cum univerſa Eccleſia pœnas inferni eſſe æternas, & in inferno nullam redemptionem, ex quo infert juſtos orare nec debere, nec poſſe pro hominibus infidelibus, impiiſque defunctis, aut ſi pro illis oraverint, irritas planè eſſe eorum orationes. Qui igitur credibile eſt, S. Gregorium, qui hanc univerſæ Eccleſiæ doctrinam ſemper tenuit, & calamo defendit, orare voluiſſe pro liberatione Trajani, quem ſciebat æternis flammis addictum. Quartò, teſtimonium Joannis Diaconi, qui hanc hiſtoriam de Trajani liberatione refert, jejunum eſt, nullâque fide dignum; tùm quia Joannes Diaconus non eſt ſuppar, ſeu coævus Auctor, ſed trecentis tantùm annis poſt S. Gregorium vixit ſub Joanne ſcilicet VIII. Pont. Max. tùm quia etiam Joannes Diaconus hanc narratiunculam non hauſit ex probatis actis vitæ S. Gregorii, quæ in ſcriniis Eccleſiæ Romanæ aſſervabantur, & in quibus ne verbum quidem extat de prædicta liberatione Trajani, ſed eam, ut ipſemet fatetur in vita S. Gregorii, excripſit ex obſcuris Eccleſiarum Anglicanarum, & Saxonicarum monumentis. Legi poteſt ſuper hac re caput decimum lib. 3. vitæ S.Gregorii, quam tomo quarto recentis illius operum editionis inſeruerunt doctiſſimi Patres Benedictini Congregationis S.Mauri, ubi rationes, quibus Joannes Diaconus huic narrationi fidem conciliare nititur, infirmas eſſe demonſtrant, omniaque illius Auctoris præcludunt effugia. Quintò, oratio *de defunctis*, quæ Sancto Damaſceno tribuitur, & in qua legitur hæc Trajani ab inferis liberatio, non eſt genuinus illius Patris fœtus, ut teſtatur ipſemet *Bellarminus* lib. 2. de Purgatorio cap. 8. his verbis: *Quot quot hanc hiſtoriam admiſerunt, id fecerunt propter auctoritatem Damaſceni, at librum iſtum non eſſe Damaſceni facilè probari poteſt: nam in eo libro Auctor non ſolùm dicit Trajanum,*

num, & Falconillam ab inferno damnatorum ad Regnum Cælorum tranſiviſſe, ſed etiam multos alios, qui in infernum deſcenderant, qui fide divina caruerant, à Chriſto converſos, & ſalvatos, quando ad inferos deſcendit. Quod & per ſe erroneum eſt, & contrarium verbis Damaſceni lib. 2. de fide cap. 4. ubi dicit, hominibus id eſſe mortem, quod fuit Angelis caſus. Bellarmino aſſentiuntur omnes periti hujus temporis critici, qui manifeſtè oſtendunt hanc orationem *de defunctis* tot fabulis, næniis, & ineptiis ſcatere, ut profectò de S. Damaſceno malè mereretur, qui hanc orationem illi vindicare vellet. Denique quod ſpectat S. Thomam certò certiùs eſt eum, loco citato, hoc unum dumtaxat voluiſſe, quod, ſuppoſitâ ſemel hujus hiſtoriæ veritate (quam penitiùs indagare, & excutere noluit, ne ab ea, cui potiſſimum incumbebat, ſcholaſticâ pertractandi quæſtiones methodo recederet) reſponderi poteſt Trajanum precibus S. Gregorii ab inferis fuiſſe ad vitam revocatum, quia in inferno non erat finaliter deputatus: *Sicut*, inquit, *apparet ex omnibus illis, qui fuerunt miraculosè à mortuis ſuſcitati, quorum plures conſtat idololatras, & damnatos fuiſſe. De omnibus enim talibus ſimiliter dici oportet, quod non erant in inferno finaliter deputati, ſed ſecundùm præſentem propriorum meritorum juſtitiam; ſecundùm autem ſuperiores cauſas, quibus prævidebantur ad vitam revocandi, erat aliter de eis diſponendum. Vel ſecundùm quosdam, quod anima Trajani non fuit ſimpliciter à reatu pœnæ abſoluta, ſed ejus pœna fuit ſuſpenſa ad tempus, ſcilicet uſque ad diem judicii.* Ex quibus verbis perſpicuum eſt S. Thomam non abſolutè, ſed tantùm hypoteticè de liberatione Trajani fuiſſe locutum. Nec ſanè credibile eſt Sanctum illum Doctorem plus virtutis tribuiſſe precibus Sancti Gregorii, quàm paſſioni, ſeu deſcenſui Chriſti ad inferos, aſſerit autem *S. Thomas* 3. p. qu. 52. art. 6. deſcenſum Chriſti ad inferos non contuliſſe damnatis liberationem à reatu pœnæ infernalis, quia damnati aut penitùs fidem Paſſionis Chriſti non habebant, ſicut infideles, aut ſi fidem habuerant, nullam conformitatem habebant ad charitatem Chriſti patientis, undè nec à peccatis ſuis erant mundati; non eſt igitur veroſimile S. Thomam exiſtimaſſe animam Trajani in impietate, & infidelitate ſua mortui precibus S. Gregorii fuiſſe ab inferis liberatam. Teſtimonia aliorum Auctorum de liberatione Trajani nihil omninò moror; fuerunt quippè illi Auctores plus æquo creduli, & in examinando, juxtà critices diſciplinæ regulas, hoc facto hiſtorico, parùm diligentes.

Ad alterum exemplum adductum de *Dinocrate* fratre *S. Perpetuæ Martyris*, reſpondeo cum doctiſſimo *Theoderico Ruinarto* Congregationis S. Mauri Benedictino *in actis primorum Martyrum ſelectis, & ſinceris* pag. 90. hoc exemplo probari tantummodò mortuos purgatorii cruciatibus addictos, ob levia peccata poſt baptiſmum admiſſa, poſſe fide-

fidelium precibus ab iis eximi. Teſtatur enim *S. Auguſtinus* lib. 1. de origine animæ cap. 10. & lib. 3. cap. 9. Dinocratem, propter peccata quædam commiſſa poſt baptiſmum, aliquas pertuliſſe pœnas, quippè cùm ſeptennis eſſet, potuit mentiri, & levi piaculo animam maculare, aut ad patris gentilis ſuaſionem aliquid contra Deum facere, propter quas leves offenſas fuit in purgatorii loco detentus. Cæterùm Dinocratem fuiſſe ante mortem baptizatum, negari non poteſt; S. Perpetuâ ipsâ affirmante totam ſuam familiam, excepto patre, Chriſti religionem unà cum baptiſmate ſuſcepiſſe, & coluiſſe.

Arguitur tertiò: Si Chriſtus deſcendens ad inferos non liberaſſet damnatos, id accidiſſet, vel quia noluiſſet, vel quia non potuiſſet, atqui neutrum dici poteſt, ergo credibiliùs eſt Chriſtum ad inferos deſcendentem ſaltem aliquos damnatos hinc eripuiſſe. Prob. min. quantùm ad primam partem, aſſerere namque Chriſtum noluiſſe damnatos ab inferis liberare, nihil aliud eſt, quàm derogare ſummæ bonitati, juſtitiæ, & ſapientiæ Chriſti; bonitati, inquam, quia Chriſtus, ut omnes docent Catholici, mortuus eſt pro omnibus omninò hominibus, etiam pro infidelibus, & impiis, qui in ſua infidelitate, & impietate mortui ſunt; juſtitiæ verò, quia injuſtum eſſe videtur, ut infideles, qui juxtà rectam rationem vixerunt, quales fuerunt multi, æternis flammis crucientur; ſapientiæ denique, quia non convenit ſapientiæ Chriſti, ut culpam, quæ cum fine perpetrata eſt, ſine fine in inferis puniat. Prob. min. quantùm ad alteram partem, nam dicere Chriſtum non potuiſſe damnatos ab inferis liberare, eſt elevare divinam ejus potentiam, quæ non fuit minor in inferno, quàm in hoc mundo, ſed in hoc mundo Chriſtus de quolibet ſtatu aliquos liberavit, ergo itidem in inferno aliquos de ſtatu damnatorum liberavit.

Reſpondeo: Nec bonitati, nec juſtitiæ, nec ſapientiæ, nec potentiæ Chriſti quidquam detrahere doctrinam, quæ aſſerit Chriſtum ad inferos deſcendentem non liberaſſe damnatos æternis cruciatibus deputatos. Et primò non derogat ejus bonitati, quia licèt Chriſtus mortuus ſit ſufficientèr pro omnibus omninò hominibus, non eſt tamen mortuus efficacitèr pro impiis, & infidelibus, qui in ſua impietate, & infidelitate mortui flammis æternis ante ejus mortem erant addicti, Chriſtus, inquam, non eſt mortuus pro illis efficacitèr, ideſt, ut eos ex inferno extraheret, iiſque ſalutem æternam impertiretur, ut concors eſt omnium Theologorum doctrina. Secundò, non eſt alienum à Divina juſtitia, ut infideles, qui ante Adventum, & Paſſionem Chriſti, juxtà rectam rationem vixerunt, & tamen abſque fide in Chriſtum Mediatorem mortui ſunt, æternis flammis addicantur. Ratio eſt, quia bona opera moralia ſine fide in Chriſtum Mediatorem

ad

ad ſalutem prodeſſe minimè poſſunt; *Sine fide*, inquit Apoſtolus, *impoſſibile eſt placere Deo*, &, ut ait S. Auguſtinus epiſt. 149. olim 59. *ne quisquam diceret, poſſe eſſe ſalutis viam in bona converſatione, & unius Dei omnipotentis cultu, ſine participatione corporis, & ſanguinis Chriſti: unus enim Deus, inquit Apoſtolus, & unus Mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Jeſus, ut illud, quod dixerat, omnes homines vult ſalvos fieri, nullo modo intelligatur præſtari, niſi per Mediatorem, non Deum, qui ſemper Verbum erat, ſed hominem Chriſtum Jeſum, cùm Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis*. Cùm igitur infideles, qui ante Adventum, & Paſſionem Chriſti ſecundùm rectam rationem vixerunt, non habuerint fidem in Chriſtum Mediatorem, ſine qua peccatum originale non remittitur, & nemini ad ſalutem via patere poteſt, non eſt alienum à Divina juſtitia, ſed ipſi potiùs maximè conſentaneum, ut hujusmodi infideles æternis flammis in inferis puniantur, poſtquam *in terris receperunt mercedem ſuam vani vanam*, ut inquit *S. Auguſtinus* ſerm. 12. in pſalm. 118. Addo etiam Pelagianum eſſe dogma, aſſerere fuiſſe infideles, qui propriis viribus, & abſque gratia medicinali Chriſti potuerint omnia ſervare præcepta moralia, abſtinere à peccatis, & innocentem vitam degere. Tertiò, non eſt contrarium ſapientiæ Chriſti, quod culpam, quæ cum fine perpetrata eſt, ſine fine in inferis puniat; *Hoc* quippè *rectè diceretur*, inquit S. Gregorius lib. 4. dialog. cap. 44. *ſi diſtrictus Judex non corda hominum, ſed facta penſaret. Iniqui enim ideò cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt, nam voluiſſent utique, ſi potuiſſent, ſine fine vivere, ut potuiſſent ſine fine peccare. Oſtendunt enim quia in peccato ſemper vivere cupiunt, quia nunquam deſinunt peccare, dum vivunt. Ad magnam ergo juſtitiam Judicantis pertinet, ut nunquam careant ſupplicio, qui in hac vita nunquam voluerunt carere peccato*. Denique non eſt tribuendum impotentiæ Chriſti, ut docet *S. Thomas* 3. p. qu. 52. art. 6. ad 3. quod non ſint aliqui de quolibet inferorum ſtatu liberati, ſicut de quolibet ſtatu mundanorum fuerunt aliqui liberati, ſed id acceptum referri debet diverſæ utrorumque conditioni, quæ in hoc ſita eſt, quod homines, quamdiù vivunt, poſſunt ad fidem, & charitatem converti, quia homines in hac vita non ſunt confirmati in bono, vel in malo, ſed pro ingenita libertate ad utrumque flecti poſſunt, at poſt exitum ex hac vita homines vel in bono, vel in malo ſunt confirmati, nec ullus ampliùs datur pœnitentiæ, & reſipiſcentiæ locus.

Arguitur quartò: Infideles, qui nullam, dùm viverent, Dei notitiam habuerunt pænas æternas non promerebantur dum præcepta legis naturæ tranſgrediebantur, nam cum peccatum ſit eſſentialiter offenſio, & injuria Dei, ſublatâ ſemel cognitione Dei, neceſſariò conſequitur, nec peccatum, nec injuriam infinitam, nec æter-

æternam pœnam eſſe, atqui benè multi ante adventum Chriſti fuerunt infideles, qui nullam Dei notitiam habuerunt, ergo ſaltem illi, dùm pręcepta legis naturæ violarunt, pœnas æternas promeriti non ſunt, nec debuit Chriſtus eos in inferno perpetuis addictos cruciatibus relinquere.

Reſpondeo: Infideles, qui antè adventum Chriſti nullam Dei notitiam habuerunt, pœnam æternam promeritos fuiſſe dùm præcepta legis naturæ transgrediebantur. Primò, quia carverunt fide in Chriſtum mediatorem, quæ omni tempore ad ſalutem adipiſcendam fuit prorsùs neceſſaria, ita ut qui eam non habet æternâ pœnâ dignus ſit. Secundò, hęc Dei ignorantia, in qua olim infideles verſati ſunt, & etiamnùm verſantur, non fuit, nec dici poteſt, involuntaria, & invincibilis, quia, juxtâ conſtantem omnium Theologorum doctrinam, nulla dari poteſt inculpata exiſtentiæ Dei ignorantia. Tertiò, *Alexander Octavus* Summus Pontifex decreto dato die 24. Auguſti anni *1690.* ſanxit piarum aurium offenſivum, atque temerarium eſſe, ſi quis dicat, *peccatum Philoſophicum, quantumvis grave, in eo qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat eſſe grave peccatum, ſed non eſſe offenſam Dei, neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam Dei cum homine, neque æterna pœna dignum*: Ex quo Summi Pontificis decreto palàm ſequitur peccata, quæ infideles præcepta legis naturæ violantes committunt, eſſe æternâ pœnâ digna, quamvis Deum ignorent. Quartò, quinque Illuſtriſſimi Eccleſiæ Gallicanæ Præſules in epiſtola data ad Innocentium XII. Pont. Max. 7. kal. Mart. anni *1697.* inter multas propoſitiones quas damnant ut erroneas excerptas ex libro inſcripto, *nodus prædeſtinationis diſſolutus*, hanc cenſurâ optimo jure configendam notant: *ut demus Braſilienſes, alioſque ita ignoraſſe Deum, hoc eſt, invincibiliter, id quoque magna beneficii & gratiæ pars eſt; cùm enim peccatum ſit eſſentialitèr offenſio & injuria Dei; ſublata Dei cognitione ſequitur nec injuriam, nec peccatum, nec æternam pœnam eſſe.* Quâ propoſitione novi illius diſſolutoris, ut in eadem epiſtola obſervant Illuſtriſſimi iſti Pręſules, redduntur impeccabiles, & ab æterna pœna prorsùs immunes non ſolùm infideles, ſed etiam parricidæ, hoſpitum necatores, ac portenta libidinum conſectantes, quos Deus tantâ gratiâ, hoc eſt, cæcitate mentis, ſummâque ſui ignoratione donaverit. Denique, ſi peccata infidelium, qui ignorant Deum, non promererentur pœnam æternam, eſſet pro illis aſſignandus aliquis locus medius ab inferno, & paradiſo ſeclusus, & in perpetuum duraturus, porrò illius medii loci pro adultis æternum duraturi nullum extat in Scriptura, & patrum traditione veſtigium. Dicendum igitur eſt peccata, quæ infideles ignorantes Deum perpetrarunt, violantes præcepta

cepta legis naturæ, eſſe digna pænâ æternâ, à qua Chriſtus per ſuum ad inferos deſcenſum eos minimè liberavit, ſed potiùs in eos effudit iram ſuam, juxtà illud pſalmi 78. *effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt, & in regna quæ nomen tuum non invocaverunt.*

Arguitur ultimò: durum nimis & iniquum eſt aſſerere Chriſtum ad inferos deſcendentem perpetuæ, & abſolutæ damnationi addictos reliquiſſe parvulos, qui peccato originali dumtaxàt obſtricti ex hac vita exceſſerunt; nam ſive illa perpetua damnatio privationem beatitudinis tam ſupernaturalis, quàm naturalis complectatur, ut volunt Thomiſtæ, ſive præter privationem utriusque beatitudinis importet adhuc pænam ſenſus, ut docent multi alii Theologi, non eſt ſanè credibile Chriſtum, qui pro omnium ſalute mortuus eſt, voluiſſe parvulos ſola originali labe infectos, & nulla propria culpa coinquinatos perpetuæ huic damnationi addicere. Longè itaque probabiliùs eſt Chriſtum ad inferos deſcendentem hujuſmodi parvulos à perpetua damnatione ereptos felicitatis ſaltem naturalis poſſeſſione æternùm beatos reddidiſſe.

Reſpondeo: Fidei Catholicæ dogma eſſe pueros Sacro fonte non ablutos, & cum peccato originali decedentes, eſſe ſub poteſtate diaboli, filios iræ, contumeliæ vaſa, Deo exoſos, & in perpetuam damnationem traditos, ac proindè durum & iniquum non eſſe, ſed potiùs divinæ juſtitiæ maximè conſentaneum aſſerere Chriſtum ad inferos deſcendentem eos ab illa perpetua damnatione non liberaſſe. Id colligitur primò, ex Apoſtolo Paulo dicente ad Rom. cap. 5. *Per unius delictum in omnes homines in condemnationem vitæ.* Parvuli ergo cum peccato originali abſque baptiſmo decedentes veram damnationem incurrunt. Secundò, eumdem loquendi modum ſæpiſſimè uſurpant Sancti Patres *Auguſtinus* in Enchiridio cap. 23. & in libro 1. de Origine Animarum cap. 9. *Sanctus Fulgentius* libro de Fide ad Petrum cap. 3. *Innocentius I.* in epiſtola ad Patres Concilii Milevitani, *Gelaſius* in epiſtola ad Epiſcopos per Picenum conſtitutos, *Gregorius Magnus* libro 9. Moral. cap. 16. & Epiſcopi Affricani in Sardinia pro fide exules in ſua epiſtola Synodica, in qua ſic loquuntur: *De parvulis indubitanter tenenda Catholicæ regulâ veritatis, quia parvulus, qui baptizatur, gratuita Dei bonitate ſalvatur, qui verò ſine baptiſmo moritur, propter peccatum originale damnatur.* Tertiò, hæc eſt perpetua Eccleſiæ Catholicæ doctrina pluribus in Conciliis contra Pelagianos definita, qua credimus pueros nondum per baptiſma renatos, diaboli eſſe captivos, inferis deſtinatos, ac proinde in maſſa damnationis relictos niſi Sacro Baptiſmatis fonte abluantur. Hinc Eccleſia parvulos ab Baptiſmum accedentes inſufflationibus

Digitized by Google

flationibus eventilare ſolet, ut ab eis immundus Spiritus abigatur: quo argumento utitur *Sanctus Auguſtinus* libro 3. Operis imperfecti contra Julianum cap. 199. ut evincat parvulos nondùm baptizatos à diabolo poſſideri, æternûmque ab illo poſſidendos, ſi abſque regenerationis Sacramento præmatura morte rapiantur.

Cæterùm in quo ſita ſit damnatio parvulorum ſine baptiſmo decedentium? Lis adhùc ſub judice eſt. Thomiſtæ docent damnationem illorum parvulorum conſiſtere in privatione beatitudinis tàm ſupernaturalis, quàm naturalis, illos tamen à pæna ſenſus immunes eſſe volunt. Alii verò Theologi, quorum longum texit Catalogum Card. *Noriſius* in ſuis Vindiciis Auguſtinianis, contendunt damnationem parvulorum citrà baptiſmum decedentium præter privationem beatitudinis ſupernaturalis, & naturalis, importare pœnam ſenſus, mitiſſimam tamen, quam ſententiam idem doctiſſimus Cardinalis ex Sanctis Patribus Auguſtino, Fulgentio, Innocentio I. Gelaſio, Gregorio Magno, Iſidoro Hiſpalenſi, Anſelmo, & ex multis Conciliis, atque rationibus Theologicis ibidem probat. Quapropter licèt ipſe ſcholæ Thomiſticæ ſententiæ, utpotè apud Theologos communiori, lubens ſubſcribam, alteram tamen opinionem, cui ſuffragantur multi hujus temporis claſſici Auctores, improbare nec audeo, nec debeo. Sua igitur utrique opinioni conſtet probabilitas, & explodatur error Pelagianorum, qui ex una parte aſſerebant pueros, ſi ſacris undis inexpiati decedant, non introire in Regnum Cælorum, juxtà hanc Domini ſententiam cap. 3. Joannis *niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non introibit in Regnum Cælorum*; Ex altera verò parte contendebant hujuſmodi pueros ſine baptiſmo decedentes nullam damnationem ſubire, ſed illis neſcio quàm felicitatem tribuebant in medio quodam loco inter gloriam Regni Cœleſtis, & inferorum ſupplicia. Hunc jam obſoletum Pelagianorum errorem recoxerunt *Ambroſius Catharinus* in Opuſculo *de Statu Parvulorum*, *Ludovicus Molina* in Concordia quæſt. 23. art. 4. & 5. & Card. *Sfondratus* in libro, cui titulus eſt, *Nodus Prædeſtinationis diſſolutus*. Tribuunt quippè illi Auctores parvulis decedentibus abſque baptiſmo, felicitatem naturalem, eoſque à damnatione eximunt. Verùm hanc commentitiam felicitatem non modo irriſit, ſed etiam ſolidis argumentis impugnavit, & protrivit *Sanctus Auguſtinus*, ut videre eſt in Vindiciis Auguſtinianis Cardinalis *Noriſii* cap. 3. paragraph. 5. Conſulant etiam, qui voluerint, Cardinalem Bellarminum tomo 3. Controverſ. libro 6. *De Statu Peccati*, qui & tertius eſt de peccato originis, & Cardinalem de Lauræa diſputatione 27. de Statu parvulorum: Hi ſiquidem doctiſſimi Cardinales in hac fictitia parvulorum ſine baptiſmo de-

cedentium beatitudine exſufflanda ſtrenuam navarunt operam.

Advertat obiter Lector cum *Sancto Thoma* 3. part. quæſt. 50. art. 4. ad 3. quod licèt Chriſtus in triduo mortis non fuerit ſimpliciter homo propter ſeparationem animæ, quæ eſt forma corporis, & complementum hominis; fuit tamen Sacerdos, quia eſſe Sacerdotem convenit homini ratione animæ, in qua eſt ordinis character quò fit, ut homo per mortem non amittat ordinem Sacerdotalem, ac multò minùs Chriſtus, qui Sacerdotii fons eſt & origo primordialis.

DISSERTATIO VIGESIMA SECUNDA

De Reſurrectione, Aſcenſione, & Seſſione Chriſti Domini ad dexteram Dei Patris.

HÆc Diſſertatio tres complectetur paragraphos, in primo agam de veritate Reſurrectionis, & de integritate Corporis Chriſti reſurgentis. In altero oſtendam Reſurrectionem Chriſti eſſe cauſam efficientem Reſurrectionis noſtræ. In ultimo commonſtrabo conveniens fuiſse, noſtræque ſaluti neceſſarium ut Chriſtus in Cœlum aſcenderet, ubi ſedens ad dexteram Dei Patris officio Sacerdotis etiamnùm fungitur pro nobis.

Paragraphus Primus

De veritate Reſurrectionis, & de integritate Corporis Chriſti Reſurgentis.

OBſervandum primò, quod, cùm inter omnia opera atque miracula à Chriſto Servatore noſtro edita, nullum ſit potentius, & ad ejus divinitatem comprobandam efficaciùs Reſurrectionis prodigio, in quo potentiæ ceſſit infirmitas, gloriæ ignominia, felicitati miſeria, & mors vitæ nunquam interituræ; ideò pervicaces Judæi infenſiſſimi Chriſti hoſtes veritatem ipſius Reſurrectionis negant. *Benedictus* etiam *Spinoſa*, ex Judæo Chriſtianus, nomine potiùs quàm re, factus, totam hiſtoriam de Reſurrectione Chriſti ab Evangeliſtis litteris conſignatam non litteraliter, ſed allegoricè accipiendam eſſe effutire non erubuit. Sic enim loquitur vir ille temeritate notus in epiſtola 23. ad Henricum Oldemburgium: *Concludo itaque*

itaque Chriſti à mortuis Reſurrectionem reverà ſpiritualem, & ſolis fidelibus ad eorum captum revelatam fuiſſe, nempè quod Chriſtus æternitate donatus fuit, & à mortuis ſurrexit, ſimul atque vita & morte ſingularis ſanctitatis exemplum dedit, & eatenùs diſcipulos ſuos à mortuis ſuſcitat, quatenùs ipſi hoc vitæ ejus & mortis exemplum ſequuntur, Et epiſtola 25. ad eumdem: *Cæterùm*, inquit, *Chriſti paſſionem, mortem, & ſepulturam tecum litteralitèr accipio, ejus autem reſurrectionem allegoricè. Fateor quidem hanc ab Evangeliſtis iis narrari circumſtantiis, ut negare non poſſimus ipſos Evangeliſtas crediaiſſe Chriſti Corpus reſurrexiſſe, & ad Cœlum aſcendiſſe ut ad Dei dexteram ſederet; & quod ab infidelibus etiam potuiſſet videri, ſi unà in iis locis adfuiſſent, in quibus ipſe Chriſtus Diſcipulis apparuit: in quo tamen ſalva Evangelii doctrina potuerunt decipi, ut etiam aliis Prophetis contigit*. Sic de Reſurrectione Chriſti malè ſencit impius ille, & malè feriatus Auctor, cujus audaciam, ſicut & Judæorum pervicaciam neceſse eſt in hocce paragrapho invictis argumentis retundere.

Obſervandum ſecundò, nonnullos ſuperſtitionis Calvinianæ Miniſtros, ut perpetuam, ſibique ſemper conſtantem Eccleſiæ Catholicæ de præſentia reali Corporis Chriſti in Euchariſtiæ Sacramento, & de tranſubſtantiatione doctrinam faciliùs oppugnare, & labefactare poſſent, auſos eſſe aſſerere Corpus Chriſti poſt reſurrectionem exangue remanſiſſe, ac ſubindè vinum in Euchariſtia converti non poſſe in Sanguinem Chriſti. Hic error primùm ab *Oſiandro*, & *Calvino* inductus, aſſertores, & vindices nactus eſt factionis Calvinianæ Miniſtros non contemnendæ eruditionis viros, *Albertinum* ſcilicèt; *de la Roque*, & *Petrum Allix*, contrà quos hoc in paragrapho oſtendam Corpus Chriſti poſt reſurrectionem verum fuiſſe, & integrum, ideſt compactum carne, oſſibus, ſanguine, aliiſque membris, quæ ad naturam humani corporis attinent.

DICO IGITUR PRIMÒ: *Multis, hiſque certiſſimis argumentis probari poſſe adversùs Judæos Chriſtum Dominum verè à mortuis ſurrexiſſe*.

Probatur primò, quia, ut ait *S. Chryſoſtomus* hom. in cap. 27. & 28. *Matth.* ut Judæorum Chriſtum à mortuis ſurrexiſſe negantium impoſtura ſe confoderet, & veritati nolens ſuffragaretur, permiſit Deus ut, Chriſto ſepulturæ mandato, Sacerdotes, & Phariſæi adirent Pilatum dicentes: *Domine recordati ſumus, quia ſeductor ille dixit adhuc vivens, poſt tres dies reſurgam. Jube ergo cuſtodiri ſepulchrum uſque in diem tertium, nè fortè veniant Diſcipuli ejus, & furentur eum*. Judæorum votis annuit Pilatus, nec ſolùm appoſuit cuſtodes, ſed etiam voluit ut ipſimet Judæi obſignarent ſepulchrum, omnibusque modis caverent ne fraus ſibi fieret à Chriſti Diſcipulis.

Quâ fronte ergo nunc Judæi aſſerere audent ſibi à Diſcipulis Chriſti fraudem factam eſſe, ejusque Corpus furtim ab illis ſublatum? Quaſi verò Corpus Chriſti ſuffurari potuerint homines planè rudes, imperiti, meticuloſi, qui neque in hominum conſpectum prodire audebant. Nunquid ſciebant Diſcipuli Chriſti ſignaculum ſepulchro eſſe appoſitum, multosque milites, ac Judęos in cuſtodiendo ſepulchro excubias agere? Quomodò magnum illum lapidem, cui amovendo multis opus erat manibus, præſentibus ſatellitibus intrepidè tollere, ac removere potuerunt? ſed, inquiunt Judæi, ſomno noctu oppreſſis militibus, ad ſepulchrum Chriſti cuniculos egerunt ejus Diſcipuli, ſuffosâque humo, inſciis, nec audientibus ſepulchri cuſtodibus, Corpus Chriſti ſubtraxerunt. Hoc eſt putidum Judæorum commentum ab omni veri ſpecie prorsùs alienum. Quî enim credibile eſt Diſcipulos Chriſti, furente Judæorum rabie, tantùm otii, & temporis habuiſſe ut è longinquo cuniculos agere, tantumque terræ egerere poſſent, quantùm neceſſe erat ad Corpus Chriſti indè extrahendum. Pręterquàm quod ſepulchrum Chriſti fuiſſe in rupe inciſum, & non in terra excavatum probat contrà *Salmaſium* Illuſtriſſimus Epiſcopus Abrincenſis in lib. de demonſtr. Euang. propoſ. 9. ex locupletiſſimis teſtimoniis probatæ fidei Hiſtoricorum, qui Palæſtinæ loca perluſtrarunt, & ſepulchrum Domini inviſerunt. Quis ergo ſanæ mentis, & à præjudiciis liber poterit in animum inducere Diſcipulos Chriſti tantùm otii, & temporis habuiſſe, ut per duram ſcilicem tàm longos potuerint agere cuniculos, neminemque militum eo murmure fuiſſe à ſomno excitatum. Credat hoc Judæus Appella, nos enim non obtuſa adeò geſtamus pectora peni. Sed etſi darem Diſcipulos Chriſti leporum inſtar per ſubterraneos motus ad illius ſepulchrum penetraſſe, omnesque milites, quaſi lethargo ſepultos nihil ſtrepitus audiiſſe; nonne ſaltem fragor ille, qui ex remotione magni lapidis editus eſt, militibus altum licèt dormientibus ſomnum confeſtim excuſſiſſet? Nonne etiam Diſcipuli Chriſti manifeſta reliquiſſent furti indicia, quæ nulla arte celare potuiſſent, & ex quibus Principes Judęorum palmare ſumpſiſſent argumentum ad fraudes, & malas Diſcipulorum artes propalandas, totamque hiſtoriam Chriſti redivivi apud Judæos ſparſam explodendi tanquàm commentitiam,& nulla fide dignam? Quid poſtremò ineptius quàm teſtes dormientes adhibere? *Stulta inſania, ſi vigilabas, quare permiſiſti? ſi dormiebas undè ſciſti?* inquit *S. Auguſtinus* ſerm.2. in Pſal.36.

Alterum argumentum ad probandam veritatem reſurrectionis Chriſti petitur ex Diſcipulorum, & Euangeliſtarum firmâ, conſtantique fidei profeſſione. Promiſerat illis ſæpiùs Chriſtus, ut legimus in Euangelio, ſe tertiâ die poſt paſſionem ad vitam rediturum, ſi

ergo

Digitized by Google

ergo reverà non ſurrexiſſet, planum eſt, quod Diſcipuli à Chriſto decepti, vanâque ſpe lactati ipſum tanquàm impoſtorem habuiſſent, ac nequaquam talem gloriam ipſi tribuere, nec minus vitam pro vana religione, & pro mendacio, cujus ſibi fuiſſent conſcii, profundere voluiſſent. Quo enim, ſodes, emolumento id feciſſent? vel quâ premii ſpe illecti? nullâ ſanè. Immò prædicantes Jeſum à mortuis ſurrexiſſe, omnium Judæorum ſibi conflabant invidiam, accerſebant ſibi omnia mala, quæ in hac præſenti vita timeri poſſunt, dedecus, pauperiem, tormenta, mortem; & è contra negantes Chriſtum à mortuis ſurrexiſſe, honores, & prçmia à Judæis expectare, & conſequi poterant; atqui tamen Apoſtoli, & Euangeliſtæ palàm & ubique prædicarunt Chriſtum verè à mortuis ſurrexiſſe, ſeque illius reſurrectionis teſtes eſſe: *Virtute magna reddebant Apoſtoli teſtimonium reſurrectionis Domini noſtri Jeſu Chriſti*, Act. cap. 4. Et in ea confirmanda veritate exilia, carceres, acerbiſſimos dolores ſuſtinuerunt, & tandem à tota gente Judaica oppugnati, diſperſi, & vexati conſtanter mortem oppetierunt. Euangeliſtæ etiam uno, & eodem tenore reſurrectionis Chriſti Hiſtoriam deſcribunt, omneſque referunt apparitiones, quibus Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam per 40. dies non perfunctoriè, ſed frequenter conſpicuum ſe ſe Diſcipulis præbuit, & redivivi corporis ſui veritatem judicio viſus, accurato judicio tactus, & cibi ſumptione comprobavit; quodque mirum eſt, huic hiſtoriæ à paucis viris, iiſque ſimplicibus, imperitis, pauperibus, & omnibus exoſis relatæ credidit univerſus Orbis, *reſurrectio certè Chriſti, & in Cœlum cum carne, in qua reſurrexit aſcenſio, toto jam Mundo prædicatur, & creditur: ſi credibilis non eſt, undè toto Orbe jam credita eſt?* ait *Sanctus Auguſtinus* lib. 22. de Civit. Dei cap.5. Certè veracis hiſtoriæ indicium eſt, ſi de rebus iiſdem omnes eadem dicant, & ſcribant, teſte *Joſepho* lib.1. contrà Appionem, quo effato tota nititur hiſtoriæ fides, totius antiquitatis memoria, eoque ſublato non ſolùm nutat, & periclitatur, ſed planè concidit omnis hiſtoriæ fides. Cùm igitur ſacri Euangeliſtæ uno, & eodem tenore reſurrectionis Chriſti hiſtoriam referant, omneſque circumſtantias accuratiſſimè deſcribant, ſummæ profectò inſaniæ eſt, eam in dubium revocare, vel illam non litteraliter, ſed allegoricè interpretari.

Confirmatur idem argumentum egregio *Euſebii* ratiocinio lib.3. *de demonſtratione Euangelica* cap. 7. Si Chriſtus à mortuis non ſurrexiſſet, debuiſſent Apoſtoli, conſpiratione ad idem ſentiendum, & prędicandum facta, hoc pacto inter ſe convenire. Demus inter nos dextras, ſimulque omnes fœdus paciſcamur, ut de Chriſto in cunctos homines deceptionem conſonam proferamus, teſtificemurque planè, benè impudenter, illum, poſtquàm à morte ad vitam redierit, inter

nos

nos eſſe verſatum, focumque, & cibum conſuetum nobiſcum uſurpaſſe. Conſervetur autem ab omnibus nobis impudentiæ, immutabilitatiſque tenor, & maneat hæc mentis alienatio uſque ad mortem. Omnia verò nobis facienda ſunt, ut Chriſti nomen illuſtre, glorioſumque reddamus. Omnia nobis probra, omnia ſupplicia ferenda, omne genus mortis ſubeundum pro ea re, quæ nulla in parte vera eſt. Quare affirmemus illum, & mortuos excitaſſe, & leproſos purgaſſe, & dæmones ejeciſſe, & tertia die poſt mortem ad vitam propria virtute rediiſſe, & alia incredibilia, omnemque fidem ſuperantia feciſſe: quarum quidem rerum nullius nos conſcii ſumus, ſed arbitratu noſtro cuncta fingentes, & decipiamus quidem quos poſſumus, ſi cui verò non perſuaſerimus, tùm ipſi pro iis, quæ inter nos compoſuimus, erroris mercedem adversùs nos ipſos eliciamus. Sic, inquam, Apoſtoli ad homines decipiendos inter ſe convenire, fœduſque inire debuiſſent, ſi reverà Chriſtus à mortuis non ſurrexiſſet. Jàm verò cui unquam credibile, aut veroſimile videbitur Apoſtolos, alioſque Chriſti Servatoris noſtri Diſcipulos, ignobiles, vulgareſque homines, poſtquàm talia finxerint, atque inter ſe compoſuerint, toti, quà latè patet, Orbi reſurrectionem Chriſti Domini prædicare, & perſuadere potuiſſe, & in ipſis naturam humanam, quæ tamen vitæ amorem, ac ſtudium quaſi proprium quiddam poſſidet, acerbiſſima tormenta, & omne genus mortis, pro re omninò falſa ſubire non detrectaſſe? Profectò aſſeverare certiſſimè poſſum nullum inter mortales reperiri poſſe, modò vel minimam micam, aut rationis ſcintillam habeat, ſenſuique communi non omninò renunciaverit, qui in animum ſuum inducere poſſit, Apoſtolos adeò furere, & inſanire potuiſſe, ut tam nefandum, ſibique infeſtum conſilium inire, & exequi voluerint.

Accedit inſuper ad majorem huic hiſtoriæ de reſurrectione Chriſti conciliandam fidem, quod ſacer Euangeliſta Matthæus ſcribit reviviſcente Chriſto Domino, factum eſſe ingentem terræ motum, Angelum deſcendentem è Cœlo revolviſſe magnæ molis ſaxum ab oſtio monumenti, timore perculſos cuſtodes ſepulchri, ac tantùm non exanimes in Urbem reverſos ad Principes Sacerdotum, de iis rebus, quas viderant, & audierant retuliſſe; mortuorum ſepulchra patuiſſe; multaque corpora Sanctorum, poſtquàm revixit Chriſtus, rediviva, & ipſa Hieroſolymis apparuiſſe, ut de veritate reſurrectionis Chriſti teſtimonium perhiberent; quæ omnia certè Matthæus, niſi vera fuiſſent, omnibuſque comperta, litterìs conſignare non auſus fuiſſet, maximè cum ea ſcripſerit ætate, qua potuiſſet à multis, qui illorum portentorum teſtes erant vel oculati, vel auriti, mendacii, & falſitatis argui.

Deni-

Denique, his quæ hactenùs adduximus momentis ad probandam veritatem reſurrectionis Chriſti, non pigebit addere teſtimonium Joſephi Auctoris Judæi, qui lib. 18. antiq. cap. 4. diſertè teſtatur Chriſtum die tertia poſt paſſionem à mortuis ſurrexiſse, & vivum Diſcipulis ſuis apparuiſse: *Apparuit enim eis tertia die vivens, multa hæc, & alia mirabilia carminibus Prophetarum de eo vaticinantibus; & uſque hodie Chriſtianorum gens ab hoc ſortita vocabulum non defecit*. Ex quibus omnibus liquidò patet hiſtoriam reſurrectionis Chriſti Domini his veritatis munitam eſse characteribus, ut à nemine, niſi judicio, & ſenſui communi renunciaverit, negari, aut in dubium vocari poſſit..

DICO SECUNDÒ: *Chriſtum poſt reſurrectionem verum habuiſſe corpus, & integrum, ideſt, compactum ex carne, oſſibus, ſanguine, aliiſque id genus membris, quæ ad naturam humani corporis pertinent.*

Probatur primò, quia tàm Orientalis, quàm Occidentalis Eccleſia docet in Sacramento Altaris panem eſse converſum in Corpus Chriſti, & vinum in ipſius Sanguinem, ex qua Eccleſiæ Catholicæ doctrina palàm ſequitur corpus Chriſti poſt reſurrectionē non remanſiſſe exangue. Hanc univerſalis Eccleſiæ doctrinam ex conſenſu omnium ſæculorum, ætatum, nationum, & Eccleſiarum latè contrà noſtri temporis Hæreticos probat, ac demonſtrat doctiſſimus *Antonius Arnaldus* Doctor Sorbonicus in ſuo aureo opere *de perpetuitate fidei*. Secundò, ſi Corpus Chriſti poſt reſurrectionem, non fuiſset verum, & integrum, ejuſdemque naturæ, cujus erat antè mortem, licèt diverſæ gloriæ, reſurrectio Chriſti non fuiſset perfecta, & vera, ſed imperfecta, & apparens, quia non fuiſset redintegratum quidquid per mortem ceciderat. Hinc *Eutychius* Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui dicebat corpus noſtrum in illa reſurrectionis gloria fore impalpabile, & ventis, aereque ſubtilius, & Chriſtum Dominum poſt confirmata corda Diſcipulorum palpantium, omne illud, quod palpari potuit in ſubtilitatem aliquam redegiſse, hic, inquam, Patriarcha peſſimè de reſurrectione carnis ſentiens fuit à S. Gregorio Conſtantinopoli tùm temporis Pelagii Secundi Papæ Legato impugnatus coram Imperatore Tiberio, mortique proximus Palinodiam decantavit, ſicut refert *S. Gregorius* lib. 14. Moral. c. 29. Tertiò, *S. Athanaſius* in epiſt. ad Epictetum probat contrà Apollinarium Hæreticum, corpus, quod Chriſtus Dominus in conceptione aſſumpſit, non fuiſſe naturæ cœleſtis, & ætheræ, quia corpus, quod Chriſtus poſt reſurrectionem in Cœlum extulit, ex carne, & oſſibus erat conflatum, juxtà illud Scripturæ: *Palpate, & videte, quoniam ſpiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut me videtis habere*. Idem argumentum in Valentinum Hæreticum intorquent Sancti Patres. Denique tale fuit corpus Chriſti poſt reſurrectio-

rectionem, qualia erunt corpora noſtra poſt univerſalem reſurrectionem rediviva, atqui nulla idea, ac forma futuræ corporum noſtrorum reſurrectionis ex Scriptura ſacra, & ex Sanctis Patribus efformari, & intelligi poteſt, quàm ea, quâ ſemper credidit Eccleſia, & contrà Origeniſtas ſecùs ſentientes definivit corpora noſtra in futura reſurrectione carne, oſſibus, nervis, & venis ſanguine prolutis compacta à Deo ad vitam revocatum iri, igitur corpus Chriſti poſt reſurrectionem non fuit aereum, & exangue, ſed conſtitutum carne, oſſibus, & ſanguine, aliiſque partibus, quæ ad corpus humanum ſuis omnibus numeris abſolutum pertinent. Legi poſſunt ſuper hac re *Sanctus Gregorius Magnus* loco mox laudato, & *Sanctus Hieronymus* epiſt.38. aliàs 61. ad Pammachium adversùs hæreſes Joannis Hieroſolymitani Epiſcopi.

Dico ultimò: *Corpus Chriſti poſt reſurrectionem fuiſſe glorioſum, in eo tamen remanſiſſe cicatrices, ſeu vulnera, quibus confixum eſt tempore paſſionis*. Eſt contrà *Socinum*, qui in reſponſione ad defenſionem *Franciſci Puccii* aſſerit corpus Chriſti poſt reſurrectionem non fuiſſe immutatum, nec immortale, & glorioſum effectum.

Probatur primò ex Apoſtolo, qui ad Philippenſes cap.4. loquendo de Chriſto hæc habet: *Reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ*. Scilicet, vult Apoſtolus corpora noſtra in futura reſurrectione eſſe configuranda corpori Chriſti glorioſo, quatenùs tùm temporis quatuor dotibus, impaſſibilitate, nimirùm, ſubtilitate, agilitate, & claritate donabuntur. Undè idem Apoſtolus 1. ad Corinth. cap.15. ait: *Stella enim differt à ſtella in claritate; ſic & reſurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione; ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria; ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute*. Secundò, benè multi SS. Patres docent Chriſtum reſurrectione ſuâ ad tantum gloriæ cumulum perveniſſe, ut mortalitate in immortalitatem abſorptâ, & carne velut in Deitatem demersâ, jàm totus Deus meritò prædicetur, vixque ex carne agnoſci poſſit, juxtà illud Apoſtoli 2. ad Corinth. cap.5. *Etſi cognovimus ſecundùm carnem Chriſtum, ſed non jàm cognovimus*. Hoc tamen Apoſtoli teſtimonium non quidem eo in ſenſu intelligi debet, quaſi reverà caro Chriſti, ſeu natura humana poſt reſurrectionem in Divinam fuerit transformata, ſicut affirmabant Eutychiani, ſed quod caro Chriſti ex paſſibili, & mortali, poſt reſurrectionem evaſerit impaſſibilis, & immortalis: *Qualitas tranſit*, inquit *S. Leo* ſerm.1. de reſurrectione Chriſti, *non natura defecit, & factum eſt corpus impaſſibile, quod potuit crucifigi, factum eſt immortale, quod potuit vulnerari. Et meritò dicitur caro Chriſti in eo ſtatu, quo fuerat nota, neſciri: quia nihil in ea paſſibile, nihil remanſit infirmum, ut & ipſa ſit per eſſentiam, & non ſit ipſa per gloriam.* Ve-

Digitized by Google

Verùm etſi corpus Chriſti poſt reſurrectionem fuerit glorioſum, in eo tamen cicatrices,& vulnera paſſionis remanſiſſe conſtat ex *Joannis* cap.20. ubi dicitur, Thomam Apoſtolum , invitante, ſeu jubente Chriſto Domino , miſiſſe digitum ſuum in latus ejus , apertum per cicatricem remanentem, & æternùm in Cælis remanſuram . Cur autem Chriſtus cicatrices corpori ſuo glorioſo, & immortali poſt reſurrectionem perpetuò infixas hærere , easque conſpicuas eſſe voluerit ? Pulcherrimæ à Sanctis Patribus afferuntur rationes , quibus retunditur impietas Porphyrii, aliorumque Gentilium, qui Chriſtum impotentiæ arguebant, quaſi inflicta ſibi vulnera curare minimè potuiſſet. Primò namque Chriſtus cicatrices , ac vulnera poſt reſurrectionem in corpore ſuo retinuit , ut oſtenderet ſe poſt reſurrectionem idem habere corpus, quod fuerat crucifixum . Secundò, quia hæ cicatrices non pertinent ad corruptionem, & defectum , ſed ſunt majoris virtutis , & gloriæ inſignia , in quibus Chriſtus jugiter victoriæ ſuæ circumfert triumphum . Tertiò , hi vulnerum hiatus , & cicatrices , hæ mortis reliquiæ , juge ſunt apud Deum propitiationis noſtræ ſacrificium , fontes , undè vita , & incorruptibilitas ſcaturiunt , ideòque in illo Regno vitæ incorruptibilis obliterari non debuerunt , ſed potiùs conſervari tanquàm prętia ſalutis, & libertatis noſtræ. Denique, has cicatrices in corpore ſuo Chriſtus conſpicuas eſſe voluit, ut in ultimo Judicio oſtendat Electis , quàm miſericorditer adjuti ſint, & pudore ſuffundat Reprobos , pro quibus vulneratus , & mortuus eſt .

DILUUNTUR OBJECTIONES.

Arguitur primò: Euangeliſtæ in deſcribenda reſurrectionis Chriſti hiſtoria ſecùm pugnant , ergò nulla ipſis fides habenda eſt . Prob. ant. In primis , *Marcus* cap. ult. ait Mulieres veniſſe ad monumentum *orto jàm Sole* . *Joannes* verò cap.20. ſcribit Mulieres ad monumentum veniſſe *cùm adhùc tenebræ eſſent*. Deindè *Matthæus* cap.28. ait Mariam Magdalenam, & alteram Mariam , aliasque pias Mulieres veniſſe ut viderent Sepulchrum , eisque Angelum , qui revolverat lapidem, dixiſſe : *Nolite timere ; ſcio enim, quod Jeſum quæritis . Non eſt hìc : ſurrexit enim, ſicut dixit* . At Euangeliſta *Joannes* rem longè aliter refert , aſſerit quippè Mariam Magdalenam veniſſe ad monumentum , & cùm vidiſſet lapidem ab eo ſublatum , cucurriſſe, & veniſſe ad Simonem Petrum , & ad alium Diſcipulum, quem diligebat Jeſus, eisque dixiſſe : *Tulerunt Dominum de monumento, & neſcimus ubi poſuerunt eum* ; quæ verba manifeſtè ſupponunt Magdalenam , dùm venit ad monumentum , nullum vidiſſe Angelum , ſi enim Angelum vidiſſet, & audiſſet tam clarè de certa Chriſti Domini reſurrectione lo-

quentem, non dixiſſet: *Tulerunt Dominum de monumento, & neſcimus ubi poſuerunt eum*; ſed potiùs incunctanter affirmaſſet Chriſtum verè è mortuis ſurrexiſſe, idque ab ipſo Angeli ore didiciſſe. Secùm igitur pugnant Euangeliſtæ in deſcribenda hiſtoria reſurrectionis Chriſti, ac ſubindè nullam merentur fidem.

Reſpondeo: Duplicem illam apparentem antilogiam facili negotio explicari poſſe. Nàm primò, quod dicit *Marcus* Mulieres veniſſe ad monumentum *orto jàm Sole*, non eſt ſic accipiendum, inquit *Sanctus Thomas*, *tanquàm Sol ipſe videretur ſuper terram*, ſed *tanquàm de proximo adveniente in has partes*, ideſt, cùm cælum jàm ab orientis parte albeſceret, & Solis lumen multis adhùc admixtum tenebris inciperet affulgere. Quod autem dicit Euangeliſta *Joannes* Mulieres veniſſe ad monumentum *cùm adhùc tenebræ eſſent*, non eſt ſic intelligendum, quaſi piæ Mulieres profundâ nocte venerint ad monumentum; ſed ſenſus eſt, pias illas Mulieres itineri ſeſe commiſiſſe ſub noctis finem, ideſt, cùm tenebræ necdùm eſſent omninò diſcuſſæ, eaſque ad monumentum perveniſſe, cùm Sol inciperet illuceſcere.

Ad alteram apparentem antilogiam Reſpondeo cum doctiſſimo Auctore Gallicæ Analyſeos, *Matthæum*, & *Joannem* facilè conciliari poſſe, ſi totius rei geſtæ ſeries hoc pacto diſponatur. Primò, Maria Magdalene, & cæteræ piæ Mulieres, cùm ad Sepulchrum Chriſti veniſſent, & in illud intraſſent, neminem viderunt; nàm Angelus, qui ſedebat ſuper lapidem, quem ab oſtio monumenti revolverat, illis nondùm ſe manifeſtum fecit. Secundò, ingreſſæ Mulieres in monumentum, & non invento Corpore Chriſti, quid agerent, quidve conſilii caperent, incertæ prorsùs hærebant. Tertiò, Maria Magdalena, cùm vidiſſet apertum monumentum, nec in eo offendiſſet Corpus Chriſti, ſed ſolùm exuvias, quibus fuerat involutum, moræ impatiens, & adhùc incerta an Chriſtus è mortuis ſurrexiſſet, vel ipſius Corpus fuiſſet furtim ſublatum, relictis aliis Mulieribus ad Sepulchrum, cucurrit ad Petrum, & Joannem, dixitque: *Tulerunt Dominum de monumento, & neſcimus ubi poſuerunt eum*; nondùm quippè Magdalena viderat, & audierat Angelum Chriſti reſurrectionem nunciantem. Quartò, his auditis, exiit Petrus cum Joanne, & ambo venerunt ad monumentum, quos ſecuta eſt Maria Magdalene: illi ſudarium, & linteamina ſeparatim poſita cùm reperiſſent in Sepulchro, domum rediere, relictis Mulieribus ad Sepulchrum. Quintò, Maria Magdalene amore ſuccenſa, & ardens deſiderio inveniendi Corpus Chriſti, longiùs in hortum, in quo erat Chriſti Sepulchrum, ſola progreſſa eſt, dùmque in horto moras necteret, cæteræ Mulieres exeuntes è Sepulchro viderunt duos Angelos, qui Chriſtum reſurrexiſſe nun-

nunciarunt, ſimulque ipſis præceperunt ut ad Apoſtolos irent nunciatum, quæ viderant, & audierant. Denique, Maria Magdalene, poſtquàm fruſtrà in horto quæſiiſſet Corpus Chriſti, iterùm rediit ad monumentum, cùm jàm aliæ Mulieres juſſu Angelorum ad Apoſtolos perrexiſſent; inclinavit ergò ſe Magdalena, & vidit Angelos, quos exiſtimavit homines eſſe eò miſſos poſtquàm è Sepulchro fuiſſet egreſſa, ſed retrorsùm converſa vidit Jeſum, quem primò Hortulanum eſſe credidit, deindè reverà Jeſum eſſe cognovit, ejusque reſurrectionem, ipſo jubente, ad Apoſtolos nunciatura perrexit. Sic diſpoſitâ totius rei geſtæ ratione, ambo Euangeliſtæ facilè conciliantur, nàm licet ſecundùm *Matthæum* Maria Magdalene unà cum piis aliis Mulieribus venerit ad Chriſti monumentum, non tamen cum illis ſemper remanſit, nec colloquio, quod habuerunt cum Angelis, interfuit; undè non mirum ſi, ut refert *S. Joannes*, à monumento ſtatim ac illud apertum vidit, reverſa, Petro, & Joanni dixerit: *Tulerunt Dominum, & neſcimus ubi poſuerunt eum.*

Arguitur ſecundò: Chriſtus poſt reſurrectionem non habuit verum, & integrum corpus, ergò non perfecta, ſed imperfecta fuit ejus reſurrectio. Prob. ant. Primò, Chriſtus poſt reſurrectionem non habuit verum corpus, quia verum corpus non poteſt eſſe cum alio corpore in eodem loco, nec ab oculis intuentium evaneſcere, atqui corpus Chriſti poſt reſurrectionem fuit cum alio corpore in eodem loco, intravit enim in cœnaculum jannis clauſis, & evanuit ab oculis Diſcipulorum, ſicut refert *S. Lucas* cap. ult. ergò Chriſtus poſt reſurrectionem non habuit verum corpus. Secundò, corpus Chriſti poſt reſurrectionem non fuit integrum, caruit enim ſanguine, ut colligitur ex *S. Auguſtino* epiſt. 205. aliàs 146. ad *Conſentium*, qui à Sancto illo Doctore quæſierat, *utrùm nunc corpus Chriſti Domini oſſa, & ſanguinem habeat, aut reliqua carnis lineamenta*? Reſpondet verò *S. Auguſtinus*, ſe nec inquirere, nec definire velle, *an Chriſtus ſanguinem habeat, nec ne*? Hæc ſunt illius Sancti Doctoris verba: *Fides adſit, & nulla quæſtio remanebit, niſi fortè de ſanguine requirendum eſt, quia cùm dixiſſet*: Palpate, & videte, quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet, *non addidit ſanguinem. Non ergò & nos addamus inquirere, quod ille non addidit dicere: & de compendio, ſi placet, finita ſit quæſtio.* Ex quibus verbis manifeſtò patet *S. Auguſtinum* ſaltem dubitaſſe, & in incerto reliquiſſe, an Chriſtus nunc ſanguinem habeat? Quâ in re anceps hærere non potuiſſet Aquilinus ille Doctor, ſi corpus Chriſti poſt reſurrectionem fuiſſet integrum, carne, videlicèt, oſſibus, & ſanguine compactum.

Reſpondeo primò cum *Sancto Hieronymo* epiſt. 86. aliàs 27. ad Euſtochium virginem, quod ſi ſemel corpus Chriſti poſt reſurre-

ctionem ſpirituale, & aereum dicatur, quia Chriſtus clauſis ingreſſus eſt januis, eadem ratione *antequàm pateretur, quia contrà naturam graviorum corporum ſuper mare ambulavit, ſpirituale corpus habuit; & Apoſtolus Petrus, qui & ipſe ſuper aquas pendulo inceſſit gradu, ſpirituale corpus habuiſſe credendus eſt*, quod tamen nemo dixerit.

Reſpondeo ſecundò cum *S. Thoma*: Corpus Chriſti poſt reſurrectionem ad Diſcipulos, januis clauſis, intraſſe ex virtute divinitatis ſibi unitæ, *moli corporis, ubi divinitas erat, oſtia clauſa non obſtiterunt: ille quippè non eis apertis intrare potuit, quo naſcente virginitas Matris inviolata permanſit*, inquit *S. Auguſtinus* tract. 121. in Joannem. Ex qua reſponſione falſi convincitur perridicula interpretatio noſtri temporis Hæreticorum, qui, cum negare haud poſſint ingreſſum Chriſti Domini obſeratis foribus factum, id Chriſtum feciſſe dicunt rarefaciendo portas, januâ utrinque coarctatâ, & in medio diviſâ, rursùſque per ejuſdem potentiam dilatatâ, atque unitâ. Reiicitur etiam abſona interpretatio *Calvini*, qui in cap. 20. *Joannis* impudorato ore negat Chriſtum per januas clauſas ad Diſcipulos tranſiiſſe. Concedit tamen eum januis clauſis eo ſenſu ingreſſum eſſe, quod cùm fores eſſent clauſæ, aditus illi patefactus fuerit non *manu hominis*, ſed *Angeli miniſterio*. Tùm petulanter invehitur in Catholicos, quos dicit ideò aliter ſentire, *ut corpus glorioſum non modo reddant ſpiritui ſimile, ſed immenſum eſſe, nulloque loco contineri obtineant*. Hæc, inquam, ſiniſtra *Calvini* reiicitur interpretatio, unà cum calumnia, quâ Catholicos perperàm inſectatur; credunt Catholici plus Deum poſſe, quàm valeat humana ratio capere, ac flocci faciunt argutias, quibus Hæretici omnipotentiam Dei circumſcribere, & elevare moliuntur.

Similiter dico: Corpus Chriſti poſt reſurrectionem, licèt verum, & integrum eſſet, ab oculis Diſcipulorum aliquandò evanuiſſe, quia quicumque habet corpus glorioſum, poteſt videri quando vult, vel non videri, quam dotem habuit corpus Chriſti poſt reſurrectionem non ſolùm ex conditione corporis glorioſi, ſed etiam ex virtute divinitatis, per quam fieri poteſt ut corpora non glorioſa miraculosè non videantur, ſicut docet *S. Thomas*. Dicitur ergò corpus Chriſti ab oculis Diſcipulorum evanuiſſe poſt reſurrectionem, non quod corrumperetur, aut in aliqua inviſibilia reſolveretur, ſed quia deſiit, quandò voluit, ab eis videri, vel eo præſente, vel etiam eo abſcedente velociter propter dotem agilitatis.

Denique, ad auctoritatem *S. Auguſtini* de ſanguine Chriſti poſt reſurrectionem, reſpondeo: Duplicem debere diſtingui ſanguinem, unum vitalem & præcipuum, qui venæ ſectione non effluit; & alterum ſuperfluum, & degenerem, qui ex humoribus efformatur. Quâ poſitâ diſtin-

diſtinctione dico *Conſentium* non dubitaſſe an Chriſtus nunc habeat ſanguinem vitalem? ſed tantummodò an Chriſtus nunc habeat ſanguinem ex humoribus efformatum? In hoc, inquam, ſita erat quæſtio, quam *Conſentius* propoſuit *S. Auguſtino*, & quam Sanctus ille Doctor in citata epiſtola triplici de cauſa nec excutere, nec dirimere voluit. Primò, quia hæc quæſtio erat omninò inutilis. Secundò, quia per temporis anguſtias hanc, & alias ſimiles quæſtiones ſibi à Conſentio propoſitas *S. Auguſtinus* enucleare non potuit, ut patet ex his *S. Auguſtini* verbis, quæ in hac epiſtola leguntur: *Cum iſta dictarem, perlator jàm ventū expectans, me vehementer, ut navigaret, urgebat.* Tertiò, quia *S. Auguſtinus* conſultò aliam difficultatem declinare voluit, quam nonnulli occaſione iſtius quæſtionis proponere potuiſſent, utrùm videlicet corpus glorioſum aliis humoribus, pituitâ, vel felle flavo & nigro careat, ex quibus humanæ naturæ temperamentum efformatur: *Fortaſſis enim,* inquit *S. Auguſtinus, arrepta occaſione ſanguinis urgebit nos moleſtior perſcrutator, & dicet: Si ſanguis in corpore Chriſti reſurgentis fuit, cur non pituita? cur non & fel flavum & nigrum, quibus quatuor humoribus naturam carnis temperari etiam medicinæ diſciplina teſtatur? Sed quodlibet quiſque addat, corruptionem addere caveat, ne ſuæ fidei ſanitatem, caſtitatemque corrumpat. Valet enim divina potentia de iſta viſibili, atque tractabili natura corporum quibuſdam manentibus auferre quas valuerit qualitates; ac per hoc etiam valet membra mortalia, formæ lineamentis manentibus, corruptione verò mortalitatis emortua ſtabili vigore firmare, ut abſit labes, adſit effigies; adſit motio, abſit fatigatio; adſit veſcendi poteſtas, abſit eſuriendi neceſſitas.* Quibus verbis perſpicuum eſt *S. Auguſtinum* nec dubitaſſe, nec negaſſe unquam corpus Chriſti poſt reſurrectionem glorioſum habere verum ſanguinem ſecundùm ſubſtantiam, ſed ſolùm velle in eo non eſſe ſanguinem ſecundùm corruptionem mortalitatis. Hanc eſſe germanam *Sancti Auguſtini* mentem patet ex innumeris locis, quæ à noſtris Polemicis Auctoribus citantur, in quibus diſertè docet Sanctus ille Pater vinum in Sacramento Altaris converti in Sanguinem Chriſti, & Fideles in poculo Euchariſtico bibere Sanguinem Chriſti; non poſſent autem Fideles in poculo Euchariſtico Sanguinem Chriſti bibere, ſi Chriſtus in corpore poſt reſurrectionem glorioſo verum ſanguinem non haberet. Plura legi poſſunt in perdocta Diſquiſitione Theologica *de Sanguine Corporis Chriſti poſt reſurrectionem*, editâ à clariſſimo viro *Jacobo Boyleau* Doctore Sorbonico, in qua omnes offuciæ, quas noſtri temporis Hæretici huic *S. Auguſtini* epiſtolæ offundere tentarunt, radiis Solaribus diſſipantur, & Aquilini illius Doctoris mens in optimo lumine collocatur.

Arguitur ultimò: Corpus glorioſum debet eſſe lucidum; claritas quippè

quippè eſt dos corporis glorioſi. Debet inſuper eſſe liberum ab uſu, & conſuetudine comedendi, atqui corpus Chriſti poſt reſurrectionem non fuit lucidum (neque enim tantum ſplendorem, & majeſtatem mortalibus oculis intueri, & ſuſtinere potuiſſent Apoſtoli;) non fuit etiam corpus Chriſti poſt reſurrectionem à conſuetudine manducandi liberum, quia ſæpiùs Chriſtus poſt reſurrectionem, ut perhibent ſacri Euangeliſtæ, manducavit cum ſuis Diſcipulis, ergò corpus Chriſti poſt reſurrectionem non fuit glorioſum, & immortale.

Reſpondeo ad duo illa momenta, & ad primùm dico: Corpus Chriſti poſt reſurrectionem fuiſſe lucidum, noluiſſe tamen Chriſtum ſuis apparere Diſcipulis in corpore lucido, ſicut apparuerat in Transfiguratione, quia, ut docet Angelicus Præceptor, voluit Chriſtus antè mortem oſtendere ſuæ majeſtatis gloriam, quam maximè demonſtrat claritas corporis glorioſi, ne infirmitatem paſſionis ejus deſpicerent Apoſtoli; at poſt reſurrectionem voluit potiſſimùm Chriſtus ſuis oſtendere Apoſtolis veritatem carnis, quæ pro nobis paſſa eſt, cui oſtenſioni obſtitiſſet corporis claritas, quia eam non potuiſſent infirmi Apoſtolorum oculi irretorta acie ſuſtinere, ſed obſtupuiſſent magis quàm in Transfiguratione, ſicut ait Sanctus Auguſtinus.

Ad alterum momentum dico: Chriſtum poſt reſurrectionem ſuam cibum & potum cum diſcipulis ſuis ſumpſiſſe, non alimentorum indigentiâ, ſed ad reſurrectionis ſuæ veritatem adſtruendam, nam, ut inquit *S. Auguſtinus* epiſt. 102. aliàs 49. *Futuræ reſurrectionis corpus imperfectæ poteſtatis erit, ſi cibos ſumere non potuerit, imperfectæ verò felicitatis, ſi eguerit.* Non ergo egeſtate manducavit Dominus, ſed quia hoc egebat teſtimonio infirma adhuc diſcipulorum fides. Fuit autem vera Chriſti comeſtio, quia corpus ejus poſt reſurrectionem verè fuit vivum, & animatum, ad diſcrimen comeſtionis, quæ fit aliquando ab Angelis in corporibus aſſumptis; hæc ſiquidem Angelorum comeſtio non eſt vera, ſed dumtaxàt apparens, quia corpora ab Angelis aſſumpta non ſunt viva, & animata. Hinc Angelus dixit Tobiæ: *Cum eſſem vobiſcum, videbar quidem vobiſcum manducare, & bibere, ſed ego cibo inviſibili utor.*

Adverte primò ſub finem iſtius Paragraphi: Neceſſarium fuiſſe, ut Chriſtus ex mortuis reſurgeret. Primò, quia debebat implere vaticinia Prophetarum, qui eum devictâ morte reſurrecturum cecinerunt, unde ait Apoſtolus 1. ad Corinth. cap. 15. *Tradidi enim vobis in primis, quod & accepi, quoniam Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundùm ſcripturas, & quia ſepultus eſt, & quia reſurrexit tertia die ſecundùm ſcripturas.* Secundò, in reſurrectione Chriſti reluxit juſtitia Dei, qui Chriſtum per mortem, & paſſionem afflictum, & humiliatum

tum ſublimavit per reſurrectionem, *humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod & Deus exaltavit illum, &c.* inquit Apoſtolus ad Philippenſes cap. 2. Tertiò, reſurgente Chriſto confirmata eſt fides noſtra, & ideò 1. ad Cor. cap. 15. dicitur; *Si Chriſtus non ſurrexit, inanis eſt prædicatio noſtra, inanis eſt & fides veſtra*. Quartò, beneficio reſurrectionis Chriſti ſpes de reſurrectione corporum noſtrorum roborata eſt, dicente Apoſtolo loco mox citato: *Si Chriſtus prædicatur, quod ſurrexit à mortuis, quomodò quidam dicunt in vobis, quoniam reſurrectio mortuorum non eſt?* Quintò, Chriſtus à mortuis reſurgere debuit ad comprobandam divinitatem ſuam. Dum enim propriâ virtute rediit ad vitam, Judæis divinitatem ejus negantibus ora obturavit. Sextò, per reſurrectionem cumulus, & faſtigium filiationis naturalis Chriſto Domino obtigit. Tunc enim, ut ait Paulus act. cap. 13. adimplevit Deus hanc repromiſſionem, quæ ad Patres noſtros facta eſt: *Reſuſcitans Jeſum, ſicut in pſalmo ſecundo ſcriptum eſt: Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Et ad Rom. cap. 1. juxtà textum Græcum: *Qui declaratus fuit Filius Dei cum potentia, ſecundùm ſpiritum ſanctificationis, ex eo quod reſurrexit è mortuis Jeſus Chriſtus Dominus noſter*. Septimò, oportuit ut Chriſtus ex mortuis reſurgeret ad informationem vitæ fidelium, juxtà illud ad Rom. cap. 6. *Quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus*. Denique reſurrectio Chriſti neceſſaria fuit ad complementum ſalutis noſtræ, quia ſicut ipſius paſſio ſalutem noſtram propriè loquendo operata eſt quantùm ad remotionem malorum, & deſtructionem mortis noſtræ, ita & illius reſurrectio fuit cauſa noſtræ ſalutis quantùm ad inchoationem, & exemplar bonorum, undè dicit Apoſtolus ad Rom. cap. 4. *Traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram*.

Adverte ſecundò: Chriſtum optimo jure appellari *primogenitum ex mortuis*; nam licet multi ante adventum Chriſti, vel ipſo adhuc vivente, fuerint à mortuis excitati, & ad vitam revocati; eorum tamen reſurrectio, ut docet *S. Thomas*, fuit imperfecta, tùm quia virtute alienâ ad vitam redierunt; tùm quia etiam denuò mortui ſunt. At perfecta fuit reſurrectio Chriſti, quippe qui propriâ virtute de morte Victor, ac Triumphator ſurrexit ad vitam immortalem, ita ut morti non eſſet amplius obnoxius, ſicut dicit Apoſtolus ad Roman. cap. 6. *Chriſtus reſurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur*.

Adverte ultimò: Horum verborum, quæ Chriſtus poſt reſurrectionem dixit Mariæ Magdalenæ: *Noli me tangere*, varias à Sanctis Patribus, & Scripturæ Expoſitoribus adhiberi interpretationes, quas inter hæc mihi videtur clarior juxtà ac expeditior, quæ traditur à doctiſ-

ctiſſimo Auctore Gallicæ analyſeos. Ait quippè, quod poſtquam Maria Magdalene proprio ſuo nomine à Chriſto compellata vocem Domini agnoviſſet, confeſtim ad ipſum accurrit, cœpitque promovere brachia, & manus ut ipſum tangeret, & pedes deoſcularetur; ſed cùm in his amoris, & pietatis exhibendis obſequiis moras trahere vellet, dixit illi Jeſus: *Noli me tangere, nondùm enim aſcendi ad Patrem;* quaſi diceret Chriſtus: Noli hîc diutiùs morari, & tangendo explorare an ipſe ſim, nondum aſcendi ad Patrem, ſed adhuc per 40. dies in terris verſari debeo, ideòque ſat tibi ſupererit temporis, ut pedes meos complectaris. *Vade autem ad fratres meos*, hoc eſt: Rumpe omnem moram, & omni intempeſtivâ ſemotâ dilatione feſtina iter ad diſcipulos meos, & dic eis: *Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum: Deum meum, & Deum veſtrum*. Chriſtus ergo per hæc verba: *Noli me tangere*, nec prohibuit, nec à contactu corporis ſui Magdalenam repulit. Eccur, quæſo, eam repuliſſet, cùm ipſemet, teſte Scriptura ſacra, voluerit, ut Apoſtoli ejus corpus tangerent, & permiſerit mulieribus, quibus occurrit in via, ut ejus pedes tenerent, & deoſcularentur? Solùm itaque per hæc verba: *Noli me tangere, nondùm enim aſcendi ad Patrem* Chriſtus cunctantem Magdalenam excitare voluit, ut ad Apoſtolos maturaret iter, ejuſque reſurrectionem quamprimùm illis nunciaret.

Paragraphus secundus

Utrùm Reſurrectio Chriſti ſit cauſa efficiens futuræ reſurrectionis hominum tàm bonorum, quàm malorum?

Futuram omnium hominum reſurrectionem olim inter Judæos negarunt Saducæi, & Samaritani, ſicut legitur Matth. cap. 22. & Act. 23. eandemque hæreſim poſtea in primis Eccleſiæ temporibus amplexi ſunt *Simoniani, Saturniani, Baſilidiani, Valentiniani*, & *Marcionitæ*. Quin etiam auſus eſt *Socinus* nefandiſſimus hæreticus, inter virulentos, quos diſſeminavit errores, aſſerere in cap. 5. epiſt. 1. S. Joannis, homines impios penitùs annihilari, nullam impiorum reſurrectionem futuram. Idem docet *Crellius* Socini diſcipulus, mali corvi malum ovum, comment. in cap. 15. epiſt. 1. ad Corinth. Ad hunc igitur profligandum hæreticorum errorem, primò hîc oſtendam reſurrectionem omnium omninò hominum tàm bonorum, quàm malorum Fide Catholicâ credi debere. Deindè commonſtrabo reſurrectionem Chriſti eſſe cauſam efficientem futuræ reſurrectionis corporum omnium hominum tàm bonorum, quàm malorum.

Dico itaque primò: *Neminem, citrà apertam hæreſim,*

ſim, negare, aut in dubium revocare poſſe futuram omnium hominum tam bonorum, quàm malorum reſurrectionem.

Probatur ex multis locupletiſſimis teſtimoniis cùm veteris, tùm novi Teſtamenti. In primis cap. 19. lib. *Job* hæc verba leguntur: *Et rursùs circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum.* Ezechielis cap.37. *Hæc dicit Dominus Deus, à quatuor ventis veni ſpiritus, & inſuffla ſuper interfectos iſtos, & reviviſcant.* Lib.2. Machab. cap.12. *Niſi eos, qui ceciderant reſurrecturos ſperaret, ſuperfluum videretur, & vanum orare pro mortuis.* Ad hæc benè multa ſuppetunt in veteri Teſtamento exempla eorum, quos Deus ad preces Sanctorum, & Prophetarum de morte ad vitam revocavit; narratur lib.3. Regum cap. 17. hiſtoria de filio viduæ Sareptanæ, quem Deus precibus Eliæ Thesbitis à mortuis ſuſcitavit. Legitur in lib. 4. Regum, quod,orante Eliſæo,filius Sunamitidis ad vitam fuit revocatus, & quod quidam mortuus in ſepulcro ejuſdem Eliſei tumulatus,tactis oſſibus Prophetæ, confeſtim vitâ fuit donatus. Porrò quis non videt hiſce miraculoſis mortuorum reſurrectionibus Deum voluiſſe futuræ omnium hominum reſurrectionis comprobare fidem? Jam verò novum Teſtamentum legenti innumera propemodum obvia ſunt teſtimonia, quæ omnium hominum tàm bonorum, quàm malorum futuram reſurrectionem invictè demonſtrant. Sic enim loquitur Chriſtus Dominus Joannis cap.5. *Nolite mirari hoc, quia venit hora, qua omnes, qui in monumento ſunt, audient vocem Filii Dei: & procedent, qui bona egerunt in reſurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt in reſurrectionem judicii.* Et cap.6. *Hæc eſt voluntas ejus, qui miſit me, Patris, ut omne, quod dedit mihi non perdam ex eo, ſed reſuſcitem illud in noviſſimo die.* Et Matth. cap.22. reſpondens Chriſtus Saducæis negantibus reſurrectionem mortuorum, & interrogantibus de muliere, quæ ſeptem fratribus nupſerat, cujus eorum futura eſſet uxor in reſurrectione mortuorum? ait: *In reſurrectione neque nubent, neque nubentur.* Denique, ut alia hujusmodi clariſſima novi fœderis mittam teſtimonia, Apoſtolus Paulus omnium hominum reſurrectionem non ſolùm in Areopago Athenarum, & coram Phariſæis, ac Saducæis conſtanter prædicavit, ſed etiam cap.15. epiſt.1. ad Cor. eam ex reſurrectione Chriſti Domini, ſicut mox oſtendemus, efficaciſſimè adſtruit.

Hinc facilè convellitur *Socini*, ejuſque gregalium error aſſerentium nullam impiorum fore reſurrectionem, quia impii poſt mortem annihilabuntur; facilè, inquam, hic refellitur error; nam primò Scriptura ſacra non ſolùm juſtorum, ſed cunctorum ac ſubinde etiam impiorum hominum futuram reſurrectionem apertiſſimè docet, eamque in eo ſenſu interpretantur Sancti Patres *Juſtinus* in apologia ad Antoninum Pium, *Athenagoras* ſerm. de reſurrect. *Tertullianus* lib. de re-

ſurrectione carnis, *Arnobius* lib. 5. contra gentes, *Lactantius* lib. 7. divin. inſtitut. cap. 22. & 23. *Minutius Felix* in Octavio, & innumeri alii Patres, qui de futura hominum reſurrectione ſermonem habuerunt, quorum catalogum texere nimis longum eſſet. Secundò, impii, cùm animas habeant immortales, perire, & annihilari non debent, & quamvis ab igne crucientur, ignis tamen ille, ut ait *Minutius Felix* in Octavio: *Membra urit, & reficit; carpit, & nutrit; non damnis ardentium paſcitur, ſed inexeſa corporum laceratione nutritur*. Tertiò, impios ſine fine in inferno cruciandos eſſe disertè teſtatur Scriptura ſacra, Danielis cap. 12. *Et multi de illis, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt, alii in vitam æternam, alii in opprobrium, ut videant ſemper*. Et Apocalypſis cap. 20. *Cruciabuntur die, ac nocte in ſæcula ſæculorum*. Non peribunt ergo impii, neque annihilabuntur, ſed quamdiù durabit Deus, tamdiù durabunt ſupplicia damnatorum. *Sunt qui idcircò peccatis ſuis finem ponere negligunt, quia habere quandoque finem futura ſuper ſe judicia ſuſpicantur, quibus breviter reſpondemus: ſi quandoque finienda ſunt ſupplicia reproborum, quandoque finienda ſunt ergo & gaudia Beatorum. Per ſemetipſum namque Veritas dicit: Ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam. Si igitur hoc verum non eſt, quod minatus eſt, neque illud verum quod promiſit*. Hæc ſunt *S. Gregorii* verba lib. 34. moral. cap. 16. quæ invictè probant æternitatem pœnarum adversùs religionis contemptores, quibus hoc dogmatis, ut liberiùs peccent, cavillari ſolenne eſt.

Dico secundò: *Reſurrectionem Chriſti eſſe cauſam efficientem futuræ reſurrectionis omnium hominum tàm bonorum, quàm malorum*.

Probatur ex Apoſtolo, qui 1. ad Corinth. cap. 15. hæc habet: *Si autem Chriſtus prædicatur, quod reſurrexit à mortuis, quomodò quidam dicunt in vobis, quoniam reſurrectio mortuorum non eſt? ſi autem reſurrectio mortuorum non eſt: neque Chriſtus reſurrexit*. Probat eò loci Apoſtolus mortuorum reſurrectionem ex reſurrectione Chriſti, atque caſſam, & conclamatam eſſe ſpem reſurrectionis mortuorum, ſi Chriſtus non ſurrexit, hoc autem Apoſtoli argumentum, ut nemo non videt, nihil planè concluderet, niſi reſurrectio Chriſti eſſet cauſa efficiens reſurrectionis mortuorum. Rursùs ſubdit ibidem Apoſtolus: *Chriſtus reſurrexit à mortuis primitiæ dormientium, quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum*. Scilicet per hominem Deum, qui primò effectum ſuæ virtutis ad humanitatem propriam extendit, dein ad reſurrectionem aliorum extenſurus; non ſecus ac ignis primò ad loca viciniora, & poſteà calorem ſuum ad remotiora diffundit, ut ait *S. Thomas*. Chriſtus igitur, juxtà Apoſtolum, ſurrexit à mortuis *primitiæ dormientium*, ex quo ſequitur Chriſti re-

reſurrectionem eſſe cauſam efficientem futuræ reſurrectionis mortuorum, quia quod eſt primum in quolibet genere, eſt cauſa cæterorum. Hinc Sancti Patres reſurrectioni Chriſti futuram reſurrectionem noſtram adſignant. Sic enim loquitur S. *Ambroſius* in lib. de fide reſurrectionis: *Si non reſurgamus, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt, ergo Chriſtus non reſurrexit, qui ſibi cur reſurgeret, rationem non habebat. Reſurrexit in eo mundus, reſurrexit in eo cœlum, reſurrexit in eo terra*. Idem docet *S. Chryſoſt.* hom. 10. in act. Apoſt. ubi hæc habet: *tam fortis, & efficax eſt illius, ſeu Chriſti reſurrectio, ut & aliis iſte reſurrectionis factus ſit Auctor.* Nec ſolùm reſurrectio Chriſti eſt cauſa efficiens futuræ reſurrectionis corporum omnium hominum tàm bonorum, quàm malorum, ſed etiam virtute divinitatis eſt cauſa tùm efficiens, tùm exemplaris reſurrectionis animarum. Cauſa quidem efficiens, quia beneficio gratiæ divinæ animæ vivunt tranſeuntes à morte infidelitatis ad vitam fidei, à morte falſitatis ad amorem veritatis, à morte iniquitatis ad vitam juſtitiæ, ab amore creaturæ ad amorem Creatoris; unde Apoſtolus ait ad Rom. cap. 4. *Reſurrexit propter juſtificationem noſtram.* Animarum itidem reſurrectionis cauſa exemplaris eſt reſurrectio Chriſti, quia Chriſto reſurgenti debemus ſecundum animam conformari, juxtà illud Apoſtoli ad Rom. cap. 6. *Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus, ſicut ipſe reſurgens ex mortuis, jam non moritur, ita & nos exiſtimemus nos mortuos eſſe peccato, viventes autem Deo in Chriſto Jeſu Domino noſtro.* Appoſitè tamen obſervat *S. Thomas* 3. p. q. 56. art. 2. ad 3. quod licèt corpora omnium hominum in virtute reſurrectionis Chriſti à mortuis reſurgere debeant, juxtà illud Apoſtoli 1. ad Corinth. cap. 15. *Omnes quidem reſurgemus*, non tamen omnium hominum animæ reſurgent; multi namque reprobi ibunt in ſupplicium æternum, ut dicitur *Matth.* cap. 25. Rationem illius diſcriminis hanc aſſignat Doctor Angelicus, quia reſurrectio animarum pertinet ad meritum, quod eſt effectus juſtificationis, reſurrectio autem corporum ordinatur ad pœnam, vel præmium, quæ ſunt effectus judicantis, porrò ad Chriſtum non pertinet juſtificare omnes, benè tamen judicare tàm bonos, quàm malos, qui omnes ſupremo ipſius judicio ſe ſiſtere debent, & ideò Chriſtus omnes revocat ad vitam ſecundùm corpus, ſed non omnes ſecundùm animam.

DILUUNTUR OBJECTIONES.

Arguitur primò: Impoſſibile eſt, ut corpora jam putredine corrupta, & in cineres reſoluta, reviviſcant, denuò animentur, ad priorem quam habebant formam reſtituantur, atque immortalitate do-

donentur, ergo reſurrectio Chriſti non poteſt eſſe cauſa efficiens reſurrectionis corporum. Prob. ant. Ratio naturalis docet à privatione ad habitum non dari regreſſum, unde Philoſophi Ethnici reſurrectionem mortuorum, tanquam inauditum paradoxum, & rationi naturali omninò oppoſitum rejecerunt. Legimus etiam cap. 17. Actuum Apoſt. quod, Paulo in medio Areopagi prædicante, Athenienſes: *Cùm audiiſſent reſurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam verò dixerunt: Audiemus te de hoc iterum.* Impoſſibile igitur eſt, ut corpora, quæ jam computruerunt, reviviſcant, & ad formam, quam antehàc habebant, reſtituantur.

Reſpondeo: Philoſophos Ethnicos magno licet, & excellenti ingenio præditos ad reſurrectionem corporum ideò aſſurgere non potuiſſe, quia ratio naturalis, quæ illis dumtaxàt affulgebat, hoc myſterium penetrare non poteſt, & ad illud, velut noctua ad Solis lucem, cæcutit. Verùm quod Ethnici fidei deſtituti lumine impoſſibile dixerunt, fideles, ſpectatâ Dei omnipotentiâ, poſſibile credunt; nec dubitant Deum, quâ facilitate corpora creavit, eâdem ipſa facilitate corpora inſtaurare poſſe, & incorruptibilia reddere: *Quis tam ſtultus, aut brutus eſt, ut audeat repugnare hominem à Deo, ut primùm potuiſſe fingi, ita poſſe denuò reformari? Porrò difficiliùs eſt id, quod non ſit incipere, quàm id quod fuerit iterare. Tu perire, & Deo credis, ſi quid oculis noſtris hebetibus ſubtrahitur? Corpus omne ſive areſcit in pulverem, ſive in humorem ſolvitur, vel in cinerem comprimitur, vel in nidorem tenuatur, ſubducitur nobis, ſed Deo elementorum cuſtodia reſervatur. Vide adeò quàm in ſolatium noſtri reſurrectionem futuram omnis natura meditetur. Sol demergit, & naſcitur: aſtra labuntur, & redeunt: flores occidunt, & reviviſcunt: poſt ſenium arbuſta frondeſcunt: ſemina nonniſi corrupta revireſcunt. Quid feſtinas, ut cruda adhuc hyeme reviviſcas, & redeas? Expectandum nobis etiam corporis ver.* Inquit eleganter *Minutius Felix* in Octavio. Addo etiam reſurrectionem corporum, non ſolùm, attentâ Dei omnipotentiâ, eſſe poſſibilem, ſed etiam juſtitiæ divinæ planè conſentaneam. Juſtum quippè eſt, ut unuſquiſque referat, quæ in vita geſſit, ſive bona, ſive mala, & pro his præmium, vel pœnam ſuſcipiat; anima ſiquidem ſola puniri haud debet propter peccata, quia ea, quæ in carnalibus voluptatibus poſita ſunt, per ſe non perpetravit; nec ſolùm corpus pœnis affici debet, quia legum, & præceptorum vim percipere non poteſt. Hominem igitur ex utroque corpore videlicet & animâ conflatum pro ſuis, quæ geſſit, facinoribus, ſententiam referat neceſſe eſt. Quod certè non fit in hac mortali vitâ, ubi, ſicut funeſta, heu nimium! experientia docet, improbi opibus affluunt, honoribus florent, deliciis perfruuntur; boni verò adverſis premuntur, contemptui habentur, & graviſſimis quandoque jactantur

Digitized by Google

tur procellis. Ut igitur ſplendeſcat divina juſtitia, neceſſe eſt, ut in fine ſæculorum, interveniente omnium mortuorum reſurrectione, animæ ſimul & corpori pœnæ, vel præmia decernantur.

Arguitur ſecundò; benè multi homines reſurgere non poterunt, ergò reſurrectio Chriſti non eſt cauſa efficiens reſurrectionis omnium hominum. Prob. ant. primò, reſurgere non poterunt illi, quorum corpora fuerunt à feris, vel ab aliis hominibus, ſeù Antropophagis devorata, vel à piſcibus abſorpta. Quî enim fieri poteſt ut ejuſmodi hominum materia inſtaurari poſſit? Secundò, ſub qua corporis mole reſurgent abortivi, qui in utero matris, antequam prodeant in lucem, extinguntur? vel illi pueruli qui præmaturâ, & intempeſtivâ morte è vivis rapiuntur? Si enim omnes reſurgere debeant *in virum perfectum, in ætatem plenitudinis Chriſti*, ſicut ait Apoſtolus ad *Epheſios* cap.4. Multum ſanè quantitatis addendum erit corporibus illorum infantium qui proindè magis in novo corpore, quàm in ſuo proprio reſurgent. Sed quid de Gigantibus, & proceræ ſtaturæ viris? ab iſtis multùm quantitatis detrahendum erit. Denique claudi, paralytici, aliique id genus homines, qui corporis vitia, membrorumque defectus habuerunt, aut ſublatâ omni corporis deformitate reſurgent, aut eâ retenta? ſi membrorum defectus, & vitia retineant, ergò non reſurgent *in virum perfectum*, ſi verò non retineant, ergò nec Chriſtum cum cicatricibus reſurgere oportuit.

Reſpondeo ad ſingula illa momenta, & ad primum, petitum ex illis hominibus, quorum corpora vel à feris, vel à piſcibus, vel ab aliis hominibus fuerunt devorata, dico cum *Sancto Auguſtino* in Enchirid. cap. 88. & libro 22. de Civitat. Dei cap.14. 15. & ſeq. *Quod non periit Deo terrena materies, de qua mortalium creatur caro; ſed in quemlibet pulverem, cineremve ſolvatur, in quoſlibet halitus, auraſque deſugiat; in quamcumque aliorum corporum ſubſtantiam, vel in ipſa elementa vertatur, in quorumcumque animalium etiam hominum cibum cedat, carnemque mutetur, illi animæ humanæ puncto temporis reddit, quæ illam primitùs, ut homo fieret, creſceret, viveret, animavit. S. Auguſtino* accinit Angelicus Preceptor qu.80. ſupplem. art.4. ad 3.

Ad alterum momentum reſpondeo, cum *Sancto Auguſtino* infantes non in ea reſurrecturos corporis exiguitate, quâ mortui ſunt, ſed illos in futura reſurrectione divinæ Omnipotentiæ beneficio eam habituros materiem, quæ eis tardiùs, hoc eſt, ſi adoleviſſent, acceſſura erat.

Denique, circà Gigantum corpora, & membrorum defectus, dico: Electos maximè non reſurrecturos, cum aliqua corporis deformitate, ſi quam fortè, dum viverent, habuerunt; ſed reſurrecturos in eadem carnis ſubſtantia ſublatis omnibus nævis, & membrorum

brorum vitiis, *nulla erit deformitas, quam facit incongruentia partium, ubi & quæ parva ſunt, corrigentur: & quod minùs eſt, quàm decet, materiæ, ſervata integritate detrahetur*, inquit *Sanctus Auguſtinus* cap. 19. libro 22. de Civitat. Dei. Apparebunt tamen cicatrices, & vulnera in martyrum corporibus, *non enim*, ſubdit S. ille Pater *Deformitas in eis, ſed dignitas erit, & quædam quamvis in corpore, non corporis, ſed virtutis pulchritudo fulgebit*.

Arguitur ultimò: *Impii*, ſicut dicitur pſalm. 1. *Non reſurgent in judicio, neque peccatores in Concilio juſtorum*. Sed peribunt, & ad nihilum redigentur, ut colligitur ex pſalmo 139. *Cadent ſuper eos carbones, in ignem deiicies eos, in miſeriis non ſubſiſtent*. Ergo reſurrectio Chriſti non eſt cauſa efficiens ſaltem reſurrectionis impiorum.

Prętereà, illi ſoli reſurgent, qui analogicam meritorum æqualitatem cum Chriſto habebunt, atqui nullam cum Chriſto conformitatem, aut analogicam meritorum æqualitatem impii habere poterunt; ergò non impii, ſed tantummodò juſti & electi reſurgent, ex quo conſequitur reſurrectionem Chriſti non eſſe cauſam efficientem reſurrectionis impiorum.

Reſpondeo ad utrumque momentum, & ad primum dico: Vatem regium, dum ait impios non reſurrecturos in judicio, nihil aliud innuere velle, quàm quòd impii non ſtabunt, vel ſubſiſtent in judicio, ita ut ſenſus ſit, fore ut impii nequeant in judicio irati Judicis vultum ſuſtinere, ſuamque cauſam ullâ excuſatione, ullave tergiverſatione defendere, ſed potiùs ſua cauſa cadent, atque in eo victi irrevocabili Judicis ſententia, abſque mora, abſque appellatione condemnabuntur. Dici etiam poteſt, Vatem regium non negare impios reſurrecturos, ſed ſolùm velle eos non reſurrecturos in judicio juſtorum, hoc eſt, ut participes ſint judicii quo judicabuntur juſti, neque conſortes eorum gloriæ, quia impii Angelorum, & hominum imprecationibus onerati, Dei ipſius maledictione percuſſi, tanquàm hædi emiſſarii eiicientur, & diris malæ conſcientiæ morſibus, dæmonum furori, atque ſupplicio æterno tradentur, *cùm omnis caro redempta in Chriſto ſit ut reſurgat, & omnem aſſiſtere ante tribunal ejus neceſſe ſit, non tamen omnibus gloria, & honor eſt promiſcuus reſurgendi*, ait *Sanctus Hilarius* in pſalm. 55. Non peribunt ergo, nec ad nihilum redigentur impii, quos potiùs Deus, ut ait S. Judas in epiſtola ſua, *in judicium magni diei vinculis æternis ſub caligine reſervavit*, ut poſt reſurrectionem unà cum corporibus ſuis perpetuis ſuppliciis torqueantur. Undè quandò Pſalmiſta loquens de impiis, ait quod *in miſeriis non ſubſiſtent*, ſenſus eſt tam acerbos, & intolerabiles eſſe inferni dolores, ut impii illis addicti, & quaſi, ut ita dicam, trabali clavo

clavo affixi, eos ſuſtinere haud poſſint, ſed guttatim contabeſcant, nec tamen unquàm deficiant.

Ad alterum momentum reſpondeo neg. maj., quia efficientia reſurrectionis Chriſti, ut docet *Sanctus Thomas*, non ſolum ſe ſe extendit ad reſurrectionem bonorum, ſed etiam ad reſurrectionem malorum; quò fit ut impii, quamvis Chriſto reſurgenti non ſint conformes, reſurgere attamen debeant in virtute reſurrectionis Chriſti, quæ illorum reſurrectionis eſt cauſa efficiens, non tamen exemplaris, ad diſcrimen reſurrectionis Sanctorum, cujus non tantùm cauſa efficiens, ſed etiam exemplaris erit reſurrectio Chriſti, qui, ut ait Apoſtolus ad Philippenſes cap. 3. *Reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ.*

Advertat hîc primò, Lector, quod, licèt reſurrectio Chriſti ſit cauſa efficiens reſurrectionis omnium hominum, tam bonorum, quàm malorum, neceſſe tamen non fuit, ut reſurgente Chriſto Domino, è veſtigio omnes mortui reſurgerent, quia, ut docet *Sanctus Thomas*, reſurrectio Chriſti eſt cauſa efficiens reſurrectionis noſtræ per virtutem verbi divini uniti, quod quidem operatur ſecundùm voluntatem, & ideò non oportet quod ſtatim ſequatur effectus, ſed juxtà diſpoſitionem verbi divini, ut ſcilicèt primò conformemur Chriſto patienti, & morienti in hac vita, deindè perveniamus ad participandam ſimilitudinem reſurrectionis ipſius, *unuſquiſque autem in ſuo ordine, primitiæ Chriſtus: deindè ii, qui ſunt Chriſti, quique in adventu ejus crediderunt*, ſicut ait Apoſtolus primæ ad Corinth. cap. 15.

Advertat ſecundò, Lector, corpora cùm hominum, tùm mulierum integra reſurrectura, cum omnibus membris, etiam cum illis quæ vel ad manducandum, vel ad bibendum, aut ad generandum in hac vita ordinantur. Ratio in promptu eſt, quià etſi in reſurrectione ea membra liberanda ſint ab officiis quibus vitæ hujus neceſſitatibus inſerviebant, remanebunt tamen, ut docent Sancti Patres, ad corporis identitatem, & integritatem. Virorum ergò corpora in ſexu virili, & mulierum corpora in muliebri ſexu reſurgent, *nec tunc erit libido, quæ confuſionis eſt cauſa, nam priùſquàm peccaſſent, nudi erant mas, & fœmina, & non confundebantur ..... tunc membra fœminea non erunt accomodata uſui veteri, ſed decori novo, quo non alliciatur aſpicientis concupiſcentia, quæ nulla erit, ſed Dei laudetur ſapientia, atque clementia; qui & quod non erat, fecit, & liberavit à corruptione quod fecit*, inquit *Sanctus Auguſtinus* libro 22. de Civitat. Dei cap. 17. idem docet *Sanctus Thomas* in ſupplemento quæſt. 81. art. 3. ubi, poſtquam probavit homines, ut in diverſis ſtaturis, ita & in diverſis ſexibus reſurrecturos, ſubdit: *Et quamvis ſit differentia ſexuum,*

ſexuum, deerit tamen confuſio mutuæ viſionis, quia aberit libido incitans ad turpes actus, ex quibus confuſio cauſatur.

Paragraphus ultimus

Utrùm fuerit conveniens, & ſaluti noſtræ neceſſarium, ut Chriſtus in Cœlum aſcenderet, & utrùm ſedens ad dexteram Dei Patris officio Sacerdotis etiamnùm fungatur, oretque pro nobis?

OBſervandum eſt, quod Chriſtus Dominus poſtquam ad ſuæ reſurrectionis veritatem multis probandam argumentis per 40. dies in terris verſatus fuiſſet, & diſcipulos ſuos, quibus frequenter apparuit, de poteſtate ſibi tradita in cœlo, & in terra, de Sacramentorum adminiſtratione, de regimine Eccleſiæ, de fidei promulgatione, cæterarumque virtutum neceſſitate plenè per id temporis inſtruxiſſet, eorumque animos, per Spiritum Sanctum, quem propediem miſſurus erat, confirmandos promiſiſſet; ad cœlum tandem de terra rediturus, diſcipulos ſuos Bethaniam uſque, inde ad montem Oliveti deduxit, in cujus vertice benè illis precatus, paulatim toto corpore in altum ſublatus, nube interpoſita ab inſpectantium oculis ſubductus, & innumeris Angelorum Myriadibus ſtipatus aſcendit in cœlum, immò ſuper omnes cœlos, non curru igneo raptus, ut Elias, nec per aera divina virtute elatus, ſicut contigit Prophetæ Abacuc, & Philippo Diacono, ſed ſua propria præpotenti virtute divina, & virtute etiam animæ Beatæ, cui, ut docet *Sanctus Thomas*, vis inſita eſt movendi corpus prout vult, ita ut, licèt aſcendere ſursùm, ſit contrà naturam humani corporis juxtà præſentem ſtatum, in quo corpus non eſt omninò ſpiritui ſubjectum; attamen non eſt contra naturam corporis gloriam adepti, neque illi violentum, quia corpus glorioſum animæ facilè paret. Chriſtus ergo non Angelorum miniſterio ſublevatus, ſed propria virtute aſcendit ſuper omnes cœlos, & unà ſecum Sanctorum animas, quas è limbo eduxerat, tanquàm ſuæ victoriæ trophæa, in Regnum æternum evexit, ſuaque pedum in monte impreſſa reliquit veſtigia quæ nec tempore rerum omnium edaci, nec ullo caſu, nec totiès loco percalcato, humoque defoſſa obliterari, & deleri hactenùs potuerunt, ſicut teſtantur *Severus Sulpicius* libro 2. Hiſtor. Sacræ cap. 3. *Sanctus Paulinus* epiſt. 11. & Venerab. *Beda* lib. de Locis Sanctis cap. 7. qua in re impletum eſt illud Prophetæ oraculum, *& ſtabunt pedes ejus in die illa ſuper montem Olivarum, qui eſt contra Jeruſalem*

ruſalem ad Orientem. Zachariæ cap. 14. Haç præmiſſa obſervatione.

DICO PRIMÒ: *Conveniens fuiſſe Chriſto Domino, ut poſt reſurrectionem in Cælum aſcenderet*.

Probatur primò, quia Chriſtus per ſuum in cœlos aſcenſum adimplevit omnia, quæ in lege & Prophetis de ipſo erant prędicta; *aſcendit ſuper omnes cælos ut impleret omnia*, inquit Apoſtolus ad Epheſios cap. 4. Secundò, Regnum Chriſti non erat terrenum, ſeu fluxum, & caducum, ſed cœleſte, & æternum, juxtà illud *Lucæ* cap. 1. *dabit illi Dominus Deus ſedem David Patris ejus, & Regni ejus non erit finis*. Hanc autem ſedem Chriſtus aſcendens in cœlum accepit à Patre, cùm dixit ei: *ſede à dextris meis*, daturus eidem Regnum iſtud perfectiùs in noviſſimo die, cum omnia ſubiiciet ſub pedibus ejus. *Sicut* enim *David* (verba ſunt Cornelii Janſenii Conc. in Luc.) *Unctus quidem fuit in Regem, longè antequam in ſolio Regni inſideret, quod ſolium non obtinuit niſi poſt multas perſecutiones, & afflictiones, per quarum patientem tolerantiam meruit tandem à Deo magnificè ſublimari in Regem, & primùm ſuper domum Juda, deindè verò ſuper omnes Tribus Iſrael, ità & Jeſus à Nativitate quidem unctus fuit à Patre, & Rex deſtinatus populi ſui, unde & permiſit à populo ſibi acclamari, Rex Iſrael, & Pilato dixit: Rex ſum ego. Verùm tamen regalis ſolii poſſeſſionem non obtinuit, niſi per patientiam in multis adverſitatibus, per quam meruit exaltari à Patre, & accipere nomen, quod eſt ſuper omne nomen, & regnare primùm quidem ſuper Judæos credentes, deindè verò etiam ſuper gentes, per decem Tribus figuratas, ut patet Ezechielis* cap. 37. Chriſtus ergo poſt reſurrectionem, perfecto jam & abſoluto redemptionis noſtræ myſterio, terrenæ hujus habitationis domicilium, corruptionis locum, reliquit, & in cœlum ſe recepit corruptioni locum omninò impervium, & corpori ſuo glorioſo debitum. Tùm Chriſtus Regni ſui conſors factus, ſummum imperium ſuper omnes creaturas, quod ab æterno habuit, ut Deus, habuit ab incarnatione, ut homo, & cujus uſum in ſtatu mortali ſuſpenderat, plenè exercuit in ſtatu glorioſo. Tunc data eſt illi omnis poteſtas in cœlo, & in terra, dictumque à Patre: *Filius meus es tu, ego hodiè genui te, poſtula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, poſſeſſionem tuam terminos terræ*, ut dicitur pſalm. 2. Tum denique Chriſtus poſt multas tribulationes exaltatus eſt, ſuper omnes cœlos, juxtâ illud pſalm. 56. *Exaltare ſuper Cælos Deus, & ſuper omnem terram gloria tua*, hoc eſt, ut explicat *Sanctus Auguſtinus* ſerm. 262. *Exaltare tu, qui fuiſti in ventre matris incluſus, tu, qui in Præſepi jacuiſti, tu, qui eſuriſti propter nos, ſitiſti propter nos, tu, quem vendidit Judas, quem emerunt Judæi, & non poſſederunt: tu*

 appre-

Digitized by Google

apprehenſe, ligate, flagellate, ſpinis coronate, in ligno ſuſpenſe, lancea percuſſe, tu mortue, tu ſepulte, exaltare ſuper Cœlos Deus. Cæterùm, quo pacto corpus Chriſti potuerit penetrare cœlos? vel quomodò ſuprà cœlum Empyreum, ſi ſit perfectè ſphæricum, ut quidam volunt, vel perfectè planum & quadratum, ut aliis placet, poſſit inveniri locus altior, aut minus altus? alii, per me licet, inquirant; ipſe verò in his curioſis, & parùm neceſſariis quæſtionibus *magis eligo doctam ignorantiam confiteri, quàm falſam ſcientiam profiteri*, ut ait *Sanctus Auguſtinus* epiſt. 78. Hoc unum ſufficit, ut credamus Chriſtum in loco ſublimiori velut in ſolio cœleſtis Principis, propter dignitatem unionis hypoſtaticæ fuiſſe conſtitutum, *ſupra omnem Principatum, & poteſtatem, & ſupra omne nomen, quod nominatur, ſive in hoc ſæculo, ſive in futuro*, ut ait Apoſtolus ad Epheſios cap. 1.

DICO SECUNDÒ: *Saluti noſtræ neceſſarium fuiſſe, ut Chriſtus aſcenderet in Cœlum.*

Probatur rationibus, quas ex Sanctis Patribus hauſit *D. Thomas*. In primis Chriſtus per ſuam in cœlos aſcenſionem nobis viam, aditumque paravit ad Regnum cœlorum per peccatum originale omnibus occluſum, ſicque impletum eſt illud Prophetæ Michææ vaticinium: *Aſcendit pandens iter ante eos*, cùm enim Chriſtus ſit caput noſtrum, oportet illuc ſequi membra, quò caput præceſſit: *Vado*, inquit Joannis cap. 14. *parare vobis locum, ut, ubi ſum ego, & vos ſitis*, nec ampliùs aſcendente Chriſto Portæ cœli dicuntur aperiri, ſed attolli & elevari juxtà illud Pſalmi 23. *Attollite portas Principes veſtras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ*, quia, ut ait *S. Ambroſius* lib. 4. de fide cap. 1. *Debuit novo victori novum iter parari; ſemper enim victor tanquam major, & præcelſior eſt: ſed quia æternæ ſunt juſtitiæ portæ, eædemque novi, & veteris Teſtamenti, quibus cœlum aperitur, non mutantur utique, ſed elevantur; quia non unus homo, ſed totus in omnium Redemptore mundus intrabat.* Secundò, utilior nobis fuit Aſcenſio Chriſti in cœlum, quâ corporalem ſuam præſentiam nobis ſubtraxit, quàm ſi nobiſcum in terris perpetuò manſiſſet Servator. Unde ipſe diſcipulis ſuis dicebat: *Expedit vobis ut ego vadam*, quaſi diceret, inquit *S. Auguſtinus* tractatu 94. in Joannem, *expedit vobis, ut hæc forma ſervi auferatur à vobis. Caro quidem factum Verbum habito in vobis, ſed nolo ut me carnaliter adhuc diligatis, & iſto lacte contenti ſemper infantes eſſe cupiatis. Si alimenta tenera, quibus vos alui, non ſubtraxero, ſolidum cibum non eſurietis, ſi carni carnaliter hæſeritis, capaces ſpiritus non eritis.* Chriſtus itaque aſcendens in cœlum, amorem noſtrum ſpiritualem reddidit, effecitque ut, quem nunc abſentem cogitamus, eum ut Deum veneremur, & diligamus. Verùm quamvis præ-

ſentia

Digitized by Google

ſentia corporalis Chriſti nobis per ipſius aſcenſionem fuerit ſubtracta, nobis tamen ſemper adeſt præſentiâ ſuæ divinitatis, juxtà promiſſionem Chriſti Domini cap.ult. *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi*; hoc eſt, uſque ad finem mundi Chriſtus nobiſcum erit ſecundùm præſentiam majeſtatis, ſecundùm providentiam,ſecundùm ineffabilem, & inviſibilem gratiam, quam nobis per Sacramenta largitur, ſecundùm ſpecialem aſſiſtentiam, quâ judicium Eccleſiæ ſponſæ ſuæ, quam proprio ſanguine acquiſivit, in dirimendis fidei emergentibus controverſiis indeficiens reddit, denique ſecundùm realem ſui præſentiam in auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento,in quo illius corpus realiter præſens eſt, non quidem præſentiâ locali, hoc eſt, humano more,modo viſibili, ſenſibili,& aſpectabili, ſed præſentia Sacramentali,ideſt,modo quodam ſpirituali,& indiviſibili, ſicut cõtra noſtri temporis hæreticos,qui realem Corporis Chriſti in Euchariſtiæ Sacramento præſentiam inficiantur, invictè probant noſtri Polemici Auctores. Tertiò, per aſcenſionem Chriſti in cœlum confirmata eſt fides noſtra, quæ habet pro ſuo objecto ea, quæ non videntur, undè Chriſtus dicebat diſcipulis ſuis: *Ad Patrem vado, & jam non videbitis me*. Beati autem, qui non vident, & credunt. Quartò, per aſcenſionem Chriſti corroborata eſt ſpes noſtra; per hoc enim, quod humanam naturam aſſumptam in cœlum evexit Chriſtus Dominus, nobis ſpem dedit illuc perveniendi, quia, ut dicitur Matth. cap.24. *Ubi fuerit corpus, illuc congregabuntur & Aquilæ*. In hanc rem eleganter *Tertullianus* lib. de reſurrectione carnis ait,quod *quemadmodum*,Chriſtus, *nobis arrabonem ſpiritus reliquit, ita & à nobis arrabonem carnis accepit, & vexit in cœlum, pignus totius ſummæ illuc aliquando redigendæ. Securæ eſtote caro, & ſanguis, uſurpaſtis & cœlum, & regnum Dei in Chriſto*. Egregia ſanè, dulcis, & veræ conſolationis plena ſententia his, qui aliquem guſtum, & deſiderium habent æternæ ſalutis! Quintò, per aſcenſionem Chriſti in cœlum erectus eſt noſtræ charitatis affectus ad cœleſtia,*quæ ſurſum ſunt,quærite,ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens*; *quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram*, ait Apoſtolus ad Coloſſ. cap.3. cùm igitur theſaurus noſter in cœlis ſit Chriſtus Jeſus, ad eum corda noſtra jugiter anhelare debent, quia *ubi eſt theſaurus tuus,ibi eſt cor tuum*. Poſtremò, ſicut Pontifex in veteri Teſtamento intrabat in Sanctuarium, ut coram Deo ſtaret, & oraret pro populo, ita & Chriſtus Pontifex noſter intravit in cœlum ad interpellandum pro nobis. Ipſa quippè repræſentatio ſui ex natura humana,quam in cœlum intulit, eſt continua pro nobis interpellatio, ut Deus; ex quo humanam naturam ſic ſublimavit in Chriſto, etiam eorum miſereatur, pro quibus Filius Dei humanam naturam aſſumpſit, *non enim in manufacta ſancta Jeſus introivit, exemplaria verorum; ſed in ipſum cœlum, ut*

Ttt 2 appa-

Digitized by Google

apparet nunc vultui Dei pro nobis, inquit Apoſtolus ad Hebræos c. 9. Ex his ergo momentis liquidò patet ſaluti noſtræ neceſſarium fuiſſe, ut Chriſtus aſenderet in cœlum.

DICO ULTIMÒ: *Chriſtum ſedentem ad dexteram Dei Patris fungi etiamnùm Sacerdotis officio, & orare pro nobis.*

Probatur primò: Ex Apoſtolo, qui in epiſtola ad Hebræos cap. 4. de Sacerdotio Chriſti, ſic loquitur: *Habentes ergo Pontificem, qui penetravit cœlos, Jeſum filium Dei . . . . . . adeamus cum fiducia thronum gloriæ*. Et cap. 8. *Talem habemus Pontificem, qui conſedit in dextera ſedis magnitudinis in cœlis, ſanctorum miniſter, & tabernaculi veri, quod fixit Dominus, & non homo*. Et cap. 10. *Omnis quidem Sacerdos præſtò eſt, quotidiè miniſtrans, & eaſdem ſæpe offerens hoſtias, quæ nunquàm poſſunt auferre peccata: hic autem pro peccatis offerens hoſtiam, in ſempiternum ſedet in dextera Dei: Una enim oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos*. Quibus Apoſtoli verbis manifeſtum eſt Chriſtum Dominum, dum poſt reſurrectionem ſuam in cœlum aſcendit, & ſedit ad dexteram Dei Patris, tùm vel maximè Pontificis dignitatem, ac Provinciam ſibi vindicaſſe, atque æternâ ſui oblatione ſacrificium crucis etiamnùm in cœlis jugitèr offerre. Secundò, ideò Melchiſedech ſine Patre, ſine Matre, ſine genealogia ab Apoſtolo in epiſtola ad Hebræos deſcribitur, ut typus ſit Chriſti æternum geſtantis Pontificatum, hoc eſt, tam in terris, quàm in cœlis Sacerdotio fungentis, juxtà illud pſalm. 109. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech*, ubi potiſſima hujus Sacerdotii prærogativa, Aaronico Sacerdotio inconceſſa, eſt æternitas. Illud igitur Sacerdotium æternum Chriſto maximè in cœlis ad dexteram Dei aſſidenti eximium eſt. Tertiò, Chriſtum nunc in cœlis Sacerdotis officio fungi, & orare pro nobis, conſtans eſt & perpetua omnium Sanctorum Patrum tàm Græcorum, quàm Latinorum doctrina, ut videre eſt apud doctiſſimum *Thomaſſinum* libro 10. de Incarn. Verbi capitibus 12. 13. & ſeq. Quartò, ſaluti noſtræ non fuiſſet ſatis conſultum, niſi haberemus immortalem Sacerdotem, qui ſalvare in perpetuum poſſet accedentes per ſemetipſum ad Deum, qui ſemper viveret ad interpellandum pro nobis. Quintò, Chriſtum in cœlis à Sacerdotali officio vacuum non eſſe probant potiſſimùm cicatrices vulnerum, quibus tanquam nuper mactatæ victimæ recentibus adhuc notis inſignitum corpus ſuum inſtar hoſtiæ ſempiternæ Chriſtus Deo Patri continuò offert, ut docent SS. Patres. Sextò, tamdiù ſtabit Sacerdotium Chriſti, quamdiù perdurabit unio hypoſtatica Verbi Divini cum natura humana; ex illa ſiquidem unione, ut inconfeſſo eſt apud omnes Theologos, manat Chriſti Sacerdotium, atqui æternùm durabit unio hypoſtatica Verbi Divini cum natura

tura

Digitized by Google

tura humana, ergo perenne itidem erit Sacerdotium Chriſti. Denique tantùm abeſt, ut Sacerdotium, quo nunc Chriſtus fungitur in cœlis orando, & interpellando pro nobis, ejus dignitatem, atque excellentiam elevet, deprimatque, ut potius eam plurimùm commendet, & illuſtret. Chriſtus etenim in cœlo Sacerdotium ſuum exercet immortalis, & nulli ſuccedens, victimam offert non emendicatam, ſed ſemetipſum, non quotidiè immolandam, ſed una ſui mactatione omnia conſummantem, non unam hominum gentem, ſed omnibus locis ſparſam, omnibus temporibus diſſeminatam, humani generis univerſitatem expiantem, atque conſecrantem. Non vileſcit ergo Chriſti dignitas ex Sacerdotio, quo etiamnùm ſedens ipſe ad dexteram Dei Patris fungitur orando, & interpellando pro nobis, quia in cœlis Chriſtus Sacerdotium exercet, ſeclusis omnibus infirmitatibus, quibus, dum illud obiret in terris, obnoxius eſſe voluit. Hinc merito *S. Bernardus* carpit, & inceſſit *Origenem* in ſerm. qui inſcribitur *De verbis Origenis*, eo quod hom. 7. in Leviticum dixerit Chriſtum Dominum, in cœlis Advocati, & Sacerdotis pro nobis officio fungentem, lugere peccata noſtra, quâ in re *Origenem* erraſſe, & à *S. Bernardo* juſtâ de cauſa fuiſſe reprehenſum fatetur Illuſtriſs. *Daniel Huetius* Abrincenſis Epiſcopus qu. 3. Origenianorum not. 24. quamvis *Genebrardus*, & *Sixtus Senenſis* Origenem à prædicto errore vindicare, illiusque verba benignâ interpretatione ad ſenſum Catholicum flectere conentur.

DILUUNTUR OBJECTIONES.

ARguitur primò: Sacerdos debet orare pro populo; oblatio quippè Sacrificii, quæ Sacerdotio eſſentialis eſt, non aliud eſt, quam quædam orationis ſpecies, atqui Chriſtus nunc ſedens ad dexteram Dei Patris non orat pro nobis, ergo non fungitur in cœlis officio Sacerdotis.

Prob. min. Primò, quia oratio arguit in eo, qui orat, defectum, ſeu limitationem potentiæ, nam, ut inquit *S. Auguſtinus* lib. 4. ad Bonifacium cap. 9. *Prorſus non oramus, ſed orare nos fingimus, ſi petimus, quod credimus in noſtra poteſtate*, atqui Chriſtus ſedens ad dexteram Dei infinitam habet poteſtatem, utpotè Patri æterno conſubſtantialis, & eadem pollens operandi ad extra virtute, quæ Patri convenit, ergo Chriſtus ſedens ad dexteram Patris non orat pro nobis. Secundò, ſi Chriſtus etiamnùm pro nobis oraret in cœlis, cùm ejus oratio, utpotè infiniti pretii, ſufficientiſſima ſit ad impetranda à Deo omnia beneficia, quibus opus habemus, inanes, & ſuperfluæ omninò eſſent tàm orationes noſtræ in terris, quàm orationes, quas Sancti in cœlis fundunt pro nobis; immò orationi Chriſti, utpotè infinitæ, injuriam irre-

irrogarent noſtræ, ac Sanctorum orationes, atqui nullus Catholicus dixerit inutiles, & ſuperfluas eſſe noſtras, Sanctorumque orationes, ergo Chriſtus in cœlis exiſtens non orat pro nobis.

Reſpondeo neg. min. Nihil quippè impedit, quominùs Chriſtus in Cœlis exiſtens oret pro nobis. Si enim quidquam impediret, vel eſſet unio hypoſtatica, vel viſio beatifica, porrò neutrum impedit, non quidem unio hypoſtatica, quia humanitas Chriſti à momento conceptionis, ut fides docet, fuit hypoſtaticè Verbo Divino unita, & tamen Chriſtus, teſte Scriptura ſacra, oravit pro nobis, dùm in terris ageret. Non etiam impedit viſio beatifica, quia Chriſtus, dùm nobiſcum in terris verſaretur, viſione beatifica fruebatur; fuit enim à momento conceptionis viator ſimul, & comprehenſor, & tamen, non obſtante illâ viſione beatificâ, Chriſtus in terris *erat pernoctans in oratione Dei*, ut habetur *Lucæ* cap. 6. Sancti etiam in Cœlis cum Chriſto regnantes potiuntur viſione beatificâ, & nihilò ſeciùs orant pro nobis, ſicut invictè probant Auctores noſtri Polemici contrà Lutheranos, Calviniſtas, alioſque hujuſce furfuris Heterodoxos cultus, & invocationis Sanctorum oſores. Nihil ergo impedit quin Chriſtus ſedens ad dexteram Dei etiamnùm oret pro nobis. Ad primam itaque minoris probationem dico Chriſtum, ut eſt Verbum Divinum, & infinitam à ſe ipſo habet virtutem operandi, nec in terris oraſſe, nec in Cœlis orare pro nobis, ſed potiùs eum ut Deum à nobis orari, Chriſtum tamen, ſi ſpectetur ut homo eſt ſubſiſtens in perſona divina, etiamnùm orare pro nobis, ita ut humanæ Chriſti voluntati, quæ ſicut docet Sanctus Thomas, per ſe non eſt operativa ejus, quod deſiderat, ſed tantùm per virtutem perſonæ divinæ, in qua ſubſiſtit, conveniat orare. *Chriſtus* itaque *orat in nobis, orat pro nobis, & oratur à nobis. Orat in nobis, ut caput noſtrum, orat pro nobis, ut Sacerdos noſter: oratur à nobis, ut Deus noſter*, verba ſunt *Sancti Auguſtini* enarratione in Pſalm. 85.

Ad alteram minoris probationem dico: Tàm orationes Sanctorum in Cœlis, quàm orationes noſtras in terris non eſſe ſuperfluas, nec quidquam derogare orationi Chriſti, quæ eſt ſufficientiſſima, & infiniti valoris. Ratio eſt, quia quidquid in orationibus noſtris petimus à Deo, id totum petimus intuitu meritorum Chriſti, qui nos hunc precandi modum edocuit dicens: *Amen, amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis, Joannis* cap. 14. ideſt, quidquid petieritis per me, ut mediatorem, & advocatum veſtrum apud Patrem, conſequemini. Hinc ſemper orat Eccleſia, *per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*, ut indè intelligamus orationes noſtras omne ſuum haurire pretium ex meritis Chriſti. Idem prorsùs dicendum eſt de orationibus Sanctorum in Cœlis, quæ nihil omninò detrahunt

hunt orationi Chriſti, quoniam Sancti non orant pro nobis, niſi per merita, & propter merita Chriſti. *Sanctos invocamus*, ait Synodus Tridentina ſeſs. 25. *ut beneficia nobis impetrent à Deo per Filium ejus Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui ſolus noſter Redemptor, & Salvator eſt*. Nec nos in Sanctorum meritis fiduciam noſtram collocamus, ſicut perperàm obſtrepunt Hæretici, ſed in ſolis meritis Chriſti totius ſpei, ac fiduciæ noſtræ ſacram, ut ajunt, anchoram figimus, & quamvis merita, ſatisfactiones, & orationes Sanctorum juxtà perpetuam Eccleſiæ Catholicæ traditionem ultrò admittamus, conſtanter tamen credimus omne pretium, omnemque valorem meritorum, orationum, & ſatisfactionum Sanctorum proficiſci ex meritis, ſeu ex ſatisfactione, & oratione Chriſti Domini, quem ſcimus eſſe mediatorem noſtrum, Pontificem, & Advocatum apud Patrem, juxtà illud 1. *Joannis* cap. 2. *Filioli mei, hæc ſcribo vobis, ut non peccetis; ſed & ſi quis peccaverit Advocatum habemus apud Patrem, Jeſum Chriſtum juſtum*.

Arguitur ſecundò: Si Chriſtus in Cœlis Sacerdotis officio adhùc fungeretur, & oraret etiamnùm pro nobis, poſſent Fideles hac formula Chriſtum deprecari, ejusque opem implorare: *Jeſu Chriſte ora pro nobis*, atqui tamen hæc formula deprecandi Chriſtum eſt omninò inaudita in Eccleſia, nec ea cuiquam inter orandum uti fas eſt, igitur Chriſtus in Cœlis non ampliùs Sacerdotis fungitur officio, nec orat pro nobis.

Reſpondeo: Quod licèt hæc precandi formula, *Jeſu Chriſte ora pro nobis*, ſecluſò omni periculo, permitti utcumque poſſet, jure tamen optimò ea non utitur Eccleſia Catholica propter Arrianos in Socinianis noſtri temporis redivivos, qui ex oratione Chriſti anſam, & occaſionem arripiunt negandi ejus divinitatem, & conſubſtantialitatem cum Patre æterno, undè conſultiùs Eccleſia, ne quid cum hìs Hæreticis affinitatis habere videatur, aliam precandi formulam, quæ ad declarandam Chriſti divinitatem, per quam appoſita eſt, uſurpat, dicens: *Jeſu Chriſte miſerere nobis*; qua precandi formula Chriſtum oramus tanquàm auctorem, & fontem omnium bonorum noſtrorum, qui nobis præſtare poteſt omnia, quæ petimus, gratiam præſertim & gloriam. Addo etiam, quod cùm orationes noſtræ terminentur ad Chriſtum ſubſiſtentem in perſona divina, neceſſe eſt, ut fiant juxtà modum, qui convenit perſonæ divinæ, orare autem non convenit perſonæ divinæ, in qua ſubſiſtit Chriſtus, non ergo admitti debet hæc precandi formula, *Jeſu Chriſte ora pro nobis*.

Arguitur ultimò: Apoſtolus ad Hebræos cap. 10. ait Chriſtum una oblatione conſummaſſe in perpetuum ſanctificatos, & ſemel ſemetipſum obtuliſſe pro peccatis noſtris, atqui ſi Chriſtus ad dexteram

ram

Digitized by Google

ram Dei ſedens ſe ipſum adhùc offerret in Cœlis, & tanquàm Sacerdos oraret pro nobis, non una oblatione conſummaſſet in æternum ſanctificatos, nec ſemel pro peccatis noſtris ſemetipſum obtuliſſet, ergò ex Apoſtolo Paulo Chriſtus in Cœlis exiſtens non ampliùs fungitur Sacerdotis officio, nec orat pro nobis.

Reſpondeo diſting. maj. Apoſtolus ait Chriſtum unâ oblatione conſummaſſe in ſempiternum ſanctificatos ſeque ſemel obtuliſſe pro peccatis noſtris quantùm ad meritum concedo, quantùm ad applicationem nego. Vult igitur Apoſtolus Chriſtum Dominum unâ oblatione, ideſt, uno crucis ſacrificio promeritum eſſe omnia, quæ ad ſanctificatorum conſummationem neceſſaria ſunt, itaut illud cruentum Chriſti Sacrificium pleniſſimum, & ſufficientiſſimum ſit, nihilque ejus merito infinito ampliùs addi poſſit; at non negat Apoſtolus Chriſtum in Cœlis ſeſe etiamnùm offerre Deo Patri, & ab eo petere applicationem meritorum, quæ per mortem ſuam conſecutus eſt, immò id apertè innuit Apoſtolus ad Rom. cap. 8. ubi hæc habet: *Quis eſt, qui condemnet? Chriſtus Jeſus, qui mortuus eſt, immò qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Quæ Apoſtoli verba, ſic explicat *S. Auguſtinus* epiſt. 149. aliàs 59. *Nam & de ipſo Domino Jeſu Chriſto dictum eſt, quod interpellat pro nobis, numquid interpellat, & non etiam poſtulat? Immò verò quia poſtulat, pro eo poſitum eſt, interpellat: evidenter quippè alibi de eo dicitur: & ſi quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum juſtum.* Ad hunc itaque potentem, & beneficum advocatum cum fiducia accedamus, quia præſtò eſt ut nos exaudiat, modò illum animo puro, contrito, & humili, fideque vivâ, ac perſeverante oremus, eaque ab illo duntaxàt poſtulemus bona, quæ nos cum Deo conjungere poſſunt, puta gratiam, & dona ſpiritualia quibus beatitudinem promeremur, atque ad illum perducimur. Fit quidem interdùm ut ea, quæ ab ipſo petimus, non impetremus; ſed id contingit, vel quia frigidè, & abſque ullo amoris Dei affectu oramus, vel quia non ſpiritualia, ſed terrena, quibus inhiamus, bona præpoſterè poſtulamus. Si autem virtutum incrementa petamus, & illa tantùm, quæ divinæ voluntati probantur, citò exaudiemur, *& quidquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata ejus cuſtodimus, & ea, quæ ſunt placita coram eo, facimus*, ut ait *Sanctus Joannes* 1. epiſt. cap. 3. Diſcamus ergo ſic petere, ut à Chriſto Pontifice, & Advocato noſtro in Cœlis orante pro nobis, quæ petimus mereamur accipere.

Adverte primò in fine hujuſce paragraphi, quando dicitur Chriſtum ſedere ad dexteram Dei Patris, non ſignificari ſitum, & figuram corporis, vel humanam formam, quâ circumſcriptus ſit Deus Pater,

Digitized by Google

Pater, ità ut de illo cogitantibus dextrum, aut ſiniſtrum, latus occurrat animo (hæc quippè fuit craſſa *Audianorum, ſeu Antropomorphitarum* interpretatio Deo corpus affingentium, quam hæreſim deteſtatur Eccleſia) ſed per dexteram Dei Patris intelligi ſummam beatitudinem, *ubi juſtitia, pax, & gaudium eſt: ſicut ad ſiniſtram hædi conſtituuntur, ideſt, in miſeria, propter iniquitates, labores, atque cruciatus. Sedere ergo, quod dicitur Deus, non membrorum poſitionem, ſed judiciariam ſignificat poteſtatem, qua illa majeſtas nunquàm caret, ſemper digna dignis tribuendo; quamvis in extremo judicio multò manifeſtiùs inter homines unigeniti Filii Dei Judicis vivorum, atque mortuorum claritas indubitata futura ſit*, verba ſunt *Sancti Auguſtini* lib. de Fide, & Symbolo cap.7. Hisque ſimilia habet *S. Thomas* 3.p. quæſt.58. art.2.

Adverte ſecundò: *Sedere ad dexteram Dei Patris* ſoli Chriſto eximium eſſe, ac ſingulare privilegium. Quamvis enim in Scripturis ſacris dicantur Sancti ſedere cum Chriſto in Cœleſtibus, conregnare, ſedere ſuper thronum judicantes duodecim Tribus Iſrael; hæc tamen & alia hujuſmodi intelligi, & explicari debent convenire Sanctis in gradu longè inferiori, & dependente à Chriſto. Undè Apoſtolus epiſt. ad Hebræos cap. 1. ait: *Ad quem Angelorum dixit aliquando* (Deus) *ſede à dextris meis*. Quaſi Apoſtolus diceret: Deus nulli Angelorum, & multò minùs hominum dixit unquàm, *ſede à dextris meis*, nullum unquàm Deus, ſive Angelum, ſive hominem talis conſeſſus participem fecit præter ſolum Chriſtum Dominum, qui æqualis cum Patre æterno honoris, gloriæ, & poteſtatis conſors eſt, & quem in natura aſſumpta non minori proſequimur honore, quàm Patrem veneramur.

)(

DISSERTATIO ULTIMA

De Poteſtate Judiciaria, qua pollet Chriſtus Dominus.

HAnc Diſſertationem duobus abſolvam paragraphis. In primo inquiram utrùm Chriſtus judicet animas ſtatim ac ſuis ſunt exutæ corporibus, easque, ſi ſint plenè purgatæ, faciat ſine ulla dilatione æternæ gloriæ conſortes; vel pœnis æternis afficiat, ſi ſint lethali peccato contaminatæ? In altero commonſtrabo præter Judicium privatum, quod ſubeunt animæ confeſtim ac ſuis ſunt ſolutæ corporibus, aliud admittendum eſſe Judicium univerſale, ibidemque fictitium explodam millenariorum regnum.

Paragraphus Primus

Utrùm Chriſtus judicet animas ſtatim ac ſuis ſunt exutæ corporibus, easque, ſi nihil illis labis ſuperſit flammis piacularibus eluendum, abſque ulla procraſtinatione æternæ gloriæ faciat conſortes, vel pœnis æternis addicat, ſi peccato lethali ſint contaminatæ?

OBſervandum primò cum *S. Thoma* 3. par. qu. 59. artic. 1. 2. & 3. poteſtatem Judicandi eſſe quidem Perſonis Sanctiſs. Trinitatis communem; congruè tamen per quamdam appropriationem adjudicari Filio. Ratio eſt, quia licèt ad Judicium ritè exercendum tria potiſſimùm requirantur, quæ ex æquo toti Trinitati conveniunt, ſcilicet poteſtas coercendi reos, zelus juſtitiæ, & ſapientia, quia tamen ſapientia, quæ ſpeciatim tribuitur Filio, eſt ratio, & forma Judicii, ideò optimo jure poteſtas Judicandi aſſeritur Filio. Hinc Actuum Apoſtolorum cap. 10. de Chriſto Domino dicitur: *Hic eſt, qui conſtitutus eſt à Deo Judex vivorum, & mortuorum.* Et *Joannis* cap. 5. *Pater non Judicat quemquam, ſed omne Judicium dedit Filio*, ideſt, Pater non Judicat quemquam viſibili præſentiâ majeſtatis, & externo, aſpectabilique Judicio, ſed omne Judicium dedit Filio ſuo, qui ſolus viſibiliter hominibus apparebit in Judicio manifeſtus formâ quâ aſcendit in Cœlum. Hanc autem Judicandi poteſtatem habet Chriſtus non ſolùm quà Deus eſt, ſed etiam quà homo, ſive propter meritum Paſſionis ſuæ, ſive propter Capitis dignitatem, ac plenitudinem gratiæ habitualis, quæ in ipſo eſt; ſive denique propter Divinam perſonam, cui unita eſt Anima Chriſti, ex cujus Divinitatis refluxu,

Digitized by Google

fluxu, ſeu redundantia ad animam Chriſti, convenit ei penetrare arcana, & cogitationes cordium, atque de illis Judicare; undè *Joannis* cap. 5. de Chriſto dicitur: *Poteſtatem dedit ei Judicium facere, quia Filius hominis eſt*. Et Apocal. cap. 3. *Ego vici, & ſedi in throno Patris mei*. Per thronum autem intelligitur Judiciaria poteſtas, juxtà illud Pſalm. 9. *Sediſti ſuper thronum, qui Judicas Juſtitiam*. Chriſtus ergò Judicium exercebit, & ut hominum Caput eſt, & ut hominum Redemptor, & ut hominum Dominus.

Obſervandum ſecundò, quod licet ſemper in confeſsò fuerit apud omnes Chriſtianos poteſtatem Judicandi, & ſingulis omninò hominibus præmia, vel ſupplicia decernendi Chriſto tribui debere, de tempore tamen, quo ejuſmodi premiorum, & pœnarum retributio ab ipſo fieri debeat, non una omnium fuit ſententia. Alii quippè, ut notat *Sanctus Thomas* 3. p. qu. 59. art. 5. ad 1. in eam iverunt ſententiam, præmiorum, vel pœnarum retributionem à Chriſto Domino fieri tantùm debere in generali Judicio, ità ut animę Sanctorum non premientur in Cœlo, nec animæ damnatorum puniantur in Inferno uſque ad diem univerſalis Judicii, ſed per totum illud temporis intervallum in abditis quibuſdam receptaculis detineantur. In hac ſententia verſati ſunt olim *Irenæus, Juſtinus, Tertullianus, Lactantius, Victorinus*, & alii. Altera ſententia eorum eſt, qui docent præmiorum, & pœnarum retributionem fieri in Judicio privato, quod Chriſtus Dominus exercet ſtatim ac è corporibus migrarunt animæ, quæ, ſi nullâ purgatione egeant, confeſtim evolant in Cœlum, & æternâ beatitudine donantur; ſi verò aliquo lethali peccato ſint obſtrictæ, ſempiternis flammis ſine mora addicantur. Diù multùmque in Eccleſia Catholica inter Patres, & Scriptores Eccleſiaſticos ea de re, ſalvâ tamen & inculpatâ fide, hinc indè diſputatum eſt, donec in Concilio Florentino pleniùs eliquatâ iſtâ quæſtione definitum eſt ſeſs. ult. in decreto unionis, animas exutas corporibus, ſi nulla macula eis ſuperſit eluenda, Cœlo ſtatim recipi; animas autem eorum, qui in actuali mortali peccato, vel originali ſolo, decedunt, mox in Infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas. Idem ſanxit Concilium Tridentinum ſeſs. 25. ubi ſtatuit Sanctos nunc cum Chriſto regnare in Cœlis, & æternâ potiri felicitate; quibus Conciliorum definitionibus hæc doctrina tranſiit in ratum, conſtitutumque fidei dogma. Quapropter proſcripto ab his Conciliis errori patrocinari haud debent quædam antiquorum Patrum, & Scriptorum Eccleſiaſticorum auctoritates, quia Eccleſia Catholica falſum illud dogma nullo unquam fovit aſſenſu, neque pravo ei aliquandò favit ſilentio, ſed ſuos omni ætate habuit Doctores, qui illud doctiſſimis ſuis lucubrationibus expugnarunt, ut ex his, quæ dicturus ſum, liquidò patebit.

Dico igitur: *Præmia, vel ſupplicia non differri uſque ad Judicium generale, ſed ea decerni in privato Judicio, quod exercet, Chriſtus Dominus ſtatim ac animæ ſuis ſunt exutæ corporibus, ità ut animæ, quæ ab omni macula, pœnæque reatu puræ ſunt, nulla interpoſita mora beatitudine æterna potiantur; animæ verò illorum, qui in peccato mortali è vivis exceſſerunt, ad inferos detrudantur æternùm cruciandæ pœnis.*

Hanc perpetuam Eccleſiæ Catholicæ doctrinam multis momentis adſtruunt Theologi, quæ hìc perſtringere, ac ſummatim delibare abundè ſufficiet.

Primum momentum petitur ex Scriptura ſacra 2. ad Corinth. cap.5. v.1. ubi hæc habet Apoſtolus: *Scientes enim, quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam æternam in Cœlis.* Quibus verbis Apoſtolus apertè innuit nos, poſt diſſolutionem domus noſtræ hujus habitationis, hoc eſt, poſt diſſolutionem humani corporis, habituros domum non manu factam, æternam in Cœlis, ideſt, beatam vitam, quæ in poſſeſſione Dei ſita eſt. Idque clariùs exprimit idem Apoſtolus verſ. 6. 7. & 8. ejuſdem epiſtolæ: *Audentes igitur ſemper ſcientes quoniam, dùm ſumus in corpore, peregrinamur à Domino: per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem. Audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Dominum.* Optabat itàque Apoſtolus peregrinari à corpore, hoc eſt, carne exolvi, ut præſens eſſet ad Dominum, & ſicut ipſemet ait ad Philippenſes cap. 1. *Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum.* At id fruſtrà deſideraſſet Apoſtolus, ſi ſtatim poſt mortem non fieret Judicium particulare, vel ſi beatitudo, ſeu præmium, quod animabus plenè purgatis debetur, ad univerſale uſque Judicium procraſtinaretur. *Apoſtolus diſſolvi, & cum Chriſto eſſe, ſibi meliùs teſtatur ..... cùm Chriſti conſortium mors acquirat*, inquit *S.Hilarius* in Pſalm.119. *Qui ergò Chriſtum in Cœlo eſſe non dubitat, nec Pauli animam in Cœlo eſſe negat*, ait *Gregorius Magnus* lib. 4. Dialog. cap.24.

Alterum momentum ſuppeditat conſtans, ac univerſalis Eccleſiæ traditio, quâ firmiter credimus Chriſtum per Aſcenſionem ſuam aperuiſſe Regnum Cœlorum antehàc occluſum, & nunc cum Chriſto regnare omnes Sanctos, qui nos apud Deum ſuis orationibus jugiter juvant. Hanc fidem in publicis Eccleſiæ precibus, & in actis Sanctorum Martyrum conſignatam non negabit, qui antiquum Ordinem Romanum, aut Miſſale Gotthicum lib.3. de Litturgia Gallic. editum, aut Sacramentarium Gallicanum, quod è manuſcripto Codice antè annos mille exarato tom.1. Muſæi Italici inſeruit doctiſſimus *Mabillonius*,

lonius), necnon ſincera Martyrum acta à *Theodorico Ruinart* Congreg. S.Mauri Benedictino edita, aliaque id genus Eccleſiaſticę antiquitatis monumenta conſulere non gravabitur. In his quippè legimus Martyres Chriſti de hac fide, & à ſuis Judicibus interrogatos, & ab Ethnicis fuiſſe irriſos, plebique Chriſtianæ ſolenne fuiſſe ad Martyres feſtinare, eosque obnixè rogare ut, cùm ad Deum in Cœlum perveniſſent, ſui apud eum memores eſſe dignarentur. Duo tantùm hîc Sanctorum Martyrum exempla in medium proferam, quæ rem planè conficient. Primum eſt *Sancti Ignatii Martyris*, qui in epiſtola ad Romanos dicit, ſe per martyrium adepturum Chriſtum, de mundo ad Deum proficiſci, ſeque miſerum eſſe donec Deum mereatur adipiſci. Alterum exemplum adducit *Euſebius* lib. 6. Hiſtor. Eccleſiaſt. cap.15. ubi ait *Sanctam Potamiænam*, quæ tertio ineunte ſæculo martyrium paſſa eſt, promiſiſſe Baſilidi carnifici eam ad ſupplicium ducenti, ſe poſt ſuum obitum ſalutem ipſius à Domino impetraturam, cùmque in Domino fratres eum adjiſſent, & cauſam ſubitæ illius, atque inſperatæ converſionis interrogaſſent; reſpondiſſe ſe Potamiænam tertio poſt illius martyrium die vidiſſe ſibi noctu aſſiſtentem, coronam capiti ſuo imponentem, ac dicentem ſe ipſius cauſâ Dominum oraſſe, atque id, quod petierat, impetraſſe, nec diu poſteà ipſum ad ſuperos migraturum; totamque iſtam narrationem his verbis concludit Euſebius: *Hoc modo Beata Virgo migravit è terris ad Cœlum*.

Tertium momentum colligitur ex teſtimoniis Sanctorum Patrum tam Græcorum, quàm Latinorum, qui huic doctrinæ adſtipulantur. *Sanctus Baſilius* orat. in quadraginta Martyres ſic eos affatur: *Vos non terra contexit, ſed Cœlum excepit, apertæ ſunt vobis Paradiſi portæ*. Porrò hi, quos Cœlum ſuſcepit, & quibus apertæ ſunt Paradiſi portæ, omni procul dubio Beatitudine potiuntur. His gemina habet *Sanctus Gregorius Nazianzenus* orat. 20. de laudibus S. Baſilii, in qua his verbis ejus opem implorat: *Tu verò ſacrum, & divinum caput è Cœlo nos, quæſo, inſpice*. Nec minùs diſertè in hanc rem loquitur *Sanctus Gregorius Niſſenus* orat. in S. Ephrem, in qua hac religioſa prece eum veneratur: *Tu verò divino aſſiſtens Altari, vitæque Principi, & ſacroſancta unà cum Angelis ſacrificans Trinitati, omnium noſtrum recordare, nobisque peccatorum veniam impetra*. Infinitus eſſem ſi omnia Patrum Græcorum vellem hîc coacervare teſtimonia, conſulat Lector,ſi per otium liceat, *Sanctum Chryſoſtomum* homil.3. ad Philippenſes, *Sanctum Epiphanium* hæreſi 78. *Theodoretum* lib. 8. ad Græcos, qui eſt de Martyribus, *Damaſcenum* in hiſtoria de Barlaam, & Joſaphat, *Theophylactum* in cap.23. Lucæ, & *Oecumenium* in cap.9. epiſt. ad Hebræos. In eamdem doctrinam conſpirant Patres Latini,

Cypria-

Digitized by Google

Cyprianus in calce libri de exhortatione Martyrii hæc habet: *Quanta eſt dignitas, & quanta ſecuritas exire hinc latum, exire inter preſſuras, & anguſtias glorioſum, claudere in momento oculos, quibus homines videbantur & mundus, & aperire eoſdem ſtatim ut Deus videatur & Chriſtus, tam velociter migrandi quanta felicitas, ut terris repentè ſubtraharis, ut in Regnis Cæleſtibus reponaris?* Similia ſcribit Sanctus ille Doctor ſub finem lib. de mortalitate. Sancto Cypriano ſuccinit *Sanctus Hieronymus*, qui in lib. contrà Vigilantium his verbis hunc Hæreticum perſtringit: *Tu Deo leges pones? Tu Apoſtolis vincula conjicies ut uſque ad diem Judicii teneantur cuſtodia, nec ſint cum Domino ſuo, de quibus ſcriptum eſt: Sequuntur Agnum quocumque ierit?* Legi poſſunt ea, quæ habet idem Pater in epitaphio *Nepotiani*, *Paulæ*, & *Bleſillæ*, & in epiſtola ad *Marcellam* de obitu *Lætæ*. Conſultò hîc prætermitto aliorum Patrum Latinorum teſtimonia, potiſſimùm *Hilarii*, *Ambroſii*, *Auguſtini*, & *Bernardi*, quia eorum mentem, quæ ſuper hac re nonnullis ſub obſcura, & ambigua eſſe videtur, inter dilucidandas objectiones in præclaro, ut ſpero, lumine collocabo.

Ex his autem, quæ hactenùs laudavi, Sanctorum Patrum tam Græcorum, quàm Latinorum teſtimoniis, facili negotio quiſque intelligere poteſt opinionem quorumdam veterum Patrum, & Auctorum Eccleſiaſticorum, qui Sanctorum animas extrà Cœlum degere, & necdùm ſupremæ felicitatis compotes eſſe ſenſerunt, non fuiſſe totius Eccleſiæ ſententiam, quod etiam *Joannes Dallæus* ſuperſtitionis Calvinianæ miniſter, volens nolens, faſſus eſt lib. 1. *de religioſi cultus objecto* cap. 22. ubi, poſtquàm ad impugnandum cultum, qui in Eccleſia Catholica Sanctis defertur, adduxit *Juſtinum, Irenæum, Tertullianum, Origenem, Victorinum, Lactantium*, & alios, qui Sanctorum felicitatem ad extremum Judicii diem differri olim opinati ſunt; ipſa tamen rei veritate compulſus ait: Se aſſentiri *Cardinali Perronio* neganti cõmunem hanc fuiſſe totius Chriſtianæ Eccleſiæ ſententiam. Hæc ſunt ipſius verba: *Ex his autem abſit, ut ego vel exiſtimem, vel contendam communem hanc fuiſſe totius Chriſtianæ Eccleſiæ ſententiam. Perronio fuiſſe neganti, libens aſſentior, & facilè, ſi hìc eſſet locus, ex Clementis epiſtola ad Corinthios, & Lugdunenſium in actis ſuorum Martyrum, & Cypriani in libro de mortalitate, & aliorum teſtimoniis probare poſſem non omnes Orthodoxos putaſſe piorum corpore ſolutas animas, extrà Cælum abſque Dei viſione uſque ad reſurrectionem detineri, ſed quoſdam, immò fortaſſe multos, veriora præeuntibus Scripturis ſequentes, credidiſſe Cælo ſtatim recipi quotquot in Domino moriuntur.*

Ultimum momentum, ad probandum præmiorum retributionem fieri in Judicio particulari, quod Chriſtus exercet ſtatim ac animæ ſuis ſunt ſolutæ corporibus, deſumitur ex juſtitia Dei. Alienum quippè

Digitized by Google

quippè eſt à divina juſtitia, ut animæ, quæ ſunt plenè purgatæ, & ab omni macula, pœnęque reatu liberæ, pœnâ aliquâ afficiantur, portò ſi Beatitudo ad ultimum uſque Judicii diem differretur, prædictæ animæ non modicâ pœnâ in hac dilatione torquerentur, tùm quia *Spes, quæ differtur, affligit animam*, ſicut dicitur Proverb. cap.3. tùm quia, teſte *S. Auguſtino* ſerm.14. de verbis Apoſtoli, *non eſſe in patria, ſi amatur patria, magna pœna, ſi autem non amatur patria, pejor eſt cordis pœna. Parvum malum eſt in hominis corde, qui ſocietatem non quærit Sanctorum, qui non deſiderat Regnum Cælorum: ſi non deſiderat, pœna eſt de perverſitate: ſi autem deſiderat, pœna eſt de fraudata charitate.* Cùm igitur negari non poſſit Juſtorum animas ſuis exutas corporibus ad Patriam anhelare, & coronam ſibi debitam conſequi peroptare, neceſſe eſt ut, ſi eâ ad ultimum uſque Judicii diem priventur, ex ea diuturna dilatione affligantur, pœnamque ſentiant de fraudata charitate.

Ex his, quæ hactenùs adduximus, momentis, ſat ſuperque retunditur impietas Calvini, qui proſcriptum ab Eccleſia errorem de dilatione Beatitudinis uſque ad extremum Judicii diem poſtliminio revocare auſus eſt lib.4. Inſtitutionum cap.20. ubi hæc habet: *Stultum, & temerarium eſt inquirere quo in loco ſunt animæ Juſtorum, & an gloria fruantur, nec ne? Interea cùm Scriptura ubique jubeat pendere ab expectatione adventus Chriſti, & gloriam, ac coronam eò uſque differat, contenti ſimus his finibus divinitùs præſcriptis, animas piorum militiæ labore perfunctas in beatam quietem concedere, ubi cum felici lætitia fruitionem promiſſæ gloriæ expectant.* Qua in re procaciſſimus ille Hęreticus vel ſuam in Scriptura, & in doctrina Patrum ignorantiam, vel in occultanda veritate apertè prodidit malitiam.

DILUUNTUR OBJECTIONES.

Arguitur primò: Apocalypſis cap.6. hæc ſcribit *S. Joannes*: *Vidi ſubtus Altare animas interfectorum propter verbum Dei, &c.* Hoc eſt, animas Sanctorum Martyrum, qui pro Chriſti mortem oppetierunt. Ex quo Scripturæ ſacræ contextu hoc conficitur argumentum, hi, qui adhùc ſunt ſub Altari, nondùm ſunt in Cœlo, ſed Martyrum animæ ſunt adhùc ſub Altari, ergò necdùm ſunt in Cœlo beatificâ viſione fruentes. Præterea, *Matth.* cap.20. Pater-familias iis, qui operati fuerant in vinea ſua, denarium diurnum dumtaxàt perſolvit ad veſperam. Per patrem-familias adumbratur Deus, per denarium diurnum deſignatur Beatitudo, per Veſperam intelligitur reſurrectio, ſeu Mundi finis; ergò in die tantùm Judicii, ſeu in fine Mundi Sanctis Beatitudo rependetur.

Deni-

Denique, *Matth.* cap.25. Deus in extremo Judicio Electis dicturus eſt: *Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, quod vobis paratum eſt à conſtitutione mundi*. Ergò Sancti in extremo tantummodò judicio obtinebunt Regnum Dei.

Reſpondeo ad ſingula illa Scripturæ ſacræ teſtimonia. Ad primum dico: *Altaris* nomine non deſignari in Apocalypſi locum quemdam ſubterraneum, in quo animæ Juſtorum, poſtquàm migrarunt è corporibus, extremum Judicii diem expectent, ut potiantur Beatitudine; ſed potiùs *Altaris* nomine indicari Cœlum, in quo Sancti jàm fruuntur beatitudine incompletâ, ſeu beatitudine animæ, quæ Deum per intuitivam Dei viſionem poſſidet, quamvis nondùm Sancti donentur beatitudine completâ, carent quippè corporis beatitudine, quam in reſurrectione tantùm, ſeu in fine mundi conſequentur. Hanc eſſe veram, & genuinam illius loci interpretationem, patet quia in eodem Apocal. capite dicitur datas eſſe illis, quos *Joannes* vidit ſub Altari, ſingulas ſtolas albas. Et cap. 7. *Ii, qui amicti ſunt ſtolis albis, ſunt antè thronum Dei, & ſerviunt ei die, ac nocte in Templo ejus.* Ex quibus verbis liquet *Altaris* nomine indigitari Cœlum, in quo Sancti aſſiſtunt antè thronum Dei, & fruuntur beatitudine incompleta, ſeu beatitudine animæ, quæ per ſtolam albam, quam jàm ſinguli receperunt, deſignatur. *Antè reſurrectionem Sancti ſingulas ſtolas accipiunt, quia ſola animarum beatitudine perfruuntur: in fine autem mundi binas habituri ſunt, quia cum mentis beatitudine, etiam carnis Beati gloriam poſſidebunt*. Verba ſunt *Gregorii Magni* lib.35. Moral. cap.9.

Ad alterum Scripturæ teſtimonium, dico: Per *Veſperam* non deſignari finem mundi, ſed extremam vitæ cujuslibet periodum, ſive exceſſum ex hac vitâ, quo tempore fit privatum Judicium, ſeu præmiorum, ac pœnarum retributio. Dici etiam poteſt, quod ſi per *Veſperam* intelligatur finis mundi, ſenſus eſt, quod in fine mundi, ſeu poſt ultimum Judicii diem, Sancti fruituri ſint beatitudine completâ, quæ animæ, ac corporis gloriam ſimul complectitur. De eadem beatitudine completa intelligendus venit locus ille *Matth.* cap.25. *Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, &c.* Sancti quippè poſt reſurrectionem æternâ tùm animæ, tùm corporis felicitate gaudebunt.

Arguitur ſecundò: Validum ex precibus, ac ſupplicationibus, quas Eccleſia Deo offert pro mortuis deſumitur argumentum ad probandum nullum ſtatim poſt obitum fieri Judicium privatum, ſed præmiorum, ac pœnarum retributionem ad extremum uſque Judicii diem procraſtinari, ergò Judicium privatum immediatè poſt obitum admitti non debet. Prob. ant. Primò, quia vetus Eccleſia pro omnibus omninò mortuis, etiam pro Sanctiſſimis, pto Apoſtolis, pro Martyribus, pro ipſa etiam Dei-para Virgine preces, ac ſupplicationes

Deo

Digitized by Google

Deo offerebat, ut videre eſt in priſcis Eccleſiarum Liturgiis, in ea ſcilicèt, quæ dicitur Sancti Jacobi, in Liturgia Sancti Marci, item in Liturgia Syrorum, & in Liturgia S. Chryſoſtomi. In his, inquam, Liturgiis extant preces, quibus Deum orat Eccleſia ut Sanctos, qui è vivis abjerunt, *requieſcere faciat in regione viventium, & largiatur jis promiſſionum ſuarum bona, & præſtet requiem, & bonam memoriam.* Atqui ſi immediatè poſt obitum privatum fieret Judicium, & præmiorum in eo daretur retributio, fruſtrà ejusmodi preces Eccleſia pro mortuorum Sanctiſſimis antiquitùs obtuliſſet, ergò ex his veteris Eccleſiæ precibus evincitur nullum immediatè poſt obitum fieri Judicium particulare, nullamque præmiorum, pœnarumve retributionem. Præterea, Eccleſia etiamnùm in Miſſis pro Defunctis Chriſtum orat *ut liberet animas omnium Fidelium Defunctorum de manu inferni, & de profundo lacu; liberet eas de ore leonis ne abſorbeat eas tartarus, ne cadant in obſcura, &c.* Atqui ſi confeſtim per obitum fieret Judicium privatum, ſupervacanea eſſet illa Eccleſię oratio, cùm certum ſit æterni Judicis ſententiam precibus Eccleſiæ reſcindi, & revocari minimè poſſe. Credit ergò Eccleſia nullum ſtatim poſt obitum fieri Judicium privatum, undè in Officio pro Mortuis ſtatum Defunctorum exhibet adhùc pendulum, dùm in perſona cujuslibet defuncti ſic Deum deprecatur: *Libera me Domine de morte æterna in die illa tremenda.... dùm veneris judicare ſæculum per ignem.*

Reſpondeo: Duo illa momenta ex precibus Eccleſiæ petita, facilè admodùm dilui poſſe. Ad primùm quippè dico: Illas veteris Eccleſiæ pro Sanctis orationes, non deprecationes fuiſſe, ſed gratiarum actiones. Id patet ex antiquis illis Liturgiis, in quibus Eccleſia Sanctorum mentionem facit, ut nos ſuis precibus, & interceſſionibus juvent apud Deum, aliorum verò Defunctorum meminit Eccleſia, ut ipſimet orationibus noſtris, & Sacrificiis ſubleventur, & ut Deus in regione viventium requieſcere eos faciat. Hujus veteris Eccleſiæ diſciplinæ teſtis eſt locupletiſſimus *S. Auguſtinus* ſerm. 17 de verbis Apoſtoli cap. 1. ubi hæc ait: *Ideòque habet Eccleſiaſtica diſciplina, quod Fideles noverunt, cum Martyres recitantur ad Altare Dei, ubi non pro ipſis oratur, pro cæteris verò commemoratis defunctis oratur, injuria eſt enim pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari.* Eamdem veteris Eccleſiæ diſciplinam pari modo antè Sanctum Auguſtinum exponit *Sanctus Cyrillus Hieroſolymitanus* in Catecheſi Myſtagogica quinta, eamque diſertè confirmant Liturgiæ Sancti Jacobi, & Sancti Chryſoſtomi, in quarum prima hæc verba leguntur: *Sanctiſſimæ inviolatæ, glorioſiſſimæ Dominæ noſtræ Dei Genitricis, & ſemper Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum, ac juſtorum memoriam facimus, ut precibus, & interceſſionibus ipſorum omnes miſericordiam*

Xxx conſe-

conſequamur. Horum ſimilia habentur in Liturgia S.Chryſoſt. Illi igitur, quorum Eccleſia in veteribus Liturgiis mentionem facit, ut Deus requieſcere illos faciat in regione viventium, non ſunt Martyres, ac Sancti, ſicut Pſeudo-miniſter *Dallæus* lib. 2. *de Religioſi cultus objecto* ſibi, aliiſque falsò perſuadere conatur, ſed ſunt alii defuncti qui, è vivis cùm necdùm plenè purgati excellerunt, leviorum peccatorum ſordes, quas in hac vita mortali contraxerunt flammis piacularibus Purgatorii abſtergunt, Cœleſtis gaudii, & Patriæ nondum conſortes facti.

Ad alterum momentum reſpondent quidam Theologi ejuſmodi preces fieri in Eccleſia pro animabus, quæ piacularibus Purgatorii pœnis expiantur. Nàm licèt fides doceat beatam illarum animarum ſortem eſſe à Deo prædeſtinatam, nec ulli mutationi obnoxiam; fide tamen divina certum non eſt, an animæ, quæ in Purgatorio detineutur, ſe Beatas fore certò cognoſcant? quia ſicut Deus juſtos adhùc in terris degentes variis anxietatibus, crucibus internis, conſolationum ſpiritualium omnimoda ſubtractione, & tantùm non derelictione probare, ac purgare ſolet, ità inquiunt illi Theologi, Deus permittit, ut inter illas animas, quæ ſunt in Purgatorio, aliquæ ſpem inter ac metum fluctuent, turbatæ, anxiæ, & triſtes ſint, ſuique proprii ſtatus perfectam cognitionem, necdùm habentes, ſe beatas fore, & nunquàm ad inferos detrudendas certò non noſcant. Quò fit, ut Eccleſia ſpectans ſtatum illarum animarum, quas Deus his anxietatibus, & internis pœnis in Purgatorii loco mirabiliter cruciat; earum nomine, earumque affectui ſe ſe conformans, Deum roget, ut eas liberet de manu inferni, & de profundo lacu, ne abſorbeat eas tartarus, ne cadant in obſcura, & ut eas liberet de morte æterna in die tremenda ſupremi Judicii. Sic reſpondent quidam Theologi, quorum ſententia nullâ licèt cenſurâ affici debeat, eam tamen meo calculo probare haud poſſum, quippè quæ abhorret à communi opinione Theologorum, qui omnes animas pœnis Purgatorii addictas ſuæ ſalutis certitudinem habere docent. Hac itàque miſsâ reſponſione.

Reſpondeo cum *Bellarmino* lib. 2. de Purgat. cap. 5. Eccleſiam in Officio, & Sacrificiis pro defunctis orare, quaſi tunc animæ migrarent è corporibus, & in periculo eſſent ſalutis æternæ, undè ſicut in celebritatibus feſtorum Incarnationis, Natalis, paſſionis Chriſti Domini Eccleſia mutuata oracula Prophetarum, qui Chriſtum venturum, & paſſurum cecinerunt, ità orat, ac ſi tunc Chriſtus vel incarnari, vel naſci, vel pati deberet, quia ad excitandam Fidelium pietatem hæc myſteria repræſentat ut præſentia, ità quoque in Officio, & Sacrificiis pro defunctis Eccleſia ſic pro illis orat, ac ſi in agone

Digitized by Google

agone eſſent conſtituti, jamque propediẽm vinculis corporis exolvendi. Quapropter ſicut non eſt abſurdum poſt mille & ſeptingentos annos, nunc in adventu Chriſti Domini dicere: *Rorate Cœli deſuper, & nubes pluant juſtum, aperiatur terra, & germinet Salvatorum*; abſurdum itidem cenſeri haud debet in Officio, & in Sacrificiis, quæ in Eccleſia offeruntur pro animabus defunctorum, dicere: *Libera eas de ore leonis, ne abſorbeat eas tartarus*. Vel *libera me Domine de morte æterna in die illa tremenda, &c.*

Arguitur tertiò: Sancti Patres *Hilarius*, *Ambroſius*, *Auguſtinus*, & *Bernardus* docent animas etiam Sanctorum, ubi primùm à corporibus migrarunt, deſcendere ad inferos, ſeu recipi in abditis, & ſecretis quibusdam receptaculis, easque viſione Dei, ſeu beatitudine non perfrui antè extremum judicii diem, ergò ex Sanctis Patribus nullum ſtatim poſt obitum fit judicium particulare, ac ſubindè nulla præmiorum, pœnarumve retributio. Prob. ant. *Sanctus Hilarius* in Pſalm.138. *Humanæ lex neceſſitatis eſt*, inquit, *ut ſepultis corporibus animæ ad inferos deſcendant*. *Sanctus Ambroſius* lib.2. de Cain cap.2. *Solvitur corpore anima, & poſt finem vitæ hujus adhuc tamen futuri judicii ambiguo ſuſpenditur*. Et in lib. de bono mortis cap. 10. receptaculorum, in quibus animæ exutæ corporibus recipiuntur, diſertam mentionem facit, his verbis: *Scriptura Eſdræ habitacula animarum promptuaria nuncupat*. *S. Auguſtinus* in Enchyrid. cap.108. non obſcurè innuit animas uſque ad reſurrectionem corporum in abditis receptaculis contineri, *tempus*, inquit, *quod inter hominis mortem, & ultimam reſurrectionem interpoſitum eſt, animas abditis receptaculis continet*. Similia apud Sanctum illum Doctorem legi poſſunt lib.12. de Geneſi ad litteram cap. 35. epiſt. 3. ad Fortunatum, in lib. de ſpiritu, & littera cap.21. & lib.1. Retract. cap.14. Denique *Sanctus Bernardus* ſerm. 3. de omnibus Sanctis diſtinguit tres Sanctorum ſtatus animarum. *Primum videlicèt in corpore, ſecundùm ſine corpore, tertium in beatitudine conſummata: Primùm in tabernaculis, ſecundùm in atriis, tertium in Domo Dei*. Et infrà ſubdit: *In illam beatiſſimam Dei Domum animæ, nec ſine nobis intrabunt, nec ſine corporibus ſuis, ideſt, nec Sancti ſine plebe, nec ſpiritus ſine carne*. Et ſerm.4. *Altare*, ſub quo Sanctus Joannes vidit animas interfectorum, ſeu Sanctorum Martyrum, exponit Sanctus Bernardus de humanitate Chriſti, quam nunc intuentur Beatorum animæ, Dei eſſentiam dumtaxàt poſt reſurrectionem viſuræ, quia tùm temporis, ut ait Mellifluus ille Doctor, ſuper Altare exaltabuntur. Ex illis igitur Sanctorum Patrum teſtimoniis conſtat æternam beatitudinem, Deique conſpectum Sanctis ſtatim à morte non indulgeri, ſed ad extremum uſque judicium differri.

Reſpondeo exponendo mentem Sanctorum Patrum. Et primò dico: S. Hilarium, dùm in Pſalm. 138. dicit legem eſſe humanæ neceſſitatis, ut animæ, ſepultis corporibus, ad inferos deſcendant; intelligi debere pro eo toto tempore, quo Cœlum antè adventum Chriſti erat clauſum, at poſtquàm Chriſtus aditum per paſſionem ſuam ad Cœlum reſeravit, Sanctos confeſtim poſt obitum Regni Chriſti fieri conſortes, & impios abſque ulla dilatione ſempiternis pœnis affici, diſertè docet *Sanctus Hilarius* in Pſalm. 2. ubi hœc habet: *Excipit nos ſtatim ultor infernus, & deſcendentes de corpore, ſi ità vixerimus, confeſtim de via recta perimus. Teſtes nobis Euangelicus dives, & pauper, quorum unum Angeli in ſedibus Beatorum; & in Abrahæ ſinu locaverunt, alium ſtatim pœnæ Regio ſuſcepit. Adeò autem ſtatim pœna mortuum excepit, ut etiam fratres ejus adhuc in ſupernis manerent. Nihil illic dilationis, aut moræ eſt.* Videri poſſunt alia in hanc rem S. Hilarii teſtimonia in præfatione, quam doctiſſimi Patres Benedictini Congr. Sancti Mauri recenti operum hujus S. Patris editioni præfixerunt, ut illum Eccleſiæ Doctorem ab hoc errore vindicarent.

Ad teſtimonium *Sancti Ambroſii* petitum ex cap. 2. lib. 2. *de Caiu, & Abel* dico: Eum vel loqui de animabus mox è corporibus migraturis, quæ adhuc futuri judicii ambiguo ſunt ſuſpenſæ, vel innuere dumtaxàt velle animas etiam beatas neſcire, quando nàm futurum ſit univerſale judicium. Quid autem intelligat Sanctus Ambroſius per animarum receptacula, quorum in lib. de bono mortis cap. 10. mentionem facit, quamvis definire haud facilè ſit, crediderim tamen, illum nihil aliud deſignare voluiſſe quàm Limbum, in quo animæ Juſtorum veteris teſtamenti uſque ad Chriſti adventum fuerunt incluſæ; de illis quippè Juſtis veteris legis ſermonem eo loci texere dumtaxàt videtur Sanctus Doctor. Cæterùm omnibus Juſtis poſt Chriſti aſcenſionem confeſtim à morte patere Cœlum, Deumque ipſis ſine mora ſui copiam facere, omni remotâ obſcuritate affirmat *S. Ambroſius* lib. 10. in Lucam: *Undè*, inquit, *te evocem Petre, ut doceas me, quid flens cogitaveris? Undè te*, inquam, *evocem? De Cœlo, ubi jàm choro inſertus es Angelorum?* Similia habet epiſt. 22. aliàs 54. de SS. Gervaſio, & Protaſio, *quorum*, inquit, *anima in Cœlo, Corpus in terra*. Et epiſt. 15. aliàs 59. ad Sacerdotes, & omnem Clerum, & plebem Theſſalonicenſium directâ, hæc de Acholio Epiſcopo ſcribit: *Acholius ſuperiorum incola, poſſeſſor Civitatis æternæ, illius Hieruſalem, quæ in Cœlo eſt, videt illic Urbis ejus menſuram immenſam, purum aurum, lapidem pretioſum, lumen ſine Sole perpetuum, & hæc omnia jàm dudùm ſibi comperta, ſed nunc facie ad faciem.* Ex quibus verbis conſtat *S. Ambroſium* aut prædicta receptacula poſt Chriſti Domini aſcenſionem nunquàm admiſiſſe, aut ſi hac in re ſuo tempore adhùc ambigua interdùm

Digitized by Google

terdùm vacillare viſus eſt, ſuam tandem dubitationem re maturiùs diſcuſsâ depoſuiſſe.

Quod ſpectat *Sanctum Auguſtinum*, dico: Aquilinum illum Doctorem dubium quidem aliquandò hæſiſſe de loco ubi Sanctorum animæ ante Judicii diem excipiuntur, an videlicèt ille ſit ſinus Abrahæ? & quis ſit ille ſinus? an in paradiſo? & ubi nam ſitus ſit ille paradiſus? an in tertio cœlo? cum tamen nunquàm dubitaſſe quin animæ Sanctorum antè Judicii diem claro Dei conſpectu, & æterna felicitate donentur. In hoc autem dubio de loco, in quo nunc requieſcunt Sanctorum animæ, non perſeveravit *Auguſtinus*, ſed illud tandem abjecit, nam libro 2. quæſt. Euangelicarum cap. 38. *Sinum Abrahæ requiem eſſe*, ait *Beatorum pauperum, quorum eſt Regnum Cœlorum, in quo poſt hanc vitam recipiuntur: eumdemque eſſe ſecretum Patris, quò poſt paſſionem ſuam reſurgens* (Chriſtus) *aſſumptus eſt . . . . . . ubi etiam ante reſurrectionem juſtorum animæ vivunt cum Deo.* Et libro 20. de Civitat. Dei cap. 15. ait juſtorum animas *prorsùs inferos neſcire, ubi antiqui Sancti detinebantur, donec eos indè ſanguis Chriſti, & ad ea loca deſcenſus erueret.* Ex quibus verbis perſpicuum eſt Sanctum Auguſtinum in priori ſuo dubio de ſanctarum animarum poſt mortem receptaculis non perſeveraſſe.

Poteſt etiam dici cum doctiſſimis Theologis Sanctum Auguſtinum ſenſiſſe Sanctorum animas videre quidem nunc Deum facie ad faciem, ſed non ita perfectè, & intensè, quomodò videbunt poſt reſurrectionem; eo quod, ut docet idem Pater libri 12. de Geneſi ad litteram cap. 35. naturalis appetitus, quo feruntur erga corpus, ut ei rursùm uniantur, remoretur eas quominùs totâ intenſione ferantur in Deum. Hæc autem quæſtio, an videlicèt animæ beatorum ità perfectè, ac intensè Deum nunc videant, ac poſt reſurrectionem corporum? necdùm fuit ab Eccleſia definita, quamvis probabilior ſit ſententia Theologorum, qui poſt *S. Thomam* 1. 2. qu. 4. art. 5. docent quod reſumpto corpore, beatitudo eſſentialis animæ, quæ ſita eſt in clara & intuitiva Dei viſione, creſcet non intenſivè, ſed extenſivè dumtaxàt.

Denique ad loca *Sancti Bernardi* in objectione adducta, dico; Mellifluum illum Doctorem Sancti Auguſtini ſententiam ea in re fuiſſe ſecutum, ac negaſſe tantum animas Sanctorum nunc tàm perfectè, & intensè videre Deum, quàm viſuræ ſint ſuis ſemel receptis corporibus. In hanc ſententiam iviſſe *Sanctum Bernardum* probant iſta verba ſerm. 3. de omnibus Sanctis, quibus ſic carnem alloquitur: *animæ ſanctæ te deſiderant, ipſarum ſine te compleri lætitia, perfici gloria, conſummari beatitudo non poteſt. Adeò ſiquidèm viget in iis hoc deſiderium naturale, ut necdùm tota earum affectio liberè pergat in Deum, ſed contrahatur*

trahatur quodam modo, & rugam faciat, dùm inclinatur deſiderio tui. Idem repetit Sanctus Doctor ſerm. 87. de diverſis. Verùm, quamvis huic ſententiæ faverit *Sanctus Bernardus*, attamen variis in locis luculenter docet juſtorum animas, ſtatim poſt hanc vitam, æternam adipiſci felicitatem; ſerm. quippè tertiò de omnibus Sanctis: *Acceperunt*, inquit, *jam ſingulas ſtolas, ſed non veſtientur duplicibus, donec veſtiamur & nos: Stola enim prima ipſa eſt quam diximus felicitas requies animarum, ſecunda verò immortalitas & gloria corporum*. Et in libro de diligendo Deo circa finem dicit: *Martyres immerſos eſſe immenſo Pelago æterni luminis, & luminoſæ æternitatis*. Et in epiſt. ad Fratres de Hibernia ait *animam Malachiæ non jam in fide ambulare, ſed in ſpecie regnare*. Et ſerm. de eodem dicit: *Eum pari gloria & felicitate regnare cum Angelis*. Nec minùs apertè ſuam ſententiam promit epiſt. 98. in qua ſic loquitur: *Noſtri autem martyres cupiunt diſſolvi, & eſſe cum Chriſto; certi ubicumque eſt corpus, illò ſine mora congregatum iri aquilas. Mox, inquam, ibi exultant juſti in conſpectu Dei, & delectantur in lætitia, ibi, ibi, benigniſſimè Jeſu, ibi ſtatim ac de hoc ſæculo nequam ſanctus quiſque eripitur, adimpletur lætitia, cum vultu tuo*. Idem fermè regerit Sanctus Doctor ſerm. 4. & 5. de de omnibus ſanctis, et epiſt. 266. de obitu *Humberti*, & alibi paſſim quò fit ut *Sanctus Bernardus* nullo pacto iis accenſeri poſſit qui animabus juſtorum ante generalem corporum reſurrectionem,& extremum judicium æternam felicitatem ademerunt.

Advertat Lector in fine hujus paragraphi *Joannem XXII.* Pontificem Maximum faviſſe plus æquò, tanquàm Doctorem privatum, ſententiæ beatitudinem Sanctorum ad extremum uſque judicii diem procraſtinanti, nunquam tamen hanc ſententiam ex Cathedra, ut ajunt, definiiſſe, ſed potiùs ſub finem vitæ ſuæ palinodiam decantaſſe, & ea, quæ anteà de animarum felicitate minus concocta dixerat, retractaſſe. Id liquet ex tribus potiſſimùm momentis, quæ *Odoricus Raynaldus* inſeruit in Annalibus Eccleſiaſticis ad ann. Chriſti 1333. 1334. 1336. imprimis Joannes XXII. dùm viveret, ſæpè ſæpiùs profeſſus eſt ſe nihil ſuper hac quæſtione ſtatuiſſe, cumque benè multi ob prædictam opinionem ei invidiam conflarent, ejuſque famam lacerarent, prædictus Pontifex, ut calumniam à ſe propulſaret, pluribus litteris apud Philippum Galliarum Regem, & apud Reginam queſtus eſt rem ſibi à malevolis affictam, nihilque à ſe fuiſſe definitum, ſed dicta Patrum veritatis tantummodò indagandæ ſtudio ſe collegiſſe, quæ ab Archiepiſcopo Rothomagenſi Gallicis verbis reddi ac Regi exponi juſſit. Philippum verò rogavit ne quæſtionem utramque in partem ventilari prohiberet, quò ex ea diſceptatione magis ac magis emicaret rei veritas. Deindè,Joannes XXII.

ineunte

Digitized by Google

ineunte anno 1334. die 3. Januarii in publico Cardinalium Conſiſtorio conteſtatus eſt ſe in iis, quæ agitata, adductaque in hujuſmodi controverſia hactenùs fuerant, nunquam habuiſſe animum decidendi, vel credendi quidquam divinis oraculis adversùm. Hanc publicam Joannis XXII. in ſacro Senatu profeſſionem refert *Odoricus Raynaldus* ad ann. Chriſti 1334. illiuſque meminere *Okamus*, & *bona gratia* minoritæ Joannis XXII. acerrimi inſectatores. Denique, Joannes XXII. lethali morbo implicitus coràm Cardinalibus exertè declaravit ſentire ſe animas ab omni labe puras in cœlo verſari, & claro divinitatis intuitu perfrui, ac ſi quæ olim contra eam ſententiam protuliſſet, non ferendo ſententiam, ſed alia ſcripta repetendo propoſuiſſe. Qua de re tertiò nonas Decembris Pontificatus ſui anno 19. diploma ejus juſſu fuit exaratum, quod, cum ob ſecutam illius mortem, Pontificiâ bullâ munitum non eſſet, Benedictus XII. ejus ſucceſſor anno ſequenti unâ cum aliis publicis tabulis promulgavit, ut illis, qui Joannis XXII. famam arrodebant, & ſua in eum venena fundebant, perpetuum imponeret ſilentium. quæ omnia legi poſſunt apud *Odoricum Raynaldum*, ex quibus facilè refelluntur duo putidiſſima impoſtoris Calvini mendacia, ille quippè effrons hæreticus ſcribere non erubuit Joannem XXII. ſenſiſſe animas eſſe mortales uſque ad extremum judicii diem, illumque ideò in hæreticorum Catalogo reponendum. Quo nihil profectò impudentiùs fingi poteſt, nihil magis à Joannis XXII. ſententia alienum. Secundò auſus eſt idem hæreticus aſſerere nullum Cardinalium ſententiæ Joannis XXII. reſtitiſſe. Quod fætidiſſimum itidem mendacium eſt. Extant ſiquidem, teſte ſæpè laudato *Odorico Raynaldo*, inſignia in Bibliotheca Vaticana, *Jacobi* tituli S.Priſcæ Cardinalis, Epiſcoporum, Doctorumque edita tunc in adverſam partem erudita commentaria. Theologi etiam Sacræ fac Pariſienſis, multique è familia Dominicana ſententiæ Joannis XXII. palàm reſtiterunt, *Durandus* quoque Epiſcopus Meldenſis, id temporis inſignis Theologus edidit opuſculum de concedenda animabus juſtorum ſtatim poſt obitum beatitudine æternâ. Sed mira eſt impudentia Calvini, qui dùm ſententiam Joannis XXII. de dilatione beatitudinis, uſque ad extremum judicii diem hæreticam eſſe pronunciat, (quamvis eâ ætate prædicta quæſtio necdùm ab Eccleſia definita & eliquata eſſet) ipſe tamen, ſicut ſuprà obſervavimus, errorem de dilatione beatitudinis uſque ad extremum judicii diem nunc ab Eccleſia proſcriptum, jamque antiquatum denuò crambis inſtar recoctæ obtrudere, & mordicus propugnare præſumit, more hæreticorum qui nunquam ſibi conſtant, & calidum, ac frigidum ſimul ex eodem ore perflant.

Digitized by Google

Paragraphus Secundus

Utrùm præter judicium privatum, quod fit ſtatim poſt mortem, admitti debeat judicium univerſale? & utrùm Sancti poſt carnis reſurrectionem mille annis cum Chriſto regnaturi ſint in terris ante judicium generale?

Obſervandum primò: Ad pleniorem hujuſcè quæſtionis elucidationem, nonnullos olim fuiſſe, qui, ut monet *Origenes* tom. 1. editionis Huetianæ pag. 42. Propter illa verba, quæ habentur in pſalmo primo, *ideò non reſurgent impii in judicio*, adducti fuerunt ut impiorum judicium negarent: *hujus loci*, inquit Origenes, *auctoritate freti ſimpliciores quidam ex fidelibus, negant malos reſurrectionis compotes futuros, aut Dei judicio dignandos*. In eumdem errorem impegit *Lactantius* libro 7. Divin. Inſtit. cap. 20. Ubi de extremo judicio hæc ſcribit: *Nec tamen univerſi tum à Deo judicabuntur, ſed ii tantum qui ſunt in Dei religione verſati. Nam qui Deum non agnoverunt, quoniam ſententia de his in abſolutionem ferri non poteſt, jam judicati damnatique ſunt, ſacris litteris conteſtantibus, non reſurrecturos impios in judicium*. Verùm hic error palàm adverſatur Scripturæ Sacræ, quæ multis in locis diſertiſſimè docet omnes omninò homines à Chriſto Domino judicatum iri, pſalm. 95. *Judicabit orbem terræ in æquitate*. Joelis cap. 3. *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Joſaphat, & diſceptabo ibi cum eis*. Et Matth. cap. 25. *Et congregabuntur ante eum omnes gentes*. Hæc eſt doctrina Eccleſiæ Catholicæ perpetua Ss. Patrum traditione roborata.

Obſervandum ſecundò: Difficultatem eſſe inter Theologos, an parvuli, qui ex hac vita ante ſuſceptum baptiſma rapiuntur, comparituri ſint in judicio generali, Judicis ſententiam ſubituri? *Ambroſius Catharinus* in opuſc. *de ſtatu parvulorũ abſq; Baptiſmo decedentium*, negat infantes ſine baptiſmo decedentes debere ſiſti in judicio generali. Alii verò Theologi non negant parvulos abſq; baptiſmo decedentes in judicio generali comparituros, pertendunt tamen ejuſmodi infantes non futuros de numero judicandorum. Card. *Noriſius* in vindiciis Auguſtinianis, multique Theologi, quos ibidem citat, docent infantes ſine baptiſmo ex hac vita migrantes in judicio generali, unà cum reprobis ad ſiniſtram collocatos, in ignem æternum ſententiâ Judicis ituros, & pœnam ſenſus, mitiſſimam tamen, pro culpa originali paſſuros. Thomiſtæ denique cum *S. Thoma* aſſerunt puerulos ex hac vita abſque bapti-

baptiſmo ſublatos ad ſiniſtram ſimul cum reprobis in judicio generali eſſe conſtituendos, & abſolutæ, æternæque damnationi propter labem originalem ſententiâ Judicis deputandos, citra tamen ullam pœnam ſenſus. Hanc poſtremam opinionem cæteris probabiliorem eſſe, paucis in hoc Paragrapho commonſtrabo.

Obſervandum ultimò: Errorem de millenario Chriſti in terris regno fuiſſe propagatum à *Cerintho* hereſiarcha Apoſtolorum temporibus coævo, qui, ut referunt *Euſebius* lib.3.hiſt.Eccl. cap.22. *Auguſtinus* lib.de hæreſibus, & *Theodoretus* lib. 2. hæret. fab. cap. 3. docuit Chriſtum mille annis ante judicium generale in terras denuò venturum, & omnes juſtos tùm temporis reſurrecturos in carne, Chriſtumque unà cum illis regnaturum in terris per mille annos regno quodam temporali, quod ſummâ rerum omnium affluet opulentiâ, luxu, eduliis, ac cibis delicatiſſimis, carnalibus deliciis, rerumque venerearum impuriſſimis voluptatibus. Inſtaurandam inſuper id temporis Urbem Hieruſalem, reædificandum Templum, reſtituendam legem Moyſis, & omnia illius ſacrificia, ritus, cæremonias, aliaque id genus innovanda dictitabat. Hujus falſi dogmatis de millenario Chriſti in terris regno ante judicium generale aſſertores, communi vocabulo à Græcis dicti ſunt *Chiliaſtæ*, quos latinè nos ſolemus nuncupare *millenarios*, quod nomen impræſentiarum frequentiùs uſu invaluit. His obſervatis.

DICO PRIMÒ: *Præter judicium privatum, quod ſtatim poſt mortem exercet Chriſtus Dominus, admittendum eſſe judicium univerſale, in quo omnes omninò homines ſive boni, ſive mali, fideles, & infideles Chriſti ſupremi Judicis irrevocabilem ſententiam ſubire debent.*

Hoc Catholicæ fidei dogma profitentur omnes Chriſtiani in ſimbolis Apoſtolico, Nicœno, Conſtantinopolitano, necnon in eo, quod vulgò adſcribitur Sancto Athanaſio, tamque evidentèr ex benè multis Scripturæ teſtimoniis adſtruitur, ut, teſte *S. Auguſtino* lib. 10. de Civit.Dei cap. 3. nullus noviſſimum judicium inficias ire poſſit, niſi qui ſacris litteris incredulâ animoſitate, ſeu cæcitate non credit. Habentur autem præſertim hæc Scripturæ ſacræ teſtimonia *Iſaiæ* cap.3. *Joelis* cap.3. *Danielis* cap.12. *Matth.* cap.21.& ſeq.*Lucæ* cap.20. *Joannis* cap.5. epiſt. 1. ad Cor. cap.4. & 5. epiſt. 2. S.Petri cap. 5. &c. cùm igitur hoc fidei dogma ſit extra omnem dubitationis aleam poſitum, ſat erit breviter hìc expendere rationes, quibus Theologi probant, præter judicium privatum, neceſſarium eſſe judicium univerſale.

Ordior à ratione *Sancti Thomæ*, qui 3.p. q.59. art.5. ſic diſcurrit: Judicium de homine exerceri debet, quando omninò completa, ſeu totaliter terminata eſt vita ipſius, atqui licèt per mortem terminetur ex parte vita hominis, necdùm tamen omninò eſt terminata, quia

Digitized by Google

homo etiam poſt mortem vivit adhuc quantùm ad memoriam, familiam, opera, & fortunam. Manet ſuperſtes in hominum exiſtimatione, & fama. Vivit in filiis,qui ejus vitam bonam, vel malam æmulantur. Vivit in diſcipulis, qui ejus doctrinæ veræ, vel falſæ ſunt propugnatores, aut propagatores. Vivit denique in hæredibus, qui proſperâ, aut adversâ utuutur fortunâ; quibus omnibus hominis etſi jam mortui præmia, aut pœnas augeri neceſſe eſt, & quia hæc utilitas, vel calamitas ad plurimos pertinens, non priùs finem habitura ſit, quàm extremus veniat mundi dies, ideò oportet eſſe finale judicium in noviſſimo die, in quo perfectè,id quod ad unumquemque hominem ſpectat, quocumque modo manifeſtè judicetur.

Secundò: Neceſſarium eſt judicium generale, ut divinæ providentiæ ratio omnibus conſtet. Nam, ut docet Catechiſmus Concilii Tridentini, quoniam in adverſis, & ſecundis hominum rebus, quæ promiſcuè bonis æquè ac malis uſu venire ſolent, probandum erat nihil non infinitâ Dei ſapientiâ, & juſtitiâ geri, ac gubernari, par fuit non ſolùm bonis præmia, improbis ſupplicia in futuro ſæculo conſtitui, verùm etiam publico, ac generali judicio decerni, quò omnibus notiora, & illuſtriora fierent, Deoque laus ab omnibus tribueretur pro injuſta illa querela, quâ ſancti etiam viri, dum viverent, deplorare interdum ſolebant, dum improbos valentes opibus, & honoribus florentes conſpiciebant.

Tertiò:Iu hac mortali vita cùm ſæpè ſæpiùs piorum fama lædatur, impii verò innocentiæ laude commendentur,vel ementitâ,fucatâq;pietate auram popularem, & ſanctitatis gloriam aucupentur,divinæ juſtitiæ ratio expoſtulat, ut pii debitam laudem, & injuriâ apud homines ereptam exiſtimationem, in publico univerſorum hominum conventu, & judicio recuperent; impii autem, detectâ omni hypocriſi, quâ hominibus fucum fecerunt, ignominiam, ac perpetuam infamiam conſequantur. Hinc viri pii hac viva ſpe in terris animati, quotieſcumque ſecum animis reputant Chriſtum æquiſſimum Judicem, & parentem indulgentiſſimum in extremo illo judicio, inſpectante toto Orbe, ipſis pro infamia immarceſcibilem gloriam, pro laboribus requiem, pro morte vitam, pro tenebris claritatem, pro terrenis bonis cœleſtia largiturum; toties excitantur ad opera juſtitiæ, & ad perferendas hujuſce vitæ miſerias, perſecutiones, & acerbitates, quæ cum æternis illis delitiis conferri, & coæquari nullo modo poſſunt.

Quartò: Neceſſarium eſt judicium generale, ut totus homo judicetur, & præmium, vel pœnam prout geſſit in corpore percipiat. At enim nunc in judicio privato pars dumtaxat hominis, ſeu anima, præmio, vel pœnâ donatur, at in judicio generali corporibus, & animabus debita æternæ gloriæ præmia, vel ſupplicia impertientur.

De-

Denique, ad triumphum Chriſti neceſſarium eſt judicium generale. Pertinet ſiquidem ad gloriam Chriſti, ut qui in primo ſuo adventu tanquàm reus judicatus eſt, probro, & ignominiâ affectus; in altero adventu, ſive in die judicii appareat glorioſus, & cum majeſtate magna, eique pro Tribunali ſedenti univerſæ gentes faſces ſubmittant, & divinos impendant honores: *Veniet Chriſtus cum poteſtate magna judicaturus, quia cum magna humilitate judicatus. Ipſe videbitur terribilis, qui viſus eſt contemptibilis. Demonſtrabit potentiam, qui demonſtravit patientiam. In Cruce patientia erat, in judicio potentia erit.* Verba ſunt *S. Auguſtini* enarrat. in pſalm. 85.

Ex his momentis probatum manet præter judicium privatum admittendum eſſe judicium univerſale. Cui doctrinæ non adverſatur Propheta *Nahum*, dum cap. 1. dicit, quod *Deus non bis judicat in idipſum*: vult etenim Propheta Deum non bis judicare in idipſum ſecundùm eamdem rationem, ideſt, Deum pro eodem delicto non geminare pœnas, id quippè ab æquitate eſſet alienum; ſed non negat Propheta Deum bis judicare in idipſum ſecundùm diverſas rationes, & cauſas, ut videlicet ille, qui occultè, tanquam ſingularis perſona, fuit judicatus, iterùm publicè judicetur, & præmium, aut ſupplicium, quod jam in judicio privato ſuſcepit ſecundùm animam, itidem in judicio generali ſuſcipiat in corpore, quod fuit in terris, unà cum anima laboris, & voluptatis particeps, ſicque *laus ſit unicuique à Deo*, ut ait Apoſtolus 1. ad Cor. cap. 4.

DICO SECUNDÒ: *Parvulos ex hac vita abſque baptiſmo migrantes ad ſiniſtram in judicio generali eſſe collocandos, & perpetuæ damnationi, citra tamen pœnam ſenſus, ſententia Judicis addicendos.*

Hæc aſſertio probatur ex Scriptura ſacra, Apocalypſeos cap. 20. ubi S. Joannes hæc habet: *Et vidi mortuos magnos, & puſillos, ſtantes in conſpectu throni, & libri aperti ſunt: & alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ, & judicati ſunt mortui ex his, quæ ſcripta erant in libris ſecundùm opera eorum.* Per *puſillos* autem, quorum hìc mentionem facit S. Joannes, intelligendos eſſe parvulos, qui ante baptiſmum ex hac vita tolluntur, ſententia eſt *Sancti Thomæ*, qui opuſculo 2. cap. 243. ſic loquitur: *Omnes boni, & mali à primo homine uſque ad ultimum judicio Chriſti ſubdentur, quia, ut dicitur* 2. *ad Cor. cap.* 5. Omnes nos manifeſtari oportet ante Tribunal Chriſti, *à qua generalitate non excluduntur etiam parvuli, qui vel ſine baptiſmo, vel cum baptiſmo exceſſerunt.* Et in cap. 5. epiſt. 2. ad Cor. exponens Sanctus Doctor hæc verba Apoſtoli: *Omnes nos manifeſtari oportet ante Tribunal Chriſti*, clariſſimè mentem ſuam prodit dicens: Omnes nos, *ideſt, omnes homines bonos & malos, magnos & parvos*, idque poſtquam probavit ex cap. 14. epiſt. ad Roman. & cap. 20. Apocalypſis, præcipuam ibidem proponit, diluitque diffi-

Digitized by Google

cultatem his verbis : *Sed de pueris non videtur, quia dicitur* : Ut referat unusquiſque propria corporis, prout geſſit, *at pueri nihil geſſerunt in corpore, &c.* cui objectioni ſic reſpondet S. Præceptor : *Sed hoc ſolvit gloſſa, quia parvuli non judicabuntur pro his, quæ ipſi geſſerunt per ſe, ſed de his, quæ geſſerunt per alios, dum per eos crediderunt, vel non crediderunt, baptizati, vel non baptizati fuerunt, vel damnabuntur pro peccato primi hominis.* Hanc doctrinam hauſit Angelicus Doctor ex S. Auguſtino, qui in epiſt. 217. aliàs 107. ad Vitalem, eandem verſando difficultatem hæc ait: *Scimus etiam parvulos ſecundùm ea, quæ per corpus geſſerunt recepturos vel bonum, vel malum. Geſſerunt autem non per ſe ipſos, ſed per eos, quibus pro illis reſpondentibus, & renunciare diabolo dicuntur, & credere in Deum; unde & in numero fidelium computantur, pertinentes ad ſententiam Domini dicentis: qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit. Propter quod & illis, qui hoc Sacramentum non accipiunt, contingit quod ſequitur: qui autem non crediderit, condemnabitur. Unde ipſi, ſicut dixi, ſi in illa parva ætate moriuntur, utique ſecundùm ea, quæ per corpus geſſerunt, ideſt, tempore, quo in corpore fuerunt, quando per corda, & ora geſtantium crediderunt, vel non crediderunt, quando baptizati, vel non baptizati ſunt...... ſecundùm hæc ergo, quæ per corpus geſſerunt, non ſecundùm ea, quæ ſi hìc diutiùs viverent, geſturi fuerant, judicantur.*

Ex qua *Sanctorum Auguſtini*, & *Thomæ* doctrina ſequitur primò, pueros ſine baptiſmo decedentes in judicio generali unà cum aliis reprobis ad ſiniſtram collocatos de numero judicandorum futuros. Secundò, erraſſe Pelagianos, qui, præter Regnum cœlorum, & damnationem æternam, comminiſcebantur aliquem locum, ubi pueri ſacro lavacro non abluti pedem figant, ubi vivant, & beatitudine donentur. Quem medium locum, ut planè fictitium, optimo jure irridet, & explodit pluribus in locis *S. Auguſtinus*, potiſſimùm ſerm. 14. de verbis Apoſtoli, lib. 1. de peccatorum meritis cap. 23. lib. 2. de pecc. orig. cap. 21. epiſt. 186. aliàs 106. ad Paulinum, lib. 5. contra Julianum cap. 8. in Enchirid. cap. 93. & lib. 1. de orig. anim. cap. 9. Denique ex hac SS. *Auguſtini*, & *Thomæ* doctrina ſequitur inane, ac perridiculum eſſe commentum *Ambroſii Catharini*, & *Ludovici Molinæ*, qui docent infantes ſine baptiſmo morientes futuros poſt judicium beatos naturali beatitudine, & in terris, vel in alio quodam loco perpetuò, feliciterque victuros. Quod ſanè inſulſum paradoxum alienum eſt à doctrina omnium SS. Patrum, & Summorum Pontificum, præſertim Gregorii Magni, Gelaſii, & Innocentii I. qui pueros abſque baptiſmo decedentes abſolutè eſſe damnatos, & non ſolâ cœleſti, ſed etiam naturali felicitate æternùm carituros pronunciant. Unde, ut verbis utar doctiſſimi *Card. Laurentii Brancati à Lauræa* in eruditiſſimo volumine

de

Digitized by Google

de noviſſimis diſp.27. art.7. num. 159. *Quidquid dicunt noſtri moderni, huc uſque cenſeo inane, novum, & ridiculum, nempe de ſtatione, habitaculo, & deambulatione ſuper terram; unde id habent? quis eis revelavit?* Addam judicium acerrimi Religionis Catholicæ vindicis *Cardinalis Bellarmini*, qui tom. 1. lib. 6. cap. 3. modernos illos Theologos hac cenſurâ perſtringit: *Illi humanum aliquid patiuntur, & excedunt, qui parvulos in ſuperiore parte terræ, quaſi in terreſtri Paradiſo collocant, eosque beatos, ac felices dicunt.*

Dices primò: Si pueri abſque baptiſmo decedentes ad ſiniſtram in judicio generali, unà cum aliis reprobis eſſent collocandi, non minus ad ipſos, quàm ad alios reprobos dirigeretur terribilis illa, quam proferet Chriſtus, ſententia: *Ite maledicti in ignem æternum*, atqui durum, & iniquum prorſus videtur, quod pueri ſine baptiſmo morientes, & ſolâ inquinati originali labe tormenta, ignes, cruciatus, ac ſupplicia æternùm, ac interminabiliter patiantur; nam pœna ſenſus debita eſt peccato dumtaxat perſonali, & propriâ voluntate commiſſo juxtà illud Scripturæ ſacræ: *Quantùm fuit in delitiis, tantùm date illi tormentorum*; peccati autem perſonalis, & propriâ voluntate commiſſi expertes omninò ſunt pueruli decedentes abſque baptiſmo, unde Thomiſtæ poſt *S. Thomam* omnem pœnam tàm externam, quàm internam, ſeu triſtitiam, & afflictionem arcent ab illis parvulis; non eſt igitur veroſimile parvulos illos abſque baptiſmo decedentes ad ſiniſtram in judicio univerſali eſſe collocandos.

Reſpondeo: Ad pueros ſine baptiſmo decedentes, & ad ſiniſtram in judicio generali collocandos pertinere quoque hanc ſupremi Judicis ſententiam: *Ite maledicti in ignem æternum*, inde tamen non ſequi illos paſſuros pœnam ſenſus. Enimverò quamvis *Card. Noriſius*, & multi perdocti Theologi, quos in vindiciis Auguſtinianis laudat Purpuratus ille Auctor, probabiliter exiſtiment per *ignem*, in quem ſententiâ Judicis ituri ſunt infantes abſque baptiſmate morientes, intelligendum eſſe verum, & realem ignem, cujus ſempiternis ardoribus, unà cum diabolo, & reprobis torquebuntur prædicti illi infantes, ita ut tamen ſenſibilis pœna, cui ob culpam originalem erunt obnoxii, leviſſima, ac mitiſſima futura ſit, quamvis, inquam, id probabiliter ſentiant graviſſimi quidam Theologi, probabiliùs tamen Thomiſtæ cum Sancto Thoma docent per *ignem*, qui deſtinatus eſt hujuſmodi infantibus, nec pœnam ſenſibilem, nec verum, & realem ignem deſignari, ſed ſolùm ignem metaphoricè ſumptum, qui nihil aliud eſt, quàm abſoluta, & perpetua damnatio, ſeu pœna damni, quam patientur illi parvuli privati tàm cœleſti, & ſupernaturali felicitate, quæ ſita eſt in clara viſione Dei, quàm beatitudine naturali. Nec inſolens eſt ille in Scriptura ſacra loquendi modus, ſed potiùs in ea ſæpiùs per *ignem*

Digitized by Google

ignem ſignificatur quæcumque pœna, ſive afflictio, & tribulatio, ſicut Pſal.65. *Igne nos examinaſti, ſicut examinatur argentum*; hoc eſt, igne tribulationis nos examinaſti. Et ibidem: *Tranſivimus per ignem, & aquam*; ideſt, varias, maximasque calamitates experti ſumus. Hæc itaque ſententia: *Ite maledicti in ignem æternum*, directa ad pueros, qui in ſiniſtra erunt conſtituti, idem ſonat ac *Ite maledicti in perpetuam damnationem*. Ad hanc Thomiſtarum doctrinam facilè admodùm revocari poſſunt *S. Auguſtinus*, & alii Patres, qui, ut videre eſt in vindiciis Auguſtinianis Cardinalis Noriſii, aſſerunt parvulos decedentes abſque baptiſmo ituros ſententiâ Judicis in ignem æternum. Nam illi Patres in eum unicè ſcopum collineant, ut probent fictitium eſſe illum medium locum, quem ſomniabant Pelagiani, & in quo dicebant parvulos ſacro baptiſmate non regeneratos beatitudine potiri. Ut autem illum Pelagianorum errorem confutarent Sancti Patres, neceſſe haud erat, ut propugnarent parvulos decedentes abſque baptiſmo pœna ſenſibili, ſeu æterni ignis cruciatibus eſſe ſententiâ Judicis torquendos, ſed ſatis ſuperque ſufficiebat, ut evincerent contra Pelagianos ejusmodi parvulos ituros ſententiâ Judicis in damnationem æternam, quæ deſignatur per ignem: *Ite maledicti in ignem æternum*. Hoc enim ſemel probato, radicitùs convellebatur Pelagianorum error, in quem profligandum præcipuè incumbebant illi Patres. Quapropter longè probabiliùs eſt hos Sanctos Patres in mediam iſtam iviſſe ſententiam, ſicut eos interpretatur *Sanctus Thomas* in eorum doctrina verſatiſſimus, quàm in aliam extremam, nimiumque duram opinionem impegiſſe.

Dices secundò: *Sanctus Thomas* quæſt. 89. Suppl. art. 5. ad 3. docet pueros ante perfectam ætatem decedentes in judicio generali comparituros *non ut judicentur, ſed ut videant gloriam judicis*, ergò ex *Sancto Thoma* parvuli non erunt in judicio generali de numero judicandorum.

Reſpondeo: Ut liquidiùs exponatur mens *Sancti Thomæ*, duplex cum eodem S. Præceptore diſtingui debere judicium, unum quod vocatur diſcuſſionis, alterum quod dicitur judicium retributionis. Judicium diſcuſſionis illud eſt, quo Judex ea, de quibus ſententiam laturus eſt, diſcutit & examinat. Judicium verò retributionis iſtud eſt, quo Judex per eam, quam profert, ſententiam condemnat, vel abſolvit, punit, vel remunerat. Hoc gemino ſuppoſito judicio, dico: parvulos, ſive baptizatos, ſive non baptizatos ante ętatem adultam decedentes non judicatum iri judicio diſcuſſionis, benè tamen judicio retributionis; rationem affert *S. Thomas* opuſculo 2. cap.243. ubi hæc habet: *Quantùm verò ad diſcuſſionem meritorum non omnes judicabuntur nec boni, nec mali. Non enim eſt neceſ-*

ſaria

ſaria judicii diſcuſſio, niſi bona malis permiſceantur, ubi verò eſt bonum abſque commixtione mali, vel malum abſque commixtione boni, ibi diſcuſſio locum non habet. Cùm igitur in parvulis baptizatis ante adultam ætatem decedentibus ſit bonum abſque commixtione mali, & verſa vice in pueris ante ſuſceptum baptiſma morientibus ſit malum abſque commixtione boni, rectè infert *Sanctus Thomas* pueros ante adultam ætatem morientes non eſſe judicandos judicio diſcuſſionis, quod tamen non impedit, quo minùs judicentur judicio retributionis.

Ex hac *S. Thomæ* doctrina non mediocriter illuſtrantur obſcuriora quædam Sanctorum Patrum loca, in quibus innuere videntur, nec Sanctos, nec infideles in judicio generali eſſe judicandos, *quid enim neceſſe eſt*, inquit *Sanctus Hilarius* in pſalm. 1. *Judicare credentem? Judicium enim ex ambiguis rebus exiſtit; & ambiguitate adempta judicii non deſideratur examen. Ex quo ne infideles quidem neceſſe eſt judicari, quia ambiguitas quin infideles ſint, non reſedit.* Hæc enim & alia id genus *Sancti Hilarii*, & aliorum Sanctorum Patrum loca intelligenda ſunt de judicio diſcuſſionis, ita ut ſenſus ſit, Sanctos, in quibus bonum eſt abſque commixtione mali, & infideles, quibus ineſt malum abſque commixtione boni, non eſſe in judicio generali judicandos judicio diſcuſſionis, quamvis ſint judicandi judicio retributionis, quatenùs Chriſtus Dominus juſtis æternæ beatitudinis, & infidelibus ſempiternæ pœnæ retributionem ſententiâ publicè in judicio generali latâ confirmabit.

Nullus ergo inter mortales, cujuscunque ætatis, generis, ac conditionis ſit, à judicio generali excludetur. Immò, ſicut docet *S. Thomas*, poteſtas judiciaria Chriſti ſe ſe extendit etiam ad Angelos ſive bonos, ſive malos, quia quemadmodum à Chriſto Domino, quatenus eſt Verbum Dei, factum eſt à principio mundi judicium quantùm ad præmium eſſentiale bonorum Angelorum, quod conſiſtit in beatitudine æterna, & quantùm ad pœnam eſſentialem malorum Angelorum, quæ eſt damnatio æterna; ita boni Angeli, quantùm ad præmium accidentale, & mali quantùm ad pœnam accidentalem judicabuntur à Chriſto etiam ut homine. De his ſive bonis, ſive malis Angelis dicitur ad Philippenſes cap. 2. *Propter quod & Deus exaltavit illum*, ideſt Chriſtum...... *ut in nomine Jeſu omne genuflectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.* De bonis Angelis, qui Chriſto rationem ſui miniſterii reddent, dicitur epiſt. ad Hebræos cap. 1. *Omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus, &c.* mali verò Angeli judicium Chriſti pertimeſcentes dicebant: *Quid nobis, & tibi Jeſu Nazarene? veniſti ante tempus torquere nos.* Marci cap. 1.

DICO ULTIMÒ: *Sanctos poſt corporum reſurrectionem non regnaturos cum Chriſto mille annis in terris ante judicium generale, ac ſubinde*

Digitized by Google

inde fictitium omninò eſſe millenarium illud Chriſti in terris regnum , quod Hereſiarcha Cerinthus commentus eſt.

Probatur multis momentis. Primò, quia illud temporarium mille annorum Chriſti in terris Regnum, à Scriptura ſacra eſt penitus alienum: Scriptura quippè, ut ſæpius diximus, non terrenum, & temporarium Regnum Chriſto Domino tribuit, ſed cœleſte dumtaxat, ac ſpirituale: *Regnum meum non eſt de hoc mundo*. Secundò, citrà ſummam impietatem aſſeri non poteſt Chriſtum Dominum per ſpatium mille annorum permiſſurum, ut homines juſti carnalibus deliciis, & obſcænis corporis voluptatibus indulgeant, & ſatientur, ſicut effutiebat Cerinthus. Tertiò, Chriſtus ait Matth. cap. 22. quod *in reſurrectione neque nubent, neque nubentur, ſed erunt homines ſicut Angeli Dei*. Si igitur homines poſt reſurrectionem futuri ſint ſicut Angeli, nec edent, nec bibent, nec carnis utentur voluptatibus, quemadmodum ſomniabant millenarii. Quartò, Scriptura ſacra docet juſtos, & impios ſimul ex mortuis reſurrecturos, *in tempore illo evigilabunt alii in vitam æternam, alii in opprobrium*, inquit Propheta Daniel cap. 12. palàm ergo Scripturæ ſacræ refragabantur millenarii aſſerentes juſtos mille annis reſurrecturos ante impios, eoſque per totum illud temporis ſpatium regnaturos cum Chriſto. Quintò, poſt corporum reſurrectionem fiet abſque mora judicium generale, ſicut pluribus in locis disertè teſtatur Scriptura ſacra, non ſunt igitur audiendi millenarii, qui affirmabant homines juſtos reſurrecturos mille annis ante judicium generale. Sextò, millenarii contendebant juſtorum animas cœleſti beatitudine non potituras ante judicium generale, quod tamen Scripturæ ſacræ, perpetuæ Patrum traditioni, & definitionibus Eccleſiæ oppoſitum eſſe in ſuperiori Paragrapho latè oſtendimus. Septimò, hic error de millenario Chriſti in terris Regno poſt reſurrectionem juſtorum ſapit puram, putamque fabulam Judæorum, qui, etiam ante Cerinthi tempora, multa venditabant de illius Regni deliciis, & voluptatibus, de inſtaurandis Hieroſolymorum Urbe, & Templo, de obſervanda lege Moſaica, de Judæorum in cæteras nationes Imperio, de centenario peccatore, &c. Hinc *S. Hieronymus* millenariorum errorem appellat *Judaicum dogma*, Judaicam δευτέρωσιν, ſeu traditionem: vigebat ſiquidem apud Judæos traditio, juxtà quam in ſexto mundi millenario contingere debebat ultima mundi diſſolutio, tuncque incepturum ſeptimum millenarium, per quod Judæi, ut obſervat idem Sanctus Doctor comment. in cap. 19 Jeremiæ, ſibi auream, atque gemmatam Hieruſalem reſtituendam putant, rursùmque victimas, & ſacrificia, & conjugia Sanctorum, & Regnum Meſſiæ mille annorum in terris, quo ſemel expleto ſeptimo mundi millenario, ſecuturum univerſale judicium pertendunt. Ex qua Judæorum traditione

Digitized by Google

tione prodiit Chiliaſtarum, ſeu millenariorum error. Octavò, nullâ ratione ſit credibile Chriſtum Dominum, qui mortuus eſt, ut nos de maledicto legis eriperet, atque in Euangelii libertatem vindicaret, rursùm debere nos per mille annos legalibus obſervationibus adſtringere,& durum, ac moleſtum cervicibus noſtris imponere jugum, quod nunquam Judæi portare potuerunt. Denique, huic errori de millenario Chriſti in terris Regno apertè repugnarunt plures Sancti Patres. In primis *S.Juſtinus*, millenariorum licet ſententiæ defenſor, candidè fatetur in dialogo cum Tryphone ſuam de Chriſti millenario poſt reſurrectionem in terris Regno opinionem non ita ab omnibus fuiſſe ſuſceptam, quin plures ſuo tempore extiterint viri doctrinâ, & pietate conſpicui, qui eam improbarint. Præterea, *Cajus*,qui Zephyrini Papæ temporibus, ideſt, ineunte ſæculo tertio, floruit, omnia, quæ Hereſiarcha Cerinthus de millenario Chriſti in terris Regno ſparſerat, tanquàm portenta, & delirantis animi præſtigias proſcripſit, ac repudiavit. Eodem adulto jam ſæculo *Dionyſius Alexandrinus*, ſicut referunt *Euſebius*, & *Theodoretus*, librum, quem *Nepos* Ægypti Epiſcopus de millenariorum Regno adverſus orthodoxos ediderat, totis ingenii ſui viribus egregiè confutavit. *Origenes* etiam ſæculo tertio millenariorum errori plurimùm adverſatus eſt, eumque pluribus in locis exagitavit, potiſſimùm lib.2. *Periarchon*, ſeu de principiis, & in ſuis comment. in Matth. ſæculo quarto *S. Baſilius* millenarium Chriſti Regnum, quod *Apollinarius* poſt Cerinthum propugnabat, ſolidè impugnavit epiſt. 293. ad Eulogium. Nec minùs acriter hunc millenariorum errorem inſectatus eſt *S. Gregorius Nazianzenus* in duabus epiſtolis ad Cledonium, ſeu orat.51. & 52. ubi Apollinarii errores perſtringit, ac perdoctè refellit. Uno verbo, *Euſebius*, *Epiphanius*, *Hieronymus*, *Auguſtinus*, *Philaſtrius*, & alii Patres hunc Chiliaſtarum errorem tam validis rationum momentis contriverunt, ut vix ullus poſt quintum Eccleſiæ ſæculum extiterit illius fautor, ac patronus, ut teſtatur *Theodoretus* lib.4. fab.hæret. cap.8.

Dices primò: Apocalypſis cap.20. dicitur, quod qui non adoraverunt beſtiam, ideſt, *juſti, vixerunt, & regnaverunt cum Chriſto mille annis. Cæteri mortuorum*, ſeu impii, *non vixerunt donec conſummentur mille anni. Hæc eſt reſurrectio prima. Beatus,& ſanctus, qui habet partem in reſurrectione prima: in iis ſecunda mors non habet poteſtatem: ſed erunt Sacerdotes Dei, & Chriſti, & regnabunt cum illo mille annis, & cum conſummati fuerint mille anni, ſolvetur Satanas è carcere ſuo,& exibit, & ſeducet gentes, &c.* Quibus verbis haud obſcurè innuere videtur S. Joannes, juſtos poſt primam reſurrectionem regnaturos cum Chriſto mille annis, impios verò non victuros donec conſummentur mille anni, hoc eſt, impios non victuros, niſi in ſecunda reſurrectio-

Digitized by Google

ne, quæ fiet in judicio generali, ergo ex Sancto Joanne admittendum eſt milleuarium Chriſti, Sanctorumque in terris Regnum ante judicium generale.

Reſpondeo: Mille annos, per quos, juxtà Sanctum Joannem, juſti vixerunt, & regnaverunt cum Chriſto, deſignare totum illud tempus, quod à morte, & aſcenſione Chriſti Domini uſque ad finem mundi, ſeu adventum Antichriſti interfluere debet. Millenarius ſiquidem numerus, ſolemni Scripturæ ſacræ phraſi, multitudinem maximam, atque indefinitam ſignificat. ex.gr. Pſalm.104. *Memor fuit in ſæculum teſtamenti ſui, verbi quod mandavit in mille generationes*, ideſt, in omnes generationes. Et Pſal.89. *Mille anni ante oculos tuos, tanquam heſterna dies, quæ præteriit*. Juſti ergo, juxtà ſenſum obſcuriſſimi illius Apocalypſis oraculi, regnaturi ſunt mille annis cum Chriſto, ideſt, in Cœlis regnaturi ſunt per totum illud temporis intervallum, quod à Chriſti in Cœlos aſcenſione uſque ad finem mundi, ſeu ad judicium generale intercurrere debet. E contra verò cæteri mortui, ideſt, impii, qui in ſua impietate mortui ſunt, per totum illud temporis ſpatium neque gratiæ, neque gloriæ vitâ victuri ſunt, quia non habuerunt partem in reſurrectione prima. Quid autem ſit reſurrectio prima? Paucis hîc explicandum eſt. Duplex à Sancto Joanne diſtinguitur reſurrectio, ſicut & duplex mors. Reſurrectio prima, nihil aliud eſt, quàm juſtificatio animæ, quæ fit in terris per gratiam ſanctificantem, & quæ conſummatur per beatitudinem, quâ juſtorum animæ donantur immediatè poſt exitum ex hac vita. Reſurrectio ſecunda, eſt animarum, ſimul & corporum ad gloriam reſurrectio, quæ fiet in judicio generali. Duplex itidem eſt mors, juxtà S. Joannem. Mors prima, quæ conſiſtit in damnatione animæ, quæ confeſtim poſt obitum ſepelitur in inferno. Mors ſecunda, ea eſt, quâ in extremo judicio anima, & corpus mittentur in gehennam, æternoſque cruciatus. Beati ergo & Sancti, qui habent partem in reſurrectione prima, quæ conſiſtit in juſtificatione, & beatitudine animæ, in iis ſecunda mors, quâ anima, & corpus ſuppliciis æternis in extremo judicio addicentur, non habet poteſtatem. Cæteri verò homines, qui in ſuis peccatis mortui ſunt, & quorum animæ jam ſunt in damnatione æterna, non ſolùm gratiæ, & gloriæ vita carebunt, ſed nec vitam corporis habituri ſunt, niſi poſt expletos mille annos, hoc eſt, uſque ad finem mundi, & generalem corporum reſurrectionem, quo tempore peccatores ad vitam dumtaxàt corporum reſurgent. Subdit autem S. Joannes: *Et cum conſummati fuerint mille anni, ſolvetur Satanas è carcere ſuo, & exibit, & ſeducet gentes*. Quæ verba ſic exponi debent: Et cùm jam cœperit conſummari illud tempus, quod à Paſſione Chriſti uſque ad mundi interitum effluere debet, ſeu cùm propediem inſtabit mundi interitus, ſuamque

tyran-

Digitized by Google

tyrannidem Antichriſtus auſpicabitur, tunc ſolvetur Satanas de carcere ſuo, & ſeducet gentes. Satanas quippè, ut ait ibidem S. Joannes, ligari debet per mille annos, ideſt, toto illo temporis intervallo, quod à Chriſti Paſſione ad finem uſque mundi intercedit, quia nimirùm toto eo tempore Satanas juſtis potiſſimùm, ac prædeſtinatis liberam non habet nocendi facultatem, ſed impoſito fræno illius coercetur poteſtas. At ſemel completo illo millenario, ſeu mundo ad finem vergente, & appetente extremi judicii die, ſolvetur Satanas de carcere ſuo, & in omnes effræni licentiâ graſſabitur, atque Antichriſti malitiâ utens, perſecutionem in Eccleſiam, Deo ita permittente, excitabit, qualis ab initio non fuit. Hic eſt germanus illius Apocalypſis vaticinii ſenſus, juxtà interpretationem SS. Patrum, præcipuè *S. Auguſtini* lib. 20. de Civit. Dei cap. 7. & *S. Thomæ* q. 77. ſuppl. art. 1. ad 4.

Dices ſecundò: *Euſebius* lib. 3. Hiſt. Eccl. cap. 39. & *S. Hieronymus* in Catalog. Script. Eccleſ. in *Papia*, teſtantur Papiam Hierapolitanum Epiſcopum docuiſſe Chriſtum mille annis antè Judicium generale corporaliter cum Sanctis regnaturum in terris. In hanc ſententiam Papiæ antiquiſſimi Scriptoris, & Apoſtolorum temporibus coætanei, abierunt *Juſtinus, Irenæus, Tertullianus, Lactantius*, aliique Patres trium Priorum Eccleſiæ ſęculorum. Ergò ex Sanctis Patribus Chriſtus mille annis antè Judicium generale in terris cum Sanctis regnaturus eſt.

Reſpondeo primò: *Papiam* ex malè intellectis Apocalypſis verbis in hanc millenariorum de terreno Chriſti Regno ſententiam adductum fuiſſe, eamque amplexandi multis Patribus, & Scriptoribus Eccleſiaſticis occaſionem præbuiſſe. Sed Papiæ auctoritatem nihil moror, quia *Euſebius* lib. 3. Hiſt. Eccleſ. cap. 39. tradit eum fuiſſe mediocri admodùm ingenio præditum, idque deſumpto ex ejus ſcriptis, quæ id ætatis omnium terebantur manibus, argumento invictè demonſtrat. Hinc jure merito clariſſimus *Valeſius*, in ſuis notis in Hiſt. Eccl. Euſebii, aſſerit hoc Papiæ elogium, quod modo legitur in Euſebio lib. 3. Hiſt. Eccl. cap. 36. his verbis expreſſum: *Papias Hierapolitanus Epiſcopus eadem ætate celebris fuit, vir imprimis diſertus, & eruditus, ac Scripturarum peritus*. Meritò, inquam, *Valeſius* hujusmodi Papiæ elogium aſſerit ab imperito quodam Scholiaſte, præter Euſebii mentem, atque ſententiam, fuiſſe aſſutum. Totum quippè illud Papiæ elogium, neque in manuſcriptis Euſebii codicibus Maz. Med. & Fuk. neque in latina Euſebii verſione, quam edidit *Rufinus* reperitur.

Reſpondeo ſecundò: *Papiam*, alioſque antiquiores Patres faviſſe quidem opinioni de millenario Chriſti in terris Regno, eos tamen

Digitized by Google

à propudioſo Cerinthi errore penitùs abhorruiſſe. Nàm primò, in hoc millenario Chriſti, Sanctorumque Regno, quod *Papias*, aliique Patres admiſerunt, nulla prorsùs fit mentio de Templi Hieroſolymitani inſtauratione, neque de Pręceptis legis Moſaicæ adimplendis, neque de ſacrificiis, & victimis juxta ejusdem legis ſtatuta immolandis, & mactandis, neque de hominibus Judaico more circumcidendis, quæ tamen omnia in Regno Chriſti, ac Sanctorum millenario futura prædicebat *Cerinthus*. Secundò, *Cerinthus*, vir cupiditatibus, & voluptatibus corporeis addictiſſimus, in Regno Chriſti millenario illicitas poſuit carnis voluptates,& effuſiſſimam omnium libidinum intemperiem. At *Papias*, aliique Patres, millenarii dicti, nihil de eo mille annorum Regno docuerunt, aut cogitarunt, niſi ſanctum, & honeſtiſſimum, omnesque delicias corporeas, quas huic Regno tribuunt, juſtas, modeſtas, & honeſtas fore, ſicut ſanctum populum decet, ultrò profitentur. Quapropter antiqui illi Patres perverſi Cerinthi dogmatis inſimulari haud debent, cùm ab eo longiſſimè abfuerint. Eorum tamen opinio de millenario Chriſti in terris Regno ſemper fuit in Eccleſia, tùm in Oriente, tùm in Occidente, à ſaniori Sanctorum Patrum numero rejecta, ſicut patet ex his, quæ à nobis ſuperiùs dicta ſunt.

Quæres primò: *Quænam ſint ſigna, ſeu indicia extremi judicii?*

Reſpondeo: Tria hæc præcipuè ſigna noviſſimum judicium anteceſſura, prædicationem ſcilicèt Euangelii per univerſum Orbem, diſceſſionem, & Antichriſtum: *Prædicabitur hoc Euangelium Regni in univerſo Orbe, in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet conſummatio*, inquit Chriſtus *Matth.* cap. 24. *Apoſtolus* etiam 2. Theſſalon. cap. 2. nos admonet ne ab aliquo ſeducamur, quaſi inſtet dies Domini: *Quoniam niſi venerit diſceſſio primùm, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis*, ideſt, Antichriſtus, *qui adverſatur, & extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ità ut in Templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus*, non fiet judicium generale. Sed de his ſignis, quæ extremum judicium antevertere debent, ſicut de ortu, & genere Antichriſti, de illius educatione, vita, tyrannide, Regno, ejusque duratione, de falſis, quæ editurus eſt miraculis, de bellis, quibus omnia in mundo sùs dequè miſcere debet, & de illius tandem interitu conſulat Lector epiſtolam S. Auguſtini 199. aliàs 80. cui titulus eſt, *de fine ſæculi* ad Eſychium, legat etiam doctiſſimum noſtrum *Thomam Malvenda*, qui hæc, & alia id genus ad Antichriſtum ſpectantia undecim libris accuratè complexus eſt.

Hoc unum te,Lector,monitum velim, ut ſemper memor ſis illius ſententiæ Domini cap.13.*Marci*: *Vigilate,& orate: neſcitis enim quando*

Digitized by Google

do tempus ſit . . . . . . quando Dominus domus veniat? Sero, an media nocte, an galli cantu, an mane? ne cùm venerit repente, inveniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico: vigilate. Nemo igitur dicat, ut loquar cum Sancto Chryſoſtomo homilia 44. in Joannem, *Quando finis? quando erit reſurrectio? ecce quantùm temporis præteriit, & nihil tale contigit.* Sed erit, credite, ſubdit Sanctus ille Doctor, etenim antè diluvium, qui credidit, is ſolus liberatus eſt, & temporibus Loth diram illam plagam non expectabant, donec fulgura illa, & fulmina delata omnes perdiderunt. Neque his, neque temporibus Noe, ne minima quidem futurorum malorum particula contigit: ſed quemadmodùm tùm deliciis, & ebrietati indulgentes, meritum repentè ſupplicium oppreſſit, ità & reſurrectio non in principio, ſed in medio felicitatis ſuperveniet. Ideò Paulus inquit: *Cum enim dicent pacem, & ſecuritatem, tunc repentinus eis ſuperveniet interitus: ſicut dolor in utero habentis, & non effugient.* Hoc autem fit, ut ſemper ſimus in timore, & nunquàm confidamus.

QUÆRES SECUNDÒ: *Quo in loco Judicium univerſale exerceri debeat, & an mentaliter tantùm, vel vocaliter ſit peragendum?*

Reſpondeo: De loco, in quo noviſſimum judicium exerceri debet non convenire inter Theologos. Alii quippè cum Magiſtro Sentent. lib. 4. diſt. 48. putant extremum judicium fieri debere in *Valle Joſaphat*, juxtà illud Joelis vaticinium cap. 3. *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in Vallem Joſaphat.* Alii verò Theologi aſſerunt hoc Joelis vaticinium non determinare ſpecialiter locum, in quo judicium extremum exerceri debet, ſed innuere dumtaxàt Chriſtum Dominum venturum ad locum Judicii, *Joſaphat* enim hebraicè idem ſonat ac judicium. Utraque tamen ſententia in concordiam revocari poteſt, dicendo: judicium generale non ita habitum iri in *Valle Joſaphat*, ut nullus hominum judicetur, niſi qui ſit in prædicta Valle, quæ non ſatis latè patet ut tot homines contineat, quot judicandi ſunt: ſed univerſale Judicium habitum iri in Valle Joſaphat, quatenùs illa Vallis complectitur vicina quædam loca, & aerem ſuperiorem. Quam opinionem ſuo calculo probare videtur *S. Thomas*, ſeu Auctor opuſc. 60. cap. ult. ſicut inſinuat noſter *Medina*.

Ad formam judicii, quod attinet, ſeu an mentaliter tantùm, an vocaliter peragendum ſit? Docet idem *Medina*, juxtà pervulgatam Scholaſticorum opinionem, diſcuſſionem quidem, ſeu examen bonorum, vel malorum operum, accuſationem, ac defenſionem mentaliter dumtaxàt eſſe peragendam, omnibus videlicèt, & ſingulis omnium, & ſingulorum bona, vel mala opera, beneficio alicujus luminis ſupernaturalis, cognoſcentibus; ſententiam tamen tàm erga Electos,

Digitized by Google

ctos, quàm ergà reprobos verbis ſenſibilibus, & quæ ab omnibus audiri poterunt, à Chriſto Domino prolatum iri. Huic opinioni, quæ Theologis Scholaſticis probari ſolet, quamvis refragari non auſim; malo tamen dicere cum Sancto Thoma quæſt. 88. ſuppl. art. 2. *In hac re quid ſit verum certo tradi non poſſe*.

Nunc, erudite Lector, ut fructuoſa, atque utili clauſula hanc de extremo, & univerſali judicio Diſſertationem peragam, auctor tibi ſum, ut nunquâm animo tuo excidat pulchra illa tremendi judicii commonitio, quam dat *Sanctus Baſilius* in Pſalm. 33. Si quandò *te ſenſeris*, inquit ille Pater, *ad unum aliquod cieri, ac proſilire peccatum, mihi ad mentem revoca formidabile illud, nec ulli mortalium tolerabile Chriſti judicium, in quo quidem præſidet Judex in alto, & ſublimi throno, adſtat porrò creatura omnis prætrepida, & intremiſcens ad ipſius glorioſum, & illuſtrem adventum. Eò ſinguli quique ſiſtentur, de his examinandi, quæ quiſque geſſit in vivis. Deindè eos, qui multa perperàm in vita admiſerunt, horrendi quidem circumſtabunt Angeli, ignem aſpectu reddentes, ignem expirantes, propter propoſiti, ac voluntatis acerbitatem, vultum præferentes nocti aſſimilem, propter mærorem, atque hominum odium. Subin conſpicient barathrum in imum patens, tenebras impermeabiles quidem illas, ignemque obſcurum, urendi quidem in tenebris vim habentem, luce verò deſtitutum. Indè vermium innumerabilium genus venenoſum, ac carnivorum, eſitans quidem ſemper, nec tamen ſe exſatians, intolerabiles dolores morſibus inſligens. Poſtremò omnium duriſſimam pœnam, probrum illud, & verecundiam ſempiternam. Hæc tu time, & ejusmodi timore eruditus, quaſi fræno quopiam abarce animam, & inhibe ad vitioſam concupiſcentiam propendentem.* Hactenùs Sanctus Baſilius.

Hæc de Myſteriis, & Annis Chriſti Domini Servatoris noſtri ſatis ſuperque dicta ſufficiant, in quibus quidquid veri, vel boni eſt, id totum Deo Opt. Max. omnium bonorum fonti, primùm tribui debet, deindè Sancto Thomæ, cui, quidquid ſcio, tanquàm Magiſtro meo, lubens acceptum refero. Faxit Deus ut mens noſtra in meditatione Myſteriorum Chriſti Domini Mediatoris, & Redemptoris noſtri, amore jugiter exardeſcat, eorumque veritatem contempletur in Patria, ad quam, amice Lector, unicè anhelare debemus, quia, ut verbis utar *Sancti Eucherii* Epiſc. Lugdun. in epiſt. de contemptu Mundi ad Valerianum, *illius fiduciam non incerto Auctore præſumimus, ſed Domino noſtro Jeſu Chriſto veriſſimo ſponſore veritatis, qui juſtis interminabile Regnum, & ampla beatiſſimæ æternitatis præmia pollicetur: qui etiam per ineffabile Sacramentum aſſumptæ carnis idem homo, & Deus reconciliavit hominem Deo, ac magno, abſconditoque myſterio paſſionis Mundum crimine abſolvit. Itaque manifeſtatus eſt in carne, juſtificatus*

catus

catus eſt in ſpiritu, apparuit Angelis, prædicatus eſt gentibus, creditus eſt in Mundo, aſſumptus eſt in gloria, propter quod Deus eum exaltavit ut omnia confiteantur nunc in Cælo, & in terra, in mari, & in abyſſis, quia Dominus Jeſus in gloria eſt, Rex, & Deus antè ſæcula.

LAUS DEO.

EPI-

Digitized by Google

ctos, quàm ergà reprobos verbis ſenſibilibus, & quæ ab omnibus audiri poterunt, à Chriſto Domino prolatum iri. Huic opinioni, quæ Theologis Scholaſticis probari ſolet, quamvis refragari non auſim; malo tamen dicere cum Sancto Thoma quæſt. 88. ſuppl. art. 2. *In hac re quid ſit verum certo tradi non poſſe*.

Nunc, erudite Lector, ut fructuoſa, atque utili clauſula hanc de extremo, & univerſali judicio Diſſertationem peragam, auctor tibi ſum, ut nunquâm animo tuo excidat pulchra illa tremendi judicii commonitio, quam dat *Sanctus Baſilius* in Pſalm. 33. Si quandò *te ſenſeris*, inquit ille Pater, *ad unum aliquod cieri, ac proſilire peccatum, mihi ad mentem revoca formidabile illud, nec ulli mortalium tolerabile Chriſti judicium, in quo quidem præſidet Judex in alto, & ſublimi throno, adſtat porrò creatura omnis prætrepida, & intremiſcens ad ipſius glorioſum, & illuſtrem adventum. Eò ſinguli quique ſiſtentur, de his examinandi, quæ quiſque geſſit in vivis. Deindè eos, qui multa perperàm in vita admiſerunt, horrendi quidem circumſtabunt Angeli, ignem aſpectu reddentes, ignem expirantes, propter propoſiti, ac voluntatis acerbitatem, vultum præferentes nocti aſſimilem, propter mœrorem, atque hominum odium. Subin conſpicient barathrum in imum patens, tenebras impermeabiles quidem illas, ignemque obſcurum, urendi quidem in tenebris vim habentem, luce verò deſtitutum. Indè vermium innumerabilium genus venenoſum, ac carnivorum, eſitans quidem ſemper, nec tamen ſe exſatians, intolerabiles dolores morſibus infligens. Poſtremò omnium duriſſimam pœnam, probrum illud, & verecundiam ſempiternam. Hæc tu time, & ejusmodi timore eruditus, quaſi fræno quopiam abarce animam, & inhibe ad vitioſam concupiſcentiam propendentem.* Hactenùs Sanctus Baſilius.

Hæc de Myſteriis, & Annis Chriſti Domini Servatoris noſtri ſatis ſupetque dicta ſufficiant, in quibus quidquid veri, vel boni eſt, id totum Deo Opt. Max. omnium bonorum fonti, primùm tribui debet, deindè Sancto Thomæ, cui, quidquid ſcio, tanquàm Magiſtro meo, lubens acceptum refero. Faxit Deus ut mens noſtra in meditatione Myſteriorum Chriſti Domini Mediatoris, & Redemptoris noſtri, amore jugiter exardeſcat, eorumque veritatem contempletur in Patria, ad quam, amice Lector, unicè anhelare debemus, quia, ut verbis utar *Sancti Eucherii* Epiſc. Lugdun. in epiſt. de contemptu Mundi ad Valerianum, *illius fiduciam non incerto Auctore præſumimus, ſed Domino noſtro Jeſu Chriſto veriſſimo ſponſore veritatis, qui juſtis interminabile Regnum, & ampla beatiſſimæ æternitatis præmia pollicetur: qui etiam per ineffabile Sacramentum aſſumptæ carnis idem homo, & Deus reconciliavit hominem Deo, ac magno, abſconditoque myſterio paſſionis Mundum crimine abſolvit. Itaque manifeſtatus eſt in carne, juſtificatus*

catus

Digitized by Google

catus eſt in ſpiritu, apparuit Angelis, prædicatus eſt gentibus, creditus eſt in Mundo, aſſumptus eſt in gloria, propter quod Deus eum exaltavit ut omnia confiteantur nunc in Cælo, & in terra, in mari, & in abyſſis, quia Dominus Jeſus in gloria eſt, Rex, & Deus antè ſæcula.

***

LAUS DEO.

EPI-

Digitized by Google

EPILOGUS
HUJUS TRACTATUS.

Ex his omnibus, quæ in iſtis viginti tribus Diſſertationibus complexi ſumus, amice Lector, tria obſervatu digna colligere debes, quæ tibi ad probandam Chriſti veri Meſſiæ Divinitatem, & ad veritatem Chriſtianæ, & Catholicæ Religionis, adversùs Infideles, Judæos, & Hæreticos ſtabiliendam poterunt invictam ſuppeditare demonſtrationem Euangelicam.

In primis colligas oportet, omnia promiſſa & oracula, quæ ſparſa in libris Prophetarum de Meſſia paſſim leguntur, fuiſſe in Chriſto Domino adamuſſim impleta. Nàm in ſacris his Libris habetur promiſſio, ſeu prædictio Meſſiæ, ideſt, Redemptoris ſuis temporibus mittendi, cui promiſſioni, & prædictioni innumeræ aliæ Prophetiæ adjunctæ ſunt tùm aliarum rerum, tùm explicantes circumſtantias adventus hujus Meſſiæ, v.gr. quod ex Abrahamo naſciturus eſſet, ex ſtirpe Jacob, ex tribu Juda, & familia David; eo tempore, quo apud Judæos Regnum deficere debebat, poſt quatuor Monarchias à Daniele in ſomnio Nabuchodonoſoris explicatas, poſt ſeptuaginta hebdomades ab eodem Daniele memoratas. Ne quis autem circà Chronologiam litigium movere poſſet, adduut Prophetæ hujus impleti temporis notas toto Orbe conſpicuas, ruinam videlicet Regni Judaici, pacem toto Orbe regnaturam, deſtructionem Urbis, & Templi Hieroſolymitani, diſperſionem populi Judaici, ceſſationem ſacrificiorum, &c. adjiciunt & circumſtantias loci, quod nimirum in Bethleem Meſſias naſciturus eſſet; Matris, quod ex Virgine proditurus; educationis in Nazareth. Deſcribunt inſuper circumſtantias prædicationis Meſſiæ, quod citrà ſtrepitum, ſimplicibus verbis, in Parabolis populum eſſet edocturus; & virtute miraculorum tot mortuos ſuſcitaturus; claudos erecturus; cœcos illuminaturus; mortis etiam ipſius, quod à Judæis eſſet reprobandus; ab amico prodendus: in iniquo judicio taciturus; inſtar ovis ad occiſionem ducendus; cum impiis deputandus; aceto, & felle potandus, &c. prædicunt itidem gloriam ſepulchri ejus, & reſurrectionis tertiâ die futuræ, necnon ſummam illam poteſtatem, quâ debebat idololatriam tot annorum diuturnitate roboratam exterminare, Dei notitiam ubique propagare, Spiritum Sanctum mittere, omnes gentes tenebris idololatriæ immerſas ad veri, & ſupremi Numinis cultum revocare, totum Orbem com-

commovere, & in melius commutare, Reges, & Principes terræ, ſuperciliosos Philoſophos, & ſuperbos Oratores doctrinæ ſuæ jugo ſubmittere. Denique, denunciant Prophetæ, Meſſiam cum majeſtate denuò in fine Mundi venturum ad Judicandum Orbem terrarum. Hæc ſunt in ſumma, quæ de Meſſia cecinerunt Prophetæ, & quæ in Chriſto Domino reverà, & in oculis totius Orbis fuiſſe completa hoc in Tractatu tam clarè demonſtravimus, ut qui hoc non videt, in meridiana luce caligare, & cœcutire videatur. Enimverò primùm oſtendimus in Diſſertationibus prima, & ſecunda Chriſtum conceptum, & natum eſſe ex Virgine Maria, ejusque Sanctiſſimum Corpus ſolâ Spiritus Sancti operatione in mundiſſimo Mariæ utero fuiſſe compactum. Secundò, palàm fecimus in tertia, & quarta Diſſertationibus Chriſtum ex Abrahamo oriundum eſſe, ex ſtirpe Jacob, ex tribu Juda, ex familia David. Tertiò, invictè probavimus in ſeptima, & octava Diſſertationibus celebre illud Jacobi morientis vaticinium: *Non auferetur ſceptrum de Juda, &c.* aliasque Prophetias de circumſtantiis loci, & temporis Nativitatis Meſſiæ, tam à ſacris Vatibus prædictas, quàm à Judæis tunc temporis receptas, in Chriſti Domini ortu, exitum, & complementum ſuum habuiſſe. Quartò, evicimus in Diſſertationibus decimatertia, & decimaquarta Chriſtum Servatorem noſtrum, ubi primum ad ætatem virilem pervenit tribus prædicationis annis, nullâ humanâ ope fretum, immò potiùs omni humana auctoritate deſtitutum, & præſertim Scribarum, & Phariſæorum renitente rabie, ea aggreſſum fuiſſe, ac felici exitu perfeciſſe, quæ vix in cogitationem venire poſſunt. Sive enim doctrinam ſpectes, eam per illud triennium promulgavit, quâ nihil ſublimiùs ad inſtruendam mentem, nihil ad componendos mores ſanctiùs, ad homines invicem juſtâ, & pacificâ ſocietate conciliandos commodatiùs, ad excitandam erga Deum charitatem ſatius excogitari poteſt. Si verò miracula ab eo edita conſideres, quibus doctrinam ſuam comprobavit, & divinitatis ſuæ fidem locupletiſſimam fecit, nihil illis potentiùs eſt ac mirabiliùs. Poſtremò, ſi dona, quæ hominibus contulit, perpendas; omnem ſpem, ac cogitationem vincunt: ea quippe ſunt idololatriæ extirpatio, remiſſio peccatorum, reconciliatio cum Deo, ſpiritus novus, cor novum, homo novus ſecundùm Deum creatus in ſanctitate, & juſtitia, adoptio, & libertas filiorum, & cætera id genus dona, quibus promiſſa futurorum bonorum accedunt. Uno verbo, alias circumſtantias mortis, ſepulturæ reſurrectionis, & aſcenſionis Meſſiæ à Prophetis prædictas cumulatiſſimè à Chriſto Domino fuiſſe completas, latè commonſtravimus in Diſſertationibus ſequentibus, ex quibus patet, quod quemadmodum Chriſtus, ob effuſiſſimam ergà nos charitatem, uſque ad probroſam, & viliſ-

viliſſimam mortem ſeipſum humiliavit, ità & virtute Dei in reſurre-ctione, & aſcenſione ſua fuerit ad ſummum gloriæ verticem ſublimatus, & nunc in Cœlis ſedeat ad dexteram Dei Patris, venturus in fine Mundi cum majeſtate ad Judicandum Orbem terrarum. Hæc omnia ſi eâ, quâ par eſt, attentione mediteris, Lector, nullo negotio *ex* oraculis Prophetarum conficies demonſtrationem ad probandum Chriſtum eſſe verum Meſſiam, & Religionem ab ipſo inſtitutam divinis characteribus eſſe inſignitam, adversùs quam nihil mutire poterunt obſtinati Judæi.

Collige ſecundò, ex his quæ diximus in Diſſertationibus decima tertia, & decima quarta de doctrina, & pſeudo-miraculis Mahumetis, religionem ab illo impoſtore invectam evidenter præſeferre falſitatis characteres. Doctrina ſiquidem illius ſeductoris, tota quanta eſt, puram putamque libidinem ſpirat, obſcænas voluptates ut ſummum bonum in altera vita promittit, & in præſenti, effræni cupiditati impunè laxat habenas, polygamiam permittit, craſſis erroribus, & putidiſſimis fabulis rationi pariter ac Divinæ Majeſtati repugnantibus à capite ad calcem ſcatet. Accedit etiam illius execrandæ Religionis ſtabiliendæ modus, qui nefarii ſui Auctoris ambitionem, & Sathanæ in homines ſævitiam apertè ſapit. Unum enim ad propugnandam Sectam, miſſionemque ſuam confirmandam gladium ſibi datum *Mahometes* ipſe profitetur, non prophetias, non miracula, non cœleſtis doctrinæ exhibet veritatem. Hinc ſuos adhortatur ne diſputando verbis ſuam Sectam perſuadeant, ſed pugnando armis ad eam alios ferro, flammaque compellere, ac pertrahere ſatagant. Quis, amabo, non videt huic peſtiferæ Sectæ ſolis armis propagatæ, ſolis obſcœnarum voluptatum illecebris, amplificatæ ineſſe characteres divinis oppoſitos.

Collige ultimò, ex erroribus noſtri temporis Hæreticorum, quos in his Diſſertationibus oppugnavimus, liquidò conſtare ſanam doctrinam, & veram Eccleſiam, quæ eſt Sponſa Chriſti, apud illos Fidei dèſertores minimè reperiri, ſed utramque tantummodò haberi in Religione Catholica, quæ doctrinam Chriſti tam in Fide, quàm in moribus ab ipſis Apoſtolorum temporibus ad hanc uſque ętatem per continuam Summorum Pontificum, & Epiſcoporum ſucceſſionem propagatam abſque ulla viciſſitudine ſartam, tectamque cuſtodit, quę etiamnùm toto Orbe diffuſa miraculorum dono, & ſanctitatis ubique ſparſo odore effloreſcit, omniſque erroris impatiens, hæreſes, quæ hactenùs emerſerunt, quasve hujus temporis Hęretici recoxerunt, damnat, & proſcribit ſacrâ, & indeficienti auctoritate, adversùs quam portæ inferi non prævalebunt.

APPA-

APPARATUS CHRONOLOGICUS

Ad faciliorem comparandam notitiam rerum, quæ dictæ ſunt in Diſſertationibus Chronologicis de annis Nativitatis, Baptiſmi, & Mortis Chriſti Domini.

REm Lectori haùd ingratam me facturum eſſe arbitror, ſi ad calcem hujuſce Tractatus de Myſteriis, & Annis Chriſti Servatoris noſtri ſubnectam hunc Apparatum Chronologicum, in quo majori, quà fieri poterit, claritate, exponam Elementa, ſeu principia Chronologiæ, quorum notitia apprimè neceſſaria eſt ad uberiorem explicationem rerum, quæ dictæ ſunt in Diſſertationibus Chronologicis de Annis Nativitatis, Baptiſmi, & Mortis Chriſti Domini. Hunc autem Apparatum Chronologicum tribus comprehendam Paragraphis. In primò agam de Cyclis Solis, Lunæ, & Indictionis. In altero, de Periodis tàm Græcis, quàm Latinis, quæ ex illis Cyclis coaleſcunt. In tertiò diſſeram de præcipuis Æris, & nobiliſſimis Epochis, quibus, tanquàm fixis, & immotis cardinibus, rerum geſtarum indigitantur tempora.

PARAGRAPHUS PRIMUS

De Cyclis Solis, Lunæ, & Indictionis.

UT faciliùs intelligatur quid ſit Cyclus Solis, obſervandum eſt duplicem eſſe Annum Solarem, Aſtronomicum unum, ſeu Tropicum; alterum verò Civilem, ſeu Communem, & ad popularem uſum accommodatum, quique vulgò Annus *Julianus* appellatur, ità dictus à Julio Cæſare, qui Kalendarium Romanum correxit, & emendavit. Annus Solaris Aſtronomicus, ſeu Tropicus, eſt ſpatium temporis, quo Sol totum Zodiacum perluſtrat, initio ſumpto ab aliquo Zodiaci puncto, donec ad idem punctum revertatur. Hic Annus Solaris Tropicus, juxtà Tabulas Alphonſinas, præter dies 365. habet quinque horas, minuta 49. ſecunda 16. Juxtà verò *Dñum Caſſinum*, egregium hujus ætatis Mathematicum, præter dies 365. complectitur quinque horas, minuta 48. & ſecunda 37.

Digitized by Google

Hic autem annus Solaris Tropicus cenſetur accuratiſſimus, & ad certas Aſtronomiæ regulas exactus. E contrà verò Annus Solaris Civilis, qui Julianus dicitur, minùs eſt accuratus, conſtat ſiquidem diebus 365. & ſex horis integris, quò fit ut annus Solaris Civilis, ſeu ordinarius, ſuperet, juxtà Tabulas Alphonſinas, Annum Solarem Tropicum undecim minutis. Porrò undecim illa minuta, quibus Annus Solaris Civilis, ſeu Julianus ſuperat Annum Solarem Tropicum, neglecta à tempore Concilii Nicæni, quod celebratum eſt Anno Æræ Chriſtianæ 325. ſenſim ſine ſenſu uſque ad annum 1582. in decem dies integros excreverant, ſicque Vernum Æquinoctium, quod à Patribus prędicti Concilii ad diem 21. menſis Martii erat defixum, paulatim à ſua ſede dimotum eſt, ità ut Anno Æræ Chriſtianæ 1582. ad diem 10. & 11. menſis Martii migraſſet. Quem errorem ut caſtigaret Gregorius XIII. Summus Pontifex, & Æquinoctium Vernum, quod ultrò, citròque fluctuabat, ad priſtinam, ſeu Nicænam ſtationem reſtitueret; poſt diuturnam, & maturam deliberationem habitam cum doctiſſimis id ætatis Mathematicis, & Aſtronomis, juſſit ut hoc anno 1582. menſe Octobri decem eximerentur dies, hoc eſt, ut poſt diem quartam menſis Octobris Sancto Franciſco ſacram, dies ſequens non eſſet quinta, ſed decima quinta, quibus expunctis decem diebus, ſublatus eſt error, quem à tempore Concilii Nicæni minuta illa non computata in Noviluuia, & Plenilunia invexerant, nàm anno ſequenti 1583. vernum Æquinoctium decem diebus ſeriùs, quàm antè Kalendarii Gregorianam emendationem contigit, ac proindè cùm antè correctionem æquinoctium Vernum incideret in diem 11. menſis Martii, eo anno 1583. accidit propè diem 21. Martii, eumdemque deinceps in annis ſequentibus ordinem tenuit. Sed ne temporis progreſſu Æquinoctium Vernum à die 21. Martii, ad quam fuerat revocatum, demoveretur, & versùs menſis initium denuò progrederetur, ſapienter à Gregorio XIII. inſtituta eſt hæc intercalandi ratio, ut retentâ quidem conſueta ratione intercalandi quarto quoque anno, qui *Biſſextilis* vulgò appellatur, omnes prætereà centeſimi anni, qui antè Gregor. Kalendarii correctionem Biſſextiles erant, non omnes in poſterum haberent biſſextum, ſed tres primi centeſimi communes eſſent, hoc eſt, abſque biſſexto, quartus verò centeſimus annus biſſextilis permaneret. Ab hac tamen lege Summus ille Pontifex excepit annũ 1600. quem anno correctioni Kalendarii proximum, biſſextilem eſſe voluit; itàque poſt Gregorianam Kalendarii reformationem tres primi centeſimi anni, videlicet 1700. 1800. 1900. debent eſſe ſine biſſexto, quartus verò inſequens centeſimus annus, ideſt annus 2000. biſſextilis permanebit, idemque intercalandi ordo ſervabitur in aliis ſequentibus centeſimis annis. Quâ certè accuratiſſimâ

ſimâ intercalandi ratione conſuluit Gregorius XIII. æquinoctii Verni ſtabilitati, effecitque ut in 20. ac 21. die menſis Martii perpetuò fixum permaneret, & non ampliùs hàc illàc ſine fræno vagaretur.

Hac præmiſsâ obſervatione, fatentur omnes Chronologi Cyclum Solarem nihil aliud eſſe, quàm ſpatium 28. annorum, qui numerus ex quaternario ſepties ſumpto emergit. Ratio autem cur Cyclus Solaris conſtet 28. annis, nulla alia ſuppetit, niſi, quia, ut mox dictum eſt, annus Solaris Civilis, quique Julianus dicitur, complectitur dies 365. & ſex horas integras, quæ quidem ſex horæ quater ductæ conſtituunt quarto quoque anno diem integrum, qui vulgò appellatur *Biſſextilis*, eò quod ſextò kalendas Martias accidere ſoleat, biſque *ſextò kalendas Martias* eo anno pronuncietur, ſcilicèt die 24. & die 25. Februarii. Porrò hic dies biſſextilis, qui quarto quoque anno ex relictis horarum appendicibus conſurgit, in cauſa eſt cur Cyclus Solis conſtet annis 28. Enimverò ſi annus Solaris civilis contineret dumtaxàt dies 365. ſine ullis horarum appendicibus, quæ ſingulis quadrienniis in unum diem coaleſcunt, haberet quoque hebdomades quinquaginta duas, & unum diem ſuperfluum, trecenti quippè & ſexaginta quinque dies per ſeptem diſtributi, conſtituunt quinquaginta duas hebdomades, & unum diem ſuperfluum, & ſic quia per ſeptem ferias annus elabitur, quæ per totidē Litt. Domin. a, b, c, d, e, f, g, exprimuntur, à quacumque feria auſpicaretur annus, in eadem feria, Litterave Dominicali terminaretur; ac proindè intrà ſeptem annos Cyclus Solaris abſolveretur, Litteraque Dominicalis è veſtigio inveniretur. At in anno Solari civili, biſſextilis annus hunc æquabilem penitùs interturbat ordinem, nàm annus biſſextilis non in eamdem feriam, à qua orditur, deſinit; ſed in ſequentem, undè in anno biſſextili, ideſt, ſingulis quadrienniis, invertitur & feriarum, & Litterarum Dominicalium ordo. Quapropter ut hæc viciſſitudo, quam in ferias, & Litteras Dominicales inducit biſſextilis annus, intrà certos fines cohiberi poſſet, peropportunè inventus eſt iſte Cyclus Solis conflatus annis 28. quibus emenſis, eodem ordine, quo cæperunt, redeunt Litteræ Dominicales. In anno Biſſextili duplex ſemper occurrit Littera Dominicalis, una videlicèt, quæ retinetur uſque ad ſextò kalendas Martias; altera verò, quæ à ſextò kalendas Martias incipit, & deinceps per anni labentis circulum ſervatur. Ordine autem retrogrado Litteræ Dominicales in Cyclo Solis diſponi debent, ſicut in ſchemmate ſequenti.

Advertat, Lector, hunc Cyclum Solarem, poſt Gregorianam Kalendarii reformationem in tribus quibuslibet primis centenariis immutari circa ordinem Litterarum Dominicalium. Ratio eſt, quia olim omnes centeſimi anni biſſextiles erant, adeòque duplicem habebant

bant Litteram Dominicalem, at poſt Gregorianam, ut mox obſervatum eſt, Kalendarii reformationem, in tribus primis centenariis tria biſſexta perimuntur, quò fit ut, poſt Gregorianam reformationem, tres primi centeſimi anni, qui biſſexto multantur, unam tantùm retineant Litteram Dominicalem; alteram verò, quam antehàc habebant, relinquant anno ſequenti. Indè maxima in Cyclo Solari circà ordinem Litterarũ Dominicalium oritur perturbatio, ad quam tollendam *Aloyſius Lilius* Romanus, inſignis Mathematicus, miro artificio *Tetracoſieteridem*, ſeu Cyclum 400. annorum contexuit, quem Cyclum inchoavit à Littera Dominicali G; & deindè ordine retrogrado ſic Litteras Dominicales diſpoſuit, ut tranſactis annis 400. fiat regreſſus ad eamdem Litteram Dominicalem G, undè totius complicationis ductum eſt initium, eodemque ordine, quo anteà, Litteræ Dominicales, juxtà Gregorianam Kalendarii reformationem revertantur. Sed de hac Aloyſii Lilii Tetracoſieteride plura legi poſſunt apud Chriſtophorum Clavium. & Petavium, qui contrà Scaligerum multa in gratiam, & vindicias Kalendarii à Gregorio XIII. caſtigati eruditè, & copioſè ſcripſerunt.

CYCLUS SOLIS.	
Anni.	*Litt. Domin.*
1	g f
2	e
3	d
4	c
5	b a
6	g
7	f
8	e
9	d c
10	b
11	a
12	g
13	f e
14	d
15	c
16	b
17	a g
18	f
19	e
20	d
21	c b
22	a
23	g
24	f
25	e d
26	c
27	b
28	a

Ut autem Lector facili negotio invenire poſſit annum currentem Cycli Solaris, tria præſtet oportet. Primò, inſpicere debet quotus ſit annus Æræ vulgaris. Secundò, anno currenti Æræ vulgaris novem addet annos (quia annus primus Æræ vulgaris, ſeu Chriſtianæ incidit in annum decimum Cycli Solaris, ut omnes ad unum fatentur Chronologi; oportet ergò ut novem illi anni, qui antè exordium Æræ Chriſtianæ

ſtianæ effluxerunt, ſemper addantur anno currenti Æræ Chriſtianæ, ut annus Cycli Solaris inveniri poſſit) denique totam illam ſummam, quæ ex Æra vulgari, & novem ei additis annis exurgit, dividet per annos 28. & confeſtim annum, ſeu Cycli Solaris numerum inveniet. Nàm ſi quid, factâ illâ diviſione, ex prædicta ſumma diſtributâ per annos 28. reſiduum fuerit, id, quod reſiduum erit, denotabit numerum, ſeu annum currentem Cycli Solaris. Si verò ex prædicta ſumma nihil fuerit reſiduum, ſignum erit tunc eſſe annum ultimum, ſeu vigeſimum octavum Cycli Solaris. Exempli causâ, ſcire vis hoc anno quotus ſit annus Cycli Solaris, quid ergò tibi facto opus eſt? inſpicias primùm oportet quotus ſit annus Æræ vulgaris, & invenies eſſe annum Æræ vulgaris 1711. Deindè anno Æræ vulgaris 1711. novem addes annos, ſicque ſummam habebis annorum 1720. Denique totam hanc ſummam annorum 1720. divides per annos 28. & quia hac factâ diviſione duodenarius numerus erit reſiduus, confeſtim intelliges annum duodecimum Cycli Solaris concurrere cum labenti anno Æræ vulgaris 1711. Quæ omnia, ut faciliùs memoriâ teneantur, duobus hiſce verſibus ſunt comprehenſa:

Junge annis Domini ter ternos, perque viginti
Octo ſeca ſummam, Cyclus Solaris habetur.

De Cyclo Decennovennali Lunæ, ſeu de Aureo Numero.

OBſervandum primò, duplicem eſſe menſem Lunarem, *Periodicum* unum, & *Synodicum* alterum. Menſis Lunaris Periodicus ille dicitur, quo Luna ſuum decurrit Orbem, & hic menſis abſolvitur diebus 27. horis 7. minutis 43. ſecundis 7. Menſis Lunaris Synodicus, quique in uſu communi uſurpatur, ille eſt, quo Luna ab unà cum Sole phaſi, ſeu conjunctione ad alteram redit, & hic menſis Lunaris conſtat diebus 29. hor. 12. minutis 44. ſecundis 3. ut videre eſt in Tabulis *Hiparci, Alphonſi, Copernici*, *Prutenicis*, & *Pariſienſibus*. Hic Menſis etiam vocatur *Aſtronomicus*, quia Aſtronomici in ſuis calculis, & obſervationibus eo uti ſolent ut Novilunia, Plenilunia, & Eclypſes dignoſcere poſſint.

Obſervandum ſecundò, duplicem itidèm eſſe annum Lunarem, Civilem unum, Aſtronomicum alterum. Annus Lunaris Civilis, ſeu Popularis complectitur dies 354. abſque horarum, & ſcrupulorum appendicibus. Annus verò Lunaris Aſtronomicus habet dies 354. horas 8. minuta 48. & ſecunda 38. Ratio illius diſcriminis eſt, quia in anno Lunari Aſtronomico, præter dies 29. & horas 12. inſeruntur ſcru-

ſcrupula horarum, ſeu minuta 44. & ſecunda 38. At in anno Lunari Civili, qui ad Populorum, & Civitatum uſum iuſtitutus eſt, recenſentur quidem dies 29. & 12. horæ; ſed non numerantur horarum ſcrupula, ſeu minuta 44. & ſecunda 38. quæ inſunt ſingulis menſibus Lunaribus. Verùm ità colliguntur illa horarum ſcrupula, ut intrà 32. Lunationes, ſeu intrà 32. menſes Lunares diem integrum conſtituant, qui quidem dies in anno Lunari civili cavę Lunationi additur, ut hoc pacto annus Lunaris civilis cum anno Lunari Aſtronomico concilietur. Communiter autem annus Lunaris civilis dividitur in duodecim menſes, quorum ſex habent Lunationes plenas, ideſt 30. dierum, ſex verò alii habent Lunationes cavas, ideſt, 29. dierum. Ratio eſt, quia menſis Lunaris civilis, ut mox dictum eſt, præter dies 29. complectitur horas 12. quæ quidem 12. horæ intrà duas Lunationes efficiunt diem integrum, undè neceſſe eſt ut, intrà duodecim menſes Lunares, ſex ſint menſes, qui habent Lunationes plenas, hoc eſt 30. dierum, ſex verò alii menſes habeant Lunationes cavas, ideſt, 29. dierum.

Obſervandum ultimò, annum Lunarem minorem eſſe anno Solari 11. diebus. Annus quippè Lunaris conſtat diebus 354. annus verò Solaris diebus 365. ut igitur Græci annos ſuos Lunares cum annis Solaribus æquare poſſent, ſolebant in ſuis Cyclis menſes intercalare, ut ex illa intercalatione annus Lunaris annum Solarem adæquaretur. Menſes autem, quos intercalabant, dicebantur menſes Embolimæi, & annus, cui inſerebatur menſis intercalaris, appellabatur ſimiliter annus Embolimæus, quia ille annus, præter duodecim Lunationes, ſeu menſes Lunares, habebat inſuper Lunationem decimam tertiam, quæ dicebatur intercalaris; undè in hoc anno embolimæo erant tredecim menſes Lunares, duodecim videlicèt communes, & decimus tertius intercalaris. De Cyclis, quos olim Græci excogitarunt ad ſuos annos Lunares cum annis Solaribus æquandos, lato calamo agit *Henricus Doduvellus* in libro quem edidit, *de veteribus Græcorum, Romanorumque Cyclis*. Quapropter, ne actum agere videar, in his explicandis non immorabor. Dicam tamen breviter quinque potiſſimùm Cyclos fuiſſe à Græcis excogitatos, quorum primus appellatur *Dietericus*, ſeu Cyclus duorum annorum, alter *Tetraetericus*, ſeu Cyclus quatuor annorum, tertius dicitur *Octaetericus*, ſeu Cyclus octo annorum, quartus vocatur *Heccæadecaetericus*, ſeu Cyclus ſexdecim annorum, ultimus appellatur *Enneadecaetericus*, ſeu Cyclus novemdecim annorum. De quatuor prioribus Græcorum Cyclis nihil impræſentiarum dicam, quia eorum uſus omninò obſolevit, totque moroſis, implexis, & vanis obvolvuntur difficultatibus, ut planè otioſi homini ſit in his tricis malè operam locare. Hîc dumtaxàt

taxàt paucis explicabo quid ſit Cyclus Lunę dictus *Enneadecaetericus*, ſeu Decennovennalis, cujus Auctor fuit Meto Athenienſis, & quo olim Chriſtiani ad Paſchalem celebritatem, & feſtorum diſponenda tempora antè Gregorianam Kalendarii correctionem uſi ſunt.

Cyclus igitur Decennovenalis, nihil aliud eſt, quàm revolutio 19. annorum, quibus decurſis, Neomeniæ, ſeu Novilunia ad idem fermè principium redeunt undè profectæ ſunt, ità ut evoluto illo annorum Cyclo, iterùm annus, qui ſequitur, dicatur primus, deindè ſecundus, poſteà tertius, donec perveniatur ad decimum nonum, poſt quem rursùs incipit annus primus hujus Cycli Decennovennalis. Hunc Cyclùm tanti fecerunt antiqui, ut illum vulgò *Aureum Numerum* appellarent; ſed eos hac in re à vero aberraſſe fatentur omnes Chronologi. Falſum quippè eſt, quod ſibi perſuaſerunt antiqui, poſt novemdecim annos fieri peræquationem utriusque Syderis, & Lunam ad idem punctum reverti, cùm potiùs conſtet Novilunia, & Plenilunia poſt intervallum novemdecim annorum antevertere priſtinam Epocham horâ unâ, & minutis 27. Ratio illius eſt, quia Cyclus novemdecim annorum Solarium Julianorum conſtat diebus 6939. horis 18. at Cyclus novemdecim annorum Lunarium Aſtronomicorum continet tantummodò dies 6939. horas 16. minuta 32. Ex quo liquidò patet Cyclum decennovennalem annorum Lunarium minorem eſſe Cyclo decennovennali annorum Solarium Julianorum horâ unâ, min. 27. Ac ſubindè poſt intervallum novemdecim annorum Novilunia, & Plenilunia tempus anticipare horâ unâ, minutis 27. & poſt ſpatium annorum 304. Lunationes citiùs accidere horis fere 23. Quare cùm à celebratione Concilii Nicæni habiti anno 325. uſque ad Gregorianam Kalendarii reformationem effluxerint anni 1257. Novilunia, & Plenilunia quatuor & ampliùs diebus accidere ſolebant, quàm Cyclus decennovennalis indicaret, ſicque feſtum Paſchæ non à Luna 15. in 21. ſed à Luna 19. in 25. celebrabatur. Hoc vitio antè Gregorianam correctionem laborabat Cyclus decennovennalis Lunæ, at poſt correctionem juſſu illius Summi Pontificis adornatam, longè mendoſior evaſit Cyclus ille decennovennalis. Enim verò annus Solaris Tropicus, poſt reformationem Gregorianam, continet dies 365. horas quinque, & minuta 49. ac proindè novemdecim anni Solares Tropici complectuntur dies 6939. horas 14. & minuta 10. Cyclus verò Lunæ decennovennalis habet dies 6939. horas 16. minuta 32. quò fit ut poſt Gregorianam Kalendarii reformationem inter Cyclum Lunæ decennovennalem, & Cyclum decennovennalem annorum Solarium Tropicorum ſit diſſidium duarum horarum, & viginti duorum minutorum, adeò ut intrà ſpatium 196. circiter annorum, Novilunia uno die tardiùs accidant. Cui Cycli decennovennalis vitio

Digitized by Google

cùm nullu m poſſet adhiberi remedium, *Aloyſius Lilius* ad perpetuam Neomeniarum revolutionem obtinendam, Cyclum epactarum 30. in Kalendario Eccleſiaſtico magno cum artificio ordinavit, ſervata plenorum, cavorumque menſium alternatione, ut videre eſt apud jam laudatos Chriſtophorum Clavium, & Dionyſium Petavium, qui de Epactis, & de Gregoriana Kalendarii reformatione uberrimè diſſerunt.

Ad inveniendum annum Cycli Lunæ decennovennalis, tria præſtanda ſunt. Primò, inveſtigari debet quotus ſit annus æræ vulgaris. Deindè decurrenti anno æræ Chriſtianæ ſemper addenda eſt unitas (fatentur ſiquidem omnes Chronologi annum primum æræ vulgaris incidiſſe in annum ſecundum Cycli Lunæ decennovennalis. Oportet ergo primam Cycli decennovennalis unitatem, quæ antè initium æræ vulgaris fluxerat, ſemper addere anno currenri æræ vulgaris) denique hæc annorum ſumma dividenda eſt per 19. annos. Si quid, facta illa diviſione, reſiduum ſit, id numerum, ſeu annum Cycli decennovennalis huic anno debitum indicabit. Si verò, facta illa diviſione nihil reſiduum ſit, annus Cycli decennovennalis huic anno debitus, erit ultimus, ſeu decimus nonus. Ex. gr. ſi huic currenti anno æræ vulgaris 1711. unitatem addas, habebis ſummam annorum 1712. quam ſummam, ſi per 19. annos diſtribuas, reſiduus erit numerus binarius, ſequitur ergo annum ſecundum Cycli decennovennalis Lunæ debitum eſſe huic currenti anno æræ vulgaris 1711. Quæ omnia, ad juvandam memoriam, his verſibus continentur:

Unum addes annis Domini, ſummamque novennis,
Et denis tribues, numerus tibi ut aureus adſit.

De Indictione.

Cyclus Indictionis eſt revolutio 15. annorum, quibus exactis ad unitatem ſit regreſſus, ideſt, evoluto ſemel ſpatio 15. annorum, annus, qui ſequitur, dicitur primus, deindè ſecundus, poſteà tertius, & ſic deinceps, donec ventum ſit ad annum decimum quintum, poſt quem rursùm incipit annus primus.

Pluribus perdoctis Chronologis videtur indictionis nomen à penſitatione Annonarum, & tributorum, quæ à Romanis indicebantur, originem habuiſſe. Certò quippè conſtat Romanos ſolitos eſſe Provinciis, quæ in eorum poteſtatem veniebant, tributa imponere. Sic Antiochia anno Urbis Romæ conditæ *690*. Palæſtina anno Urbis conditæ *691*. Cilicia maritima anno Urbis conditæ *687*. à Pompejo in

in poteſtatem Populi Romani redactæ, tributa Reipublicæ perſolvere juſſæ ſunt. Probabile igitur eſt indictionis nomen à penſitatione annonarum, & tributorum ortum habuiſſe. At cur indictio annis 15. conſtet, & quo tempore uſurpari cœperit? Nec dùm ſatis Chronologis eſt exploratum. Alii, cum Auctore Chronici Alexandrini, indictionum originem ad C. J. Cæſaris tempora referunt. Alii ad annum ſecundum Imperatoris Auguſti. Alii denique, quorùm mihi magis arridet ſententia, indictionum originem acceptam referunt Conſtantino Magno, qui, poſt profligatos apud Veronam Maxentii Tyranni exercitus, ipſumque Romæ occiſum ad pontem Milvium, ſicut ſcribunt Victor, Oroſius, & alii Scriptores Romani, tributorum indictionem Italiæ impoſuit menſe Septembri anni æræ vulgaris 312. qui fuit ſeptimus Imperatoris Conſtantini, & Maxentii Tyranni, ut cenſent Baronius, Petavius, Pagius, & Noriſius. Non eſt tamen improbabilis conjectura doctiſſimi Patris Pagii, qui in diſſertatione hypatica cenſet poſt Scaligerum exordium indictionis annorum 15. deſumendum eſſe à quinquennalibus, decennalibus, & vicennalibus Imperatorum, in quibus ſolemniis multa peragi ſolebant, videlicèt nova templa ędificabantur, vel dedicabantur, edicta in favorem Religionis, vel boni publici promulgabantur, tributa tollebantur, aut laxabantur, donativa militibus, ac populis dabantur, rei è carceribus dimittebantur, à præclariſſimis Oratoribus panegirici de Imperatoribus publicè recitabantur, convivia, epulæ, ſpectacula celebrabantur cum votis ſolemnibus, ludis Circenſibus, Gladiatoriis, Amphiteatralibus, Scenicis, Thymeliacis, & ſacrificiis, quæ *Hecatumbæ* appellabantur, in quibus centum hoſtiæ ad aram mactabantur. Hunc morem magnâ pompâ celebrandi quinquennalia, decennalia, & vicennalia Imperatorum ab Imperatore Auguſto inductum Imperatores Chriſtiani, pace per Conſtantinum Eccleſiæ redditâ, retinuerunt; cum hoc tamen diſcrimine quod, antiquato ſuperſtitioſo idolorum cultu, ad aram Dei Opt. Max. pro decenniis, ac vicenniis ſuis ſacrificia offerebant, vota nuncupabant, & Gladiatorum ludis omiſſis, Circenſes tantùm, ac Theatrales ludos exhibebant, vero Deo Templa conſtruebant, ac falſorum Deorum delubra ſolo æquabant. Ab illis igitur quinquennalibus, & decennalibus Imperatoris Conſtantini exordium indictionis 15. annorum ſumendùm eſſe non improbabiliter docent Scaligerus, & Pagius.

Triplex vulgò à Chronologis diſtinguitur indictio. Prima appellatur indictio *Conſtantinopolitana*, ſeu *Græca*. Altera, *Conſtantiniana*, ſeu *Imperatoria* dicitur. Tertia, *Romana*, ſeu *Pontificia* nuncupatur, eâque etiamnùm Summi Pontifices in ſuis bullis, ſeu diplomatibus utuntur. Indictio *Conſtantinopolitana* ſumit exordium à Ka-

Digitized by Google

lendis menſis Septembris anni æræ vulgaris 312. & de hac indictione loquitur *S. Ambroſius* in lib. de Arca, & Noe cap.17. & in epiſt. 23. aliàs 84. quæ eſt ad Epiſcopos per Æmiliam conſtitutos de celebritate Paſchæ, ſicut diſertè oſtendit Cardin. *Noriſius* cap. 6. diſſert. 3. de epochis Syro-Macedonum. *Indictio Conſtantiniana* initium ſumpſit octavo Kal.Octob. ſeu die 24. Septembris anni æræ vulgaris 312. poſt victoriam à Conſtantino Magno de Maxentio Tyranno reportatam. Hæc indictio Conſtantiniana poſterior eſt Conſtantinopolitana diebus 24. Denique *indictio Romana*, ſeu Pontificia, illa eſt, quæ à Kalendis Januariis ſimul cum anno Juliano exordium ducit, quare poſterior eſt indictione Conſtantinopolitana quatuor integris menſibus, indictione verò Conſtantiniana tribus menſibus, & octo diebus, cœpitque Kalendis Januariis anni æræ vulgaris 313. Hæc autem triplicis indictionis nota Chronologica plurimùm juvat ad ſecernenda tàm Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, quàm profanæ genuina monumenta à ſpuriis, & adulterinis. Conſtat ſiquidem Concilia, ac benè multa ſcripta cùm Grçcæ, tùm Latinæ antiquitatis variis illis indictionibus notari. Oſtendit etiam multis exemplis Card.*Noriſius* cap.4.diſſert.4. *de Epochis Syro-Macedonum* in vetuſtis quibuſdam Eccleſiaſticis monumentis perperàm indictionum annos notari, quod facilè deprehendere, & corrigere poterit quiſquis ad triplicis indictionis à nobis præfixum exordium volet animum advertere.

Ut Lector facilè invenire poſſit annum Indictionis Romanæ quæ, ut mox diximus, initium habuit Kal. Jan. anni æræ vulgaris 313. tria præſtare debet. Primò, oportet ut obſervet quotus ſit annus decurrens æræ Chriſtianæ. Secundò, tres annos addere debet currenti anno æræ vulgaris, ſeu Chriſtianæ (conſentiunt quippè omnes Chronologi annum primum æræ vulgaris incidiſſe in annum quartum Indictionis, ac ſubindè tres illos Indictionis annos, qui antè primum æręvulgaris annum effluxerunt, ſemper addendos eſſe labenti anno æræ Chriſtianæ). Tertiò, totam hanc ſummam diſtribuere debet per 15. annos. Quâ factâ diviſione, ſi nihil eſt reliqui, annus Indictionis erit ultimus, ſeu decimus quintus. Si verò factâ illa diviſione, reſiduus ſit aliquis numerus, hic numerus reſiduus currentem Indictionis annum indigitabit. Ex. cauſâ, huic labenti anno æræ vulgaris 1711. addantur tres anni, ſuccreſcet ſumma annorum 1714. quæ annorum ſumma diviſa per 15. annos relinquit numerum quaternarium. Annus igitur quartus Indictionis concurrit cum anno Æræ vulgaris 1711. quæ omnia duobus iſtis verſibus continentur:

Si tribus adjunctis, Domini diviſeris annos
Ter tibi per quinos, Indictio certa patebit.

PARA-

PARAGRAPHUS SECUNDUS

De Periodis tàm Græcis, quàm Latinis, quæ ex Cyclis ſunt conflatæ.

TRes potiſſimùm Periodi Græcæ recenſentur, Antiochena videlicèt, Alexandrina, & Conſtantinopolitana, de quibus non minùs latè, quàm disertè tractat doctiſſimus *P. Antonius Pagius* in ſpeciali Diſſertatione de Periodo Græco-Romana.

Periodus Antiochena nihil aliud eſt quàm ſpatium 5493. annorum, quos Græci Antiocheni effluxiſſe autumant à conditu Mundi uſque ad Chriſti Domini Natale, quod hæc Periodus conſignat anno Juliano 45. ſeu anno Imperii Auguſti quadrageſimo quarto. Hæc autem Periodus, quam ad Latinorum uſum flexit, & accomodavit clariſſimus *Pater Pagius*, Cyclos Solis, Lunæ, & Indictionis perindè exhibere poteſt, ac Periodus Juliana, de qua mox ſermonem habebimus, dùmmodò quatuor obſerventur regulæ, quas in laudata Diſſertatione ſuppeditat doctiſſimus ille Auctor. Prima regula eſt, ut anni initium non à menſe Septembri, ſicut Græcis ſolenne eſt, ſed à Kalendis Januariis more Latinorum ducatur. Altera regula eſt, ut retineatur Indictio, quam reddit Periodus Antiochena. Tertia, ut è Cyclo Lunæ, quem reddit Periodus Antiochena, unitas abiiciatur. Poſtrema regula eſt, ut Cyclo Solis, quem exhibet Periodus Antiochena, quatuor unitates addantur. Has quatuor regulas, ſi Lector accuratè obſervet, confeſtim Cyclos Solis, Lunæ, & Indictionis dignoſcere poterit beneficio Periodi Antiochenæ. Nàm ex. gr. annus 45. Julianus, ſeu annus quadrageſimus quartus Imperii Auguſti, quo Eccleſia Romana Dionyſium exiguum ſecuta Chriſtum Dominum natum eſſe ſupponit, munitur Cyclo ſolis 9. Cyclo Lunæ 1. Cyclo Indictionis 3. ut in confeſſo eſt apud omnes Chronologos; porrò eoſdem Cyclos tibi exhibebit periodus Antiochena, ſi regulas à clar. Pagio traditas executioni mandare velis. Enimverò annus Periodi Antiochenæ 5493. concurrit cum anno Juliano 45. ſeu cum anno Imperii Auguſti 44. cui Natale Chriſti Dionyſianum conſignatur. Si ergò hæc ſumma annorum 5493. dividatur per 15. annos, relinquet annum Indictionis tertium, qui juxtà præmiſſam regulam retineri debet. Si verò hæc ſumma annorum 5493. diſtribuatur per annos 19. reddet Cycli Lunæ annum ſecundum. Quapropter juxtâ aliam ſtatutam regulam removeri debet unitas è Lunæ Cyclo, quem reddit Periodus Antiochena, & ſic reſiduus erit annus primus

primus Cycli Lunæ. Denique ſi hæc ſumma annorum 5493. dividatur per annos 28. relinquet annum quintum Cycli Solaris, addantur ergò, juxtà aſſignatam regulam, quatuor unitates, ſeu quatuor anni Cyclo Solaris, quem exhibet Periodus Antiochena, & maniſeſtò patebit annum Julianum 45. ſeu annum Imperii Auguſti 44. cui conſignatur Natale vulgare Chriſti, & cum quo concurrit annus Periodi Antiochenæ 5493. muniri Cyclo Solis 9. Lunæ 1. Indictionis 3. & ſic in cæteris anni ejusdem Periodi Antiochenæ, easdem ſervando regulas, nullo negotio Lector inveniet Cyclos Solis, Lunæ, & Indictionis.

Hanc autem Periodum Antiochenam, ſic ad uſum Latinorum revocatam optimo jure clariſſimus Pagius *Græco-Romanam* appellat, quæ univerſæ temporum doctrinæ lumen, ac incrementum affert, non ſecùs ac Periodus Juliana. Nàm præterquam quod Periodus Antiochena, ſeu Græco-Romana, Cyclos Solis, Lunæ, & Indictionis exhibere poteſt, ſicut mox oſtenſum eſt, concordes etiam omnes Chronologos reddit circà præcipuas epochas, omniumque Scriprorum Latinorum, qui Hebræorum calculum ſequuntur, includit Chronologias, ità ut omnes Chronologi Latini, quamvis de Mundi exordio, & de anno proprii Natalis Chriſti maximas inter ſe moveant altercationes, poſſint attamen in ſupputatione annorum, qui à conditu Mundi uſque ad Natale Chriſti vulgare, ſeu Dionyſianum fluxerunt, Periodum Græco-Romanam uſurpare. Ex. gr. compertum eſt omnibus Chronologis Chriſti Natale vulgare, ſeu Dionyſianum concurrere cum anno Periodi Græco-Romanæ 5493. Chronologi ergò, qui cum Uſſerio computant à creatione Mundi uſque ad Natale Chriſti Dionyſianum annos 4003. debent conjungere Mundi exordium cum anno Periodi Græco-Romanæ 1490. ſicque ſuam ordiri Chronologiam, *Mundus conditus eſt anno Periodi Græco-Romanæ* 1490. Deindè numerando cum Uſſerio à creatione Mundi uſque ad Natale vulgare Chriſti ann. 4003. comperient Natale vulgare Chriſti concurrere cum anno Periodi Græco-Romanæ 5493. Similiter qui cum Petavio Natale vulgare Chriſti conſignant anno ab exordio Mundi 3983. debent connectere primum annum Mundi cum anno Periodi Græco-Romanæ 1510. ſicque ſuam inire Chronologiam, *Mundus conditus anno Periodi Græco-Rom.* 1510. dein putando cum Petavio ab exordio Mundi uſque ad Natale vulgare Chriſti annos 3983. invenient Natale vulgare Chriſti incidere in ann. Periodi Græco-Romanæ 5493. Idem dicendum eſt de aliis Chronologis Latinis, quorum Chronologiæ in periodo Græco-Romana includuntur. Nullus quippè eſt Chronologus ex his, qui Hebraicis, & Latinis adhærent Codicibus, qui à conditu mundi uſque ad Natale vulgare Chriſti plures annos colligat quàm

Digitized by Google

quàm 5493. immò nullus eorum eſt, qui tantam annorum ſummam ante Natale vulgare Chriſti fluxiſſe exiſtimet. Quapropter omnes Chronologi Latini, licet in recenſendis annis, qui à creatione mundi ad Natale uſque vulgare Chriſti ſunt elapſi, multùm inter ſe diſcrepent; poſſunt attamen in ſupputatione annorum uti periodo Græco-Romanâ, & illius beneficio concordes eſſe circa annum Natalis vulgaris Chriſti, & circa alias nobiliores mundi epochas. Sed de his, & aliis utilitatibus, quas in rebus Chronologicis affert periodus Græco-Romana, latè diſſerit doctiſſimus *Pagius* in elegantiſſima, quam edidit diſſertatione *de periodo Græco-Romana*, quâ etiam in conſcribendis Eccleſiæ annalibus uſus eſt. Quapropter tantùm abeſt, ut ipſe cum *Samuele Baſnagio* tom.2. annalium Politico-Eccleſ. diſſertatione undecimâ, exiſtimem fruſtrà inſudaſſe *Pagium* in excogitanda nova illa periodo Græco-Romana, ut potiùs Auctor ſim omnibus, qui Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, & Chronologiæ ſtudio incumbunt, ut hanc periodum *Græco-Romanam* calleant, & in ea ſtrenuè ſe ſe exerceant, quo majori fructu, & utilitate annales Eccleſiaſticos à doctiſſimo illo Auctore concinnatos lectitare poſſint.

Ut inveniatur annus, qui decurrit, periodi Græco-Romanæ, duo obſervari oportet. Primò, inſpici debet quotus ſit annus æræ vulgaris, deindè ſemper addendi ſunt anno labenti æræ vulgaris anni 5493. cujus additionis ratio eſt, quia annus primus æræ vulgaris connectitur cum anno periodi Græco-Romanæ 5494. ſupponunt ergo Chronologi, qui in putatione annorum periodo Græco-Romana utuntur, fluxiſſe ante æram vulgarem annos 5493. quæ annorum ſumma ſemper addenda eſt anno æræ vulgaris, ut annus periodi Græco-Romanæ inveniri poſſit. Exem. cauſa, huic æræ vulgaris labenti anno milleſimo ſeptingenteſimo undecimo addo annos 5493. ex qua additione emergit ſumma 7204. indè certiſſimè dignoſco annum periodi Græco-Romanæ 7204. concurrere cum anno labenti æræ vulgaris 1711.

Periodus Alexandrina eſt ſpatium 5501. annorum, quos Græci Alexandrini elapſos eſſe putant ab exordio mundi uſque ad Chriſti Domini Natale, quod prædicta periodus conſignat anno Juliano 43. ſeu anno Imperii Auguſti quadrageſimo ſecundo. Ex quo patet diſcrimen, quod intercedit periodum Alexandrinam inter & periodum Antiochenam. Nam Periodus Alexandrina illigat annum Incarnationis Domini anno Juliano 43. ſeu anno Imperii Auguſti 42. Periodus verò Antiochena retrahit annum Incarnationis Domini ex anno Juliano 43. ad annum Julianum 45. ſeu ad annum Imperii Auguſti 44. & creationem mundi decennio tardiùs inchoat quàm *Julius Africanus*, & alii Græci Alexandrini inceperunt, nam *Julius Africanus*, & Græci Alexandrini à creatione mundi uſque ad annum

annum Julianum quadrageſimum tertium numerant annos 5501: Græci autem Antiocheni numerant nonniſi annos 5491.

Periodus Conſtantinopolitana, quæ in Patriarchatu Conſtantinopolitano, in Moſcovia, & in aliis Orientis regionibus Patriarchæ Conſtantinopolitano ſubjectis etiamnùm viget, nihil aliud eſt, quàm ſpatium annorum 5509. quos Græci Conſtantinopolitani numerant à primordio mundi uſque ad Chriſti Domini Incarnationem, quam hæc periodus conſignat anno Juliano 45. ſeu anno Imperii Auguſti 44.

De Periodis Latinis, Victoriana, & Juliana.

Periodus *Victoriana* ex duobus Cyclis coaleſcit, ſcilicet ex Cyclo Solis annorum 28. & ex Cyclo Lunæ annorum 19. ex quibus Cyclis inter ſe multiplicatis emergit ſumma annorum 532. quibus tota continetur Periodus Victoriana. Enim verò ſi Cyclus Solis, qui eſt viginti octo annorum, multiplicetur per Cyclum Lunæ, qui eſt novemdecim annorum, hoc eſt, ſi novemdecies numerentur viginti octo anni, habebis ſummam annorum 532. & viciſſim ſi Cyclus Lunæ, qui eſt novemdecim annorum, multiplicetur per Cyclum Solarem, ideſt, ſi viginti octiès numerentur novemdecim anni, eadem conſurget ſumma annorum 532. hujus autem Periodi Victorianæ ea conditio eſt, ut duo Cycli Solis, & Lunæ in unum periodi annum incurrentes, alteri anno in tota periodo convenire nequeant. Ex. gr. annus primus æræ vulgaris notatur Cyclo Lunæ II. & Cyclo Solis X. nullus itaque annus in tota Periodo Victoriana occurrit, qui iisdem Cyclis, ſeu Lunæ II. & Solis X. ſit affectus. Hujus Periodi Auctor fuit *Victorius*, ſeu *Victorinus Aquitanus*, ſicut teſtantur *Marianus Scotus*, *Sigebertus*, & *Baronius* ad annum Chriſti 463. cenſet tamen Cl. *Pagius* in diſſertatione *de Periodo Græco-Romana* Victorinum non eſſe inventorem illius Periodi, ſed illum dumtaxat primum fuiſſe, qui eam apud Latinos adhibuerit, illiusque Periodi inventionem Orientalibus acceptam referri debere. Sed eâ de quæſtione contendere nolumus, cùm nihil ſit cur illius Periodi inventionis laudem Victorino invideamus. Obſervat quippè Cardinalis *Noriſius* in expoſitione Faſtorum Conſularium Auctoris anonymi, deceptum fuiſſe Victorinum, dùm putavit ope Periodi à ſe excogitatæ non ſolùm eaſdem Lunationes, ſed etiam eumdem hebdomadis feriarum ordinem in Orbem revocatum iri. In hoc, inquam, deceptum fuiſſe Victorinum, ait Card. *Noriſius*, quia hæc Periodus Victoriana poſt evolutos annos 532. non eumdem feriarum, ac Lunationum ordinem in Orbem ducebat, ſed è contra Novilunia poſt annos 532. citiùs accidebant uno die, horis ſexdecim, minutis 51. Quapro-

propter cùm hæc Periodus Victoriana id, quod ſpectabat, attingere non poſſet, novam doctiſſimus ille Cardinalis Periodum *Luniſolarem* excogitavit, quæ conſiſtit in revolutione annorum 1932. ita ut emenſo ſpatio annorum 1932. Novilunia, & Plenilunia redeant eadem hora ejuſdem diei, & feriæ, à qua inceperunt. Hanc *Noriſianam* Periodum latè explicat eruditus *P. Guillelmus Bonjour* Auguſtinianus in Calendario Romæ edito anno MDCCI. eamque, quamvis ſtylo veteri, ſeu Juliano conſtructam, ad ſtylum novum, ſeu Gregorianum certarum radicum defixione periodicâ facilè accommodat. Hunc ergo Auctorem conſulat Lector, ſi velit.

Periodus Juliana, quam *Joſephus Scaliger* vir in doctrina temporum verſatiſſimus adinvenit, vel quam, ut putat *Uſſerius*, à Roberto Lotharingo Herefordienſi Epiſcopo adinventam, poſt quingentos annos Chronologicis uſibus adaptavit *Scaliger*, nihil aliud eſt, quam quidam annorum circulus ex triplici conflatus Cyclo, videlicet Solis, qui ſpatio 28. annorum abſolvitur, Cyclo Lunæ, qui eſt 19. annorum, & Cyclo Indictionis, qui conſtat annis XV. nam ſi Cyclus Solis, ut mox dictum eſt, multiplicetur per Cyclum Lunæ, vel ſi verſa vice Cyclus Lunæ multiplicetur per Cyclum Solis, ex ea multiplicatione prodibit ſumma annorum 532. at ſi hæc ſumma annorum 532. rursùs multiplicetur per Cyclum Indictionis, qui eſt XV. annorum, ideſt, ſi quindeciès multiplicetur ſumma annorum 532. ex ea multiplicatione ſuccreſcet ſumma annorum 7980. quibus tota continetur Periodus Juliana. Porrò illius famoſæ, & totiès decantatæ Periodi hæc ratio eſt, ut quilibet tres Cycli, videlicet Solis, Lunæ, & Indictionis in unum incurrentes Periodi annum, nulli alteri anno in tota Periodo Juliana competere poſſint. Ex.gr. primus annus Periodi Julianæ notatur Cyclo Solis I. Lunæ I. Indictionis I. in cæteris igitur annis, ex quibus conflatur Periodus Juliana, nullum invenies præter illum primum annum, cui tres iſti congruant Cycli, ideſt, qui notetur Cyclo Solis I. Lunæ I. Indictionis I. duratura autem eſt hæc Periodus Juliana uſque ad annum æræ vulgaris 3267. Quapropter anno æræ vulgaris 3268. (factâ hypoteſi quod mundus ad hunc uſque annum perſtare debeat) denuò inceptura eſt Periodus Juliana una cum triplici Cyclo, ex quo conflata eſt, ſumpto ab unitate exordio, ita ut annus æræ vulgaris 3268. notandus ſit in Periodo Juliana Cyclo Solis I. Lunæ I. Indictionis I. ſicque in Orbem redibunt in Periodo Juliana Cycli Solis, Lunæ, & Indictionis.

Illius Periodi Julianæ uſum laudant, & mirantur omnes Eruditi, qui cunctas hiſtoriarum epochas, hanc ad regulam exigunt. Doctiſſimus *Petavius*, licet acerrimus Scaligeri æmulus, ait lib. 9. de doctrina temporum cap. 6. ſine præſidio illius Periodi Julianæ cæcam eſſe,

Cccc & ob-

Digitized by Google

& obſcuram annorum ſeriem, nec niſi per ambages, annorum ſitus explorari poſſe. Certè negari haud poteſt hanc Periodum Julianam perindè Chronologiæ utilem eſſe, ac Periodum Græco-Romanam, eadem quippè commoda præbet, quæ Græco-Romana. In primis, Periodus Juliana, non ſecus ac Græco-Romana, Chronologos Latinos, qui de mundi primordiis valdè inter ſe diſſentiunt, concordes efficit circa annum Natalis vulgaris, ſeu Dionyſiani Chriſti Domini, quia fatentur omnes Chronologi Latini Natale vulgare Chriſti eſſe illigandum anno Periodi Julianæ 4713. Prętereà id commodi habet Periodus Juliana, ut omnes Latini Chronologi eâ uti poſſint in ſupputandis annis, qui à conditu mundi uſque ad Natale vulgare Chriſti ſunt elapſi, quia in Periodo Juliana omnes Scriptorum Latinorum Chronologiæ includuntur. Ex. gr. conſtans eſt omnium Chronologorum ſententia, ad annum Periodi Julianæ 4713. referendum eſſe Natale vulgare Chriſti; oportet ergo, ut illi Chronologi, qui cum *Vſſerio* putant à creatione mundi uſque ad Natale vulgare Chriſti effluxiſſe annos 4003. conjungant primum annum Mundi cum anno Periodi Julianæ 710. quæ annorum ſumma conſtituenda eſt in exordio Mundi, & ab ea ineunda tota annorum ſeries, ſic videlicet incipiendo: *Mundus conditus eſt anno Periodi Julianæ* 710. Dein numerando annos 4003. qui, juxtà *Vſſerium*, ab exordio mundi interfluxerunt uſque ad Natale vulgare Chriſti, perſpicuum erit Natale vulgare Chriſti, juxtà *Vſſerii* calculū, incidiſſe in annum Periodi Julianę 4713. ſimiliter Chronologi, qui cum *Petavio* Natale vulgare Chriſti conſignant anno Mundi 3983. connectere debent primum annum Mundi cum anno Periodi Julianæ 730. quæ annorum ſumma in Mundi principio ſtatuenda eſt, & ab ea ducenda tota annorum ſeries, ſic videlicet incipiendo: *Mundus conditus eſt anno Periodi Julianæ* 730. Deindè numerando annos 3983. qui, juxtà *Petavium*, à creatione Mundi uſque ad Natale vulgare Chriſti effluxerunt, liquidò patebit Natale vulgare Chriſti, juxtà *Petavii* calculos, incidiſſe in annū Periodi Julianæ 4713. idem occurrit dicendum de aliis Chronologorum Latinorum ſententiis, quæ facilè in Periodi Julianæ ambitu includi poſſunt, cùm nullus Chronologus ex his, qui juxtà Hebraicos, & Latinos Codices, annorum intervalla ſubducunt, plures à creatione Mundi uſque ad Natale vulgare Chriſti, quâm 4713. annos colligat, imò nec tantam annorum ſummam ante Natale vulgare Chriſti præteriiſſe ſcribat.

Expoſitis ùtilitatibus, quas rebus Chronologicis affert Periodus Juliana, non abs re erit paucis oſtendere quâ viâ poſt Natale Chriſti Domini inveniri, & dignoſci poſſit annus Periodi Julianæ. Duo autem ad inveniendum poſt Natale Chriſti Domini annum Periodi Julianæ neceſſaria ſunt. Primò, inſpici debet quotus ſit annus decur-

rens

Digitized by Google

renſ æræ vulgaris. Deindè decurrenti anno æræ vulgaris addendi ſunt anni 4713. cujùs additionis ratio eſt, quia omnes ad unum fatentur Chronologi annum primum æræ vulgaris concurrere cum anno Periodi Julianæ 4714. ſupponunt ergo Chronologi ante annum primum æræ vulgaris effluxiſſe annos Periodi Julianæ 4713. Quapropter hi anni 4713. Periodi Julianæ, quos ante annum primum æræ vulgaris fluxiſſe Chronologi ſupponunt, ſemper addi debent anno currenti ęræ vulgaris, ut inveniatur annus Periodi Julianæ. Ex. gr. huic anno ęræ vulgaris 1711. addo annos 4713. quâ factâ additione emergit ſumma annorum 6424. ex quo certiſſimè colligo annum Periodi Julianę 6424. concurrere cum labenti anno ęræ vulgaris 1711. ſed de Periodo Juliana hęc levi brachio attigiſſe ſufficiat.

PARAGRAPHUS ULTIMUS

De nobilioribus Æris, & Epochis tàm Græcis, quàm Latinis.

ÆRæ, ſeu epochę nihil aliud ſunt, quàm fixi quidam cardines, ſeu indices, quibus rerum geſtarum indigitantur tempora. Inter has in primis recenſetur Olympiadum epocha, quę ortum habet à ludis Olympicis, à quorum exordio Græci ſuos annos putare ſolebant. Deindè aliæ ſunt, quę exordium ducunt ab Urbium conditu, ſic inſignis epocha de condita Roma. Alię ab initio Regni Principum, ſic famoſa ęra Naboſſarea, à Nabonaſſare Chaldęorum Rege; ęra Lagidarum, à Ptolomęo Lagi Ægyptiorum Rege, ęra Seleucidarum, à Seleuco Nicanore Syrię Rege; ęra Diocletiani ab initio Imperii Diocletiani. Alię à partâ Urbium autonomia, ſeu libertate ortum habent, ſic ęra Antiochena. His, & aliis id genus ęris, & epochis cùm plenior de annis Chriſti notitia haberi poſſit, in rem Chronologię ſtudioſorum facturos nos eſſe duximus brevem illarum hîc explicationem attexere.

De Epochis, & Æris Græcis.

OLympias nihil aliud eſt, quàm quatuor annorum ſolidorum decurſus. Sic autem appellatur ab Olympicis ludis, ſeu agonibus, & certaminibus, quę apud Gręcos quinto quoque ineunte anno celebrari ſolebant, ut tradunt *Phlegon* egregius, teſte Euſebio, Olympiadum ſupputator, *Julius Africanus*, *Cenſorinus*, *Pauſanias*, *Polybius*, *Dionyſius Halicarnaſſæus*, *Diodorus Siculus*, *S. Hieronymus* Euſebii continuator, & multi alii Auctores, qui in putandis annis Olympiades adhibuerunt. Duplex autem eſt Olympiadum epocha, vera videlicet, & vulgaris. De verâ Olympiadum epocha, ſeu dę prima Olym-

piade non convenit inter Chronologos. Sed de vulgari Olympiadum epocha, quæ modo in uſum Chronologorum recepta eſt, una & concors eſt omnium Chronologorum ſententia; ultrò quippe fatentur vulgaris Olympiadum epochæ initium ducendum eſſe à *Corabo Elæo*, quem arte coquum fuiſſe prodit *Athenæus* lib. 9. quique in ſtadio vicit anno Periodi Julianæ 3938. ante Romam conditam annis viginti tribus, ante ęram vulgarem 776. quamvis autem hęc Olympias reapsè non ſit prima, ſed ſolùm vigeſima octava, Græci attamen tanto favore, & ſtudio eam exceperunt, ut *Corabus*, qui in ea vicit, tanquam Mercurius Bifrons fabuloſi temporis vindex collocetur; quidquid verò ejus victoriam præceſſit, tanquam fabuloſum apud ipſos habeatur. Undè non mirum ſi Chronologi hac Olympiade, quaſi omnium prima eſſet, in pręfigendis hiſtoriæ temporibus utantur; nam, ut optimè ait Cl. *Marshamus* pag. 423. *Canonis Ægyptiaci, Hebræi, & Græci*, parùm intereſt rei Chronologicæ utrum *Corabi* Olympias prima ſit, vel tantùm vigeſima octava, dummodò ſtabilis figatur terminus, à quo putentur tempora. Conſenſus Chronologorum errorem protegit, & epocham ab omni controverſia vindicat.

Æra Nabonaſſari ita dicta eſt à *Nabonaſſaro* Chaldęorum Rege, à cujus Regni primordio Gręci novam ęram, ſeu epocham inſtituerunt. Hujuſce ęræ Nabonaſſari exordium ponitur in anno Periodi Julianæ 3967. anno 2. Olymp. 8. Urbis Romæ conditę anno ſeptimo, die 26. menſis Februarii feriâ quartâ, quâ Neomenia menſis Ægyptiaci *Thoth* contigit, ſicut *Petavius*, & *Ricciolius* probant ex teſtimonio *Cenſorini*, & ex multis obſervationibus Aſtronomicis apud Ptolomęum. Hæc ęra Nabonaſſari antevertit Natale vulgare Chriſti annis 747.

Æra Lagidarum ſic appellata à Ptolomæo Lagi filio, qui primus poſt obitum Alexandri Magni regnavit in Ægypto, auſpicatur eodem anno, quo *Alexander Magnus* poſt celebrem ad Arbela victoriam de Dario Codomanno reportatam, cœpit tanquam Supremus Monarcha regnare in Aſia anno Periodi Julianæ 4385. ante ęram vulgarem 329. Quamvis enim Ptolomęus Lagi filius, nonniſi 12. annis poſt obitum Alexandri Magni, diadema, nomenque regium uſurpaverit, nihilominus ab eo anno, quo Alexander Magnus ut ſupremus Monarcha regnavit, annos Principatus Ptolomæi numerarunt Lagidæ. Et hinc prodiit ęra Lagidarum, ut teſtantur *Lucianus* in Macrobiis, *Euſebius* in Chronico, *Epiphanius* in lib. de ponderibus, & menſuris.

Æra Seleucidarum, ſeu *Syro-Macedonum* cœpit 12. annis poſt obitum Alexandri Magni, poſtquam videlicet *Seleucus Nicator*, vel *Nicanor* dictus, ideſt, Victorioſus, unus ex Alexandri Magni Ducibus Demetrium Antigoni filium, commiſſo apud Gazam Palęſtinæ pręlio ſupe-

peravit, & Nicanorem Antigoni Præfectum ſibi occurrentem profligavit, Mediam, Suſianam, & Babyloniam recuperavit, unde metu Antigoni profugerat, & in Ægyptum ſeceſſerat. Id autem contigit anno Periodi Julianæ 4402. anno 1. Olymp. CXVII. anno Urbis Romę conditę 442. ante ęram vulgarem, ſeu Chriſtianam 312. undecim annis antequam prędictus *Seleucus* Syriâ potiretur.

Falluntur quippè nonnulli Chronologi, qui putant ęram Seleucidarum auſpicari una cum Seleuci Nicatoris Principatu in Syria anno Urbis conditę 442. nam certum eſt ex *Diodoro Siculo* lib.18. anno Urbis conditę 442. Antigonum cum pręvalido exercitu in Syriam deſcendiſſe, & Ptolomęum Cœleſyriâ, ac Phœnicia expulſum, intra Ægypti terminos detruſiſſe. Quod ſanè manifeſtò evincit Syriam anno Urbis conditę 442. necdùm à Seleuco Nicatore fuiſſe occupatam. Deindè *Antigonus* à fœderatis Principibus Macedonum victus, Regnoque, & vita privatus eſt anno 4. Olymp.CXIX. tuncque Victores, ut teſtantur Appianus in *Syriacis*, & Plutarchus *in Pyrrho*, Regnum Antigoni occiſi velut magnum corpus ſecum invicem partiti ſunt, & *Seleucus Nicator* ſuperiorem Aſiam obtinuit eodem anno Olymp.CXIX. ab Urbe condita 453. ante Chriſti ęram 301. verùm etſi Seleucus hoc dumtaxat anno Syriâ potitus ſit, annos tamen regni ſui ab eo tempore numeravit,quo Babylone recuperatâ ad maximum omnium Aſiæ Regnum poſt Alexandri Imperium ſibi aditum aperuit, quamvis per id temporis à Regio Diademate, & nomine uſurpando abſtineret. Æra itaque Seleucidarum iniit ab Autumno anni Periodi Julianę 4402. Urbis conditę 442. undecim annis antequam Seleucus Syriam occuparet.

Triplex diſtinguitur ęra Seleucidarum pro triplici, quod ipſi tribuitur exordio. Prima dicitur Judaica,quia in uſu erat apud Judęos, & incipit à menſe *Niſan*, ſeu à primo Verno menſe anni Periodi Julianę 4402. Judęi quippè à Neomenia menſis *Niſan* annos ſuos legales auſpicabantur ex Dei pręcepto, ut videre eſt Exodi cap. 12. & Levitici cap.23.idque etiam diſertè tradit *Joſephus* lib.3.antiq.cap.10.Hanc ęram Seleucidarum ſemper conſervarunt Judęi; licèt enim ſub Simone Summo Sacerdote novam Judęi inſtituerint epocham, eo quod Seleucidarum jugum excuſſiſſent, ut legitur cap. 13. lib. 1. Machab. *anno centeſimo ſeptuageſimo ablatum eſt jugum gentium ab Iſrael. Et capit populus ſcribere in tabulis, & geſtis publicis anno primo ſub Simone Summo Sacerdote, Magno Duce, & Principe Judæorum*. Attamen ęram Seleucidarum adhuc retinuerunt Judęi, ut conſtat ex cap. ſeq. *Octava decima die menſis Elul, anno centeſimo ſeptuageſimo ſecundo, anno tertio ſub Simone Sacerdote Magno*. Annus autem centeſimus ſeptuageſimus ſecundus eſt annus epochæ Seleucidarum, ſeu Regni Gręcorum.

Alte-

Altera ęra Seleucidarum vocatur Antiochena, ſeu Alexandrea, quę initium ducit à menſe *Tiſri*, hoc eſt in Autumno ejuſdem anni Periodi Julianę 4402. quò fit, ut illa ęra Seleucidarum, quę Antiochena dicitur, poſterior ſit ſex menſibus ęra Seleucidarum, quę *Judaica* appellatur. Tertia denique Seleucidarum epocha ea eſt, quę *Chaldaica* appellatur, & cujus initium à Verno tempore ſequentis anni Periodi Julianæ 4403. deſumitur, quarè anno integro poſterior eſt ærâ Seleucidarum, quæ *Antiochena*, ſeu *Alexandrea* nuncupatur. Hæc triplicis æræ Seleucidarum diſtinctio accuratè obſervanda eſt, quia illius beneficio facilè admodùm conciliatur Chronologica illa diſſonantia, quæ primâ fronte reperiri videtur inter Auctorem libri primi, & Auctorem lib.2. Machab. Auctor ſiquidem lib.1. Machab. adhibet in numerandis annis æram Seleucidarum, quæ *Judaica* dicitur, & quæ, ut mox diximus, initium ducit à menſe *Niſan*, qui eſt primus menſis Vernus. Et Auctor lib.2. Machab. in recenſendis annis Regni Græcorum utitur ærâ Seleucidarum, quæ *Antiochena*, ſeu *Alexandrea* appellatur, & quæ ab Autumno, ſeu à menſe *Tiſri* auſpicatur. Quamobrem Auctor lib.1. Machab. in putatione annorum Regni Græcorum ſemper ſex integris menſibus antevertit Auctorem lib.2. Machab. Ad hæc ſi animum ſeriò advertiſſet *Scaligerus*, nullum profectò in libris Machabaicis nactus fuiſſet Chronologicæ diſſonantiæ veſtigium, & ab his verbis procul omni dubio abſtinuiſſet, quæ temeritate non vacant; *Quis Oedippus hæc ſolverit? Itaque benè de illo Auctore meruerit, qui illum à ſuſpicionis errore vindicaverit.*

Æram Seleucidarum omnes Syro-Macedones, ſeu Syriæ populi à Macedonibus devicti uſurparunt, videlicet *Edeſſeni, Apameenſes, Damaſceni, Emiſſeni, Tripolitæ, Antiocheni, Seleucienſes, Laodicenſes, Gadari, Gazenſes*, donec à Pompejo ſuis utendi legibus libertatem obtinuiſſent; tunc enim antiquatâ Seleucidarum ærâ omnes illi populi novam in honorem Pompei, quem velut ſuum Liberatorem agnoſcebant, inſtituerunt; ſicut ex multis nummis apud Aſiaticos ſculptis luculenter demonſtrat *Card. Noriſius* in ſæpe laudato opere *de Epochis Syro-Macedonum*.

Æra, ſeu *Epocha Antiochena* quadruplex eſt. Prima eſt illa epocha, quam, ut mox dictum eſt, Antiocheni communem habuerunt cum Seleucidis, ſeu Syro-Macedonibus, & quam ab initio Seleuci Nicatoris ſumptam in numerandis annis retinuerunt, donec in poteſtatem Romanorum venirent. Altera Epocha Antiochena ea eſt, quam Antiocheni, priori epochâ, ideſt, Seleucidarum relictâ, inſtituerunt in honorem Pompei, à quo autonomiam, ſeu libertatem ſuis utendi legibus acceperunt anno Urbis Romæ conditæ 690. Quapropter hæc ſecunda Antiochenorum epocha meritò appellari poteſt *Pompejana*, Ter-

Tertia Antiochenorum epocha ea eſt,quam Antiocheni epochæ Pompejanæ poſteà ſubſtituerunt, quando videlicet à *Cajo Julio Cæſare* Dictatore eamdem autonomiam, ſeu libertatem majoribus cumulatam beneficiis, & novis auctam privilegiis obtinuerunt. De illius tertiæ epochæ Antiochenæ exordio diſſident Chronologi, ſed ipſe libentèr ſubſcribo *Card.Noriſio*, qui in diſſertatione 3. de epochis Syro-Macedonum, initium iſtius epochæ Antiochenæ ſtatuit in Autumno Urbis Romæ conditæ 705. Periodi Julianæ 4665. ante æram vulgarem 49. eo videlicet anno, quo *Cajus Julius Cæſar* ex Gallia rediens, Pompejum Italiâ fugavit, Romam ingreſſus eſt, dictaturam obtinuit, eâque confeſtim depoſitâ ſe ipſum, & *P.Servilium Iſauricum* Conſul. declaravit. Poſtrema epocha Antiochena illa eſt, quam inſtituerunt Antiocheni in honorem Imperatoris Auguſti, poſtquam navali prælio apud Actium anno Urbis Romæ conditæ 723. Antonium, & Cleopatram ſuperaſſet.

Æra Arabum, ſeu *Mahometanorum* ſumit initium à fuga Mahumetis, quam Mahometani appellant in Alcorano *Hegiram*, ideſt, perſecutionem, cùm ſcilicet hic pſeudo-Propheta ob doctrinam, quam diſſeminabat novam,& impiam, de vita periclitaretur,& à ſuis popularibus, apud quos malè audiebat, vexatus fugeret ex Urbe Mecha. Hæc autem Mahumetis fuga contigit anno æræ vulgaris 622. die 15. menſis Julii, in quam incidit Neomenia menſis *Muharram*, qui eſt primus menſis Lunaris Arabum.

Æra Perſarum, quæ etiam dicitur *æra Jezdegirdis*, à Jezdegirde poſtremo Perſarum Rege, habuit initium anno æræ vulgaris 632. die decimâ ſextâ menſis Junii, quâ incepit menſis *Fevardin*, qui eſt primus Perſarum menſis. Conſule Scaligerum, Petavium, Ricciolium, necnon Tabulam Chronologicam, quam exhibet Vir clariſſimus *Du Cange* in ſuo Gloſſario.

De Æris, & Epochis Latinis.

EPocha de anno, quo condita eſt Roma, multiplex circumfertur. Prima eſt epocha *Varroniana*, ſeù Varronis Romanorum doctiſſimi, qui ſcribit Romam conditam eſſe anno 3. Olympiadis ſextæ, ſeu anno periodi Julianæ 3961. ante æram vulgarem 753. Altera epocha de condita Roma ea eſt quæ dicitur *Capitolina*, cujus Auctor fuit *Verrius Flaccus* homo Libertinus dicendi genere ea tempeſtate inter Grammaticos eximius, ut prodit *Svetonius* cap. 17. dè Illuſtribus Grammaticis. Hæc epocha Capitolina recentior eſt uno anno integro epocha Varroniana, incipit enim anno 4. Olympiadis ſextæ. Tertia epocha de conditu Romæ ea eſt quæ appellatur *Catoniana*-

niana, quam videlicet *M. Porcius Cato*, *Livius*, & *Dionyſius Halicarnaſſæus*, ſecuti ſunt, & hæc epocha biennio integro recentior eſt epocha Varroniana, auſpicatur enim anno primo Olympiadis ſeptimæ. Quarta epocha Urbis Romæ conditæ vocatur *Polybiana*, cujus Auctor eſt *Polybius*, quamvè ſecuti ſunt *Cornelius Nepos*, & *Lutatius*. Hæc autem epocha Polybiana incipit anno 2. Olympiadis ſeptimæ, & triennio recentior eſt epocha Varroniana. Poſtrema epocha de conditu Urbis Romæ nuncupatur *Fabiana*, cujus Auctor fuit *Fabius Pictor*, Hiſtoricus, teſte Livio, Romanorum antiquiſſimus. Hæc epocha Fabiana ſexennio recentior eſt epocha Varroniana, ſumit quippè initium ab anno primo Olympiadis octavæ. Inter omnes illas de conditu Urbis Romæ epochas Principem locum apud Chronologos obtinet epocha Varroniana, qua ſemper in publicis monumentis uſi ſunt Romani, & celebriores eorum Scriptores, *Cenſorinus*, *Vellejus Paterculus*, *Plutarchus*, *Cornelius Tacitus*, *Aulus Gellius*, *Eutropius*, *Plinius*, &c. eamdem epocham tanquam pro norma habuere Imperatores, *Auguſtus*, *Claudius*, *Domitianus*, *Severus*, & *Philippus*, ut ex ludis ſæcularibus ab uno quoque eorum celebratis conſtat, hos ſiquidem ludos omnes apud Cenſorinum legimus, qui in alia epocha locum non habent præterquàm Varroniana.

Hi ſunt Reges qui Romæ 244. annos ſolidos regnarunt.

I.	Rex *Romulus* regnavit	37. annis.
	Poſt mortem Romuli fuit *interregnum*	1. annis.
II.	Rex *Numa Pompilius* regnavit	43. annis.
III.	Rex *Tullius Hoſtilius* regnavit	32. annis.
IV.	Rex *Ancus Martius* regnavit	24. annis.
V.	Rex *Tarquinius Priſcus* regnavit	38. annis.
VI.	Rex *Servius Tullius* regnavit	44. annis.
VII.	Rex *Tarquinius Superbus* regnavit	25. annis.
		Summa collecta 244.

Regnarunt itaque Romæ ſeptem illi Reges annis 244. Verùm ob ſtuprum, quod Sextus Tarquinii Superbi filius caſtiſſimæ Lucretiæ intulit, Regia poteſtas Romæ extincta eſt, atque in Regum locum Conſules ſuffecti ſunt, quorum primi fuere *L. Junius Brutus*, & *L.Tar-*

Digitized by Google

L. Tarquinius Collatinus. Quia tamen Tarquinii nomen Romanis erat inviſum, *Tarquinius Collatinus*, ſuadente *Bruto*, Conſulatu ſe abdicavit, *Brutus* verò in comitiis centuriatis ſibi collegam aſcivit *Valerium Voluſi filium Poplicolam*. At Bruto in prælio occiſo ſuffectus eſt *S. P. Lucretius Tricipitinus*, & huic etiam mortuo ſubrogatus eſt *M. Horatius Pulvillus*. Ab anno itaque Urbis Romæ conditæ 245. incipiunt Faſti Conſulares, in quibus dirigendis ſtrenuam navarunt operam *Onuphrius*, *Sigonius*, *Pighius*, *Pagius*, & *Noriſius*.

Annus Julianus ità dictus eſt *à Cajo Julio Cæſare*, qui annum lunarem, quo à Romuli tempore ad annum uſque Urbis Romæ conditæ 708. uſi ſunt antiqui Romani, in annum ſolarem commutavit. In qua anni commutatione, ſeu emendatione, tria præſtitit Julius Cæſar. Primò, æquinoctia, & ſolſtitia, quæ ſunt puncta Cardinalia, locavit in octava parte ſignorum, ſeu octava die ante kal. Aprilis, Julii, Octobris, & Januarii. Deindè inſtituit annum civilem dierum 365. & ſex horarum. Denique diem biſſextilem quarto quoque anno intercalari juſſit. Illius anni Juliani initium deſumitur à kalendis menſis Januarii hujus anni, quo Julius Cæſar quartum iniit Conſulatum, qui annus eſt quadrageſimus quintus ante æram vulgarem, & à conditu Urbis Romæ ſeptingeſimus nonus.

Luſtrum eſt ſpatium quinque annorum. Sic autem appellatur, teſte Varrone libro 5. de lingua Latina, à *Luendo*, ideſt, ſolvendo. *Luſtrum*, inquit, *nominatum tempus quiquennale à luendo, hoc eſt, ſolvendo: quod quinto quoque anno vectigalia & tributa perſolvuntur*. Cicero etiam *in Verrina quarta* hæc habet: *quinto quoque anno Sicilia tota cenſetur*.

Æra Hiſpanica orditur ab anno Urbis Romæ conditæ 716. ante æram vulgarem ſeu Chriſtianam annis 38. *Appio Claudo Pulchro*, & *Norbano Flacco* Conſulibus. Hiſpania ſi quidem anno Urbis Romæ conditæ 715. ſeu anno Juliano ſeptimo, in Cæſaris Octaviani poteſtatem per Domitium Calvinum Proconſularem redacta fuit, teſte *Dione* lib. 48. unde Hiſpani à kalendis Januariis anni ſequentis, ſeu anni Juliani octavi, & Urbis Romæ conditæ 716. æram ſuam inchoarunt. Quocircà errant qui cum Baronio initium æræ Hiſpanicæ deducendum putant ab anno Urbis Romæ conditæ 715. *L. Martio Cenſorino*, & *C. Calviſio Sabino* Conſulibus.

Æra vulgaris, dicta etiam *Dyoniſiana* (ſumptâ nomenclaturâ à ſuo Auctore ſcilicet *Dyoniſio*, qui fuit natione Scytha & Abbas cognomento exiguus) habet initium à die 25. menſis Decembris anni 44. Imperii Auguſti, anni 45. Juliani, Urb. cond. 753. Olymp. 194. ann. 4. *Cornelio Lentulo*, & *Calpurnio Piſone* Conſulibus. Primus tamen annus æræ vulgaris, ſeu Dyoniſianæ, auſpicatur kalendis

Digitized by Google

menſis Januarii anni 45. Imperii Auguſti, ſeu anni Juliani 46. an. primi Olymp. 195. Urbis Romæ conditæ 754. *Cajo Cæſare* Auguſti nepote, & *L. Æmilio Paulo* Conſulibus. In hac epocha conſentiunt omnes periti hujus temporis Chronologi, qui accuratiſſimo Criterio Faſtos Conſulares antehàc haud parum turbatos in preclaro ordine collocarunt, & non nullos errores, in quos aliqui Hiſtorici præſertim *Baronius*, *Spondanus*, & *Onuphrius* circa exordium æræ vulgaris ſeu Chriſtianæ impegerant, magno Reipublicæ litterariæ emolumento emendarunt. Hanc æram vulgarem ſeu Chriſtianam in putatione annorum, impræſentiarum uſurpat Eccleſia Romana, quæ hunc labentem annum, quo iſta ſcribo, ait eſſe milleſimum ſeptingenteſimum undecimum à Natali Chriſti Domini, juxtà æram Dyoniſii Exigui. Verùm antequàm hic Auctor prædictam æram invexiſſet, mos antiquitùs in Eccleſia obtinebat notandi annos per Olympiades Græcorum, per annos Imperatorum, & Conſulum Romanorum, ſed potiſſimùm per æram Diocletiani Imperatoris, qui, ubi primùm Imperii habenas moderari cæpit, maximam Chriſtianorum ſtragem edidit, quod ægrè ferens Dyoniſius Exiguus, qui circà initium ſexti ſæculi Juſtiniani Imp. ætate floruit, novam æram excogitavit, cujus exordium duxit à Natali Chriſti Domini; quod conſignavit; anno 44. Imperii Auguſti. Convenit tamen inter eruditos hujus temporis Chronologos, Dyoniſium Exiguum in aſſignaudo anno Natalis Chriſti Domini quinquennio, vel ſaltem quadriennio ſolido fuiſſe hallucinatum, ac proindè illius æram uon eſſe accuratam. Eccleſia tamen hanc Dyoniſii æram etiamnùm ſectatur, non quod eam accuratam eſſe putet, ſed quia Chriſtiani in numerandis annis poſt Chriſtum elapſis illam communitèr in uſum tranſtulerunt. Nec enim temporum, annorumque minutias moratur Eccleſia, ſed eas Chronologis diſcutiendas ac dirimendas permittit. Præter quam quod hæc æra Dyoniſiana non fuit ſtatim ab Eccleſia recepta, nam Eugenius Quartus Summus Pontifex primus fuit, qui ſuaſu *Blondi* æram vulgarem ſeu Dyoniſianam uſurpare cœpit. In Galliis etiam hæc æra in uſu non fuit niſi tempore *Caroli Magni*, ut videre eſt in capitularibus Regum Francorum ab eruditiſſimo Baluzio publicatis, & in libro de re Diplomatica à *Cl. Mabillonio* edito.

Æra Diocletiani cæpit anno æræ vulgaris 284. Carino II. & numeriano Conſulibus. Eo ſi quidem anno ad Imperium evectus eſt *Diocletianus*, ut multis argumentis, nummis, & locupletiſſimis Auctorum teſtimoniis evincunt *Pagius*, & *Noriſius*. Fallitur autem *Baronius* dum anno æræ vulgaris 284. Conſules aſſignat *Carum II.* & *Numerianum*; cùm tamen ex faſtis libri de Præfectis Urbis, & ex faſtis Anonymi apud Bucherium in comment. ad Canonem Paſchalem

Digitized by Google

lem Victorii manifeſtum ſit Carinum II. & Numerianum Conſules fuiſſe anno æræ vulgaris 284. id etiam evidenter probant *Pagius* ad annum Chriſti 284. & *Noriſius* in triplici Diſſertatione de duobus nummis *Diocletiani*, & *Licinii* cap. 1. Hæc æra Diocletiani appellatur etiam æra Alexandrinorum Martyrum propter innumerabilem penè multitudinem Chriſtianorum, quos Diocletianus, tyrannus poſt hominum memoriam crudeliſſimus, juſſit in Alexandria trucidari, poſtquam fuiſſet Imperator ſalutatus.

De initio epochæ Imperji Auguſti, & Regni Herodis videat Lector quæ à nobis dicta ſunt in Diſſertatione ſexta *de anno proprii Natalis Chriſti Domini*. Et hæc ſatis ſuperque ſufficiant de Elementis, ſeu principiis à quibus Chronologia ſuam haurit lucem, & quorum notitia apprimè neceſſaria eſt ad enodandas difficultates de Annis, Natalis, Baptiſmi, & Paſſionis Chriſti Servatoris noſtri, quas in ſuperioribus Diſſertationibus pro modulo noſtro ventilavimus.

Finis Apparatus Chronologici.

Digitized by Google

CANON CHRONOLOGICUS

A condito Mundi, uſque ad Aſcenſionem Chriſti Domini per ſex Mundi ætates digeſtus.

TOtum hoc temporis intervallum, quod reperitur exordium mundi inter & Natalitia Chriſti Domini, in ſex mundi ætates vulgò Chronologi partiri ſolent. Prima mundi ætas orditur ab Adamo, & protrahitur uſque ad diluvium. Altera mundi ætas incipit à diluvio, & protenditur uſque ad vocationem Abrahami. Tertia, ſumit initium à vocatione Abrahami, & terminatur in egreſſione populi Iſraelitici ex Ægypto. Quarta mundi ætas auſpicatur ab exitu populi Iſraelitici ex Ægypto, & perdurat uſque ad templum à Salomone conditum. Quinta ætas mundi cæpit à ſtructura templi Salomonici, finemque ſuſcipit in captivitate Babylonica. Poſtrema mundi ætas exordium habet à fine captivitatis Babylonicæ, & completur in Natali Chriſti Domini. Hunc igitur Canonem Chronologicum per illas ſex mundi ætates concinnabo, notiſque illuſtrabo, in quibus rationem reddam cur à vulgò recepta Chronologorum ſententia interdùm deflectam. Sic ex gr. in notis ad ſecundam mundi ætatem perſpiciet Lector, qua de cauſa diſcedam à communi ſententia Chronologorum, qui, licèt Hebraici textus ſectentur Chronologiam, exiſtimant tamen Abrahamum natum eſſe anno ſeptuageſimo ætatis Tharæ, ideſt, anno ab Orbis exordio, milleſimo nongenteſimo quadrageſimo octavo, cùm tamen multis momentis evinci poſſit Abrahamum natum eſſe anno centeſimo trigeſimo ætatis Tharæ, ideſt, anno ab orbe condito, bis milleſimo octavo. Sic etiam in notis ad quartam mundi ætatem oſtendam ab egreſſione populi Iſraelitici ex Ægypto uſque ad templum, cujus fundamenta jecit Salomon, numerari debere, juxtà Judicum hiſtoriam, ſexcentos, & ſex annos, non vero annos dumtaxat quadringentos octoginta, ut omnes fermè ſentiunt Chronologi, qui, ut calculos ſuos ad prædictam ſummam quadringentorum octoginta annorum faciliùs redigant, annos, quibus Iſraelitæ ſervierunt, promiſcuè confundunt cum annis pacis & quietis, ſeu cum annis præfecturæ Judicum, quamvis Scriptura Sacra in libro Judicum

cum ejuſmodi annos accuratiſſimè diſcernat. Denique in aliis notis præfigam initium & finem ſeptuaginta annorum captivitatis Babylonicæ, Perſicæ, & Græcorum Monarchiæ, ſicut & ſeptuaginta Danielis hebdomadum, aliaſque non nullas difficultates, quæ Chronologiæ candidatis aliquid negotii faceſſere poſſent, brevitate cum claritate conjunctâ explanare ſatagam. Ut autem Lector uno quaſi intuitu perſpicere poſſit quot annos juxtà meum calculum complectantur ſex mundi ætates, uſque ad natale vulgare Chriſti, eas hic brevitèr appoſitâ tabellâ deſcribere non pigebit.

Ætas Mundi	I.	comprehendit	1656.	A creatione ad diluvium:
	II.		426.	A diluvio ad vocationem Abrahami.
	III.		430.	A vocatione Abrahami ad Exodum.
	IV.		606.	Ab Exodo uſque ad Templum à Salomone conditum.
	V.		488.	A fundatione Templi Salomonis uſq; ad finem captiv. Babyl.
	VI.		531.	A fine captiv. Babyl. uſque ad natale vulgare Chriſti.

Summa annorum à Creatione mundi uſque ad natale vulgare Chriſti 4138.

Prima Mundi ætas annorum 1656. ab Adamo, uſque ad diluvium.

ADAMUS creatus eſt à Deo anno primo mundi. anno periodi Julianæ 575. periodi Græco-Romanæ 1355. ante æram vulgarem 4139.

ADAMUS genuit Seth anno ætatis ſuæ 130. anno mundi 130. periodi Julianæ 705. periodi Græco-Romanæ 1485. ante æram vulgarem 4009.

SETH

SETH genuit Enos anno ætatis ſuæ 105. anno mundi 235. periodi Julianæ 810. periodi Græco-Romanæ 1590. ante æram vulgarem 3904.

ENOS genuit Cainan anno ætatis ſuæ 90. anno mundi 325. periodi Julianæ 900. periodi Græco-Romanæ 1680. ante æram vulgarem 3814.

CAINAN genuit Malaleel anno ætatis ſuæ 70. anno mundi 395. periodi Julianæ 970. periodi Græco-Romanæ 1750. ante æram vulgarem 3744.

MALALEEL genuit Jared anno ętatis ſuę 65. anno mundi 460. periodi Julianæ 1035. periodi Gręco-Romanæ 1815. ante æram vulgarem 3679.

JARED genuit Enoch anno ætatis ſuæ 162. anno mundi 622. periodi Julianæ 1197. periodi Gręco-Romanæ 1977. ante æram vulgarem 3517.

ENOCH genuit Mathuſalem anno ætatis ſuæ 65. anno mundi 687. periodi Julianæ 1262. periodi Gręco-Romanæ 2042. ante æram vulgarem 3452.

MATHUSALEM genuit Lamech anno ætatis ſuæ 187. anno mundi 874. periodi Julianæ 1449. periodi Gręco-Romanæ 2229. ante æram vulgarem 3265.

LAMECH genuit Noe anno ætatis ſuæ 182. anno mundi 1056. periodi Julianæ 1631. periodi Græco-Romanæ 2411. ante æram vulgarem 3083.

Diluvium univerſale contigit anno ſexcenteſimo vitæ NOEMI anno mundi 1656. periodi Julianæ 2231. periodi Gręco-Romanæ 3011. ante æram vulgarem 2483.

Notæ ad primam Mundi ætatem.

NOT. I. Maximam circà primam mundi ætatem occurrere diſſonantiam Codices Hebræos inter & Græcos, textumque Samaritanum. Hebræi quippè Codices à mundi exordio uſque ad Diluvium numerant annos mille ſexcentos quinquaginta ſex. Græci verò Codices, ſeu LXX. Interpretes, percenſent annos bis mille quadraginta duos, vel bis mille ſexaginta duos. Textus autem Samaritanus à creatione mundi ad diluvium uſque colligit dumtaxat annos mille trecentos ſeptem. Verùm quia in Diſſertatione quinta latè

Digitized by Google

latè probavimus Hebræorum calculum præferendum eſſe epilogiſmo tàm LXX. Interpretum, quàm textus Samaritani, ideò ne iteratis repetitionibus Lectori faſtidium ingeram, id impræſentiarum obiter annotaſſe ſufficiat.

NOT. II. In Codices Græcos, ſeù in verſionem LXX. Interpret. irrepſiſſe errorem circà numerum annorum, quibus Mathuſalem genuiſſe dicitur Lamechum. Enim verò *Euſebius* in Chronico, *Hieronymus* in traditionibus Hebraicis, & *Auguſtinus* libro 15. de Civit. Dei cap. 13. diſertè teſtantur, Mathuſalem, juxtà Codices Græcos, genuiſſe Lamechum anno ætatis ſuæ 167. poſt genitum autem Lamechum vixiſſe 802. & in univerſum vixiſſe annos 969. ex quo, ut oſtendimus in Diſſertatione quinta, ſequitur Mathuſalem vixiſſe poſt diluvium 14. annis. Qui error emendari debet per Codices Hebræos, in quibus legitur Mathuſalem genuiſſe Lamechum ann. ætatis ſuæ 187.

NOT. III. Duos alios in Codicibus Gręcis reperiri errores, qui per Codices Hebræos perindè caſtigari debent. Primus error eſt circà annos Lamechi. Nam, juxta textus Hebraici calculum, Lamech in univerſum vixit annos 777. ſecundùm verò Gręcos Codices, Lamech vixit dumtaxat annos 753. quò fit ut Hebræi Codices, circà tempus vitæ Lamechi, ſuperent annis 24. numerum annorum qui vitæ Lamechi aſſignantur in Codicibus Gręcis, ſeù in verſione LXX. Interpr. alter error qui invaſit Codices Græcos, eſt circa tempus natale Noemi, quem errorem diſſimulare haud potuerunt *Gerardus Voſſius*, & Pater *Paulus Pezronus* Chronologiæ LXX. Interpretum alioqui addictiſſimi, at enim, juxtà Codices Græcos, Noemus natus eſt anno ætatis Lamechi 188. ut videre eſt apud *Theophilum Antiochenum*, *Nicephorum*, *Georgium Syncellum*, *Julium Africanum*, *Codicem Alexandrinum &c.* Et tamen Codices Hebræi, textus Samaritanus, & Joſephus fidem faciunt Noemum natum eſſe anno ætatis Lamechi 182. Undè *Sanctus Hieronymus* in quæſtionibus Hebraicis, & *Sanctus Auguſtinus* lib. 15. de Civit. Dei capp. 11. & 13. docent eo in loco interpolatos eſſe Codices Græcos, & ad normam Hebræorum Codicum caſtigandos.

NOT. Ult. Diluvium, quod in totum, quà latè patet, Orbem graſſari cępit anno mundi 1656. duraſſe uno anno integro, & deſiiſſe anno mundi 1657.

Secunda

Digitized by Google

Secunda Mundi ætas annorum 426. à diluvio, uſque ad vocationem Abrahami.

SEM filius Noemi anno ætatis ſuæ centeſimo genuit Arphaxad biennio poſt inceptum diluvium , anno Mundi 1658. anno periodi Julianæ 2233. periodi Græco-Romanæ 3013. ante æram vulgarem 2481.

ARPHAXAD genuit Sale anno ætatis ſuæ 35. anno mundi 1693. periodi Julianæ 2268. periodi Gręco-Romanæ 3048. ante æram vulgarem 2446.

SALE gemuit Heber anno ætatis ſuæ 30. anno mundi 1723. periodi Julianæ 2298. periodi Gręco-Romanæ 3078. ante æram vulgarem 2416.

HEBER genuit Phaleg anno ætatis ſuæ 34. anno mundi 1757. periodi Julianæ 2332. periodi Gręco-Romanæ 3112. ante æram vulgarem 2382.

PHALEO genuit Rheu anno ætatis ſuæ 30. anno mundi 1787. periodi Julianæ 2362. periodi Gręco-Romanæ 3142. ante æram vulgarem 2352.

RHEU genuit Sarug anno ætatis ſuæ 32. anno mundi 1819. periodi Julianæ 2394. periodi Gręco-Romanæ 3174. ante æram vulgarem 2320.

SARUG genuit Nacor anno ætatis ſuæ 30. anno mundi 1849. periodi Julianæ 2424. periodi Gręco-Romanæ 3204. ante æram vulgarem 2290.

NACOR genuit Thare anno ætatis ſuæ 29. anno mundi 1878. periodi Julianæ 2453. periodi Gręco-Romanæ 3233. ante æram vulgarem 2261.

THARE genuit Abraham anno ętatis ſuę 130. anno mundi 2008. periodi Julianæ 2583. periodi Gręco-Romanæ 3363. ante ęram vulgarem 2131.

ABRAHAM vocatus eſt à Deo anno ętatis ſuæ 75. anno mundi 2083. periodi Julianæ 2658. periodi Gręco-Romanæ 3438. ante æram vulgarem 2056.

Notæ

Notæ ad ſecundam Mundi ætatem.

NOT. I. *Cainanis junioris* generationem non variare Chronologiam, quæ Diluvium inter & Abrahamum deſcribitur tam in textu hebræo, quàm in editione vulgatâ. Nàm, ſicut cum doctiſſimo *Genebrardo* obſervavimus in Diſſertatione quinta, Arphaxad genuit Cainanem anno ætatis ſuæ 18. & Cainan anno ætatis ſuæ 17. genuit Salem. Quâ ratione verè dici poteſt Salem natum eſſe ipſi Arphaxad, cùm Arphaxad annum ageret ætatis ſuæ 35. ſicut legitur in textu hebræo, in antiquis verſionibus, & potiſſimùm in editione vulg. cap.11. v.12. *Geneſeos.*

NOT. II. Probabiliùs eſſe diviſionem terræ, ſeu hominum poſt Diluvium in univerſum Orbem diſperſionem factá eſſe anno ætatis Phaleg 92., hoc eſt anno Mundi 1848. & à Diluvio 192. facilè quippè intelligitur potuiſſe tres filios Noemi intrà illud ſpatium ann. 192. tot procreare homines, quot erant neceſſarii ſive ad ſtruendam Turrim Babylonicam, ſive ad condenda & incolenda Regna, quæ tamen ſub initium non populata multum, ſed anguſta potiùs fuerunt, uti obſervavimus in ſupra laudata Diſſertatione, ubi etiam antiquitates Ægyptiorum, Chaldæorum, & Sinarum, quas nonnulli Chronologi ad elevandam ſacri Textus Hebrǽi Chronologiam perperam jactare, ac venditare ſolent, ad aniles fabulas ablegandas eſſe commonſtravimus.

NOT. Ult. *Thare* genuiſſe Abrahamum anno ætatis ſuæ 130. non verò anno 70. ſicut vulgò ſentiunt Chronologi. Ratio eſt, quia Thare Abrahami parens diem ſupremū obiit in Charane an. ætatis ſuæ 205. ut legitur *Geneſeos* cap. 11. Abrahamus autem, quando mortuus eſt Thare, & Dei juſsu egreſsus eſt ex Charane, ut veniret in terram Chanaan, natus erat annos 75. ut habetur Actuum Apoſtol. cap.7. Si igitur anni 75. quos natus erat Abraham quandò, mortuo patre, exceſſit ex Charane, ſubtrahantur ex annis 205. Thare patris ipſius, apertè conſtabit Abrahamum natum eſse anno ætatis Thare 130.

Præterea, ſi Abraham natus fuiſſet anno patris ſui Thare ſeptuageſimo, ut vulgò opinantur Chronologi, ſequeretur Abrahamum, quando, mortuo Thare, iter in Cananitidem inſtituit, jàm attigiſſe annum 135. ætatis ſuæ, ac ſubindè Iſaacum filium ejus egiſſe tùm temporis annum ætatis ſuæ 35. (Iſaac namque natus eſt Abrahamo, cùm eſſet annorum centum, *putaſne centenario naſcetur filius? Geneſis* c.17.) atqui tamen Scriptura ſacra cap.7. Actuum Apoſtolorum apertè tradit Abrahamum, quando ex Charane exiit, & venit in Chananæam regionem, nec dùm filium habuiſſe, dici ergò non poteſt Abrahamum

 natum

natum eſſe anno ætatis Thare ſeptuageſimo. Id autem minimè adverſatur Scripturæ ſacræ, quæ *Geneſeos* cap. 11. dicit Tharam natum annos 70. genuiſſe *Abraham, Nacor*, & *Haran*. Obſervant quippè periti Chronologi: Scripturam ſacram his verbis innuere dumtaxàt *Tharam* anno ætatis ſuæ 70. cœpiſſe procreare liberos, inter quos Scriptura primum appellat Abrahamum, habitâ ratione dignitatis, ſed non temporis, non ſecùs ac *Semum* inter filios Noemi primum recenſet Scriptura ratione dignitatis, ſed non temporis. *Japhetus* ſiquidem fuit reverà primogenitus Noemi. Certè Abrahamum non fuiſſe patris ſui Thare primogenitum ex eo invictè colligitur, quod Abrahamus decem tantùm annis ſenior erat Sara uxore ſua, *putasne centenario naſcetur filius, & Sara nonagenaria pariet?* Porrò Sara filia erat *Haran* fratris Abrahami, ſi ergò Haran fuiſſet junior Abrahamo, *Haran* anno ætatis ſuæ nono genuiſſet Saram, quod ſanè conſueto naturæ ordini, & experientiæ omninò adverſatur.

Tertia Mundi ætas annorum 430. à vocatione Abrahami uſque ad Exodum, ideſt, uſque ad exceſſum Iſraelitarum ex Ægypto.

ABRAHAMUS vigintiquinque annis poſtquàm vocatus eſt à Deo, & ingreſſus eſt in terram Chanaan, genuit Iſaacum anno mundi 2108. periodi Julianæ 2683. periodi Græco-Romanæ 3463. antè æram vulgarem 2031.

ISAAC genuit Eſau & Jacob anno ætatis ſuæ 60. anno mundi 2168. periodi Julianæ 2743. periodi Græco-Romanæ 3523. antè æram vulgarem 1971.

JACOB genuit Joſeph anno ætatis ſuæ 91. anno mundi 2259. periodi Julianæ 2834. periodi Græco-Romanæ 3614. antè æram vulgarem 1880.

JOSEPH fuit à ſuis fratribus venditus Madianitis anno ætatis ſuæ 17. anno mundi 2276. periodi Julianæ 2851. periodi Græco-Romanæ 3631. antè æram vulgarem 1863.

JOSEPH anno ætatis ſuæ trigeſimo, hoc eſt 13. annis poſtquàm venditus fuiſſet Madianitis, creatur miniſter Pharaonis in Ægypto, anno mundi 2289. periodi Julianæ 2864. periodi Græco-Rom. 3644. antè æram vulgarem 1850.

JOSEPH, cùm præfuiſſet in Ægypto annis 80. mortuus eſt anno

anno mundi 2369. periodi Julianæ 2944. periodi Græco-Romanæ 3724. ante æram vulgarem 1770.

Moyses naſcitur in Ægypto anno poſt mortem Joſeph ſexageſimo quarto. Anno mundi 2433. periodi Julianæ 3008. periodi Græco-Romanæ 3788. ante æram vulgarem 1706.

Moyses annos natus 80. liberat Iſraelitas è captivitate Ægyptiaca anno mundi 2513. anno à vocatione Abrahami 430. periodi Julianæ 3088. periodi Græco-Romanæ 3868. ante æram vulgarem 1626.

Notæ ad tertiam Mundi ætatem.

NOT. I. Initium 430. annorum, quos tertia mundi complectitur ætas, accerſiri non debere ab ingreſſu Iſraelitarum in Ægyptum, ſed à vocatione Abrahami, quæ, ut ſuperiùs diximus, facta eſt anno ætatis illius Patriarchæ ſeptuageſimo quinto. Id apertè innuit Apoſtolus cap. 3. epiſt. ad Galatas, ſic loquens: *Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini ejus, non dicit & ſeminibus quaſi in multis, ſed quaſi in uno, & ſemini tuo, qui eſt Chriſtus. Hoc autem dico teſtamentum confirmatum à Deo, quæ poſt CCCCXXX. annos facta eſt lex non irritum fecit ad evacuandam promiſſionem. Nam ſi ex lege hæreditas, jam non ex promiſſione. Abrahæ autem per repromiſſiones donavit Deus.* Ex quibus verbis liquidò patet initium 430. annorum ſumi debere, juxtà Apoſtolum, à promiſſione facta à Deo Abrahæ, ſeu ab illius Patriarchæ vocatione, finem verò referendum eſſe ad tempus, quo lex à Deo lata eſt, & data Moyſi. Porrò legem Moyſi datam eſſe, & in Monte Sinai promulgatam tertio menſe, ex quo Iſraelitæ in libertatem aſſerti exceſſerunt ex Ægypto, pervulgata eſt Sanctorum Patrum, & Scriptorum Eccleſiaſticorum ſententia, præſertim *Euſebii* in Chronico, *Epiphanii* in Ancorato, *Chryſoſtomi* hom. 37. in Geneſim, *Hieronymi* in cap. 3. epiſtolæ ad Galat. *Auguſtini* libro 16. de Civitate Dei cap. 24. & omnium Scripturæ Sacræ Interpretum.

NOT. II. Abraham, Iſaac, & Jacob per 215. annos peregrinatos fuiſſe in terra Chanaan ante deſcenſum in Ægyptum, Iſraelitas verò per alios 215. annos habitaſſe, & ſerviſſe in Ægypto. Quapropter ille locus cap. 12. libri Exodi, ſicut legitur in editione vulgata: *Habitatio filiorum Iſrael, quâ manſerunt in Ægypto, fuit CCCCXXX. annorum, quibus expletis eadem die egreſſus eſt omnis exercitus Domini*

Digitized by Google

de terra Ægypti. Hic, inquam, locus ſic intelligendus eſt, ut ille annorum 430. numerus non referatur ad ſervitutem Iſraelitarum in Ægypto, quæ annos quindecim ſupra ducentos non ſuperavit, ſed potiùs à promiſſione factâ Abrahamo cenſeatur, & in profectione Iſraelitarum ex Ægypto terminetur, comprehendatque illud omne tempus, quo Abraham, & filii ejus poſt promiſſionem peregrinati ſunt, & in regione Chananæa manſerunt. Ita docent *Euſebius* in Chronico, *Epiphanius* in Ancorato, *Hieronymus* in epiſtola ad Galatas cap.3. *Chryſoſtomus* homil.37. in Geneſim, *Auguſtinus* lib.16. de Civitate Dei cap.24. *Severus Sulpitius* lib.1. Hiſt. ſacræ, ut nihil dicam de numeroſa copia Scripturæ ſacræ Interpretum, qui noſtro, & ſuperiori ſæculo ſcripſerunt.

Quarta Mundi ætas annorum 606. ab exitu Iſraelitarum ex Ægypto uſque ad Templum à Salomone conditum.

MOYSES, poſtquam Judæis præfuiſſet annis 40., mortuus eſt anno ætatis ſuæ 120. anno poſt Exodum quadrageſimo, anno Mundi 2553. periodi Julianæ 3128. periodi Græco-Romanæ 3908. ante æram vulgarem 1586.

JOSUE poſt mortem Moyſis præfuit ſexdecim annis Judæorum Reipublicæ, & mortuus eſt anno Mundi 2569. periodi Julianæ 3144. periodi Græco-Romanæ 3924. ante æram vulgarem 1570.

Poſt mortem Joſue, Seniores præfuerunt Judæorum Reipublicæ annis decem, eorumque Præfectura deſiit anno Mundi 2579. periodi Julianæ 3154. periodi Græco-Romanæ 3934. ante æram vulgarem 1560.

Poſt mortem Seniorum fuit Anarchia, ſeu interregnum 6. annorum, quæ Anarchia finem habuit anno Mundi 2585. periodi Julianæ 3160. periodi Græco-Romaaæ 3940. ante æram vulgarem 1554.

Poſt illud interregnum ſex annorum, Iſraelitæ ſervierunt ſub Chuſane Meſopotamiæ Rege annis 8. quæ ſervitus finem habuit anno Mundi 2593. periodi Julianæ 3168. periodi Græco-Romanæ 3948. antè æram vulgarem 1546.

OTHONIEL, poſtquam Cuſanem Regem Meſopotamiæ deviciſſet, judicavit populum annis 40. & mortuus eſt anno Mundi 2633. perio-

periodi Julianæ 3208. periodi Græco-Romanæ 3988. antè æram vulgarem 1506.

Poſt mortem Othonielis Iſraelitæ ſervierunt ſub Eglone Rege Moabitarum annis 18. quæ ſervitus finem habuit anno Mundi 2651. periodi Julianæ 3226. periodi Græco-Romanæ 4006. antè æram vulgarem 1488.

AOD, poſt victoriam de Moabitis reportatam, judicavit populum annis 80. & mortuus eſt anno Mundi 2731. periodi Julianæ 3306. periodi Græco-Romanæ 4086. antè æram vulgarem 1408.

Poſt mortem Aod ſervierunt Iſraelitæ ſub Jabine Chananæorum Rege annis 20. quæ ſervitus finem habuit anno Mundi 2751. periodi Julianæ 3326. periodi Græco-Romanæ 4106. antè æram vulgarem 1388.

BARAC, & DEBORA, poſt devictum Siſeram, ſubactosque Cananæos, judicarunt populum annis 40. eorumque judicatura deſiit anno Mundi 2791. periodi Julianæ 3366. periodi Græco-Romanæ 4146. antè æram vulgarem 1348.

Poſt mortem Barac,& Debora ſervierunt Iſraelitæ Regi Madianitarum annis ſeptem; quæ ſervitus finem habuit anno Mundi 2798. periodi Julianæ 3373. periodi Græco-Romanæ 4153. antè æram vulgarem 1341.

GEDEON judicavit Iſraelem annis 40. & mortuus eſt anno Mundi 2838. periodi Julianæ 3413. periodi Græco-Romanæ 4193. antè æram vulgarem 1301.

ABIMELECH, Gedeonis ex Concubina filius, judicavit Iſraelem, ſeu potiùs tyrannidem occupavit per annos tres, qui terminandi ſunt in anno Mundi 2841. periodi Julianæ 3416. periodi Græco-Romanæ 4196. antè æram vulgarem 1298.

Poſt Abimelechum THOLA judicavit Iſraelem annis 23. qui terminantur in anno Mundi 2864. periodi Julianæ 3439. periodi Græco-Romanæ 4219. antè æram vulgarem 1275.

JAIR judicavit Iſraelem per annos 22. qui terminantur in anno Mundi 2886. periodi Julianæ 3461. periodi Græco-Rom. 4241. antè æram vulgarem 1253.

Poſt mortem Jair ſervierunt Iſraelitæ Ammonitis annis 18. quæ ſervitus finem habuit anno Mundi 2904. periodi Julianæ 3479. periodi Græco-Romanæ 4259. antè æram vulgarem 1235.

JEPHTE, judicavit Iſraelem annis ſex, qui terminantur in anno Mundi 2910. periodi Julianæ 3485. periodi Græco-Rom. 4265. ante æram vulgarem 1229.

ABESAN, judicavit Iſraelem annis ſeptem, qui terminantur in

in anno Mundi 2917. periodi Julianæ 3492. periodi Græco-Romanæ 4272. antè æram vulgarem 1222.

HELON, ſeu AHIALON, judicavit Iſraelem annis decem, qui terminantur in anno Mundi 2927. periodi Julianæ 3502. periodi Græco-Romanæ 4282. antè æram vulgarem 1212.

ABDON, judicavit Iſraelem annis 8. qui terminantur in anno Mundi 2935. periodi Julianæ 3510. periodi Græco-Romanæ 4290. antè æram vulgarem 1204.

Poſt mortem Abdonis, Iſraelitæ ſervierunt Philiſtæis annis 40. quæ ſervitus finem habuit anno Mundi 2975. periodi Julianæ 3550. periodi Græco-Romanæ 4330. antè æram vulgarem 1164.

SAMSON, judicavit Iſraelem annis 20. qui terminantur in anno Mundi 2995. periodi Julianæ 3570. periodi Græco-Rom. 4350. ante æram vulgarem 1144.

HELI judicavit Iſraelem annis 40. qui terminantur in anno Mundi 3035. periodi Julianæ 3610. periodi Græco-Romanæ 4390. antè æram vulgarem 1104.

SAMUEL, & SAUL rexerunt Iſraelem annis 40. qui terminantur in anno Mundi 3075. periodi Julianæ 3650. periodi Græco-Romanæ 4430. antè æram vulgarem 1064.

DAVID regnavit annis 40. qui terminantur in anno Mundi 3115. periodi Julianæ 3690. periodi Græco-Romanæ 4470. antè æram vulgarem 1024.

SALOMON jecit fundamenta Templi anno quarto Regni ſui, anno Mundi 3119. periodi Julianæ 3694. Periodi Græco-Romanæ 4474. ab egreſſione Iſraelitarum ex Ægypto 606. antè æram vulgarem 1020.

Notæ

Notæ ad quartam Mundi ætatem.

NOT. I. cap.*6.* lib. 3. Regum numerari dumtaxàt ab Exodo, ſeu à profectione Iſraelitarum uſque ad fundationem Templi à Salomone conditi annos 480. cùm tamen ex lib. Judicum multò plures anni colligantur. Hinc graviſſima emergit difficultas, quæ Chronologis, & Scripturæ Sacræ Iuterpretibus multùm faceſſit negotii. *Severus Sulpitius* lib. 1. Hiſtoriæ ſacræ aſſerit irrepſiſſe mendum in cap.*6.* lib.3. Regum, idemque docent *Carolus Sigonius* in ſuo Commentario ad hunc Sulpitii locum, *Melchior Canus* cap. 5. lib. 11. de locis. *Ludovicus Capellus* in ſua Chronologia ſacra, *Gerardus Voſſius* cap.7. Iſagoſes Chronologiæ, & multi alii. Verùm cùm ipſe nemini privato fas eſſe putem quidpiam Scripturæ ſacræ addere, aut demere, ad hanc apparentem in numeris conciliandam Scripturæ antilogiam, dico: ideò cap.*6.* lib.3. Regum numerari tantùm ab exceſſu Iſraelitarum ex Ægypto uſque ad ſtructuram Templi annos 480. quia eo in capite ſolùm recenſentur anni Præfecturæ Judicum, non computatis annis anarchiarum, & ſervitutum Iſraelitarum. Aſt ſi anni anarchiarum, & ſervitutum Iſraelitarum ſeorſim numerentur ab annis Præfecturæ Judicum, ſicut recenſentur in lib.Judicum,comperietur à profectione Iſraelitarum uſq; ad fundationem Templi effluxiſſe annos *606.* qui annorum numerus optimè quadrat cum tota hiſtoria Judicum, quæ accuratè diſtinguit annos ſervitutum, ſeu oppreſſionum Iſraelitarum, ab annis Judicum, & quietis. Nam tempore ſervitutum, ſeu oppreſſionum Iſraelitarum, ut videre eſt in lib. Judicum, nullus erat Judex, nulla quies, ſed potiùs res afflictæ, turbata, ac sùs, deque confuſa omnia. Quando verò Deus ſuſcitabat Judices, qui Iſraelitas ab oppreſſione liberabant,& in priſtinam libertatem vindicabant,totò durante illorum præfecturæ tempore,pace,& quiete fruebantur Iſraelitæ. Undè manifeſtò ſequitur annos ſervitutum Iſraelitarum diſtinguendos eſſe ab annis Judicum, & quietis, ac proindè non omninò certam eſſe communem ſententiam Chronologorum, qui annorum numerum plus juſtò contrahentes, coguntur annos ſervitutis, ſeu oppreſſionis Iſraelitarum, in annis Judicum includere. Numerus igitur ille annorum 480. qui habetur cap.*6.* lib. 3. Regum, non includit anarchiarum,& ſervitutum annos, qui accuratè in libro Judicum deſcribuntur. Et ſic facili negotiò cum *Melchiore Canò* lib.11. de locis cap.5. pag. mihi *618.* conciliatur apparens illa antilogia, quæ prima fronte reperiri videtur inter cap. *6.* lib. 3. Regum, & librum Judicum.

NOT.

Digitized by Google

Not. II. doctiſſimum *Patrem Paulum Pezronum* cap. 8. lib. cui titulus eſt, *Antiquitas temporum reſtituta*, exiſtimare multas Anarchias, ſeu Interregna præceſſiſſe ſervitutes Iſraelitarum, à quibus eos vindicarunt Judices, adeòque ſeorſim ab annis Judicum, & ſervitutum Iſraelitarum eſſe numerandas. Quò fit, ut prædictus Auctor ab egreſſione Iſraelitarum ex Ægypto uſque ad jacta fundamenta Templi annos recenſeat 873. Verùm licèt ipſe ultrò fatear, poſt mortem *Calebi*, & *Seniorum*, extitiſſe Anarchiam ſex annorum, in qua flebilis illa infelicis Levitæ contigit hiſtoria, quæ Judicum cap. 19. narratur, necnon illa *Micheæ*, & Danitarum, de qua cap. 17. & 18. ejuſdem libri fit mentio, exiſtimo tamen, præter illam Anarchiam ſex annorum, nullas alias interceſſiſſe, aut, ſi quæ interceſſerint, cùm breviſſimæ fuerint, earumque tempus Scriptura non definiat, conſultiùs eſſe hujuſmodi Anarchias illo temporis intervallo concludere, quod terræ quieti, ſeu Judicibus aſſignatur. Idem dicendum puto de judicatura *Samgari*, quem Scriptura ſacra in lib. Judicum immediatè recenſet poſt *Aod*, qui judicavit Iſraelem 80. annis, nam cùm Scriptura ſacra nullos atttibuat annos judicaturæ Samgari, probabiliùs eſt judicaturam ejus comprehendi in annis præcedentibus octoginta judicaturæ *Aod*. Niſi quis malit judicaturam Samgari includi in annis ſervitutis, quâ *Jabin* Rex Chananæorum dicitur poſt mortem Aod oppreſſiſſe 20. annis Iſraelitas.

Not. ult. Templum extrui cœptum eſſe anno quarto Regni Salomonis ineunte, & abſolutum eſſe anno undecimo, ac proindè Templi fabricam per annos ſeptem fuiſſe continuatam.

Quinta Mundi ætas annorum 488. *à fundatione Templi uſque ad finem captivitatis Babylonicæ*.

(*a*) SALOMON, poſt jacta anno 4. Regni ſui fundamenta Templi, regnavit 36. annis, & obiit anno Mundi 3155. Periodi Julianæ 3730. Periodi Græco-Romanæ 4510. antè æram vulgarem 984.

Ro-

(a) *Regnavit Salomon annis* 40. *non verò* 80. *ut perperàm poſt Joſephum aſſerit* Pezronus, *contra auctoritatem Scripturæ ſacræ lib.* 3. *Reg. cap.* 11. Dies, quos regnavit Salomon ſuper omnem Iſrael quadraginta anni ſunt.

ROBOAM regnavit 17. annis, qui terminantur in anno Mundi 3172. Periodi Julianæ 3747. Periodi Græco-Romanæ 4527. antè æram vulgarem 967.

ABIAS regnavit 3. annis, qui terminantur in anno Mundi 3175. Periodi Julianæ 3750. Periodi Græco-Romanæ 4530. antè æram vulgarem 964.

ASA regnavit 41. annis, qui terminantur in anno Mundi 3216. Periodi Julianæ 3791. Petiodi Græco-Romanæ 4571. antè æram vulgarem 923.

JOSAPHAT regnavit 25. annis, qui terminantur in anno Mundi 3241. Periodi Julianæ 3816. Periodi Græco-Rom. 4596. antè æram vulgarem 898.

JORAM regnavit 8. annis, qui terminantur in anno Mundi 3249. Periodi Jul. 3824. Periodi Græco-Rom. 4604. antè ęram vulg. 890.

OCHOSIAS regnavit 1. anno, & deſiit regnare anno Mundi 3250. Periodi Julianæ 3825. Periodi Græco-Romanæ 4605. antè ęram vulgarem 889.

ATHALIAS tegnavit ſex annis, qui terminantur in anno Mundi 3256. Periodi Julianæ 3831. Petiodi Græco-Romanæ 4611. antè æram vulgarem 883.

JOAS regnavit 40. annis, qui terminantur in anno Mundi 3296. Periodi Julianæ 3871. Periodi Græco-Romanæ 4651. antè æram vulgarem 843.

AMASIAS regnavit 29. annis, qui terminantur in anno Mundi 3325. Periodi Julianæ 3900. Periodi Græco-Romanæ 4680. antè æram vulgarem 814.

(*a*) OSIAS, ſeu AZARIAS regnavit 52. annis, qui terminantur in anno Mundi 3377. Periodi Julianæ 3952. Periodi Græco-Romanæ 4732. anno 3. Olympiadis quartæ, antè æram vulg. 762.

(*b*) JOATHAS regnavit 16. annis, qui terminantur in anno Mundi 3393. Periodi Julianæ 3968. Petiodi Græco-Romanæ 4748. anno 3. Olympiadis octavæ, anno 8. à condita Roma, anno 2. ærę (*c*) Nabonaſſari. Antè æram vulgarem 746.

Ffff ACHAS

(a) *Initium Olympiadum petitur ab anno 38. Oziæ, ſeu Azariæ, qui concurrit cum anno Mundi 3363. Periodi Julianæ 3938. Periodi Græco-Romanæ 4718. antè æram vulgarem 776.*

(b) *Roma condita eſt anno 9. Regis Joathas, anno Mundi 3386. Periodi Julianæ 3961. Periodi Græco-Romanæ 4741. anno 3. exeunte Olympiadis ſextæ, antè æram vulgarem 753.*

(c) *Famoſa æra Nabonaſſari cœpit anno 15. Regis Joathas, anno Mundi 3392. Periodi Julianæ 3967. Periodi Græco-Romanæ 4747. anno 2. Olympiadis 8. anno 7. à condita Roma, antè æram vulgarem 747.*

Digitized by Google

Achas regnavit 16. annis, qui terminantur in anno mundi 3409. Periodi Julianæ 3984. Periodi Græco-Romanæ 4764. anno 3. Olymp. 12. anno 24. à condita Roma. anno 18. æræ Nabonaſſari. ante ęram vulgarem 730.

Ezechias regnavit 29. annis, qui terminantur in anno mundi 3438. Periodi Julianæ 4013. Periodi Græco-Romanæ 4793. anno 4. Olymp. 19. anno 53. à condita Roma, ęræ Nabonaſſari 47. ante ęram vulgarem 701.

Manasses regnavit 55. annis, qui terminantur in anno mundi 3493. Periodi Julianæ 4068. Periodi Græco-Romanæ 4848. anno 3. Olymp. 33. anno à condita Roma 108. ęræ Nabonaſſari 102. ante ęram vulgarem 646.

Amon regnavit 2. annis, qui terminantur in anno mundi 3495. Periodi Julianæ 4070. Periodi Græco-Romanæ 4850. anno 1. Olymp. 34. anno à condita Roma 110. ęræ Nabonaſſari 104. ante ęram vulgarem 644.

Josias regnavit 31. annis, qui terminantur in anno mundi 3526. Periodi Julianæ 4101. Periodi Græco-Romanæ 4881. anno 4. Olymp. 41. anno à condita Roma 141. æræ Nabonaſſari 135. ante ęram vulgarem 613.

(a) Joachin regnavit undecim annis, & anno illius regni ultimo accidit captivitas Babylonica, hoc eſt, anno 8. Nabuchodonoſori, anno mundi 3537. Periodi Julianę 4112. Periodi Gręco-Romanæ 4892. anno 3. Olymp. 44. anno à condita Roma 152. ęræ Nabonaſſari 146. ante ęram vulgarem 602.

Nabuchodonosorus, poſt abductos Judęos in captivitatem, regnavit 36. annis, qui terminantur in anno mundi 3573. Periodi Julianę 4148. Periodi Gręco-Romanę 4928. anno 3. Olymp. 53. anno à condita Roma 188. ęræ Nabonaſſari 182. ante ęram vulgarem 566. ab incepta captivitate Babylonica anno 36.

Evilmerodach filius Nabuchodonoſori regnavit 2. annis, qui terminantur in anno mundi 3575. Periodi Julianæ 4150. Periodi Gręco-Romanæ 4930. anno 1. Olymp. 54. à condita Roma 190. ęræ Nabonaſſari 184. ab incepta captivitate Babylon. 38. ante ęram vulgarem 564.

Balthasar cum Niriglissare patre, Nabuchodonoſori genero, regnavit 4. annis, qui terminantur in anno mundi 3579. Periodi Julianæ 4154. Periodi Gręco-Romanæ 4934. anno 1. Olympiad. 55. à condita Roma 194. ęræ Nabonaſſari 188. ab incepta capt. Babyl. 42. ante ęram vulgarem 560. Da-

(a) *Capt. Babyl. quæ duravit annis 70. initium habuit anno undecimo Regni Joachin.*

Digitized by Google

(a) Darius Medus, qui & Nabonidus, vel Labynitus, interfecto Balthaſare, Rex à Babyloniis eligitur, & regnavit in Babylone 27. annis, qui terminantur in anno mundi 3606. Periodi Julianæ 4181. Periodi Græco-Romanæ 4961. anno 4. Olymp. 61. à condita Roma 221. æræ Nabonaſſari 215. ab incepta capt. Babyl. 69. ante æram vulgarem 533.

(b) Cyrus anno 27. regni in Perſide initi occupavit Babyloniam ſub finem Regni Darii Medi, ſeu Nabonidi, cœpitque regnare in Babylone tanquam ſupremus Monarcha anno Mundi 3607. Periodi Julianæ 4182. Periodi Græco-Romanæ 4962. anno 1. Olymp. 62. à condita Roma 222. æræ Nabonaſſari 216. ab incepta capt. Babyl. 70. ante æram vulgarem 532.

Notæ ad Quintam Mundi Ætatem.

NOT. I. Accuratè diſtingui debere duplicem Regni Cyri epocham, at enim Cyrus regnare cœpit in Perſide anno primo exeunte Olympiadis LV. Periodi Julianæ 4155. eodem ſcilicet anno, quo Darius Medus, ſeu Nabonidus, occiſo Balthaſare, Rex à Babyloniis fuit electus, hæc eſt prima epocha Regni Cyri in Perſide initi. Altera epocha Regni Cyri in Babylonia ſuſcepti exordium habuit anno 28. Regni Cyri in Perſide incepti. Eo ſiquidem anno Cyrus, poſtquam debellaſſet Darium Medum, ſive Nabonidum, qui per 27. annos Babyloniorum tenuit Imperium, poſt captam etiam Babylonem, inſtituit Monarchiam Perſicam, hoc eſt, tanquam ſupremus Monarcha in Babylonia regnare cœpit anno 1. Olymp. 62. Periodi Julianæ 4182. *Cyrus* regnavit in univerſum 30. annos, ſicut ei Hiſtorici omnes conſtanter tribuunt, ſed 27. annos regnavit in Perſide, alios verò tres ultimos regnavit in Babylone, devicto Dario Medo, tanquam ſupremus Monarcha.

Not. II. Darium Medum, quem *Daniel* cap. 9. de ſemine, ſeu de genere Medorum eſſe dicit, *Beroſus* verò è Babylone oriundum ſcribit, poſt interfectum, conſpiratione Principum, Balthaſarem, fuiſſe à Babyloniis Regem electum, eumque regnaſſe annis 27. & tandem anno ultimo regni ſui victum, ac fugatum à Cyro Borſippen ſe ſe recepiſſe, ubi Cyri eum inſequentis arbitrio ſe permiſit, & ab ipſo Caromaniæ Præfecturâ donatus eſt. *Joſephus* ex Beroſo ſcribit Cyrum

Ffff 2 anno

(a) *In Dario Medo finem habuit Babyloniorum Imperium.*

(b) *Cyrus anno primo Monarchiæ Perſicæ laxavit captivit. Babyl.*

Digitized by Google

anno 17. Regni Darii Medi, ſeu Nabonidi, è Perſide, ubi regnabat, fuiſſe egreſſum, & universâ ſubactâ Aſiâ, in Babyloniam impetum feciſſe. Quæ res multos movit Chronologos, ut putarent Darium Medum regnaſſe tantùm annis 17. verum ipſe cum doctiſſimo Ludovico Cappello in ſua Chronologia ſacra probabilius cenſeo errorem eſſe in numero, & 27. pro 17. eſſe legendum, vel, ſi nullus ſit error in numero, dicendum, Cyrum quidem è Perſide egreſſum eſſe anno 17. regni Darii Medi, ſed decennium in ſubigenda Aſia, priusquam Babyloniam oppugnaret, impendiſſe; adeo ut ſolùm ſub finem Regni Darii Medi Babyloniâ potitus fuerit, novumque Imperii primordium, debellato Dario Medo, Cyrus in Babylonia acceperit, ac Perſicam Monarchiam inſtituerit.

Not. ult. Captivitatem Babylonicam cœpiſſe anno ultimo, ſeu undecimo Joakimi, ſeu Jechonię Regis Juda, qui annus concurrit cum anno 8. Nabuchodonoſori Babyloniorum Regis, laxatam verò fuiſſe anno 1. Regni Cyri. Quod tamen non eſt intelligendum de anno primo, quo Cyrus in Perſide regnare cœpit, (nam, ſicut fatentur omnes Chronologi, Cyrus Regnum Perſicum obtinuit anno primo Olymp. 55. quo quidem tempore necdùm Cyrus Aſiam, & Babylonem occupaverat) ſed hoc eſt intelligendum de anno primo Imperii, quod Cyrus tanquam ſupremus Monarcha in Babylonia inire cœpit. Id autem contigit anno 28. Regni Cyri in Perſide initi, anno 1. Olymp. 62. Periodi Julianæ 4182. ante ęram vulgarem 532. ut patet ex noſtro Canone Chronologico.

Sexta Mundi Ætas annorum 531. à fine captivitatis Babylonicæ uſque ad Natale vulgare Chriſti Servatoris noſtri.

PERSARUM REGES.

CYRUS, tanquàm ſupremus Monarcha, regnavit in Babylone 3. annis, & mortuus eſt anno mundi 3609. Periodi Julianę 4184. Periodi Gręco-Romanæ 4964. anno 3. Olymp. 62. à condita Roma 224. ęræ Nabonaſſari 218. ante ęram vulgarem 530.

CAMBYSES Cyri filius regnavit 7. annis, qui terminantur in anno mundi 3616. Periodi Julianę 4191. Periodi Gręco-Romanę 4971. anno 2. Olymp. 64. à condita Roma 231. ęrę Nabonaſſari 225. ante ęram vulgarem 523.

SMER-

SMERDES MAGUS regnavit 1. anno poſt obitum Cambyſis, & regnare deſiit anno mundi 3617. Periodi Julianæ 4192. Periodi Græco-Romanæ 4972. anno 3. Olymp. 64. à condita Roma 232. æræ Nabonaſſari 226. ante æram vulgarem 522.

DARIUS HYSTASPIS regnavit 36. annis, & regnare deſiit anno mundi 3653. Periodi Julianæ 4228. Periodi Græco-Romanæ 5008. anno 3. Olymp. 73. à condita Roma 268. ęræ Nabonaſſari 262. ante ęram vulgarem 486.

XERXES regnavit 21. annis, & deſiit regnare anno mundi 3674. Periodi Julianæ 4249. Periodi Gręco-Romanæ 5029. anno 4. Olymp. 78. ante æram vulgarem 465. à condita Roma 289. ęræ Nabonaſſari 283.

(a) ARTAXERXES LONGIMANUS regnavit 40. annis, & regnare deſiit anno mundi 3714. Periodi Julianæ 4289. Periodi Græco-Romanæ 5069. anno 4. Olymp. 88. à condita Roma 329. æræ Nabonaſſari 323. ante æram vulgarem 425.

DARIUS NOTHUS regnavit 20. annis, & deſiit regnare anno mundi 3734. Periodi Julianæ 4309. Periodi Græco-Romanæ 5089. anno 4. Olymp. 93. à condita Roma 349. æræ Nabonaſſari 343. ante æram vulgarem 405.

ARTAXERXES MNEMON regnavit 43. annis, & regnare deſiit anno mundi 3777. Periodi Julianæ 4352. Periodi Græco-Romanæ 5132. anno 3. Olymp. 104. à condita Roma 392. æræ Nabonaſſari 386. ante æram vulgarem 362.

OCHUS regnavit 23. annis, & regnare deſiit anno mundi 3800. Periodi Julianæ 4375. Periodi Græco-Romanæ 5155. anno 2. Olympiadis 110. à condita Roma 415. æræ Nabonaſſari 409. ante æram vulgarem 339.

ARSES regnavit 2. annis, & regnare deſiit anno mundi 3802. Periodi Julianæ 4377. Periodi Græco-Romanæ 5157. anno 4. Olympiadis 110. à condita Roma 417. æræ Nabonaſſari 411. ante æram vulgarem 337.

(b) DARIUS CODOMANUS regnavit 7. annis, & anno ultimo Regni ſui victus eſt ad Arbela ab Alexandro Magno, anno mundi 3809. Periodi Julianæ 4384. Periodi Græco-Romanæ 5164. anno 3. Olympiadis 112. à condita Roma 424. æræ Nabonaſſari 418. ante æram vulgarem 330.

ALE-

(a) *Initium LXX. Danielis hebdomad. duci debet ab anno 7. Artaxerxis Longimani, ut oſtenſum eſt Paragr. 1. Diſſert. 15.*

(b) *Anno ſeptimo Regni Darii Codomani finem habuit Monarchia Perſica, quæ duravit annis 203.*

Digitized by Google

(a) ALEXANDER MAGNUS, devicto Dario Codomano, regnavit in Babylone, ut ſupremus Monarcha 6. annis, & mortuus eſt anno mundi 3815. Periodi Julianæ 4390. Periodi Græco-Romanæ 5170. anno 1. Olymp. 114. à condita Roma 430. æræ Nabonaſſari 424. ante æram vulgarem 324.

SYRIÆ REGES.

SELEUCUS, *Nicator* dictus, Babyloniam, Mediam, Suſianam ditioni ſuæ ſubjecit, cœpitque regnare anno duodecimo poſt obitum Alexandri Magni, ſeu anno mundi 3827. Periodi Julianæ 4402. Periodi Græco-Romanæ 5182. anno 1. Olymp. 117. à condita Româ 442. æræ Nabonaſſari 436. ante æram vulgarem 312. & regnavit 30. annis.

ANTIOCHUS I. dictus *Soter*, ſive Salvator, mortuo patre Seleuco, regnare cœpit anno mundi 3857. Periodi Julianæ 4432. æræ Græco-Romanæ 5212. anno 3. Olymp. 124. à condita Roma 472. æræ Nabonaſſari 466. ante æram vulgarem 282. & regnavit 20. annis.

ANTIOCHUS II. dictus per adulationem *Deus*, regnare cœpit anno mundi 3877. Periodi Julianæ 4452. Periodi Græco-Romanæ 5232. anno 3. Olymp. 129. à condita Roma 492. æræ Nabonaſſari 486. ante æram vulgarem 262. & regnavit 15. annis.

SELEUCUS II. dictus *Callinicus*, regnare cœpit anno mundi 3892. Periodi Julianæ 4467. Periodi Græco-Romanæ 5247. anno 2. Olymp. 133. à condita Roma 507. æræ Nabonaſſari 501. ante æram vulgarem 247. & regnavit 20. annis.

SELEUCUS III. dictus *Ceraunus*, regnare cœpit anno mundi 3912. Periodi Julianæ 4487. Periodi Græco-Romanæ 5267. anno 2. Olymp. 138. à condita Roma 527. æræ Nabonaſſari 521. ante æram vulgarem 227. & regnavit 3. annis.

ANTIOCHUS III. dictus *Magnus*, regnare cœpit anno mundi 3915. Periodi Julianæ 4490. Periodi Græco-Romanæ 5270. anno 1. Olymp. 139. à condita Roma 530. ęræ Nabonaſſari 524. ante ęram vulgarem 224. & regnavit 37. annis.

SELEUCUS IV. dictus *Philopator*, regnare cœpit anno mundi 3952. Periodi Julianę 4527. Periodi Gręco-Romanę 5307. anno 2. Olymp. 148. à condita Roma 567. ęrę Nabonaſſari 561. ante ęram vulgarem 187. & regnavit 11. annis.

ANTIOCHUS IV. dictus *Epiphanes*, regnare cœpit anno mundi 3963. Periodi Julianę 4538. Periodi Gręco-Romanę 5318. anno

(a) *Monarchia Græcorum ab Alexandro Magno ducit initium.*

Digitized by Google

no 1. Olymp. 151. à condita Roma 578. ęrę Nabonaſſari 572. ante ęram vulgarem 176. regnavit 12. annis, & tandem moritur inhoneſtè rediens ex Perſide.

JUDAS MACHABÆUS, mortuo Antiocho Epiphane, Dux Judęorum conſtituitur anno mundi 3975. Periodi Julianę 4550. Periodi Gręco-Romanę 5330. anno 1. Olymp. 154. à condita Roma 590. ęræ Nabonaſſari 584. ante ęram vulgarem 164. & pręfuit Reipublicę Judaicę 3. annis.

JONATHAS frater Judę Dux Judęorum conſtituitur anno mundi 3978. Periodi Julianę 4553. Periodi Gręco-Romanę 5333. anno 4. Olympiade 154. à condita Roma 593. ęrę Nabonaſſari 587. ante ęram vulgarem 161. & pręfuit Reipublicę Judaicę annis 17.

SIMON frater Judę, & Jonathę, Dux Judęorum conſtituitur anno mundi 3995. Periodi Julianę 4570. Periodi Gręco-Rom. 5350. anno 1. Olymp. 159. à condita Roma 610. ęræ Nabonaſſari 604. ante ęram vulgarem 144. & pręfuit Reipublicę Judaicę annis 9.

JOANNES Hircanus filius Simonis Dux Judęorum conſtituitur anno mundi 4004. Periodi Julianę 4579. Periodi Gręco-Rom. 5359. anno 2. Olymp. 161. à condita Roma 619. ęrę Nabonaſſari 613. ante ęram vulgarem 135. & pręfuit Reipubl. Jud. annis 30.

ARISTOBULUS filius Joannis Hircani ſibi Regium Diadema impoſuit anno mundi 4034. Periodi Julianę 4609. Periodi Gręco-Romanę 5389. anno 4. Olymp. 168. à condita Roma 649. ęrę Nabonaſſari 643. ante ęram vulgarem 105. & regnavit 1. anno.

ALEXANDER JANNÆUS filius Ariſtobuli ei ſubſtituitur anno mundi 4035. Periodi Julianę 4610. Periodi Gręco-Romanę 5390. anno 1. Olymp. 169. à condita Roma 650. ęrę Nabonaſſari 644. ante ęram vulgarem 104. & regnavit 27. annis.

Mortuo Alexandro Jannæo, Alexandra ejus uxor, conciliatâ ſibi Phariſæorum benevolentiâ, cœpit regnare in Judæa anno Mundi 4062. Periodi Julianæ 4637. Periodi Græco-Romanæ 5417. anno 4. Olymp. 175. à condita Roma 677. æræ Nabonaſſari 671. antè æram vulgarem 77. & regnavit 9. annis.

HIRCANUS II. poſt matrem Alexandram regnare cœpit in Judæa anno Mundi 4071. Periodi Julianæ 4646. Periodi Græco-Romanæ 5426. anno 1. Olymp. 178. à condita Roma 686. æræ Nabonaſſari 680. antè æram vulgarem 68. & regnavit 3. annis. Dein bello appetitus, victus eſt ab Ariſtobulo fratre ſuo, qui Regnum per tres annos occupavit. Tandem à Pompejo in ordinem redacto Ariſtobulo, & Romam captivo abducto, denuò Hircanus Regno Judęæ potitus eſt anno Mundi 4076. Periodi Julianæ 4651. Periodi Greco-Romanæ 5431. à condita Roma 691. ęræ Nabonaſſari 685. antè æram vulgarem 63. & regnavit annis 23.

AN-

Digitized by Google

ANTIGONUS Ariſtobuli filius, devicto Hircano II. regnum Judęæ invaſit, cœpitque regnare anno Mundi 4099. Periodi Julianæ 4674. Periodi Græco-Romanæ 5454. à condita Roma 714. ęræ Nabonaſſari 708. antè ęram vulgarem 40. anno 1. Olymp. 185. & regnavit Antigonus annis 3.

HERODES, tribus annis poſtquàm fuit à Senatu Romano Rex Judęæ declaratus, vicit Antigonum, & ſolus in Judęa regnare cœpit anno Mundi 4102. Periodi Julianę 4677. Periodi Gręco-Romanæ 5457. à condita Roma 717. ęrę Nabonaſſari 711. antè ęram vulgarem 37. anno 4. Olymp. 185. & regnavit Herodes in Judęa, poſt devictum Antigonum, annis 34.

CHRISTUS DOMINUS Servator Mundi natus eſt in Bethleem die 25. menſis Decembris, ut conſtans tenet traditio, anni 33. Regni Herodis poſt devictum Antigonum, Imperii Auguſti 40. à creatione Mundi 4134. à condita Roma 749. ęræ Nabonaſſari 743. anno 4. Olympiadis 193. Periodi Julianæ 4709. Periodi Græco-Romanæ 5489. antè ęram vulgarem quadriennio integro. Conſulibus Auguſto Cæſare 12. & L. Cornelio Sylla.

Natale vulgare Chriſti Domini, hoc eſt, juxtà ęram Dionyſii Exigui, conſignari debet diei 25. menſis Decembris anni 44. Imperii Auguſti, à creatione Mundi 4138. à condita Roma 753. ęræ Nabonaſſari 747. Periodi Julianæ 4713. Periodi Græco-Romanæ 5493. anno 4. Olympiadis 194. Conſulibus Coſſo Cornelio Lentulo, & L. Calpurnio Piſone.

Annus primus ęræ vulgaris, quæ etiam dicitur Dionyſiana, vel Chriſtiana, auſpicatur kalendis menſis Januarii anni 45. Imperii Auguſti, à creatione Mundi 4139. à condita Roma 754. ęræ Nabonaſſari 748. Periodi Julianæ 4714. Periodi Græco-Romanæ 5494. anno 1. Olympiadis 195. Conſulibus Cajo Cæſare Auguſti filio, & L. Æmilio Paulo.

BRE-

Digitized by Google

BREVIS, ET CHRONOLOGICA
DESCRIPTIO
HISTORIÆ SACRÆ,

Quam in hocce Tractatu complexi ſumus,

A nato Chriſto uſque ad ipſius Aſcenſionem.

CHRISTUS DOMINUS, ut diximus in Canone Chronologico, natus eſt anno Mundi 4134. Periodi Julianæ 4709. Periodi-Græco-Rom. 5489. à condita Roma 749. ęræ Nabonaſſari 743. anno 4. Olympiadis 193. Imperii Auguſti 40. Regni Herodis, poſt devictum Antigonum, 33. antè æram vulgarem quinquennio, ſeu quadriennio ſolido, cum aliquot diebus, Conſulibus Auguſto 12. & Cornelio Sylla.

CHRISTUS octavo à Nativitate die, ſeu kalendis menſis Januarii circumciſus eſt, eumque in cunis adoraturi Magi ab Oriente venerunt diei 6. Januarii anni à creatione Mundi 4135. Periodi Julianæ 4710. Periodi Græco-Romanæ 5490. à condita Roma 750. ęræ Nabonaſſari 744. anno 1. Olympiadis 194. Imperii Auguſti 41. Regni Herodis, poſt devictum Antigonum, 34. antè æram vulgarem quadriennio, Conſulibus C. Calviſio Sabino, & L. Paſſieno Rufo.

Eodem anno Beata Virgo, die poſt partum quadrageſimo, Hieroſolymam ad Templum venit, tùm ut puerum JESUM, juxtà legem, ſiſteret Domino, tùm ut hoſtiam offerret, par turturum, & duos pullos columbarum. Joſephus eodem anno admonitus in ſomnis, accepit Puerum, & Matrem ejus, & fugit in Ægyptum. Denique eodem anno Herodes infantem JESUM perdere volens, occidit omnes pueros, qui erant in Bethleem, & in finibus ejus à bimatu, & infrà, & tandem ipſe moritur menſe Novembri ejuſdem anni, cum regnaſſet, poſt ſublatum Antigonum, annis 34. Poſtquàm verò à Romanis Regnum Judęæ obtinuit, annis 37. vide quæ dicta ſunt in Diſſertatione Sexta.

Annus primus ęræ vulgaris habuit initium, ut videre eſt in Canone Chronologico, anno Mundi 4139. anno 45. Imperii Auguſti,

Digitized by Google

Periodi Julianæ 4714. Periodi Græco-Romanæ 5494. à condita Roma 754. ęrę Nabonaſſari 748. anno 1. Olympiadis 195. Conſulibus Cajo Cęſare, & L. Æmilio Paulo.

CHRISTUS natus annos duodecim, anno octavo ęræ vulgaris, ſeu anno Urbis Romæ conditæ 761. *M. Furio Camillo*, *& Sexto Nonio Quintiliano* Conſulibus, cùm veniſſet Hieruſalem ad celebrationem Paſchæ; non rediit cum parentibus, ſed inventus eſt poſt triduum in Templo, in medio Doctorum ſedens, audiens illos, & interrogans.

JOANNES Baptiſta anno ęrę vulgaris vigeſimo quinto, & anno Imperii Proconſularis Tiberii decimo quinto, ſeu anno Urbis Romæ conditæ 778. *Coſſo Cornelio Lentulo*, *& M. Aſinio Agrippa* Conſulibus Præcurſoris miniſterium exorxus eſt, & pœnitentiam prædicare cœpit.

CHRISTUS, anno æræ vulgaris vigeſimo ſexto, & Imperii Proconſularis Tiberii decimo ſexto, ſeu anno Urbis Romæ conditæ 779. *Cn. Lentulo Getulico*, *& C. Calviſio Sabino Conſulibus*, fuit die 6. Januarii à Joanne baptizatus anno ętatis ſuæ trigeſimo ineunte. Mox ſeceſſit in deſertum, ubi per 40. dies commoratur, noctes, dieſque jejunans, & poſteà à diabolo tentatus.

CHRISTUS eodem anno ęræ vulgaris vigeſimo ſexto ſub finem menſis Februarii vocatus ad nuptias in Cana Galilęæ aquam mutavit in vinum, quod fuit initium ſignorum JESU. Inſtante Judæorum Paſchate aſcendit Hieroſolymam, ejicit è Templo ementes, & vendentes. Sabbato ſanat hominem manum aridam habentem. Docet Diſcipulos modum orandi. Hic eſt annus primus prædicationis Chriſti.

CHRISTUS, ineunte anno ætatis ſuæ 31. & anno ærę vulgaris vigeſimo ſeptimo, Imperii Proconſularis Tiberii decimo ſeptimo, ſeu anno Urbis Romæ conditę 780. *M. Licinio Craſſo*, *& L. Calpurnio Piſone* Conſulibus, relictâ Nazareth, venit cum Matre, & Diſcipulis ſuis Capharnaum, ubi manſit non multis diebus. Sabbato ejicit dęmonium, & indè circujens Galilęam docet in Synagogis ſanans omnem languorem. Eligit Apoſtolos, & habet concionem, quę dicitur *ſermo Domini in monte*, quâ finitâ, leproſum mundat. Sanat puerum Centurionis. Socrum Petri febribus liberat, omneſque malè habentes curat. Hieruſalem aſcendit ad celebrandum Paſcha, ubi languidum 38. annorum juxtà piſcinam probaticam ſanat. Mittit Apoſtolos duodecim ad prędicandum, & paulò poſt LXX. Diſcipulos. Filium viduę Naim ſuſcitat, mulieri peccatrici remittit peccata. Hic eſt annus ſecundus prędicationis Chriſti.

CHRI-

Digitized by Google

(a) CHRISTUS, ineunte anno ętatis ſuę 32. ſeu anno ęrę vulgaris vigeſimo octavo, & Imperii Proconſularis Tiberii decimo octavo, ſeu anno Urbis Romę conditę 781. *Appio Junio Silano, & Silio Nerva* Conſulibus, abit in locum deſertum, qui eſt Bethſaide trans mare Galilęę. Erat proximum Judęorum Paſcha, & ſequebatur eum multitudo magna, quam Dominus miraculosè pavit quinque panibus, & duobus piſcibus, ac, ne facerent eum Regem, fugit. Aſcendit Hieroſolymam ad peragendum Paſcha, & confeſtim redit in Galilęam. Accedunt ad Jeſum Scribę, & Phariſęi ab Hieroſolymis, ſecedit Chriſtus in partes Tyri, & Sidonis: redit ad mare Galilęę. Paſcit quatuor millia hominum ſeptem panibus, & piſciculis paucis: venit in fines Maggedan: iterùm trans fretum in deſertum abit. Venit Bethſaidam, & cœcum ſanat. Indè Cęſaream Philippi venit: Petri fidem laudat, & pręmio afficit. Transfiguratur in monte Thabor die 6. Auguſti. Poſtridiè dęmonem ejicit, quem Diſcipuli expellere haud potuerant, cùm veniſſet Capharnaum jubet Petrum ſtatere invento in ore piſcis ſolvere tributum pro ſe, & Petro. Apoſtolos compeſcit de primatu contendentes. Clàm venit ad Scenopegia, ingreditur Hieruſalem feſto mediante. Cœco nato viſum reſtituit. In Galilęam proficiſcitur. Redit Hieroſolymam ad Encœnia. Moratur circà Jordanem, ubi Joannes baptizaverat. Decem leproſos curat. Prędicit Apoſtolis, quæ paſſurus erat Hieruſalem. Nuncium accipit de morbo Lazari. Subſiſtit duobus diebus, quibus elapſis iter proſequitur. Cœcum ſanat propè Jericho. Ingreſſus Jericho divertit ad Zachęum. Egreſſus Jericho cœcis duobus viſum reſtituit. Venit Bethaniam, & Lazarum ſuſcitat. Pontifices rabie, & furore in ipſum perciti conſilium congregant ut Jeſum occidere poſſint. Jeſus moratur cum Diſcipulis in deſerto Ephrem, Bethaniam redit. Maria pedes illius ungit. Judas dolet ſublatam furandi occaſionem. Feriâ primâ, ſeu die Dominicâ, quę anno ęrę vulgaris vigeſimo nono incidit in diem 20. menſis Martii, Chriſtus Dominus ovans ingreſſus eſt Hieruſalem ſuper aſinam ſedens, & veſperè redit Bethaniam. Feriâ ſecunda, ſeu die Lunę, & vigeſima prima Martii Chriſtus redit Hieruſalem, & ficui maledicit. Feria tertia, ſeu die Martis, & vigeſima ſecunda menſis Martii, vident Diſcipuli ficum omninò exaruiſſe. Feria quarta, ſeu die Mercurii, & vigeſima tertia Martii Judas Dominum vendit 30. argenteis. Feria quinta, ſeu die Jovis, & vigeſima

(a) *Annus tertius prædicationis Chriſti cępit anno æræ vulgaris 28. & finem habuit die 25. menſis Martii anni æræ vulgaris 29. & Imperii Proconſ. Teberii 19. Hac quippè die Chriſtus pro redemptione generis humani mortem in ara crucis oppetiit, ſub Rubelli Gemini, & C. Fuſii Gemini Conſulatu.*

quarta Martii, Chriſtus ſub veſperam, incipiente prima die azymorum, legale Paſcha manducat cum Diſcipulis, & inter cœnandum Corpus, & Sanguiem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini porrigit. Feria ſexta, ſeu die Veneris, & vigeſima quinta Martii, Chriſtus in crucem actus eſt, ejusque Corpus aromatibus conditum ſepulturę mandatum eſt. Feria prima, ſeu die Dominica ſequenti glorioſus, ac triumphans è tumulo Chriſtus reſurgit. Apparet primò Mariæ Magdalenæ. Secundò, piis Mulieribus, quę ad monumentum venerant. Tertiò, Petro. Quartò, Diſcipulis euntibus in caſtellum Emmaus. Quintò, Apoſtolis, abſente Thoma. Sextò, poſt dies octo apparet Apoſtolis præſente Thoma. Septimò, ad mare Tyberiadis in captura piſcium viſus eſt Apoſtolis. Octavò, in monte Galilęę apparet plusquàm quingentis fratribus. Nonò, apparet Jacobo, ac ſępiùs per 40. dies cum Diſcipulis conveſcens, & loquens de Regno Dei ſe illis conſpicuum exhibuit. Denique, quadrageſimo die poſt reſurrectionem, aſcendit in Cœlum, in monte Oliveti inſpectantibus Apoſtolis, ſtipatus Myriadibus Angelorum, & nunc ſedet ad dexteram Dei Patris pro nobis Sacerdotis officio fungens, denuò in fine Mundi cum majeſtate venturus ut judicet *Orbem terræ in æquitate, & populos in veritate ſua.*

FINIS.

INDEX

Digitized by Google

INDEX MATERIARUM.

A

ABgari ad Chriſtum, & Chriſti ad Abgarum epiſtolæ, ſuppoſititiæ ſunt 263. legatio ad Chriſtum *ibid.* ad eum Thadæi acceſſus poſt Aſcenſionem Chriſti *ibid.*

Abib ſeptimus menſis apud Hebræos, quãdo pro primo haberi cœperit 405. id tamen in ſacris tantummodo obtinuit *ibid.*

Abrahami nativitas 585.

Achaz anno ætatis ſuæ decimo genuit Ezechiam 82. vel potius anno decimoquarto *ibid.* non combuſſit filium ſuum *ibid.* & 83.

Actiones humanitatis Chriſti propriæ fuere finitæ in genere phyſico, infinitæ autem in genere morum 395. fuere ſub dominio Dei univerſali, ſub dominio autem particulari Chriſti *ibid.*

Adam nõ eſt ſepultus in Calvariæ loco, ubi Chriſtus crucifixus 318. qua de re alii aliter opinãtur *ibid.* etiam in ſtatu innocentiæ opus habuit adjutorio efficaci ratione ſubordinationis, & dependentiæ 337.

Adjutorium efficax. *V. Adam.*

Admonitiones externæ à Deo per ora Sanctorum 482.

Adonidis fanum Bethleemi in odium Chriſtianorum ab Adriano Imperatore conſtructum, & conſecratũ 473.

Adrianus Imperator de cõdendis Chriſto templis cogitavit 273.

Adventus Meſſiæ non retardatus, ut falsò comminiſcuntur Hebræi 160. 161. ab iiſdem expectatus eo ipſo tempore, quo Chriſtus in lucem prodiit *ibid.* ex merâ gratiâ, & divinâ miſericordiâ profluxit, ut peccata populi abſolverentur *ibid.*

Adulti, baptiſmum ſani ſuſcipere detrectantes, & infirmi in lecto baptizati, juxtà antiquam Eccleſiæ diſciplinam erant irregulares 234.

Ægyptiorũ circumciſio ſolemnis, & cõmunis maſculis, & fœminis 192. & 193. appetente anno decimo, ut plurimum ab iis celebrata *ibid.* ſolis Sacerdotibus tributa *ibid.* nec aliâ de causâ, quam majoris puritatis, & munditiei corporis gratiâ *ibid.* non religionis *ibid.* habita tanquam ſuperſtitioſa cæremonia, qua dæmoni devovebantur infantes *ibid. Vide Circumciſio.* Monarchia. *V. Aſſyriorum, & Chaldæorum.*

Ægyptus nuncupatus Cham, & Miſraim, & cur id nominis ei tributũ 110. quot dynaſtias obtinuerit *ibid. & ſeq.* & an ſucceſſivas 111. & quomodo cum Hebræorum calculo concilientur *ibid.*

Æquinoctia, & ſolſtitia, qua parte ſignorum collocata à Julio Cæſare in ſuâ anni emendatione 577.

Æra Chriſtiana Dionyſiana. *V. Dionyſius.* Alexandrinorum Martyrum 123. Diocletiani *ibid.* Hiſpanica 124.

Æræ Dionyſianæ, ſeu vulgaris & Chriſtianæ verum initium 134. 135.

Æræ Hiſpanicæ initium 577. vulgaris, Dionyſianæ nuncupatæ *ibid.* Imperii

Au-

Digitized by Google

Auguſti, & regni Herodis 579. *V. Epocha, Æra.*

Æra Jezdegirdis Perſarum 575.

Æra Mahumetanorum initium habuit à fuga Mahumetis 575. Hegira nuncupata *ibid.*

Æra Nabonaſſari 572. Lagidarum *ibid.* Seleucidarum *ibid.* Antiochena quadruplex 574. Arabum *ibid.* Perſarum *ibid.* Diocletiani, ſeu Martyrum Alexandrinorum 578. 579.

Æra Pompejana quando cœperit, & à quibus invecta 574.

Æra Syro Macedonum quando cœperit 572. triplex 573. Judaica, Antiochena, ſeu Alexandrea, & Chaldaica *ibid.* & 574.

Æra vulgaris, ſeu Dionyſiana inducta circa initium ſexti ſæculi 578. in ea quinque, ſeu quatuor ſolidorum annorum error notatur *ibid.* illam ſequitur Eccleſia *ibid.* *V. Eccleſia*: quando ab Eccleſiâ recepta *ibid.* non fuit in uſu in Galliis ſub Carolo Magno *ibid.*

Ætates ſex mundi 580. *& ſeqq.*

Æternitas pœnarum probatur adverſus religionis Chriſtianæ contemptores, qui hoc dogma, ut liberiùs peccent, cavillari ſolent 406.

Æthyopes circumcidebantur 193. *V. Circumciſio.*

Agnum Paſchalem quo die manducaverint Hebræi, quando egreſſi fuere ex Ægypto 427. 428.

Agnus Paſchalis apud Hebræos comedebatur ad ſecundam veſperam diei decimæ quartæ primi menſis 405. non poterat immolari, niſi in templo Hieroſolymitano 415. antequam aſſaretur, & comederetur debebat immolari *ibid.* & 426. id actum in ultima cœnâ Chriſti demonſtratur 427.

Agrippa Prætor exhibet ludos Apollinares. *V. Apollinares.*

Albinus Judeæ Præſes Roma miſſus 146.

Alexander Severus Chriſtum inter Deos recipere voluit 273.

Alma, vox apud Judæos, ſoli puellæ virgini convenit 21. probatur invictis argumentis *ibid.*

Aloes. *V. Myrrha.*

Altaris nomine in Apocalypſi quid denotetur 528.

S. Ambroſius expoſitus circa rectam intelligentiam loci illius, quo putant aliqui eum docuiſſe juſtorum animas, ſtatim ac à corporibus ſeparantur, minimè frui cœleſti beatitudine 532.

Amoris, & dilectionis Dei neceſſitas in Sacraméto pœnitentiæ aſtruitur 191. diligendi Deum obligatio omnibus hominibus incumbit *ibid.* de hac re, qui contra ſenſerint, redarguuntur *ibid. & ſeq.*

Ananus, ſeu Anna, quo die Joannes ſuum auſpicatus eſt miniſterium, non erat amplius ſummus Sacerdos, ſed Caiphas 232.

Angelus. *V. Comeſtio, & Corpora.*

Angelus apparuit Mariæ in peregrinæ adoleſcentis ſpecie 32.

Anima Chriſti quomodo deſcenderit ad inferos 475. an re ipsâ in quemlibet infernum ſubſtâtiali fuerit præſentia, vel ſolùm potentia & operatione, diſcrepantes referantur Theologorum ſententiæ 477. *V. Chriſtus, Chriſti.*

Anima naturaliter Chriſtiana quomodo ex Tertulliano 357.

Animæ affectus & paſſiones ſæpe ſæpius nos ad vitia trahunt, & quomodo 431. evelli radicitus nequeunt *ibid.*

Animæ juſtorum quo loco exceptæ uſq; ad diem judicii fuerint, dubitatum à S. Auguſtino 533. ex ejus ſententiâ tamen donantur claro Dei conſpectu, & æternâ felicitate *ibid.* mutatâ ſententiâ eis cœlorum regnum aſſignavit *ibid.* an ita perfectè, & intensè nunc Deum videant, ac poſt reſurrectionem corporum *ibid.*

Animæ paſſiones, quæ fuerint in Chriſto, prout erat homo 431. pax & tranquil-

Digitized by Google

quillitas eſt effectus gratiæ ſanctificantis, non fidei ſpecialis miſericordiæ Dei, qua quis credit, & certò confidit ſibi per Chriſtum condonata eſſe peccata 377.

Animarum rectores languidi, & ob pericula mundi minus fortes & zelotæ redarguuntur 258. *V. Sacerdotium*.

S.Annam, matrem B. Virginis, citra virginitatis jacturam, Mariam concepiſſe ſententia à Sede Apoſtolica damnata 33. & Mariam eandem virginem ſine dolore peperiſſe, & abſque actu conjugii, omnino reprobatur 34.

Anni Ægyptiorum menſtrui, & Lunæ ſenio definiti 97.

Anni civilis, & ſacri diverſa initia apud Hebræos 405.

Anni initium Græcis à menſe Septembri 565. Judaici forma 312. *V. Cycli*. Natalis Chriſti characteres tres per Euangeliſtas conſignati 113. correctio Gregoriana 556. ſervitutum Iſraelitarum anni diſtinguendi ab annis Judicum 591. Hebræorum calculus 294. & aliorum *ibid.* quinam 297.

Annorum ſupputatio à mundi exordio ad Natalem Chriſti lubrica, operoſa, & implexa ob Chronologorum opinandi diverſitates, & penè inexplicabiles difficultates 89. præferenda, quæ ex textu Hebraico, & vulgata noſtrâ verſione educitur, omnibus aliis *ibid.* & *ſeqq.* ejus diſcrepantia, à calculo textus Græci LXX. Interpretum *ibid.* varia etiam inter eos, qui fonti Hebraico adhærent *ibid.* quænam probabilior *ibid.* *V. Chronologia*.

Annus intercalaris, ſive biſſextilis 556. eum intercalandi, quæ regula præcepta *ibid.* & *ſeq.* Embolimæus quis *ibid.* Julianus quis 577. Solaris duplex, Aſtronomicus, & Civilis, ſeu communis 555. quot diebus Aſtronomicus compleatur *ibid.* quot autem annus civilis 556. Lunaris duplex, Civilis, & Aſtronomicus 559. ejus differentia *ibid.* & *ſeq.*

Annunciationis feſtum celebratum in Eccleſia Latina die 25. Martii 38. item apud Græcos, Ægyptios, Coptos, Syros, Chaldæos, Rhutenos 39 aliter fuit obſervatum in Eccleſia Toletana, & Mediolanenſi.

Antichriſtus 548. ejus genus, ortus, educatio, vita, tyrannis, regni duratio, falſa miracula, bella, interitus *ibid.*

Antropomorphitarum, Deo corpus affingentium, hæreſis 521.

Apollinares ludi per Agrippam Prætorem exhibiti, & quando 114.

Apollinariſtæ hæretici blaſphemarunt Chriſtum quidem corpus ſumpſiſſe ex Virgine, ſed ſine anima 34. mutatâ ſententiâ blaterarunt, ſumpſiſſe quidem animam, ſed quæ mente careret, Verbumque Divinum ei fuiſſe mentis loco *ibid.*

Apollonius Tyanæus vaferrimus Magus 280. ab Imperatore Domitiano captus, & in carcerem detruſus *ibid.* de eo Scriptorum Eccleſiaſticorum judicium *ibid.* ejus hiſtoria qualis *ibid.* quibus teſtibus malè nixa 281.

Apoſtoli omnes probabiliter Baptiſmo Chriſti baptizati 235. & à quo *ibid.*

Apoſtolos omni caruiſſe dominio, nec in ſpeciali, nec in communi aliqua bona poſſediſſe tanquam hæreticum, & erroneum proſcriptum 230.

Apparatus Chronologicus rerum in diſſertationibus tractatarum 555.

Applicationem meritorum, quæ per mortem ſuam conſecutus eſt Chriſtus, offert ipſemet Deo Patri in Cœlis, non meritum ipſum 520.

Aquila. *V. Theodotion*.

Arabia felix diſtat à Hieroſolyma, quantum intra octiduum iter peragi poſſit per camelos 177. ferax aromatum, & auri *ibid.* ejus ſitus, comparatè ad Judæam, eſt ad Orientem 278.

Archelaus Herodis filius, quo anno regnare cœperit in Judæa 119. ob ejus ty-

Digitized by Google

tyrannidem ab Auguſto regno ſpoliatus, & exul Viennam miſſus 120.
Argenteorum pretium, quibus venditus Hebræis Chriſtus à Juda proditore 458.
Arianorum hæreſis, Chriſtū humanâ anima fuiſſe deſtitutum, ejusque vices Verbum Divinum ſuppleviſſe 34.
Armenta, & oves in regionibus frigidiſſimis totâ nocte ſub dio pernoctare ſolitæ 155.
Artaxerſes Longimanus quo anno regnum inierit 295. occidit Artabanum regicidam *ibid.* in quem annum inciderit annus ejus regni ſeptimus *ibid.*
Artaxerſes non fuit unquam à patre Xerſe in regni cōſortium aſcitus 297. ejus edicta in favorem Judæorum de reædificanda Jeruſalem 299. & *ſeqq.* non ſtatim ab Hebræis executioni mandata, & quare *ibid.*
Aſcenſio Chriſti ad cœlum 512. *Vide Chriſtus.* fuit nobis utilior, quam ſi nobiſcum in terris perpetuò manſiſſet Servator 512. per eam confirmata eſt fides noſtra 515. effectus eſt charitatis noſtræ affectus erga cœleſtia *ibid.*
Aſinus in præſepe Chriſti Domini 156.
Aſſamonæorum genus extinctum ab Herode poſt devictum Antigonum 148.
Aſtronomicæ obſervationes, quo antiquiores, eo ſunt utiliores, & aptiores motibus cœleſtium corporum rimandis, & detegendis 109.
Aſtronomicas tabulas non habuere Judæi ante deſolationem urbis Hieroſolymitanæ 312. quomodo initia menſium ordinaverint *ibid.* quando tabulis hiſce uti cœperint 313.
Aſſyriorum, & Ægyptiorum Monarchiæ jam conditæ eſſe potuerunt Abrahami ætate, ab initio autem parvæ, tenues, & anguſtæ 108. earum initium, & duratio 109. & *ſeq.*
Audianorum, Deo corpus affingentium, hæreſis 521.
Auguſti Breviarium vitæ ſuæ ubinam repertum, & à quibus publicatum 129. & *ſeq.*
Auguſti edictum. *V. Deſcriptio, Cenſus, & Quirinius.* imperium diverſimodè, & per diverſa tempora, annosquè ordiuntur Hiſtorici Romani 206. Imperii epochæ, ſub quo natus eſt Chriſtus, per Chronologos diſtinguntur, & quænam 114. quo anno imperium iniit *ibid.* quo altero victor apud Actium *ibid.* edictum, ut deſcriberetur univerſus Orbis 119.
Auguſtini doctrina de morte Chriſti pro omnibus, & ſingulis hominibus 324. & *ſeqq.* nullo modo favet doctrinæ Janſenianæ 335.
Auguſtum inter & Antonium pax, & reconciliatio 114. ovantes Romam ingrediuntur *ibid.*
Auguſtus ter Jani templum clauſit 157. & *ſeq.* quando nam id tertiò clauſerit *ibid.*
Aureus numerus 559.
Authores Ethnici falsò derivaverunt Circumciſionem Judaicam à ſuperſtitione Cholcorum, & Ægyptiorū 192. itidem de ea ſententiâ arguuntur aliqui ex Heterodoxis 193. *V. Herodotus, Diodorus, Spencerus, Marshamus.*
Authores magni nominis non omnia ſcripſerunt, undique perfecta 268.
Auxilia ad ſalutem ſufficientia abundè eſt, ut omnibus Chriſtus offerat 340.
Azymorum diei verum principium 405. per ſeptem dies durabant azyma, in quibus nō licebat Hebræis comedere fermentatum *ibid.* hujus feſtivitatis inſtitutio, & inſtitutionis cauſa 406.

B

Bacchanalia à Paganis Kalendis Januariis celebrari ſolita, à SS.Patribus acriter inſectata, & Chriſtianis vetita 197.
Balaami prophetia, edita in Arabia, Arabibus Magis, quam aliis notior 177.

Ba-

Digitized by Google

Baptiſmus Chriſti probabiliter collatus omnibus Apoſtolis, & à quo 235.

Baptiſmum Chriſti probabiliter præceſſit integro fermè anno miniſterium S. Joannis Baptiſtæ. *V. Joannis.*

Baptiſmus Chriſti. *V. Chriſtus, Epocha.*

Baptiſmus Joannis non producebat caracterem, nec gratiam ſanctificantem 233. nec inſtitutus in remedium peccati *ibid.*

Baptiſmus quarè nuncupatus Sacramentum fidei 220. per eum remittuntur, ac penitùs delentur peccata *ibid.* poſt eum neceſſaria jugis ad Deum oratio 221.

Baptiſmus in parvulis ſola Dei gratiâ per meritum Chriſti operatur ad obtinendam gloriam vitæ æternæ 184.

Barcochebas Pſeudo-Meſſias 96. ejus mors 98.

Baronius improbatur in putatione annorum regni Herodis à pugna Actiacâ 115. 125. ejus duplex lapſus, non ſolùm in aſſignando anno Natalis proprii Chriſti, ſed in præfigendo exordio æræ Dionyſianæ 134. item lapſus alii Chronologici *ibid. & ſeq.* item lapſus in aſſignando ſecundo Conſulatu Cari, & primo Numeriani 578. 579.

Baſilii ſententia de virginitate B. Mariæ expoſita 28.

Beatitudo perfecta eſt ſita in clarâ, & intuitivâ viſione Dei 438. eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus *ibid.* Sanctorum incompleta uſque ad diem ultimi judicii, quo beatitudini animæ beatitudo corporis addetur 528.

Beatitudinis juſtorum dilationem uſque ad univerſale judicium docuere aliqui ex antiquis Patribus 526. reprobavit hujuſmodi ſententiam Eccleſia *ibid. & ſeq.* errorem hunc poſtliminio revocare auſus eſt Calvinus 527.

Beati in cœlis orant pro nobis 518.

Bellum ſacrum Duce Godofrido Bullionæo 474. Germanicum inchoatum anno Urbis Romæ 754. & anno 752. Armeniacum; non ergo anno 749. quo natus eſt Chriſtus pax Romani Imperii violata fuit 164. & 165.

Benedictini Congregationis S. Mauri laudantur de recenti, & caſtigatiſſimâ operum S. Auguſtini editione 33.

S. Bernardi non eſt germanus fœtus liber *de natura, & dignitate amoris* 373.

S. Bernardus expoſitus circa rectam intelligentiam ejus loci, ubi agit de viſione beatificâ, & ſtatu animarum ante diem judicii 533. 534.

Bethania duplex 219. una propè Hieruſalem, altera trans Jordanem, ubi fuit Joannes baptizans 219.

Bonorum operum neceſſitas à noſtri temporis hæreticis impugnata 403. *Vide Satisfactiones.*

Bos in præſepe Chriſti Domini 156.

C

Cadavera curandi varii ritus 462. *& ſeq.* à quibus illa aromatibus, & unguentis condirentur *ibid.*

Cæremoniæ, quæ in lege Moſaicâ continentur, à Deo præceptæ 189.

Cajani hæretici Judam proditorem miris laudibus, & honoribus proſequebantur 458.

Cajetanus non probatus circa annos ætatis B. V., quibus concepit Chriſtum Dominum 40.

Cainanis nulla mentio in textu Hebraico 99. nec in textu Samaritano, nec in antiquis ſacræ Scripturæ verſionibus, Syriacâ, Arabicâ, Chaldaicâ, & Vulgatâ *ibid.* in Euangelium S. Lucæ non irrepſit. Illius generationis adjectio non variat Chronologiam, quæ Abrahamum inter & diluvium deſcribitur in textu Hebræo, & in editione Vulgata 100. 101.

Caiphas, quo anno Joannes ſuum auſpicatus eſt miniſterium, erat ſummus Pontifex Hebræorum 232.

Digitized by Google

Caligula imaginem ſuam in templo Hieroſolymitano collocare tentavit, idque ſuo numini dicare molitus eſt 140. *& ſeq.*

Calvini hæretica ſententia, quod Chriſtus mortuus ſit pro ſolis prædeſtinatis, excluſis penitùs reprobis à beneficio redemptionis, refertur, & refellitur 319. 320. blaſphemia, Chriſtum deſcendiſſe ad infernum in locum ſceleratorum, ſponſorem, vadem, & inſtar rei, ac diros in anima cruciatus damnati hominis pertuliſſe, refellitur 476.

Calviſius *Sethus* minimè probatur circa annum baptiſmatis Chriſti Dñi 216.

Canon Chronologicus 580. *& ſeqq.*

Captivitatis Babylonicæ initium 594. 596. finis *ibid.*

Cariſiaci Concilii capitula de voluntare Chriſti ſalvandi impios, qui à mundi exordio uſque ad paſſionem Domini in impietate ſuâ mortui ſunt, exponuntur, & erroris immunia oſtenduntur 348. & circa ea mens Lugdunenſis Eccleſiæ, qualis fuerit, oſtenditur *ibid.* 349. 350.

Caro Chriſti poſt Reſurrectionem è paſſibili, & mortali evaſit impaſſibilis, & immortalis, non tamen (quod Eutychianum eſt) in Deitatem transformata 496.

Caſaubonus reprobatus circa tempus, quo tertiò clauſum manſit templum Jani ſub Imperio Auguſti 156. *& ſeq.*

Catharinus *Ambroſius*, & ejus ſententia de juſto, qui poſſit habere certitudinem abſolutam de ſua juſtitiâ, exploſa à Scholâ Thomiſtica, à qua ipſe deſciverat 366. 367. expoſtulatus coram Summo Pontifice ob plures ejusdem novas, & peregrinas aſſertiones *ibid.*

Celſi Ethnici dira blaſphemia contra B. Mariæ virginitatem & honeſtatem 23. refellitur *ibid.*

Celſus Chriſtum ex Regis Davidis ſanguine ſatum eſſe negavit 52. contra Celſum ſcripſit Origenes *ibid.*

Cenſum univerſi Orbis ſub Auguſto indixit Quirinius, continuavit Sentius Saturninus, perfecit Quintilius Varus anno quadrageſimo Imperii Auguſti, quo natus eſt Chriſtus 130.

Cenſus univerſi Orbis ter indictus ab Auguſto 129. 130. per ſecundum, qui ab eodem fine collegâ editus eſt, indicatur verum & proprium Natale Chriſti *ibid.*

Cerinthus millenariorum hæreſis author 526. 548.

Chaldæi ab Ægyptiis ſuam ducunt originem 111. eorum Chronologia cum calculo Hebræorum conciliari poteſt *ibid.* quot annis perſtiterit eorum imperium *ibid.*

Chaldæorum, & Ægyptiorum hiſtoriæ fabuloſis antiquitatibus plenæ 109. probatur ſolidiſſimis argumentis *ibid.*

Characteres anni natalis Chriſti tres per Euangeliſtas conſignati 113.

Chriſtiani primo, & ſecundo Eccleſiæ ſæculo linguam Hebraicam callebant 97.

Chriſtiani, & Judæi è Hieroſolyma penitùs expulſi ab Adriano Imperatore 98.

Chriſtiani redarguuntur, qui theatra frequentant, & res ludricas, libroſque inutiles, & ſaluti noxios omninò legunt; lectionem verò Euangelii prætermittunt 254.

Chriſti. *V. Corpus Chriſti.*

Chriſti acta à Pilato ad Tiberium, & à Tiberio ad Senatû, expenduntur 309. anima habuit in parte ſuperiori ſummum fruitionis gaudium, etiam dum corpus atrociſſimos in cruce dolores pateretur 439. Conceptio miraculoſa, & ſupernaturalis 31. *& ſeqq.* Corpus ante Reſurrectionem incorruptibile fuiſſe error fuit Juliani Halicarnaſſi Epiſcopi 472. ſi violenter non fuiſſet occiſus Chriſtus, ejus Corpus in ſenium veniſſet, naturaliter mor-

Digitized by Google

mortuum, ac cadaver naturâ ſua in cineres ſolutum, ni divina virtus obſtitiſſet *ibid.* crucifixionis hora 315.

Chriſti divinitas aſſerta contra Arianos, & Socinianos 228. doctrina qualibet aliâ excellentior 251. cœleſtis, & divina *ibid.* digito Dei inſcripta in cordibus noſtris 252. vera, ſimplex, facilis, expedita *ibid.* ſanctitatem habet à ſuo Legiſlatore *ibid.* carnalibus cupiditatibus, & ſenſibus oppoſita eſt *ibid.* licet ſenſibus inviſa ſit, & rationi propter myſteria, quæ credenda proponit, impervia, attamen crevit, & de idololatria triumphavit 253. Prophetarum oraculis, & omnium figurarum adimpletione confirmata, prodigiiſque comprobata *ibid.* ab ipſo Chriſto conſtanter propugnata, ab Apoſtolis per totum orbem promulgata *ibid.* genealogia ſecundùm carnem Hebræis notiſſima 52. *& ſeqq.*

Chriſti genealogiam minimè texuit Lucas per lineam Sacerdotalem 55. reſpondetur objectionibus *ibid.*

Chriſti genealogia cur ducta à Matthæo, & Luca uſque ad Joſephum, qui ejus pater naturalis non erat 59. *& ſeqq.*

Chriſti genus ex ſtirpe Abrahæ, & Davidis Regis quinam impugnarint. *V. Ethnici, Heretici, & Judæi.*

Chriſti genealogiæ diſcrepantiæ inter Matthæum, & Lucam apparentes, & earum conciliatio. *V. Matthæus, & Lucas.* miracula à Joſepho Hiſtorico aſſerta 271. *& ſeqq.* agnita etiam ab Imperatoribus Ethnicis *ibid. V. Tiberius, Adrianus, Alex. Severus, M. Aurelius, & Julianus.* mors fuit verum, ac propriè dictum ſacrificium 389. *& ſeq.* Sacerdotium ſecundùm ordinem Melchiſedech, in quibus præſtantiùs Sacerdotio Aaronis *ibid.* mors Ethnicis ſignificata fuit, & quomodo 444. *& ſeq.*

Chriſti narale Dionyſianum, ſeu vulgare, & commune, quomodo à vero, & proprio ejuſdem natali diſtinctū 116. variæ de eo ſententiæ referuntur *ibid.* ejus epocha quænam probabilior 117. natalitius annus tribus characteribus per Euangeliſtas conſignatus 113. quinam hi characteres *ibid.* nativitatis circumſtantiæ 154. *& ſeqq.* probant eſſe verum Meſſiam 156. *& ſeqq. V. Meſſias.* nativitatis manifeſtatio. *V. Incarnationis.*

Chriſti opera meritoria habuere bonitatem, & dignitatem infinitam in genere moris, non phyſico 401. fuere theandrica *ibid.* in paſſione omnium virtutum clariſſima exempla habemus 402. patientia quanta inter ſæviſſimos paſſionis ſuæ cruciatus 443.

Chriſti Regnum quale ex reſponſis propinquorum Chriſti Servatoris noſtri factâ Domitiano Imperatori 37.

Chriſti ſanguis etiam pro Iuda effuſus 333.

Chriſti Sepulcrum adhuc extat 473. multas variis temporibus viciſſitudines ſuſtinuit *ibid.* profanatum ab Adriano *ibid.* a Conſtantino inquiſitum, & ſplendido templo decoratum *ibid.* concurſu plurimo fidelium veneratum 474. iterum profanatum a Coſrhoe Rege Perſarum *ibid.* adhuc priſtinæ venerationi reſtitutum *ibid.* à Saracenis impiè occupatum, à Duce Godefrido Bullionæo, bello ſacro contra Barbaros ſuſcepto, eiſdem ereptum *ibid.* poſtremò à Saracenis, & Turcis detentum *ibid.*

Chriſti Transfiguratio divinitatem ejus, & Sanctorum gloriam præmonſtravit. 284. in quo monte facta fuerit *ibid.* cur transfiguratus Chriſtus *ibid.* & quomodo 285. ejus claritas fuit gloriæ, quantum ad eſſentiam, ſed non quantum ad modum *ibid.* & 286. teſtium de eadem convenientia 287. *V. Mons, Claritas, Corpus, Facies.*

Chriſtum, & Apoſtolos omni caruiſſe dominio, nec in ſpeciali, nec in communi aliqua bona poſſediſſe, tanquam

hæreticum dogma proſcriptum 230.
Chriſto aſcendente non dicuntur ampliùs portæ cœli aperiri, ſed attolli, & elevari 514. parata nobis via, aditusque ad regnum cœlorum *ibid.* baptizato, & orante conveniens fuit, ut aperirentur cœli 220. hujus rei triplex congruentia *ibid.*& 221. qualis eorum apertio *ibid.* deſcenſus Spiritus Sancti in eum ſub ſpecie item conveniéntiſſimus ex quadruplici ratione 221. 222. & cur ſub ſigno ſenſibili 224.
Chriſtum in Cruce mori convenientiſſimum fuit 446. convenientiæ hujuscemodi rationes *ibid. & ſeqq.* fantaſticum corpus aſſumpſiſſe effutierunt Manichæi 436.hominem tantùm fuiſſe, qui nam hæretici aſſeruerint 235. ad inferos deſcendentem nec bonitati, nec juſtitiæ, nec ſapientiæ, nec potentiæ ſuæ quicquam detraxiſſe, non liberando damnatos, aſſeritur 485. pœnas peccatis noſtris debitas in ſe ſuſcipere, & pati pro liberatione generis humani, non fuit ſimpliciter, & abſolutè neceſſarium. 403. ſed neceſſitate conſequentiæ, & infallibilitatis 404.
Chriſtum promiſcuè, indifferenter, ex æquo, & eodem planè ſenſu,& modo, tam pro reprobis, quàm pro electis mortem ſubiiſſe, palmaris fuit Semipelagianorum error 319. mortuum eſſe pro ſolis prædeſtinatis, penitus excluſis reprobis à redemptionis beneficio,hæreſis Calviniana *ibid.* itemque Ianſeniſtica *ibid.& ſeq.*ubi eadem reprobatur *ibid.* pro omnibus, & ſingulis hominibus ſanguinem ſuum fudiſſe, ac mortuum eſſe, dogma fidei eſt 324. *& ſeqq.* probatur ex Scriptura, Conciliis, Summis Pontificibus, & Sanctis Patribus *ibid.& ſeqq.*
Chriſto reſurgente, qui reſurrectionis noſtræ cauſa efficiens eſt, non neceſſe fuit, ut è veſtigio omnes mortui reſurgerent, & cur 511.eũ ſepeliri conveniens oſtenditur 462. 463. juxtà ritum Iudæorum *ibid.*
Chriſtus agnitus fuit ab ejus crucifixoribus. *V. Crucifixores.*
Chriſtus ſecundùm naturam divinam fuit ſine matre, ſecundùm naturam humanam ſine patre 19.reſpondet typo Melchiſedechi *ibid.* natus ex Virgine, prout Prophetæ vaticinati *ibid. & ſeqq.* & docuerunt Euangeliſtæ 20. non dicitur aperuiſſe naſcendo vulvam matris per fractionem, vel apertionem, ſed divino miraculo perviam feciſſe, integris remanentibus pudoris Virginei ſignaculis 31. eodem momento, quo B. Virgo Gabrieli præbuit aſſenſum,Spiritus Sancti operatione illapſus ejus utero, corpore integro, omnibusque organicis membris abſolutus 34. in inſtanti conceptionis, non ſolùm integrè formatum ejus corpus fuit, ſed inſuper eodem momento animatum animâ rationali *ibid.*
Chriſtus in inſtanti conceptionis ſuæ fuit verus Sacerdos 36.non verò poſtquam à mortuis excitatus cælos aſcẽdit, ſicut impiè docuit Socinus *ibid.* in momento ſuæ conceptionis verum ſacrificium Deo Patri cœpit offerre *ibid.* in inſtanti ſuæ conceptionis fuit etiam Rex regni ſpiritualis, & æterni *ibid. &* 37. in eodem momento conceptionis non ſolùm ſanctus ſanctitate accidentali per gratiam habitualem, ſed ſanctitate ſubſtantiali à Verbo Divino,naturæ humanæ Chriſti ſubſtantialiter unito, profecto 37. 38. habuit gratiam capitalem *ibid.* præditus fuit ſcientia divinâ, quatenus Deus;ſcientiam acquiſitam,ſcientiam infuſam, & ſcientiam beatam habuit quatenus homo *ibid.* habuit perfectum intellectus, & voluntatis uſum *ibid.* conceptus die 25. Martii *ibid. &* 39. non aliter, ut aliqui cenſuc-

Digitized by Google

ſuere *ibid.* quo anno conceptus 40. quo die natus *ibid.* quomodo dicatur conceptus de Spiritu Sancto, non tamen ſit, nec poſſit eſſe ejus filius 42. non adoptione, ſed natura filius Dei *ibid.* non fuit in Adamo ſecundùm ſeminalem rationem, ſed ſecundùm corpulentam ſubſtantiam 46. proficere dicebatur ſapientiâ quoad actum, non quoad habitum 48. & ejus profectus non aliud erat, quam manifeſtatio divinæ illius ſapientiæ,& ſcientiæ,quæ inſtar theſauri erant in Chriſto abſconditæ 49. verè ortus ex ſtirpe Abrahæ, & Davidis, ac ſubinde ex tribu Iuda 51. *& ſeqq. V. Meſſia.* ex Manichæorum hæreſi nequaquam ad ſtirpem Davidis, & tribum Iudæ pertinuit 54. diſpellitur error *ibid.* ſecundùm corporalem ſubſtantiam fuit in Adamo, ſicut in principio activo; non autem ſicut in materiali principio 56. ſumpſit materiam ex Virgine Maria, non formatam in corpus ſuum per virtutem ſeminis ab Adamo profectam, ſed per ſolam Spiritus Sancti operationem *ibid.* non fuit decimatus in lumbis Abrahæ *ibid.*

Chriſtus Dominus natus eſt eo tempore, quo Regia dignitas, Hebræis ablata, ad alienigenam tranſivit 138. natus media hyeme, die 25. Decembris, ſub frigidam mediæ noctis auram 154. non menſe Septembri, vel Aprili, ut legitur apud aliquos novatores 155. quorum fundamenta evelluntur *ibid.* nec menſe Januario *ibid.* in ſpelunca inter bovem, & aſinum 156. quibus repugnant aliqui, quorum argumenta refelluntur *ibid.* traditio Eccleſiæ aſtruitur *ibid.* cur in ſacra Scriptura Nazaræus, & Galilæus ſæpiùs appelletur 159.

Chriſtus, quà homo eſt, exercuit dominium ſpirituale, & internum ſuper Iſrael 165. qua Deus erat, utrumque, temporale ſcilicet, & ſpirituale *ibid.* pavit Iſrael per ſuam doctrinam, miracula, & gloriam paſſionis *ibid.*

Chriſtus natus, & mortuus eſt ad redimendum totum genus humanum 167

Chriſtus propria voluntate circumciſionem ſuſcepit, licet immunis à peccato originis, cujus illa erat remedium, plurimis ex cauſis 193. nequaquam ſubditus legi de præſentatione primogenitorum in templo, & de oblatione ſacrificii ad expiationem peccati, legem ipſam ultrò ſubivit *ibid.* baptizatus 6. Ianuarii anni decimi ſexti imperii Proconſularis Tiberii 203. qui concurrit cum anno trigeſimo tertio ineunte ætatis Chriſti *ibid.* probatur,& argumenta in contrarium diluuntur *ibid. & ſeqq. V. Epocha.* quo anno prædicare cœperit 204. poſt ſuſceptum Baptiſma quatuor Paſchata peregit 216. contrariæ de hac re refelluntur opiniones *ibid. & ſeq.* baptizatus die ſexta Ianuarii 217. non die octava Septembris *ibid.* à Ioanne, & quibus de cauſis id expediverit 218.

Chriſtus Filius Dei naturalis, non adoptivus aſſeritur contrà Felicem Urgelitanum, & Elipandum Toletanum 229. quid in infantia, & adoleſcentia ſua peregerit *ibid.* erat ſubditus parentibus ſuis *ibid.* quam nam artem, ſeu vitæ inſtitutum eo tempore exercuerit *ibid.* variæ de hac re ſententiæ *ibid. & ſeq.* nunquam mendicitatis ſtatum amplexus eſt *ibid.* artem fabrilem ad trigeſimum ætatis annum exercuit *ibid.* an ferrariam, an verò lignariam 230. 231. cur tantùm anno ſuæ ætatis trigeſimo ad Baptiſmum acceſſerit 234.

Chriſtus convenienter fuit a diabolo tentatus in deſerto poſt jejunium quadraginta dierum, & totidem noctium 236. ei tentationi voluntariè ſe ſubdidit ad victoriam *ibid.* delegit ad id deſertum, & cur 237. *& ſeq.* cur præmi-

Digitized by Google

miſerit jejunium ante tentationem *ibid.* & 139. trina tentatione convenienti ordine fuit rentatus *ibid.* quomodo in monrem excelſum viſibiliter, an inviſibiliter à diabolo ductus, an terreſtri itinere, aut per aera 242. realiter, & non imaginariè tanrùm tentatus 243. poſt ſuſceptum Baptiſma converſatus fuit cum hominibus per triennium, & cur *ibid.* & 244. ſeſe ſubtraxir interdùm à turba hominnm, & quibus ex cauſis *ibid.* & 245. elegit vitam activam *ibid.* veteris legis præcepta ad unguem, & jugirer ſervavit *ibid.* popularé vivendi rationem inrer homines egit 246. paupertati voluntariæ ſe addixit 247. nunquàm violati Sabbati reus rectè dici potuit à Iudæis 248. quædam in occulto, & per parabolas loquurus eſt 254.

Chriſtus convenienter per ſe ipſum docuit Iudæos, non obſtanre offenſione Scribarum, & Phariſæorum 255. probatur rationibus, & Scriptura *ibid.* & 256. prædicavit apud ſolos Iudæos *ibid.* Apoſtolos ad genribus prædicandum non permiſir abire, niſi poſt ſuam paſſionem *ibid.* inter gentiles nónullos admiſit, & ſuæ doctrinæ luce illuſtravit, cur, & quos *ibid.* & 257. quomodo Phariſæos objurgaverir *ibid.* & 258. ex quibus cauſis doctrinam ſuam ſcripto non tradidit, nec rradere debuit 259. eum aliquos ſcripſiſſe libros, magicas artes continentes, mentiti ſunt aliqui ex Erhnicis 259. 260. vera edidit miracula 270. ad complementum oraculorum Propheticorum, ad veritem ſuæ doctrinæ confirmandam, ad Iudæorum converſionem *ibid.* & 271. *&* *ſeq.* virtute divina miracula edidit 274. quod nam maximum miraculorum patraverit *ibid.* conrraria Iudæorum refelluntur argumenta *ibid.* *&* *ſeq.* per miracula ſufficienter ſuam diviniratem comprobavit 277. petentibus, & credentibus miracula conceſſit 279. in iis patrandis non propter neceſſitatem ſuffragii, ſed propter exemplum orationem præmiſit *ibid.* nec tamen ſemper *ibid.*

Chriſtus non habuir duas formas 285. transfiguratus citrà ullam, vel ſubſtantiæ, vel corporis mutationem *ibid.*

Chriſtus occidi debuit in medio hebdomadis Septuageſimæ juxtà vaticinium Danielis 296. calculus *ibid.*

Chriſtus dum plenam ſuperabnndantem ſatisfactionem pro peccatis noſtris impendir, non intendir, ut homines negligenter, & oſciranter vitam ſanctis operibus vacuam tranſigerent 402.

Chriſtus non mortuus eſt anno ætatis ſuæ trigeſimo primo, nec ſupra quadrageſimum 303. *&* *ſeqq.* paſſus eſt anno rrigeſimo rertio ineunte 305. *&* *ſeqq.* baptizatus anno ætatis ſuæ trigeſimo ineunte 306. poſt baptiſmum quaruor tanrùm peragit Paſchata *ibid.* probationibus plurimis aſtruitur *ibid.* *&* *ſeqq.* ſententia de anno rrigeſimo ſeptimo omninò reprobatur 308. paſſus die 25. Martii *ibid.* cui contrariâ ſententia, uri erronea damnata *ibid.* quando mortuus eſt non declinabar in ſenium 309. 310. eclypſis Solis tempore ejus mortis *ibid.* paſſus Luna decima quinta 311. 312. cur Hieroſolimis pati, & mori voluerit 317. 318. & in publico damnatorum loco crucifigi *ibid.* qualiter in ſenſu catholico dicatur mortuus tam pro prędeſtinatis, quàm pro reprobis 322. & 332. *&* *ſeqq.* vera, & ſincera voluntate anrecedente mortuus eſt pro infantibus, vel in utero matris mortuis, vel vix natis ex hac vita migrantibus ſine baptiſmo 340. demonſtratur *ibid.* non oravit pro reprobis, quorum futuram damnationem noverat, oratione profecta ex voluntare

ab-

abſoluta, efficaci, & conſequente, ſed ex voluntate antecedente, & generali ſalutis eorum 339. abundè eſt, quod auxilia ad ſalutem ſufficentia offerat, non neceſſe ut omnibus promiſcuè conferat 340. per mortem, & paſſionem ſuam verè, & propriè homines redemit, & cumulatiſſimam Deo Patri pro eorum peccatis exhibendo ſatisfactionem 383. & ſeqq. ex charitate, & obedientia patiendo majus aliquid Deo exhibuit, quam exigeret recompenſatio totius offenſæ generis humani *ibid.* impoſitam pœnam in ſe ipſo voluntariè ſuſcepit *ibid.* plus pro nobis ſolvit, quam debebamus 384.

Chriſtus ſimul fuit Sacerdos & hoſtia 390. & ſeqq. hoſtia pro peccato, hoſtia pacifica, & holocauſtum *ibid.* fuit in terris Sacerdos, prout erat homo, Verbo Divino ſubſtantialiter conjunctus 391. & ſeqq. non verò præcisè quatenùs homo, nec præcisè quatenùs Deus erat *ibid.* perſolvit pretium Redemptionis noſtræ æterno Patri 392. non habuit indifferentiam contrarietatis ad bonum, & malum 398. habuit liberam poteteſtatem ſeligendi media ſervato ordine finis *ibid.*

Chriſtus anno, quo mortuus eſt, Paſcha celebravit, hoc eſt, comedit Agnum Paſchalem die decima quarta menſis Niſan in ſecundis Veſperis 407. & ſeqq. 419. 420.

Chriſtus crucifixus à Iudæis die feſto, ſeu primo azymorum die 423.

Chriſtus, aſſumendo naturam humanam non ſolùm corporis ſumpſit defectus, ſed etiam animæ paſſiones, & naturam hominis, immunem tamen ab ignorantia, & ab omni vitiorum depravatione, immò à fomite peccati 431. tàm in anima, quàm in corpore verè paſſus eſt dolores acutiſſimos 432. & ſeqq. *V. Iſaia, & Dolorum.* quomodò timuiſſe, ac non voluiſſe mortem dicatur 435. 436. quomodò etiam eam voluiſſe, & non timuiſſe *ibid.*

Chriſtus ad ſatisfactionem pro peccato, quo infecta erat natura humana, illos defectus aſſumpſit, qui conſequuntur ex peccato communi totius naturæ, ideſt, originali, dummodò non repugnarent perfectioni ſcientiæ, & gratiæ 437. nec pertulit morbos, qui ex hominum culpa originem trahunt *ibid.*

Chriſtus in Cruce exaltatus, ut omnibus gentibus innoteſceret 446.

Chriſtus crucifigi voluit inter duos latrones, & quibus ex cauſis id voluerit 455. 456.

Chriſtus, ſuæ ſepulturæ curatores habuit Ioſephum Arimathæum, Senatorium virum, & Nicodemum Principem Iudæorum 463. aromatibus, & unguentis conditum ejus corpus 464. linteis involutum, & inſtitis obvinctum *ibid.* ſepultum in horto, & in monumento novo exciſo in petra, & quare *ibid.* & 465. quamdiù remanſerit in ſepultura 471. ejus corpus in ſepulcro minimè fuit corruptum, & in cineres ſolutum 472.

Chriſtus non deſcendit ad inferos ſecundùm corpus, ſed in anima 475. *V. Anima Chriſti*: non tanquam pœnæ debitor, ſed ut juſtos è limbo in libertatem aſſereret, & beatitudine donaret *ibid.* & ſeqq. huiuſmodi deſcenſus eſt inter dogmata noſtræ fidei nobis propoſitus 476. *V. paſſionis virtus*: ſuam virtutem manifeſtavit in inferno, & quomodo *ibid.*

Chriſtus in ſuo aſcenſu in Cœlum ſecum evexit iuſtorum animas, quas è limbo eduxit 478. ad inferos deſcendens iis tantùm impertivit ſalutem, qui fidei, & juſtitiæ merito dignos, dum viverent, ſe tanto beneficio præbuerunt 479. non omnes juſtos, qui in Purgatorio erant detenti, liberavit, & quos 480.

Chri-

Chriſtus in deſcenſu ad inferos prædicavit damnatis, non ut illos conveteret, ſed ut eorum infidelitatem confutaret 482. in triduo mortis non fuit ſimpliciter homo propter ſeparationem animæ, ſed tamen Sacerdos, quia eſſe Sacerdotem convenit homini ratione animæ, in qua eſt ordinis character, qui non amittitur per mortem 490.

Chriſtus à mortuis verè ſurrexit 491. *V. Judæorum*. De eo teſtimonia, & argumenta afferuntur *ibid. & ſeqq.* poſt reſurrectionem verum habuit corpus & integrum 495.

Chriſtus poſt Reſurrectionem cibum, & potum cum Apoſtolis ſumpſit, & quare 502. verè comedit, & bibit *ibid.*

Chriſtus, ut è mortuis reſurgeret, neceſſarium fuit 502. *& ſeqq.* quarè dictus primogenitus ex mortuis *ibid.* non repulit à contactu ſui corporis Magdalenam, ſed cunctantem excitavit, ut ad Apoſtolos, ejus Reſurrectionem nunciatura, maturaret iter 504.

Chriſtus aſcendit ad cœlum 512. ſua propria præpotenti virtute divina, & virtute etiam animæ beatæ *ibid.* unà ſecum Sanctorum animas, quæ è limbo eduxerat, in cœlum evexit *ibid.* ſua pedum in monte veſtigia reliquit impreſſa *ibid.* ei conveniens, ut poſt Reſurrectionem in cœlum aſcenderet 513. 514. eius corpus propter dignitatem unionis hypoſtaticæ in loco ſublimiori conſtitutum *ibid.* quo pacto potuerit penetrare cœlos *ibid.* ut in cœlum aſcenderet, saluti noſtræ neceſſarium fuit 514. quod rationibus plurimis probatur *ibid. V. Chriſto.*

Chriſtus poſt ſuam Aſcentionem in cœlum jugiter pro nobis interpellat ex natura humana, quam ſecum intulit, ut Deus noſtrûm miſereatur 515. ſedens ad dexteram Patris fungitur officio Sacerdotis, & orat pro nobis 516. 517. æternum geſtat Pontificatum *ibid. V. Pontificatus, & Sacerdotium.*

Chriſtus uſque ad finem ſæculorum erit nobiſcum præſentiâ ſuæ divinitatis 515. idque variis modis *ibid.*

Chriſtus in cœlis orat pro nobis 518. idque peragit ut homo ſubſiſtens in perſona divina *ibid.*

Chriſtus non dicitur ſedens ad dexteram Patris, quo ad ſitum, & figuram corporis, ſeu humanam formam, ſed quoad ſummam beatitudinem 520. 521. dicitur hæc ſeſſio à dextris tantùm de Chriſto, tanquam eximium, & ſingulare ejus privilegium, nunquam autem de Sanctis *ibid.*

Chronologia à Mundi exordio ad diem Natalem Chriſti præferenda, quæ ex fonte Hebraico, & noſtra vulgatâ Scripturæ ſanctæ verſione educitur 89. *& ſeqq.*

Chronologiam Textus Hæbrei nunquam de induſtria corruperunt Iudæi 92. probatur invictis fundamentis *ibid.*

Chronologia Textus Hebraici ab Eccleſia Romana probata 92. ei cohæret editio vulgata *ibid.* non item verſio Septuaginta Interpretum *ibid. & ſeq. V. Eccleſia Romana, Congregatio Bibliorum, Congregatio Indicis.*

Chronologia LXX. Interpretum multis mendis ſcatet 93. horum autem expers textus, & fons Hebraicus *ibid.*

Chronologiæ elementa, ſeu principia 555.

Chronologicus *V. Apparatus, & Canon.*

Circumciſio quando nam à Deo inſtituta 189. quando ejuſdem lex renovata *ibid.* præcepta fuit Abrahamo in ſignum fœderis, quod erat de ſemine naſciture 195. eadem, per abſciſſionem pelliculæ in membro genitali facta, ſignificavit expoliationem vetuſtæ generationis per paſſionem Chriſti *ibid.* cujus figuræ veritas non fuit plenè impleta in ipſa ejus nativitate, ſed benè

benè in paſſione *ibid.* tempore paſſionis tantùm cum reliquis cæremoniis fuit mortua, & poſt ſufficientem promulgationem Euangelicæ legis mortifera evaſit *ibid.* impleta fuit in Chriſto cum adhuc vigebat, & ſub præcepto erat *ibid.* in veteri lege ordinata in remedium peccati originalis 193. eam tamen ultrò ſuſcepit Chriſtus, & quare 194. Hebræorum non eſt ad eos derivata ex ſuperſtitione Gentilium. *V. Authores*. Chriſti octava die ab ejus Nativitate 186. in ea Divino Infanti nomen auguſtiſſimum JESU impoſitum *ibid. V. JESU*.

Circumciſionis Iudaicæ ritus omninò diſcrepant à ritibus circumciſionis Gentilium 192. inſtitutio multò antiquior *ibid.* affinitas ejuſdem inter Iudæos, & Ægyptios, ex quo verè proceſſerit 193. ejus diſcrepantia, in quibus conſiſtat. *V. Ægyptiorum*. feſtivitas antiquiſſima in Eccleſia 197. eidem antiquitùs annexum jejunium *ibid.* & cur *ibid.*

Claritas Chriſti in Transfiguratione fuit claritas glorioſa 284.285.286.

Claritas ad corpus glorioſum redundabit ab anima inſtar qualitatis permanentis, corpus afficientis 286. in transfiguratione Chriſti per modum paſſionis tranſeuntis *ibid.*

S. Clemens Alexandrinus exponitur, ac defenditur, quod non ablegavit à Chriſto omnes penitùs animę affectiones 440. *& ſeqq.*

Clementi XI. feliciter regnanti vitæ longævitas optatur 328.

Cleophas frater Ioſephi Sponſi Virginis Deiparæ 29.

Clinici. *V. Adulti*.

Codicis Hebræi calculus calculo LXX. Interpretum præponendus 160.

Cœli aperti Chriſto baptizato, & orante. *V. Chriſto.* qualis eorum apertio fuerit 221.

Cœlum Empyreum ſecundùm aliquos ſphœricum, ſecundùm alios planum, & quadratum 514. an detur, & qui locus in eo altior *ibid.* juſtis per paſſionem Chriſti reſeratum 478.

Colchi circumcidebantur 192. *V. Circumciſionis.*

Columba typus Spiritus Sancti 221. 222. an vera, in qua apparuit Spiritus Sanctus in Chriſtum baptizatum 225. *& ſeq.*

Comeſtio, quæ fit ab Angelis in corporibus aſſumptis, non eſt vera, ſed apparens 502.

Concentus admirabilis inter vetus, & novum teſtamentum 261.

Conceptio Chriſti Domini miraculoſa, & ſupernaturalis 31. *& ſeqq.* & 37. prodigiis, donis, & privilegiis condecorata *ibid. & ſeq.* quo die facta ſit 38.

Conceptionis Chriſti opus, etſi toti Trinitati commune, nihilominus Spiritui Sancto ſpeciatim aſſeritur 50. feſtum *V. Annunciatio.*

Conditio *ſi Deo placeret*, in voto Virginitatis non minuit propoſitum, ſed addit meritum obedientiæ 15. *& ſeq.*

Congregatio Bibliorum ſub Greg. XIV. ſanxit in emendandis ſacris Bibliis Codices Hebræos ſemper præponendos eſſe Græcis 93. ejuſdem Congregationis acta manuſcripta ubi ſerventur *ibid.*

Congregatio Indicis damnavit tertium librum S. Iuliani Toletani, declarando omnibus certum eſſe debere Eccleſiam in editione vulgata approbare annorum, & chronologiæ rationem, quæ eſt in Codicibus Hebraicis 92. itē Antonii Contii obſervationes, quod nimio ſtudio in iis LXX. Interpr. Chronologiam tueretur, & eam, quę legitur in fontibus Hebraicis, & editione vulgata incautè labefactaret 93.

Connubia vetita apud Hebræos extra propriam tribum, quomodo limitentur, & quibus caſibus permiſſa 57. 63. 64.

Conſtantinus ſub finem vitæ baptizatus in ſuburbiis Nicomediæ 220.

Contii *Antonii* obſervationes cur à Sacra Indicis Congregatione cenſoria nota confixæ 1 *V. Congregatio Indicis.*

Coponius, primus Iudææ Procurator Roma miſſus cum jure gladii 146.

Corpus Adami venuſtum, & omnibus numeris abſolutum 43.

Corpus aſcendere ſurſum eſt contra naturam humani corporis in præſenti ſtatu 512. non ita corporis gloriam adepti *ibid.*

Corpus Chriſti in inſtanti conceptionis non ſolùm integrè formatum fuit, ſed animatum anima rationali 33. *& ſeqq.* in inſtanti conceptionis unitum Verbo Divino, Deus, & homo 35. ſecundùm aliquos indecoræ, & illiberalis formæ 43. non tamen deforme *ibid.* *& ſeq.* pulchrum, & elegans ad tempus 44. in Transfiguratione reſplenduit fulgore ex Divinitatis majeſtate, & ex animæ beatitudine dimanante 285. caruit uſque ad Reſurrectionem dotibus corpori glorioſo debitis 285.

Corpus Chriſti viventis fuit idem numero, ac Chriſti morientis, non identitate formæ, ſed identitate ſuppoſiti 467. 468.

Corpus Chriſti quamdiù remanſerit inſepultum 471. minimè corruptum, & in cineres ſolutum fuit 472. ante reſurrectionem nequaquam fuit incorruptibile *ibid.* in cineres ſolutum eſſet, ni divina virtus obſtitiſſet *ibid.* fuit corruptelæ obnoxium *ibid.* *V. Chriſti.*

Corpus Chriſti poſt Reſurrectionem exangue remanſiſſe, ac ſubindè vinum in Euchariſtia non poſſe converti in ejus ſanguinem, Calvinianum eſt 491.

Corpus Chriſti poſt Reſurrectionem non remanſit exangue 495. non fuit naturæ cœleſtis, & æthereæ *ibid.* fuit poſt eandem Reſurrectionem glorioſum contra hæreticum Socinum 496. habuit, ac ſervavit cicatrices, ſeu vulnera, quibus confixum eſt tempore paſſionis *ibid.* *&* 497. *V. Caro Chriſti.*

Corpus Chriſti poſt Reſurrectionem quomodò intrarit janvis clauſis ad diſcipulos 499. 500. exponitur ex Patribus contrà Calvinum, & alios Hæreticos *ibid.* quomodò aliquandò, licèt verum, & integrum, ab oculis diſcipulorum evanuerit *ibid.*

Corpus Chriſti glorioſum poſt Reſurrectionem habuit verum ſanguinem ſecundùm ſubſtantiam 500. 501. de eo ſententia Sancti Auguſtini expoſita, ac illuſtrata *ibid.* fuit lucidum, ſed tale non apparuit Apoſtolis, quia potiſſimùm eis voluit Chriſtus veritatem carnis, quæ pro nobis paſſa eſt, oſtendere 502.

Corpus Chriſti. *V. Chriſtus.*

Corpora ab Angelis aſſumpta non ſunt viva, & animata 502. virorum in extremo judicio in ſexu virili, & corpora mulierum in ſexu fœmineo reſurgent 511.

Corporis defectus qui fuerint in Chriſto, naturam humanam induto 431.

Correctio anni. *V. Anni.*

Coſrhoes Perſarum Rex Palæſtinam adoritur, Hieroſolymam capit, Crucem Domini cum aliis theſauris abducit 474.

Criticorum conjectura de mendo vulgatæ æditionis in verbo *Bethania*, ubi agitur de Baptiſmo Chriſti, nequaquam ſequenda 219.

Crucifixores Chriſti, & qui in ejus mortem conſpiraverunt, eum agnovere 457. graviſſimè peccaverunt, utpotè Deicidæ *ibid.* qui nam gravius ex iis peccaverint *ibid.*

Crux in laxa ſignificatione, de quibus intelligatur 445. propriè dicitur de ligno erecto, ex quo ille, qui cruciandus eſſet, ſuſpendebatur *ibid.* ſupplicium maximè infame apud Roma-

Digitized by Google

manos *ibid.* portabatur à reo ad locum ſupplicii *ibid.* Chriſti Crux à quibus impugnetur, & quomodò *ibid.* *V. Judæi, Gentiles, Hæretici.*

Crucis mors Chriſto convenientiſſima 446.

Crux Chriſti quibus figuris deſignata fuerit in veteri teſtamento 447. adoranda cultu latriæ reſpectivæ 448. hujusmodi cultus afferuntur argumenta *ibid. & ſeqq.* ejus ſignum ab antiquis Chriſtianis in propria fronte pingi ſolitum *ibid.* militaribus vexillis ejus imago à tempore Conſtantini Magni inſerta 449. in armis etiam, galeis, clypeis, nummis, purpura, & diadematibus inſculpta *ibid.* contactu Corporis Chriſti conſecrata *ibid. V. Latria.* temporibus Apoſtolorum, quæ Chriſti fuit, oculis hominum impervia erat 450. 451. quarto Eccleſiæ ſæculo ab Helena adinventa, & populorum venerationi expoſita *ibid.* & 452. cur ab Apoſtolis, & trium priorum ſæculorum Chriſtianis non eruta *ibid.* per tot annos humi defoſſa latuit, nec tamen computruit, & quomodo id fieri potuerit 453. præ omnibus, quæ Chriſti Corpus tetigerunt, honoranda, & colenda *ibid.*

Crux Chriſti habuit tabulam ſuppedaneam, cui erant affixi pedes ejus 455. & in medio aliquod lignum, ſeu ſcabellulum, cui in cruce pendentis corpus a tergo inniteretur *ibid.* quaſi tribunal ſupremi Iudicis, qui aliquibus ſumma, qua pollet, auctoritate parcit, quosdam autem, citrà ullius injuriam, condemnat 456. à Rege Perſarum abducta 474. reddita à Siroe ejus filio *ibid.*

Culpa cum fine perpetrata, ſine fine in inferis punitur 486. hominum. *V. Hominum.*

Cycli Græcorum quinque 560.

Cyclus decemnovalis Lunæ, ſeu aureus numerus 559. 561. ejus vitia *ibid. & ſeq.*

Cycli Solis, Lunæ, & Indictionis quid ſint 555.

Cyclis nullis, nec tabulis Aſtronomicis uſi ſunt Hebræi ante Hieroſolymæ cladem in ſtabilienda ſui anni forma 312. ab aſpectu Lunæ Neomenias initia menſium ordinabant *ibid.* non computabant juxtà rigorem aſtronomicum *ibid.* cyclum annorum octoginta quatuor quando excogitarint *ibid.* cur, & quando poſtmodum rejecerint eum, & cyclis, tabulisque aſtronomicis uti cœperint 313.

Cyri regni duplex epocha 595.

S. Cyrilli Hieroſolymitani epiſtola ad Conſtantium Imperatorem genuina demonſtratur contra Rivetum 452.

D

S. DAmaſceno oratio pro Defunctis tributa, ſuppoſititia eſt 483.

Damaſcenus *Nicolaus* conſiliarius intimus Herodis, & ejus Legatus ad Cæſarem 116.

Damis Ægyenſis Scriptor vaniloquus, & Græcæ fidei 381. ejus de Apollonio commentarii *ibid.*

Danielis hebdomadum quod initium, qui finis 293. vaticinium de occiſione Meſſiæ, ideſt Chriſti *ibid.* ſunt hebdomadæ annorum juxtà morem numerandi Hebræorum 294. *V. anni Hebræorum.* enumerantur ſeptuaginta *ibid.* ſimul collectæ numerum quadringentorum, & nonaginta annorum efficiunt *ibid.* de earum initio ſummus ſententiarum conflictus *ibid.* earum exordium affigendum anno ſeptimo Artaxerxis Longimani *ibid. & ſeqq. V. Edicta, Artaxerxes.* earumdem hebdomadum finis quadriennio integro poſt paſſionem Chriſti 296. aliarum de ea re opinionum difficultates inſuperabiles *ibid.* non fuerunt com-

poſitæ ex annis Lunaribus, ſed Solaribus 297. objectiones diluuntur 299. & *ſeqq.* non dicendæ completæ ſolùm tempore excidii Hieroſolymitani 301. multò minùs longè ante Chriſti adventum, ut temerariè ab aliquibus aſſertum 302. nec etiam complendæ oſtenduntur in ſecundo Chriſti adventu 303.

Danielis prophetia de LXX. hebdomadibus temerariè penitùs ablata Chriſtianis ab Harduino, & Marshamo 302.

Darii Medi regnum 595.

Davidis ſtirps per lineam Nathanis extincta morte Heli, conſervata in familia Iacob 86.

Decennales *V. Quinquennalium*.

Decimati in lumbis Abſtrahæ indigent curatione, quæ eſt per Chriſtum 56.

Dei miſericordia in condonandis peccatis, in quo maximè per Chriſti paſſionem, & ſatisfactionem colluceret 393.

Dei voluntatem antecedentem ſalvandi omnes homines pertinniſſe tantùm ad ſtatum naturæ innocentis, conſequentem verò ſalvandi omnes electos ſpectare ad ſtatum naturæ lapſæ Ianſenianus error eſt, qui convellitur 336. & *ſeq.*

Deſcriptio univerſi orbis ex Auguſti edicto, quo anno ejus Imperii inciderit 129. ter hujuſmodi cenſus indictus *ibid.* & *ſeq.* imperata ab Auguſto, fructus, & indicium pacis univerſalis fuit 157.

Deſertum, in quo tentatus fuit Chriſtus à diabolo, ubi nam fuerit 238. variæ de eo ſententiæ *ibid.*

Deſolatio, & vaſtatio templi Hieroſolymitani aſſerta paſſioni Chriſti contra Marshamum, & Harduinum 302.

Deſponſata non ſolùm dicitur Virgo, ſponſione promiſſa, ſed quæ tradita viro eſt 50. & *ſeq.*

Deſponſationis, ſeu matrimonii B. Virginis cum Joſepho feſtum procurat Gerſonius 18. concinnat officium de hac feſtivitate *ibid.* quibus diebus celebretur *ibid.*

Deſponſationis, ſeu matrimonii Mariæ cum Ioſepho feſtum ab Eccleſia inſtitutum 5.

Deus in caſtigandis filiis ob peccata parentum ultrà tertiam, vel quartam generationem pœnam protendere non conſuevit 84. homo factus eſt, ut homines docendo, virtutum quoque illis præberet exempla 261. vult omnes homines ſalvos fieri voluntate antecedenti 329. eſt Pater omnium hominum, etiam Iudæorum, Gentilium, & impiorum Chriſtianorum 346. ſpeciali verò quadam ratione Pater Iuſtorum *ibid.* quod probatur *ibid.* juſtè aliquando à filiis, & pronepotibus pro peccatis alienis, ſeu paternis expetit pœnas temporarias 394. 395. non potuit non exaudire filium ſuum unigenitum 400. citra ullam ſatisfactionem condonando peccata hominibus, miſericorditer quidem, at non injuſtè egiſſet 403. potuiſſet hominem perditum citrà injuriam in maſſa perditionis relinquere *ibid.* potuiſſet etiam ſolo Verbo, ſola Incarnatione, &c. abſque ſua paſſione, & morte liberare totum genus humanum *ibid.* pro eodem delicto non geminat pœnas 539.

Diabolus hominem ſpiritualem non ſtatim tentat de gravibus peccatis, ſed pedetentim incipit à levioribus 239. exempla *ibid.* non pro certo cognovit Chriſtum eſſe Dei filium, quando eum tentavit in deſerto, ſed exploravit 240. ad inanem gloriam eundem Chriſtum provocavit *ibid.*

Diabolus ortum Meſſiæ neſcivit 6. lictor, & miniſter juſtitiæ vindicantis Dei 392.

Dierum triplex genus apud Hebræos, legalium, naturalium, & uſualiũ 420.

Dies

Digitized by Google

Dies azymorum. *V. Azymorum dies.* apud Hebræos in quatuor ſtationes diviſus, in totidem ſtationes nox diſtributa 315. diſtributio *ibid.*

Dies legalis apud Hebræos à veſpera in veſperam 420. dies naturalis ab ortu Solis in ortum *ibid.* dies uſualis à media nocte ad mediam noctem *ibid.*

Dilatio. *V. Præmiorum, & Beatitudinis.*

Dilectio Dei in Sacramento pœnitentiæ 191. omnibus omninò hominibus incumbit *ibid. & ſeq.*

Diluvium univerſale quoto mundi anno graſſari cœperit 583. ejus duratio, atque finis *ibid.*

Dinocrates non ab inferno, ſed à purgatorio liberatus precibus S. Perpetuæ ejus ſororis 484. 485.

Diodorus Siculus falsò derivat Circumciſionem Iudaicam à ſuperſtitione Ægyptiorum 192.

Dionyſius exiguus, natione Scytha 122. Author æræ vulgaris, ſeu Chriſtianæ *ibid.* erravit in aſſignando anno Nativitatis Chriſti 123. ejus æram Eccleſia in uſum tranſtulit, non quod eam omni ex parte accuratam judicaverit, ſed quod Chriſtiani à tempore Dionyſii in enumerandis annis Chriſti communiter eam uſurpaverint *ibid.* nō tamen eam viguiſſe ſemper in Eccleſia conſtans eſt, & quando communiter recepta 123. *& ſeq.* quando à Summis Pontificibus in Diplomatibus ſuis exprimi cœpta 124.

Diſperſio hominum poſt diluvium. *V. Diviſio.*

Divinitas Chriſti aſſerta contra Arianos, & Socinianos 228. nec ab anima, nec à corpore, nec à Sanctiſſimo Chriſti Sanguine fuit in triduo mortis ſeparata 465.

Diviſio terræ poſt diluvium quoto anno mundi facta ſit 585.

Doctrina. *V. Chriſti. Philoſophorum, Mahumetis, Hæreticorum, Invidorum.*

Dolor, & pœna paſſionis quomodo minuatur per menſit virtutem, & innocentiam 438.

Dolores nos neceſſariò pungunt, nobisque invitis licet, & repugnantibus dominantur propter peccatum originale 442.

Dolorum acerbitas in Chriſto quanta fuerit 435.

Dominium. *V. Chriſtum, & Apoſtolos.*

Domus, in qua Chriſtus ultimam cœnam peregit, ad quem pertineret, incertum 430. referuntur Patrum diſcordes ſententiæ *ibid.*

Duos Chriſtos, ſeu Meſſias, & quales in ſacris literis promiſſos effutiant Hebræi, ut divina de Meſſia eludant oracula 167. 168. confundunt primum, & ſecundum adventum ejuſdem *ibid.*

E

Eccleſia, licet copulata Chriſto vocatur *Sponſa* 11. Hieroſolymitana primis temporibus ex ſolis Hebræis ad Chriſtū converſis conflata erat 97. Catholica habet etiamnùm donum miraculorum 283. quomodo oraret pro iis, quorum futuram damnationem certò cognoſceret 338. 339. Romana cur cenſorio ſtygmate confixerit librum tertium S. Iuliani Toletani, & Antonii Contii annotationes. *V. Congregatio Indicis.* ſequitur æram Dionyſianam, non tanquam accuratam probans, ſed quia à Chriſtianis communiter uſu receptam 578. non temporum, & annorum minutias moratur *ibid.*

Eclypſis Lunæ duplex Hieroſolymis anno quadrageſimo primo Imperii Auguſti, mortis Herodis prænuncia 118.

Eclypſis Solis. *V. Solis.*

Edicta Regum Perſarum in gratiam Iudæorum 294. primum datum à Cyro *ibid.* ſecundum à Dario Hyſtaſpe 295. tertium ab Artaxerſe Longimano anno

Digitized by Google

no ſeptimo ipſius Regni *ibid.* quartum ab eodem anno regni vigeſimo. *V. Danielis* .

Edictum Auguſti . *V. Deſcriptio, Cenſus, & Quirinius* .

Elias pro gloria Dei æmulator , & legis zelator ardentiſſimus 287. habitus falsò à turbis , tanquam Chriſtus eſſet *ibid.* omnium Prophetarum perſonam gerit in Transfiguratione Chriſti *ibid.* nō apparuit imaginariè in Transfiguratione eadem *ibid.* & 288. adhuc ſuperſtes vivit ſecundi adventus Chriſti Præcurſor *ibid.*

Epacta 562.

Epiphaniæ feſtum ſaltem quinto ſæculo diei ſextæ Ianuarii adſcriptum 177. 185. trium myſteriorum,ſcilicet adorationis Magorum, Baptiſmi Chriſti, & miraculoſæ converſionis aquæ in vinum celebratio *ibid.* quomodo, & quibus ritibus apud Orientales celebretur *ibid.* celebratum a Iuliano Apoſtata, una cum Chriſtianis 186. itemque à Valente Ariano *ibid.*

Epiſcopii *Simonis* hæreſis Sociniana 378. 379. *V. Fides explicita.*

Epocha Baptiſmi Chriſti , & ejuſdem cancordantiæ 204.non eſt commentitia 208. nec obſcura , & ignota *ibid. & ſeq. V. Chriſtus.* duplex regni Cyri 595. triplex anni natalitii Chriſti 113. *& ſeqq.* Varroniana 575. Capitolina *ibid.* Catoniana *ibid.* & 576. Polybiana *ibid.* Fabiana *ibid. V. Æra.*

Euangelia Matthæi , Marci , Lucæ , & Ioannis genuina , & ſincera probantur 262. ſpuria autem , & commentitia, quæ aliis tribuuntur, aut ſub aliorum nomine vulgata *ibid.*

Euangelii lectio nullo modo prætermittenda Chriſtianis 254. *V. Prædicatio.*

Euangeliſtæ lumine Spiritus Sancti afflati veritatem falſo medio non probant 60. conciliantur circa diem,quo Chriſtus peregit Paſcha 420. 421. & circa apparentem antilogiam circumſtantiarum Reſurrectionis Chriſti 498. 499.

Euchariſtiam die decima tertia primi menſis,& in qua Iudæis pane fermentato adhuc uti licebat, a Chriſto inſtitutam ſentiunt Græci 406.

Evodio Antiocheno tributa epiſtola , à Græculis conficta 3.

Euſebii Cæſarienſis hiſtoria Eccleſiaſtica inter libros apocriphos à Gelaſio recenſita , & qua de cauſa 268.

Eutichetis hæreſis qualis 35. damnata in Concilio Chalcedonenſi 36.

Eutychius Patriarcha Conſtantinopolitanus, tanquam malè de Reſurrectione carnis ſentiens, à Sancto Gregorio impugnatus,palinodiam decantat 495.

Ethnici,qui impugnarunt regiam Chriſti ex ſtirpe Davidis, & Abrahæ genealogiam 51. *V. Celſus , Porphyrius , Julianus* . Chriſtum aliquos libros ſcripſiſſe magicas artes continentes mentiti ſunt 259. 260. prudenter dubitare non poſſunt de iis , quæ de Chriſto ſcripſerunt Euangeliſtæ *ibid.*

Ethnici , ſeu Philoſophi , qui fide in Chriſtum mediatorem caruerunt , licèt juxta rectæ rationis præcepta vixerint , æternam ſalutem non conſecuti fuere 354.

Ethnici aliqui privati , pauci tamen , ex ſpeciali Dei privilegio verum Deum coluere , & per fidem futuri Chriſti adventus , ejuſque nomine , & gratia fuere ſalvati 356. puta Iob, &c. *ibid.*

Ezechias initio regni Patris ſui Achabi, ut minimùm , novem annos natus erat 23. quando regnare cœperit 82. quo ætatis ſuæ anno mortuus fuerit *ibid.*

F

FAbius Pictor , Hiſtoricus Romanorum antiquiſſimus 576.

Facies Chriſti . *V. Corpus* .

Faſti Conſulares quoto anno . V. C. incipiant 577.

Fau-

Fauſtus Manichæus Chriſtum è regio Davidis ſanguine genitum, ſeu oriundum negavit 51. rejecit Euangelium Matthæi *ibid.*

Fermentum. *V. Eucharistiam, & Græci.*

Feſtus Iudææ Præſes Româ miſſus 146.

Fidei diſtinctio triplex apud Hæreticos 358. hiſtoricæ nempè, miraculorum, & promiſſionum *ibid.* fidem promiſſionum dividunt in generalem, & ſpecialem, & hanc fiduciam de ſingulari miſericordia Dei appellant, qua homo confidit omnia ſibi per Chriſtum peccata eſſe remiſſa *ibid.* *V. Fides.*

Fides in Chriſtum mediatorem fuit omni tempore ad ſalutem neceſſaria 354. eſt diſpoſitio neceſſaria ad juſtificationem, in eam tamen refundi non debet tota vis juſtificationis 358. & *ſeqq.* à charitatis, aliarumque virtutum conſortio ſeparari poteſt 359. quicquid in contrarium blaſphement Hæretici, qui refelluntur 360. 361. non eſt fiducia de ſingulari Dei miſericordia, qua ſibi quiſque promiſſiones divinas de remiſſione peccatorum applicat, ſed aſſenſus præſtitus his omnibus, quæ ſunt à Deo revelata 362. & *ſeqq.* 374. & *ſeqq.*

Fides, quæ ſecundùm Catholicos prærequiritur ad juſtificationem, eſt aſſenſus præſtitus dogmatibus fidei, non fiducia de ſingulari Dei miſericordia, ſicut effutiunt Hæretici 365.

Fides humanæ ſalutis initium eſt 368. fundamentum, & radix omnis juſtificationis *ibid.* juſtificationem impetrat *ibid.* ejus beneficio magis, quam aliorum actuum, homo humiliter profitetur ſe non propria virtute, ſed Chriſti merito gratis juſtificari *ibid.* ſola interdùm ſufficit ad impetranda miracula 368. 369. quomodò dicatur ab Apoſtolo, ex ea juſtificari hominem gratis, & abſque operibus *ibid.* explicita in Deum unum, & trinum in ſtatu novæ legis neceſſaria omninò ad ſalutem contra Socinum, & Epiſcopium 379. item in divinitatem, & conſubſtantialitatem Verbi Divini cum Patre Æterno *ibid.* & *ſeqq.* noſtra confirmata per Aſcenſionem Chriſti in Cœlum 515.

Fides ſola juſtificat: quomodò hæc propoſitio ſenſum Catholicum pati poſſit 371. 372. ab ea tamen pronuncianda cavendum eſt 373.

Fiducia, qua quis credit, & certiſſimè confidit ſibi eſſe remiſſa peccata è fronte opponitur Verbo Dei, & Calviniſticum dogma eſt 362. *V. Peccatorum.*

Fiduciam noſtram non collocamus in meritis Sanctorum, ſed in ſolis meritis Chriſti 519.

Filius Dei per unionem hypoſtaticam obumbravit Mariæ, & ex illa carnem, & membra aſſumens, ſibi naturam humanam adunavit, ac indiviſibili nexu ſociavit 49. 50.

Filius viduæ Sareptanæ mortuus à Deo ad vitam revocatur 505. Sunamitidis item reſuſcitatur *ibid.*

Flagellatio crucifixionem præcedebat 445.

Fons olei, quem putant nonnulli Romæ manaſſe eadem nocte, qua natus eſt Chriſtus, nulla certa fide aſtruitur 171.

Fontaninus *Juſtus* laudatur 129.

Fornicatio Virginis in domo Patris. *V. Virgo.*

Fratres Chriſti dicti Iacobus, Ioſeph, Simon, Iuda, non quidem natura, quaſi eodem Patre, eademque Matre progeniti, ſed ex cognatione 29. apud aliquos crediti Filii Ioſeph ex priori uxore, ſed falsò *ibid.* & *ſeqq.*

Fratres non ſolùm germani, ſed etiam uterini tenebantur uxorem ducere relictam fratris defuncti abſque liberis apud Hæbræos 86. *V. Lex.* Uterini non ſunt inter agnatos 86.

Gela-

Digitized by Google

G

Gelaſii Pont. decretum de libris Canonicis, & Apocriphis 266. ab aliquibus cenſetur ſuppoſititium *ibid.* & 267. eidem aſſeritur *ibid.* ſub nomine Hormiſdæ falsò evulgatum *ibid.*

Genealogia Chriſti per Lucam Euangeliſtam minimè texta per lineam Sacerdotalem 55. objectionibus reſpondetur *ibid.* cur ducta à Matthæo, & Luca uſque ad Ioſephum, qui ejus pater naturalis non erat 59. *& ſeq.* ſecundùm ſiſtema Grotii 70. *& ſeq.* reprobatur *ibid.* item ſecundùm ſiſtema Poſſini, Bollandi, Marca, & Lamy rejecta 72. *& ſeq.*

Genealogia fœminarum quando, & quomodo apud Hebræos texatur 62.

Genealogiæ Chriſti ordo ſecundùm Matthæum 87. ſecundùm Lucam *ibid.* diſcrepantiæ inter Euangeliſtas Lucam, & Matthæum apparentes, & earum conciliatio. *V. Matthæus, & Lucas.*

Genealogiæ apud Hebræos maxima religione ſervatæ. *V. Judæi.*

Gentiles, & Judæi Crucem Chriſti velut opprobrium Chriſtianis objectare ſolent 445.

Germonius reprobatur 129.

Gloria animæ Chriſti non redundavit in ejus corpus à momento Conceptionis, quamvis ex tunc beatitudine eadem anima perfuſa, & cur 286.

Gloriæ futuræ excellentia omnem excedit ſenſum, & facultatem hominum 288.

Godefridus Bullionæus. *V. Chriſti ſepulcrum.*

Gotteſchalcus Monachus hæreſim Prædeſtinatianorum profitetur 352. damnatur in Synodo Moguntina *ibid.* ab aliquibus tanquam innocens defenditur, & à quacumque hæreſi immunis aſſeritur 353.

Græci unde probent Chriſtum in conficiendo Euchariſtiæ Sacramento uſum fuiſſe pane fermentato, non azymo 406. reprobantur 426.

Græcorum Monarchiæ initium 598.

Gratia ſufficiens an evadere poſſit efficax 342.

Gratia efficax non diſtinguitur ex entitate, ſeu ex natura ſua à gratia ſufficienti, ſed ſolùm penes intenſionem graduum efficaciæ, quibus ſuaptè vi ſuperat gradus obſtinationis, & malitiæ voluntatis creatæ 343. eadem ex aliorum ſententia diſtinguitur ex entitate, & ex natura ſua à gratia ſufficienti *ibid.* eandem Deus ex ſe paratus conferre omnibus, & in culpa hominum, quod illam non recipiant *ibid.*

Gratiam Dei in veteri teſtamento non eſſe niſi legem Moyſi traditam; gratiam verò novi teſtamenti non eſſe, niſi Euangelium, & exemplum Chriſti, Pelagianum eſt 370.

Gregoriana Kalendarii correctio 556.

Grotii ſiſtema de Genealogia Chriſti 70. *& ſeq.* reprobatur *ibid.*

Grotius Hugo circa interpretationem Pſalmiſtæ reprobatur, aſſerens illud vaticinium de Corporis Chriſti incorruptibilitate in ſepulcro, de Davide eſſe intelligendum 472. 473.

H

Hadrianus. *V. Jovis, & Adonidis.*

Hæretici qui contra Mariæ virginitatem inſurrexerint 19. eorum error refellitur *ibid. & ſeqq.* Calviniſtæ, & Lutherani Cruci Chriſti nullum cultum à fidelibus exhibendum contendunt 445. & 446. qui impugnarint regiam ex ſtirpe Davidis, & Abrahæ Chriſti genealogiam 51. & ex tribu Iuda *ibid. V. Tatianus, Fauſtus.*

Hæreticorum doctrina, non ſtatim, & palam, ſed per cuniculos diſſeminata 253.

Hæ-

Hæreticorum ſententia, Chriſtum humana anima fuiſſe deſtitutum, aut animam ſine mente habuiſſe, à Patribus, & Conciliis reprobata. *V. Ariani, Apollinariſtæ.*

Hadrianus Imperator Hieroſolymam armis occupavit, & ex ea Iudæos, & Chriſtianos expulit 98.

Harduinus refellitur, tanquam malè audiens apud eruditos, quod Ioſephi in referenda Herodiana hiſtoria fidem elevet, & unà cum Germonio auſu temerario omnium penè Sanctorum Patrum auctoritatem, & omne genus veterum monumentorum convellere aggrediatur 129. reprobatur *V. Pagius.* erravit dicens Chriſtum natum menſe Septembri 134. ejus temeritas redarguitur 302. commentum de Paſchate duplici, alio ſcilicet Galilæorum, & Iſraelitarum, alio autem Iudæorum 418. 419.

Hebdomadum Septuaginta Danielis initium 597.

Hebdomadæ Danielis. *V. Danielis.*

Hebræi ſacras Scripturas tantâ veneratione proſequebantur, ut earum cauſsâ, ſi opus eſſet, mortem oppetere non detrectaſſent 91. non immutarunt ſacràm Chronologiam *ibid.* ſacra Prophetarum oracula, aliaque id genus nunquam adulterarunt *ibid.* genuinam ſacræ Scripturæ lectionem ab omni corruptione ſummo conatu ſervaverunt immunem *ibid.* qualem, quantamque diligentiam adhibuerint in deſcribendis libris ſacris 92. Chronologiam eorumdem nunquam corruperunt *ibid.* & 96. vindicantur à ſervitute Ægyptiacâ per Moyſem ſignorum poteſtate, & authoritate ſibi à Deo traditâ 385.

Hebræorum liberatio à captivitate Aſſyriacâ nec facta, nec facienda 165.

Hegira. *V. Æra Mahumetanorum.*

Herodes, qua mortuus eſt, diem feſtivam habent Iudæi 118. 119.

Herodes Antipas Galilææ tetrarchiam obtinet 120. eâdem ſpoliatus Lugdunum exulare cogitur 121. quot annis eam obtinuerit *ibid.*

Herodes Rex in Iudæa fuit alienigena 138. quo anno Iudææ regnum obtinuerit *ibid.* Iudæorum inſtituta peregrinis ritibus violavit 139. erga eoſdem hoſtiliter ſe geſſit *ibid.*

Herodes ter Romam navigavit ante Adventum, & Nativitatem Chriſti 180. quibus annis id ab eodem actum *ibid.* & 181. quid apud Cæſarem egerit *ibid.* unico tantùm anno poſt Natale Chriſti ſuperſtes fuit *ibid.* non occidit filium ſuum in cæde infantium *ibid.* & 182. de ſtrage Infantium redargutus à Macrobio *ibid.*

Herodes de adventu Magorum turbatus 173. jubet occidi pueros à bimatu, & infra 175. idque juſſit poſt Virginis Purificationem 176. *V. Infantium.*

Herodiani hæretici Herodem habuere pro Meſſia, & quare 139.

Herodis fabuloſa genealogia, qua genere Iudæus effingitur, rejecta 144. is licet Idumæus non auſus immutare leges Iudæorum *ibid.* & *ſeqq.* edictum de occidendis nobiliſſimis Iudæorum, non tamen executioni mandatum 184. 185. crudelitas, qua vivos comburi voluit Matthiam Margolothum, & doctiſſimos Iudæorum, & Interpretes legis *ibid.*

Herodis Regis, quo in Iudæa regnante natus eſt Chriſtus, duplex epocha 114. quænam *ibid.* Romam ejus profectio, & quare 115. obtinet regnum Iudææ *ibid.* expugnat Hieroſolymam poſt tres annos, quàm ſalutatus eſt Rex Iudæorum à Senatu Romano *ibid.* quo anno mortuus 117. & *ſeqq.*

Herodotus falsò derivat Circumciſionem Iudaicam ab Ægyptiis, & Colchis 192.

Helenæ matris Conſtantini virtutes, & laudes 451.

Helvidii hæreſis contra perpetuitatem virginitatis Mariæ Deiparæ 12.

Hierocles in odium Chriſtianæ Religionis quid egerit 280. *&* 281.

Hieronymus novum teſtamentum juſſu Damaſi Græcæ fidei reddidit 75.

Hieroſolymæ expugnatio per Herodem quo anno facta 115.

Hieroſolymitana regio petroſa 154. ejus plurimæ domus ſaxis incluſæ *ibid.*

Hieruſalem nuncupata umbilicus, & medium terræ 318.

S. Hilarius exponitur, & defenditur circa ſententiam, eidem falsò tributam, quod Corpus Chriſti ictibus laceratum fuerit, nihil tamen doloris animæ illatum 440. 441. expoſitus circa rectam intelligentiam loci illius, ubi videtur aſtruere juſtorum animas non ſtatim poſt corporis obitum æterna beatitudine perfrui 532.

Hiſtorici profani in ſacris Codicibus Hebræis peregrini, & hoſpites 106.

Homines non naſci filios diaboli Pelagianum dogma eſt 31.

Hominum culpa deleri non potuit, niſi per ſacrificium, quod Chriſtus moriendo Deo Patri obtulit 390.

Homo nullus immunis à tentatione diaboli 236. & 237. *V. Tentationi.* poteſt habere de ſua juſtificatione certitudinem moralem, ſeu conjecturalem, non verò certam animi perſuaſionem 375. 376. *&* *ſeq.* ex fide Catholica, eaque non ſola, ſed conjuncta cum dilectione juſtitiæ, tanquam ex ſigno probabili cognoſcere poteſt, quod Spiritum Chriſti habeat 378.

Homonadenſes, rebelles contra Romanos, victi, & debellati à Quirinio 130.

Hypocritarum objurgatio 258.

I

JAcobi morientis vaticinium impletum in Nativitate Chriſti 137. *&* *ſeqq.* non autem quando deleta per Titũ Hieroſolyma 140. de tota gente Iudæorum, non de ſola tribu Iuda ut intelligendum 150. teſtimonia, & argumenta ex Patribus, & ex Scriptura *ibid.* *&* *ſeq.* peculiare tamen fuit Iudæ, ejusque tribui *ibid.* non deſignat momentum indiviſibile, ſed latitudinem temporis, quo venturus Meſſias, quando ſceptrum à Iuda eſſet ablatum 153. quare nunquam adductum à Chriſto, Apoſtolis, & Euangeliſtis *ibid.*

Iacobus Apoſtolus teſtis Transfigurationis Chriſti propter prærogativam martyrii 288. primus Martyr *ibid.*

Iani templum ſub Imperio Auguſti ter clauſum 157. *&* *ſeq.* de eo contrariæ refelluntur ſententiæ *ibid.* quo anno tertio clauſum *ibid. V. Miſſoni.* obſeratio tempore Auguſti non eſt admittenda, nec habenda loco prodigii, deſignantis Chriſti Nativitatem 171. ſed loco complementi vaticinii Prophetarum *ibid.*

Ianſenii ſentẽtia, quod Chriſtus mortuus ſit pro ſolis prædeſtinatis, omninò excluſis reprobis à beneficio Redẽptionis, refertur, & reprobatur 319. 320. damnata, ut impia, blaſphema, contumelioſa, divinæ pietati derogans, & hæretica *ibid.*

Ianſeniſmus impugnatur à pag. 319. ad pag. 353. *&* *alibi paſſim.*

Ianſeniſmi à labe, qui Thomiſticam doctrinam vindicarint 331.

Ianſenius agens de gratia omninò aberrat à mente S. Auguſtini 335. radix ejus errorum quæ 336. *&* *ſeqq.* confutatur *ibid.* *&* *ſeqq.*

Ianuariæ kalendæ luxu, ſpectaculorum inſania, & abominandis ſuperſtitionibus celebratæ 186. Circumciſione Chriſti ſanctificatæ *ibid.*

Idumæi ad Iudæos aggregati 144. alienigenæ appellati *ibid.*

Iechonias pater naturalis Salathielis cõtra Poſſinum, & alios 77. ejus ſterilitas, prædicta à Ieremia, de regni, & pro-

proſperitatis negatione intelligenda *ibid.* procreavit filios, qui è regio faſtigio exciderunt 78. duplex Iechonias primus, & ſecundus 80. in eorum primo ſecunda deſiit teſſaradecas, in ſecundo tertia, quæ deſinit in Chriſtum, incœpit *ibid.*

Iejunium Chriſti in deſerto 239. contra tentationes nos armat *ibid.*

Ieruſalem capta, & ſolo æquata per Titum 140. obſeſſa, capta, vaſtata 162. iterum ab Adriano deſtructa, ac nova ædificata, cujus ingreſſu prohibiti Iudæi *ibid.*

Ieſus primogenitus Mariæ quomodo, & quo ſenſu dicatur 28. *& ſeq.*

Ieſus idem ſonat, ac Salvator 186. hoc nomine donati in veteri lege quidam ob aliquam temporariam, & particularem ſalutem, quam attulerunt, & qui hi fuerint *ibid.* hoc nomen complectitur omnia nomina, quibus Meſſias à Prophetis nominandus prænunciatus fuit 187. convenienter fuit circumciſus, & oblatus in Templo *ibid.* quibus ex cauſis educatur hæc convenientia *ibid.* & 188.

Ieſu ora pro nobis quare non dicat, & admittat Eccleſia 519.

S. Ignatii epiſtola ad Epheſios genuina demonſtratur 6.

Ignis in Scriptura ſacra ſignificat ſæpè quamcumque pœnam, ſive afflictionem, & tribulationem 542.

Ignorantia affectata non excuſat à peccato 460.

Ignorantia Dei, & exiſtentiæ ejus nulla poteſt dari involuntaria, & invincibilis, ideoque inculpata 487.

Imperatorem inter, qui Auguſtus dicebatur, & Imperatorem, qui nec dum Auguſtus appellabatur, licèt reverà conſors, & collega Imperii declaratus eſſet, diſcrimen 213.

Imperium Aſiaticum Iudæorum fabuloſum. *V. Iudæorum.*

Imperii Proconſularis poteſtas, & amplitudo 212. 213.

Impii, habentes animas immortales, perire, & annihilari non debent 506. quomodo dicantur à Davide non reſurrecturi in judicio 510. 511.

Incarnationis Dominicæ myſteriũ novit Ioſephus ex Angeli monitu poſt conceptionem Ieſu in utero Mariæ 13. in eum aliquo modo explicitè omni tempore credi oportuit, quod ab æterno fuit diſpoſitum, ut ſuam homines ſalutem aſſequerentur 354. quibus oſtenſum 168. quibusdam à Deo præordinatis conſpicuum ad fidem tanti myſterii adſtruendam *ibid.* non omnibus noſſe datum, & qua de cauſâ *ibid.* & 169. Mariæ, & Ioſepho manifeſtatum etiam antequam Chriſtus naſceretur *ibid.* Paſtoribus in ipſa Nativitate, Magis die Epiphaniæ, Simeoni, & Annæ in Templo Hieroſolymitano *ibid. V. Templum Pacis, Oraculorum ceſſatio, Virginis apparitio, Fons olei, Tres Soles.*

Incircumciſus è Templi atriis interioribus, & ſacris ſemper fuit à Iudæis excluſus 188.

Incorruptibilitatem ex ſua natura carnis Chriſti ante Reſurrectionem dixerunt aliqui hæretici 472.

Indictio quid ſit 562. unde ejus nomen ortum habuerit *ibid.* triplex 563.

Indifferentia contrarietatis, & contradictionis 397. 398.

Infantium cædes minimè ab Herode acta poſt biennium à Chriſto nato 179. in eâ nequaquam occiſus Herodis filius 181. occiſorum numerus 183. de eodem redargutus Bollandus *ibid.* eorum, tanquam Martyrum, in Eccleſiâ cultus, & honor 184.

Infantes ſtatim ac nati, ab Eccleſia ad Baptiſmum admittuntur 234. & quibus ex cauſis *ibid.* ſine Baptiſmo decedentes ex hac vitâ, an comparituri ſint in judicio univerſali, Iudicis ſen-

Digitized by Google

tentiam ſubituri 536. 537. variæ referuntur ſententiæ *ibid. V. Parvuli.*

Inferni pœnæ æternæ 483. *V. Trajani, & Dinocrates.*

Infidelium opera, ut plurimùm, nigredine peccatorum plena 354. *V. Virtutes.*

Infideles in judicio univerſali quomodo judicandi 543.

Injuria Deo irrogata eſt ordinis ſuperioris 394.

Innocentia minuit pœnam paſſionis, & quomodo 438. ſublevat dolorem paſſionis quantùm ad culpam, non quantùm ad pœnam *ibid.*

Inſcriptio vetus ſepuleralis hominis, qui venturi Meſſiæ fidem profeſſus, Chriſtumque è Virgine naſciturum confeſſus eſt 356.

Inſontem invitum pro ſontibus punire iniquum eſt, non verò ſponte volentem, & ex motivo charitatis in ſe ſuſcipientem pœnas ſontibus debitas 394.

Inſpirationes internæ à Deo per ora Sanctorum 482.

Interrogationes, quæ leguntur à Chriſto factæ, non arguunt in eo ignorantiam rerum, quas percontabatur 225.

Invidorum doctrina cum cæteris non communicata, & qua de cauſa 254.

Ioannis Baptiſtæ miniſterium probabiliter præceſſit baptiſmum Chriſti integro fermè anno 215. & *ſeq.* Baptiſmus, & prædicatio 218. limes conſtitutus inter vetera, & nova *ibid.* Chriſto ſuum præbuit miniſterium ad ripam Iordanis *ibid. V. Baptiſmus.*

Ioannes, poſtquam Chriſtum baptizavit, pro comperto ſemper habuit eum eſſe verum Meſſiam 224. quid voluerit, cum duos ex ſuis diſcipulis miſit ad Ieſum, ut quærerent ab eo, an eſſet Meſſias? 225. teſtis Transfigurationis Chriſti ob privilegium amoris 288.

Ioannes XXII. quid ſenſerit de dilatione viſionis beatificæ poſt mortem juſtorum 535. favit tantummodo tanquam privatus doctor ſententiæ, procraſtinanti eandem viſionem *ibid.* ſub finem vitæ palinodiam decātavit *ibid.* à Benedicto XII. ejus famæ optimè conſultum contra calumniatores *ibid.* & contra mendacia, & accuſationes Calvinianas *ibid.*

Ioſeph antequam nuberet Mariæ aliam conjugem non habuit, nec filios ex eâ ſuſcepit 4. Virgo ſemper permanſit *ibid.* ejus juſtitia à SS. Patribus laudata *ibid.* nupſit Virgini ſecundùm leges patrias *ibid.* non fuit ſenex octuagenarius, quando nupſit Mariæ *ibid.* nunquam maritali commercio, nec etiam poſt Chriſti ortum, Mariam novit contra Helvidii hæreſim 12. quomodo dictum, illum voluiſſe Virginem dimittere 13. myſterium Incarnationis Verbi tantùm novit ex Angelo poſt Conceptionem *ibid.*

Ioſephi cogitatio de non traducenda Virgine, & de ejus dimiſſione quomodo intelligenda 13. & *ſeq.*

Ioſeph perpetuus caſtitatis amator 18. non cognovit Mariam poſt partum 27. 28. enodatur, & exponitur locus Matthæi *ibid.* redarguitur Tertullianus *ibid.* exponitur S. Baſilii teſtimonium *ibid.*

Ioſeph, & Maria proximo conſanguinitatis gradu conjuncti 63. & *ſeqq.* quoto gradu diſtarent 65. & *ſeq.*

Ioſeph vir Mariæ duos Patres habuit, naturalem unum, ſcilicet Iacob, qui ex Davide per Salomonem deſcendebat, legalem alterum, videlicet Heli, qui ex Davide per Nathanem procedebat 69.

Ioſephi Hiſtorici teſtimonium de Chriſto nequaquam in dubium vocandum 272. contra aliquos criticos genuinum aſſeritur *ibid.* & 273.

Ioſephus in putatione annorum non aliam; quam ſacri Textus Hebræi Chronologiam eſt ſectatus 103. & *ſeq.*

de

Digitized by Google

de induſtriâ in aliquibus vitiatus 104. 105.

Ioſephus in hiſtoria premit infideli ſilentio ſtragem Infantium ab Herode actam 182. prætermittit multa ad res Iudaicas pertinentia 183. pauca de Chriſto ſcribit *ibid.* nonnulla contra veritatem Euangelicæ hiſtoriæ diſſimulat *ibid.* adulatoriè oracula venturi Meſſiæ Veſpaſiano aſſerit 273. cognovit Chriſtum, & cur ei non crediderit *ibid.*

Iovis ſimulacrum in loco Paſſionis ab Adriano Hieroſolymis in odium Chriſtianorum conſecratum 473.

S. Irenei ſententia de Chriſti ætate, qua paſſus eſt, reprobatur 304. 305.

Iſaiæ vaticinium de virginitate Mariæ, quomodo perperam expoſitum à Iudæis 25. reſpondetur, & enodantur argumenta *ibid.* & *ſeqq.*

Iſaiæ vaticinium de paſſione Chriſti, perperam à Iudæis ad populum Iudaicum detortum, explicatur 432. verba, *Fluent ad eum omnes gentes*, in Chriſto impleta 167.

Iudæa regio temperatiſſima, nec aſperitatibus hyemis obnoxia 155. exiguis finibus circumſcripta *ibid.* à Romanis ejecto Archelao in provinciam redacta 145. per Procuratores Româ miſſos adminiſtrata *ibid.*

Iudææ prima deſcriptio facta à Quirinio, vivente adhuc Herode, non fuit propriè cenſus 131. & qua de cauſa *ibid.* ſecunda verò ab eodem facta poſt exilium Archelai fuit verus cenſus, & quare *ibid.*

Iudæi impiè effutiunt conſummatum virili congreſſu Mariæ matrimonium cum Ioſepho, Chriſtumque ex carnali eorumdem conſortio procreatum 19. eorum error refellitur *ibid.* & *ſeqq.* argumenta enodantur, ac profligantur 20. & *ſeqq.* impugnarunt Regiam ex ſtirpe Davidis, & Abrahæ Chriſti genealogiam 51. & ex tribu Iuda *ibid.* ad Chriſtum converſi primis temporibus Eccleſiam Hieroſolymitanam conſtituebant 97. integras genealogias tam publicè, quàm privatim ſumma religione aſſervabant, eorum præſertim, qui ex Tribu Levi, & ex Tribu Iudæ originem habebant 52. & quare *ibid.*

Iudæi, & Chriſtiani è Hieroſolyma penitus expulſi ab Adriano Imperatore 98.

Iudæi, vivente Herode, fuerunt immunes à perſolvendis tributis, non ſecus ac ſocii, & amici Romanorum 131. dejecto autem Archelao fuit Iudea attributa provinciæ Syriæ, & libertatem amiſit *ibid.*

Iudæi poſt captivitatem Babylonicam nunquam fuerunt in Idololatriam prolapſi 140. tot calamitatibus quare vexati 162. quid de iis, & Urbe Ieruſalem Titus *ibid.* quot perierint tempore obſidionis Hieroſolymitanæ *ibid.* novæ Ieruſalem ab Adriano ædificatæ ingreſſu prohibiti *ibid.* putarunt ſolam legem ad hominem juſtificandum ſufficere, neque neceſſariam eſſe Dei gratiam 369.

Iudæi, & Gentiles Chriſti Crucem velut opprobrium Chriſtianis objectare ſolent 445.

Iudæi ſuos feſtos dies ab occaſu Solis ad alium occaſum ducebant 407. Sabbatha quælibet feſta, maximè ſolemniora, nuncupabant *ibid.* anno, quo Chriſtus mortuus eſt, Paſcha peregerunt, ſeu Agnum Paſchalem comederũt die decimaquarta primi menſis in ſecundis Veſperis 413. & *ſeqq.* non poterant in Sabbathis, nec in feſto die iter conficere 415. recentiores feſtum Paſchatis per duos dies celebrare ſolent, quò à vero feſti die non aberrent 417. habuere triplex genus dierum, legalium ſcilicèt, naturalium, & uſualium 420. *V. Synedrium.* duos Chriſtos, ſeu Meſſias

Digitized by Google

ſias fingunt. *V. duos Chriſtos.*

Iudæis prohibita opera ſervilia, non pietatis, & charitatis in die feſto 424.

Iudæorum fabula de Dei nomine in Templo Hieroſolymitano ſervato, expungitur 275. 276. futilia argumenta, quibus Chriſti Reſurrectionem nullam probant, referuntur, atque refelluntur 491. 492. judiciaria poteſtas poſt natum Chriſtum fuit umbratilis, precaria, & fiduciaria, non ſuprema 145.

Iudæorum pervicacia in negando adventum Meſſiæ 160. & 161. abeunt à Scripturâ, & ſyderum obſervationi hac de re incumbunt *ibid.* ignorantiam de ejus adventu prætexunt *ibid.* ex quibus eorum ignorantia, & obſtinatio convincatur *ibid.* Regnum, ſeu Imperium Aſiaticum fabuloſum 146. à quibus, & qua de cauſâ effictum *ibid.* ejus commentum exploditur 147.

Iudaici anni forma qualis 312. *V. Cyclis.*

Iudaiſmi limes, in quo deſiit, & Chriſtianiſmi, a quo incœpit 218.

Iudas pretio triginta argenteorum vendit Chriſtum Iudæis 457. *V. Argenteorum.* à Cajanis hæreticis miris honoribus, ac laudibus celebratus 458.

Iudicandi poteſtas ineſt perſonis Sanctiſſimæ Trinitatis, congruè tamen per quandam appropriationem adjudicatur Filio 522. non ſolùm tanquam Deo, ſed qua homo eſt *ibid.*

Iudicii extremi ſigna, & indicia 548. locus, in quo exerceri debet 549. ejus forma, an mentaliter tantum, an vocaliter peragendum *ibid.* & 550.

Iudicium particulare divinum animarum ſtatim poſt obitum, ac ſeparationem à corporibus 522. & *ſeqq.*

Iudicium ad ritè exercendum requiruntur, poteſtas coercendi reos, zelus juſtitiæ, & ſapientia 522.

Iudicium extremum univerſale omnium omninò hominum, etiam infideliumn erit 536. qui contrarium ſenſerit, *ibid.* an infantes abſque baptiſmo decedentes *ibid.* de fide credendum proponitur, & probatur 537. ejus neceſſitas oſtenditur *ibid.* & 538. & *ſeqq.*

Iudicium, aliud diſcuſſionis, aliud retributionis 542.

Iuliæ Auguſti Filiæ flagitia, & adulteria, quo anno Imperii Patris detecta 121.

Iuliani Archiepiſcopi Toletani liber tertius cur à Sacrâ Indicis Congregatione cenſoria nota confixus. *V. Congregatio Indicis.*

Iulianus Apoſtata in odium Chriſtianorum Templum Hieroſolymitanum inſtaurare tentavit, ſed portentis ab opere exterritus 163. Chriſti miracula faſſus eſt 273. Chriſti regium genus ex ſanguine Davidis negavit 51.

Iulius Africanus conciliat utrumque Euangeliſtam Matthæum, & Lucam in origine Ioſephi viri Mariæ 69. ejus ratio cæteris omnibus ad hujusmodi conciliationem efficacior oſtenditur 69. & *ſeqq.*

Iulius Cæſar quando occiſus 114.

Iuſti in Purgatorio detenti, quinam liberati fuerunt per deſcenſum Chriſti ad inferos 480. 481. quomodo in Scriptura dicantur mille annis cum Chriſto regnaturi 546.

Iuſtos ante Paſſionem Chriſti morientes in Cœlum non evolaſſe, ſed Lymbo fuiſſe receptos, ut Chriſtum Redemptorem, eos in libertatem vindicaturum, expectarent, dogma fidei eſt 478. poſt Paſſionem autem ſtatim ad cœleſtem gloriam evolaſſe item fidei dogma *ibid.*

Ad Iuſtificationem non ſemper neceſſarium opus externum 471.

Iuſtifi-

Digitized by Google

Iuſtificationis certitudo moralis, & conjecturalis,non verò ex certa animi perſuaſione haberi poteſt ab homine 375. 376. *& ſeq* ad eam aſſequendam hominis diſpoſitiones, quæ requitantur præter fidem 35.
Juſtinus Martyr vindicatur ab errore, quem ei falsò affingunt aliqui 356.
Juſtitiæ inamiſſibilitas, ceu hæreticum dogma profligatur 373.

K

Kalendarium Romanum correctum à Julio Cæſare 555.

L

Lamy *Bernardus* laudatur 129. redarguitur de anno Baptiſmi Chriſti 216. ſibi ipſi contradicit *ibid.* refellitur, ubi probare nititur Chriſtum nullum peregiſſe Paſcha anno, quo mortuus eſt,ſed tantùm inſtituiſſe die decimatertia menſis Niſan Euchariſtiæ Sacramentum 409. *& ſeqq.* ejuſdem ſententiæ falſitas demonſtratur *ibid.* graviſſima incommoda afferuntur 410. reprobatur iterum 426.
Latriæ reſpectivæ cultus Cruci debitus 448. 449. ex Apoſtolorum doctrinâ, & antiquiſſimo Eccleſiæ Catholicæ uſu demonſtratus 450. de eo Ambroſius expoſitus 454.
Latrones cum Chriſto crucifixi,quorum alter reſipuit, alter in impietate ſua mortuus eſt 455. 456.
Lauretana ędicula Marię Virginis è Galilæa, Syriaque in Dalmatiam, è Dalmatia in Picenum miraculo delata, in agro Lauretano conſedit 40. miraculis clara *ibid.* fruſtra ab aliquibus impugnata *ibid.*
Launoii *Joannis* liber à Romanâ Eccleſiâ proſcriptus 328. ejuſdem errores *ibid.*
Lazarinus *Dominicus* laudatur 129.
Lege Leviratus apud Hebræos præcipiebatur, non ut filius procreatus nomen defuncti patris, cui ſuſcitabatur,obtineret, ſed quod ille non ſine poſteritate mortuus eſſe videretur, & ideo permaneret ejus nomen, hoc eſt memoria 86.
Legi Purificationis non erat obnoxia Maria Virgo, & quibus ex cauſis 194. eandem tamen ſubiit, & cur *ibid. & ſeq.* eadem non eguit *ibid.*
Levi, & Matthat non irrepſerunt in textum S. Lucæ contra Cordeſium, & Grotium 74.
Lex apud Hebræos non ſolùm obligabat fratres germanos, ſed etiam uterinos ad ducendam uxorem fratris defuncti ſine liberis 86. imò extendebatur etiam ad propinquos *ibid.*
Lex vetus comparatè ad legem Evangelicam eſt infirma, & imperfecta 190. 191. quo ſenſu ejus præcepta cæremonialia dicantur non bona *ibid.* ejus cæremoniæ, & Sacramenta non habent vim mundandi à peccato, & juſtificandi homines *ibid.* non liberabat homines à ſervitute timoris *ibid.* nec per eam dabatur Spiritus Sanctus, qui eſt principium amoris *ibid.* præcipiebat, non promittebat, jubebat, non juvabat; peccatum puniebat, non tollebat; exigebat, non dabat; onerabat, non roborabat; multaque tolerabat propter duritiem cordis Hebræorum *ibid.*
Lex quando Moyſi à Deo data 587.
Lex Evangelica eſt lex perfectæ libertatis, quæ juſtificat 191. præcipit, & promittit, & jubet, & roborat, exigit, & dat, quod exigit, ſeu ſpiritum, non ſervitutis in timore, ſed adoptionis filiorum *ibid.* lex amoris *ibid.*
Lex gratiæ, & Evangelii. *V. Gratia.*
Liber de ortu Virginis falsò tributus S. Hieronymo 3. de ortu Salvatoris ad apocriphorũ claſſem ablegatus 30. quæ-

Digitized by Google

quæſtionum novi, & veteris Teſtamenti falsò Auguſtino tributus, Pelagianorum fœtus eſt 32. reſponſionum ad Orthodoxos perperam S. Iuſtino Martyri aſſeritur, pluribusque momentis eidem abjudicatur *69.* Paſtoris non magnæ apud eruditos authoritatis 482.

Libertatis eſſentia, & germana notio, in quo conſiſtat *397.*

Linguam Hebraicam callebant Chriſtiani in primo, & ſecundo Eccleſiæ ſæculo *97.*

Linguarum confuſio, & terræ diviſio quo mundi anno acciderit 107. & 108.

Litteræ Dominicalis uſus 556.

Livia, uxor Auguſti, poſt tres menſes à celebratis nuptiis, filium peperit 10.

Lucas, & Matthæus conſentiunt in numerandis majoribus Chriſti ab Abramo uſque ad Davidem Regem, uno excepto Cainano, qui tantùm legitur apud Lucam *67.* ex hinc diverſam viam ineunt *ibid.* diſſentiunt, & quomodo conciliari poſſint *68.* & *ſeqq.*

Lucas Euangeliſta deſcribit legalem dumtaxat ſucceſſionem parentum Ioſephi *69.*

Lucas genealogiam Chriſti ab Adamo auſpicatur, & quare *76.*

Ludi Olympici celebrari ſoliti apud Græcos quinto quoque ineunte anno 571.

Lugdunenſis Eccleſiæ mens qualis fuerit circa capitula Cariſiaci Concilii. *V. Cariſiaci.*

Lunæ Eclypſis. *V. Eclypſis.*

Luſtrum ſpatium quinque annorum 577.

M

MAbillonius *Joannes* laudatur 129.

Machabæorum liber, qua epocha, ſeu æra utatur in putatione annorum 574.

Macrobii teſtimonium de filio bimulo Herodis à patre occiſo exponitur, & ad trutinam revocatur 182.

Magi, qui Chriſtum natum adoraturi advenerunt, nec ex Chaldæa, nec ex Perſide venerunt 173. ſed probabiliter ex Arabia Felice 177. intra tredecim dierum ſpatium ad cunas Domini acceſſerunt 174. non biennio poſt *ibid.* & *ſeq.*

Magica ars nil veri, ac ſolidi oſtentare poteſt, & ſolùm ad circumſcribendos oculos valet 275.

Magorum, qui Chriſtum natum adoraturi, præunte Stella, Bethlehem acceſſerunt, numerus 172. dignitas *ibid.* nomina *ibid.* & 173. falſa aſſertio, quod fuerint Enoch, Melchiſedech, & Elias *ibid.* patria *ibid.* & *ſeqq.*

Magiſtratus omnis Politicus, & Hierarchicus apud Hebræos abolitus ſub Tito 140.

Mahumetis doctrina è diametro opponitur doctrinæ Chriſti 252. de Chriſti miraculis teſtimonia 273. 274. ejuſdem pſeudo-miracula 282. & *ſeq.*

Manichæorum hæreſis. *V. Chriſtum*, & *Chriſtus.*

Manifeſtatio Incarnationis, & Nativitatis Chriſti. *V. Incarnationis.*

M. Aurelius de divinitate Chriſti teſtatur 273. Chriſtianam legionem fulminatricem nuncupat *ibid.*

Maria Virgo an ſtatim ac ablacta fuit, fuerit ad Sacerdotes adducta, & in Templo uſque ad nubilem ætatem educata 3. pro affirmativâ qui ſteterint *ibid.* argumenta in contrarium ſolidiora proponuntur *ibid.* & *ſeqq.* *V. Matrimonium.* ideo nupta, ut ejus conſuleretur honori 7. & *ſeq.* ne Herodes, & Judæi Chriſtum perſequentes excuſabiles redderentur 8. rationes in contrarium refelluntur *ibid.* & *ſeqq.* quomodo intelligenda, quando dicitur deſponſata Joſeph 10. & *ſeqq.* nupta etiam dicta 12.

Ma-

Maria poſt Chriſti ortum, maritali commercio Joſeph non novit contra Helvidii hæreſim 12. voto virginitatis obſtricta, antequam ab Angelo ſciret ſe Matrem Dei electam 14. dum nuberet Joſepho de voto non dubitavit, nec eo ſe ſolutam putavit contra Bollandum 15. vovit conditionatè ex S. Thoma *ibid.* ac etiam abſolutè 16. nec tamen peccavit contrahendo nuptias cum Joſepho *ibid.*

Maria an manſerit, & quoto tempore in ædibus paternis, antequam in domum viri duceretur 16. 17. *V. Puella.* ſemper Virgo permanſit 19. 23. contra Iudæos, & Hæreticos quoſdam *ibid.* *& ſeqq.* id faſſus eſt etiam Mahumetes, & laudat in Alcorano 20. probatur ex veteris Teſtamenti figuris *ibid.* ex Scripturæ ſacræ teſtimonio 24. ex Conciliis *ibid.* ex Sanctorum Patrum traditione *ibid.* ex ratione *ibid.* & 25. probata ex dilutione argumentorum, quæ in contrarium proferunt Judæi, & Hæretici 25. *& ſeqq.* citra dolorem peperit Ieſum 30. non accurrerunt ad ejus partum obſtetrices *ibid.* *& ſeqq.* in ejus partu nil fuit impurum, nil illicitum, nil purgandum *ibid.* *V. Chriſtus.* in Conceptione Virgo ſimul, & Mater permanſit 33. *& ſeqq.* ſtatim ac Gabrieli præbuit aſſenſum, operatione Spiritus Sancti habuit in utero Chriſti corpus integrum, omnibusque organicis membris abſolutum 34. & anima rationali animatum *ibid.* *& ſeq.* concepit Chriſtum die 25. Martii 38. 39. non alia die, ut aliqui cenſuere *ibid.* *& ſeq.* quoto ætatis ſuæ anno conceperit Ieſum 40. in Conceptione Chriſti activè non eſt operata, ſed ſubminiſtravit materiam, ſeu puriſſimum ſanguinem, ex quo Spiritus Sanctus Corpus Chriſti in ejus utero formavit 46. in eadem Conceptione Chriſti non paſſa eſt reſolutionem ſeminis propter integerrimam ejus virginitatem 46. non tantum vera, & naturalis Chriſti Mater, ſed vera Dei genitrix, ideſt perſonæ habentis humanitatem, & divinitatem 47. cōtra Neſtorium *ibid.*

Maria cum Ioſepho venit in Bethleem, gentilem Civitatem Davidis, ut juxtà Cæſaris edictum nomen daret, quia uterque ex ſtirpe Davidis, & ex tribu Iuda erat oriundus 53. in ea ſiquidem Civitate tantummodo profiteri debebant, qui erant de domo Davidis *ibid.* nupta Ioſepho, quia eidem conjuncta, & ex eadem tribu, & familia *ibid.* dicta putidè in Alcorano de ſtirpe Amrami, & ſoror Aaronis 54. quomodo probetur eſſe ex ſtirpe David, & ſimul cognata Eliſabeth 57. 58. 59. unica Ioachimi proles, & ex aſſe hæres 63.

Maria, & Ioſeph proximo conſaguinitatis gradu conjuncti 63. quoto gradu diſtarent 65.

Maria Virgo propediem paritura cum Ioſepho Bethleemum venit, & quare 154. qua de cauſa ambo conjuges in eam hoſpitii partem ſeceſſerint, qua jumenta excipiebantur *ibid.* more pauperum die Purificationis ſuæ obtulit par turturum, & duos pullos columbarum 174. quid de auro à Magis oblato diſpoſuerit *ibid.* legi Purificationis minimè obnoxia fuit, cur tamen eandem ſubierit 194. & 195. eadem non eguit *ibid.* Chriſto patiente tacta fuit acerbiſſimo dolore 460. 461. nil tamen per mœſtitiam, rectæ rationi non conſentaneum, nil non undecumque decorū admiſit *ibid.* juxtà Crucem ſtetit *ibid.* malè à pictoribus repræſentatur juxtà Crucem attonita, inter brachia Magdalenæ exanimis, & ab auctoribus genas unguibus ſibi lacerans &c. *ibid.*

Mariæ poſt nuptias virginitas diab. latuit 64. partus in tota Iudæa notiſſimus 10.

Digitized by Google

Mariæ ad comprobandam virginitatem expediebat, ut in ædibus Ioſephi habitaret, eique nupta eſſet, dum concepit 18. matrimonium non fuit unquam conſummatum 19. contra Iudæos, & Hæreticos quosdam *ibid. & ſeqq.* ejus primogenitus quomodo, & quo ſenſu dicatur Ieſus 28. turbatio ex aſpectu Angeli ſalutantis, & ex ejus ſermone unde orta 32. conveniens verecundiæ virginali *ibid.* interrogatio non dubitantis, aut fluctuantis animi motus, ſed admirationis affectus *ibid. & ſeq.*

Mariam poſt legationem Gabrielis fuiſſe Joſepho, ſeu viro traditam, qui ſenſerint 5. quæ ſententia impugnatur *ibid. & 6. & ſeq.* non Dei, ſed hominis matrem eſſe, hæreſis Neſtorii 35.

Marſhami falſum commentum de Circumciſione ex Æthyopum, & Colchorum moribus in Iudæos derivatâ 193. item de aliis ritibus in Hebræos ex Gentilibus traductis *ibid.* temeritas redarguitur 302.

Martyrium Petri, & Pauli quo anno Neronis evenerit 313. 314. paſſi poſt mortem Chriſti anno trigeſimo ſeptimo *ibid. V. Petrus.*

Martyrum numero quomodo ab Eccleſiâ Infantes Bethleemitici adſcripti 184.

Maſſoni *Joannis* nupera ſententia, Iani templum tempore Nativitatis Chriſti non fuiſſe clauſum, nec tunc Romanum Imperium pace gaviſum, redarguitur, & refellitur 158.

Maſſora eſt critica Hebræorum doctrina in ſacræ Scripturæ litteris, vocibus, verſibus, accentibus, & punctis vocalibus occupata, ut ſic genuina maneat ejuſdem lectio 91.

Maſſorethæ Rabbini peritiores Scholæ Tyberiadis 91. quo anno vixerint *ibid.* cenſuerunt herculeo labore, & accuratiſſimo criterio omnes apices ſacræ Scripturæ *ibid.*

Matthæus deſcribit tantummodo naturalem parentum Ioſephi genealogiam 69.

Matthæus, & Lucas conſentiunt in numerandis majoribus Chriſti ab Abrahamo uſque ad Davidem Regem, uno excepto Cainano, qui tantùm legitur apud Lucam 67. ex hinc diverſam viam ineunt *ibid.* diſſentiunt, & quomodo conciliari poſſint 68. *& ſeqq.*

Matthæus genealogiæ Chriſti exordium duxit ab Abrahamo, cui promiſſio de Meſſia naſcituro facta eſt 76. continuavit per Davidem, Salomonem, &c. ut oſtenderet jus Chriſti ad regiam dignitatem, natumque ex vera ſtirpe Abrahæ, & Davidis, proindeque eſſe verum Meſſiam 76. cur in texendâ genealogia Chriſti tres Reges prætermiſerit 84.

Matthat, & Levi non irrepſerunt in Textum S. Lucæ contra Cordeſium, & Grotium 74.

Matres in conceptione filiorum concurrunt activè per effuſionem ſeminis ex Galeno, & Avicenna 46. ex aliis paſſivè tantùm *ibid.*

Matrimonium Mariæ cum Ioſepho initum ante legationem Gabrielis 2. 5. *& ſeqq.*

Matrimonium eſt verum, & ratum, etiam ſecluſo omni concubitu nuptiali 5.

Matrimonium nunquam, ſed ſponſionem tantùm inter Ioſeph, & Mariam interceſſiſſe, aliquorum opinio rejecta 4. *& ſeq.*

Matrimonium ratum, in quo diſcrepet à ſponſalibus 16.

Matthias Margolothus, ejuſque ſocii, doctiſſimi Iudæorum, & Interpretes legis, jubente Herode vivi combuſti 185.

Maximus Ægienſis quæ de Apollonio retulerit 281.

Medorum Imperium quando incœperit, & quot annis perſtiterit 111.

Digitized by Google

Megarenes (Scriptor rerum Apollonii Tyanæi) qualis 281.
Melchiſedech typus eſt Chriſti, æternum geſtantis Pontificatum, hoc eſt tam in terris, quàm in Cœlis Sacerdotio fungentis 516.
Menſis primus anni apud Hebræos reſpondet partim Martio, partim Aprili noſtro 405. ab eo ducitur veris initium *ibid.* vocatus Abib, ſeu Niſan *ibid. V. Niſan, & Abib*. Lunaris duplex, Periodicus, & Synodicus, ſive Aſtronomicus 559. Embolimæus quis 560.
Mentis virtus mitigat dolorem paſſionis,& quomodo 438.
Meritorum Chriſti applicatio. *V. Applicationem.*
Meritum paſſionis, & ſatisfactionis Chriſti eſt cauſa univerſalis remiſſionis peccatorum, & applicatur hominibus per fidem, per bona opera, & per Sacramenta ab ipſo Chriſto inſtituta 402.
Meſſiæ ortus diabolo latuit 6. venturi prædictio ad ſolam familiam Davidis reſtricta 53. tempus quomodo appelletur ab Iſaia noviſſimum, & ultimum 166.
Meſſias ex progenie Abraham, & Davidis, ac ex tribu Iuda ſecundùm Prophetas, & Scripturam ſanctam naſci debebat 52. egreſſurus ex Bethleem 154. prophetiarum complementum *ibid.* naſci debuit eo tempore, quo ſumma pax per orbem vigebat 156. imò natus eſt 157. *& ſeqq.* in Bethleem 159. illuſtria de eodem teſtimonia *ibid. V. Prophetarum,* & *Michaea.* ex Virgine, quo tempore ablatum eſt à gente Iudaica ſceptrum 159. teſtimonia illuſtria de eo *ibid.* & 160. quo anno à mundo condito juxtà Prophetas in mundo apparere debuit, & apparuit *ibid.* eo ipſo tempore ab Hebræis expectatus, quo Chriſtus in lucem prodiit 160. ejus adventus non retardatus, ut iidem Hebræi falsò comminiſcuntur *ibid.* & 161. non caduco, & temporario regno potiri debuit, ſed habere ſpirituale, & æternum 167. pauper naſci debuit ex Prophetarum prædictione *ibid.* de ejus paupertate quomodo Hebræi eludere nitantur oracula *ibid.* & 168. *V. Duos Chriſtos, & Iudæi.*
Michææ vaticinium de prodituro Meſſia ex Bethleem falsò à Iudæis interpretatum 165. ejus vera interpretatio *ibid.* & 166. in Chriſto fuit impletum *ibid.*
Michaelis Cæſenatis, Okami, & aliquorum Minoritarum errores de mendicitate, tam communi, quàm ſpeciali Chriſti, & Apoſtolorum damnati 230.
Millenarius numerus, ex ſolemni ſanctæ Scripturæ phraſi, multitudinem maximam, atque indefinitam ſignificat 546.
Millenariorum hæreſis quæ, & quibus parentibus orta 537. refellitur 543. *& ſeq.* eorum dogma,in quo à ſententia Papiæ, aliorumque Patrum diſcrepaverit 547. *& ſeq.*
Minoritæ. *V. Michael Cæſenat.*
Miracula Chriſti. *V. Chriſtus.*
Miracula Ethnicis tributa vel ſimulata, vel magicis artibus tribuenda 280. Apollonii Tyanęi,merę pręſtigię *ibid. V. Apollonius.* Veſpaſiano adſcripta,non vera, ſed ſimulata 282. *V. Veſpaſianus.*
Miraculi veri conditiones 271. 272.
Miſericordia Dei. *V. Dei.*
Miſſa ſolemnis. *V. Sacrificium.*
Moliniſtæ quam notionem exhibeant de gratia ſufficienti 320. in quo differant à Thomiſtis *ibid.& ſeqq.*
Moliniſtarum, & Thomiſtarum cauſa de auxiliis acerrimè coram Sede Apoſtolica agitata 323.
Monachi Adrumetini non fuere Prædeſtinatiani, ſed Semipelagiani 351.

Digitized by Google

Monothelitarum dogma hæreticum quale 36. damnatum in ſexta Synodo *ibid.*

Mons, in quo transfiguratus Chriſtus 284.

Moralia. *V. Opera, Præcepta.*

Mors Chriſti fuit verum, ac propriè dictum Sacrificium 389. *& ſeqq.*

Mors duplex peccatorum, & infidelium quænam dicatur 546.

Mors per ſe mala eſt, & inimica naturæ 436. non à Deo facta *ibid.*

Moyſes legis typus 287. non apparuit imaginariè in Transfiguratione Chriſti *ibid. &* 288. ſignorum poteſtate, & authoritate ſibi à Deo tradita in libertatem à ſervitute Ægyptiaca vindicavit Hebræos 385.

Mundi ſex ætates 580. *& ſeqq.*

Myrrhæ, & aloes, quibus conditum Corpus Chriſti, expoſitio myſtica, & naturalis 464.

N

NAhum Propheta dicens, quod *Deus non bis judicat in idipſum*, exponitur 539.

Nathan filius Davidis ex Berſabea, non Uriæ 55.

Nativitas Chriſti non omnibus, ſed tantùm aliquibus, quando peperit eum Maria, noſſe data, & quibus ex cauſis 168. 169. *V. Incarnationis.* ad ſui manifeſtationem non indiget ementitis, fictiſque portentis 171. fulget certis, & indubitatis miraculis *ibid. &* 172.

Nativitatis Chriſti ſigna aliqua expenduntur. *V. Incarnationis.*

Natura humana à Chriſto aſſumpta non habuit hypoſtaſim præter hypoſtaſim Verbi Divini 35. contra hæreſim Neſtorianam *ibid.* per unionem hypoſtaticam non fuit abſorpta à natura Divina, ſed conſervavit ſartas tectas actiones, & proprietates utriuſque naturæ *ibid.* contra hæreſim Eutichetis *ibid.*

Naturas duas non eſſe in Chriſto, carnemque ab ipſo Incarnationis articulo in Divinitatem fuiſſe commutatam, & ex utraque natura, Divina & humana, ſubſtantiam coaluiſſe unam, ſicque Chriſtum, ut Deum fuiſſe paſſum, hæreſis eſt Eutichetis 35.

Neomenias duplices apud Hebræos fuiſſe autumat Pezronius 417. refellitur *ibid.*

Nepotes dicûtur filii apud Hebræos 84.

Neſtorii hæreſis qualis 35. damnata in Concilio Epheſino *ibid.*

Nini potentia, & amplitudo Regni, quanta à Diodoro memoratur, fabuloſa 108.

Niſan: *V. Abib.*

Noallius Cardinalis laudatur 341.

Noemi, & trium ejus filiorum fœcunditas par fuit procreandis hominibus, qui ad turrim Babyloniſcam ſtruendam, & ad diverſa regna ſufficere potuerunt 107. quot hi eſſe tunc potuerint 108.

Nomen JESU. *V. JESU.*

Noriſiana Periodus, dicta Luniſolaris 569.

Noriſius non probatur, quoad epocham expugnationis Hieroſolymę factæ per Herodem 115. laudatus 121. 264.

Nox apud Iudæos in quatuor vigilias diſtributa, in totidem ſtationes diviſus dies 315. diſtributio *ibid.*

O

OKamus. *V. Michael Ceſenas.*

Olocauſta in veteri teſtamento altari ligneo imponebantur 448.

Olympiadum initium 571.

Opera bona moralia ſine fide in Chriſtum Mediatorem ad ſalutem minimè prodeſſe poſſunt 485. *& ſeq. V. Præcepta.*

Opera Infidelium. *V. Infidelium.*

Ope-

Digitized by Google

Opera meritoria. *V. Chriſti, & Chriſtus.*
Opera ſervilia, non autem pietatis, & charitatis, prohibita Iudæis in die feſto 424. qualia exercere potuerint die primo, & ultimo azymorum *ibid.*
Operationes, quas Deus agit extra ſe, tribus Perſonis Divinis ex æquo ſunt communia 50. interdum tamen ſacræ litteræ aliam alteri perſonæ adjudicare ſolent *ibid.* duæ in Chriſto. *V. Voluntates.*
Operis totius epilogus 552. *& ſeqq.*
Operum bonorum neceſſitas, & Chriſtianarum virtutum conſortium, præter fidem in Chriſtum Mediatorem, prærequiritur ad ſalutem 354. *& ſeq.*
Opinio probabilis, unius, vel plurium gravium Authorum ſuffragiis munita, ſi ſit legi Dei reapſe contraria, non excuſat à peccato 458. reprobatur *ibid. & ſeq.* in fœtidis modernorum Caſuiſtarum paludibus enata 459.
Oracula conſuluit, & ab eis reſponſa recepit Iulianus Apoſtata 170.
Oraculorum ceſſatio, ſtatim ac natus eſt Chriſtus, minimè certa fide adſtrui debet 170. an tantùm reddi verſibus deſierint *ibid.*
Oraculum Velledæ magno in pretio fuit apud Germanos ſub Veſpaſiano 170.
Oratio ad Deum jugis neceſſaria poſt baptiſmum 221.
Orationes noſtræ cur aliquando à Deo non exaudiantur, & quæ petimus non impetremus 520.
Orationes noſtræ in terris, Sanctorum in Cœlis nõ ſunt ſuperfluæ, nec quicquam derogant orationi Chriſti, quæ eſt ſufficientiſſima, & infiniti valoris 518. quicquid in iis petimus à Deo, id totum petimus intuitu meritorum Chriſti *ibid.* eadem de Sanctis in Cœlo orantibus dicenda *ibid. &* 519. *V. Petere.* veteris Eccleſiæ pro Sanctis non deprecationes fuere, ſed gratiarum actiones 529. *V. Preces.* quibus utitur Eccleſia in feſtis Chriſti mutuatæ ab Oraculis Prophetarum, qui Chriſtum venturum, & paſſurum cecinerunt, & cur 530.
Origenes erroris arguitur, dicens, Chriſtum in Cœlis Advocati, & Sacerdotis officio fungentem pro nobis, lugere peccata noſtra 517.
Origeniſtæ de futura reſurrectione carnis malè ſenſerunt 496.
Originale peccatum ad omnes homines non fuiſſe transfuſum Pelagianum dogma 337. convellitur, & reprobatur *ibid.*
Oroſius *Paulus* reprobatus circa tempus, quo tertiò clauſum Auguſti ſub Imperio Iani templum 156.

P

Pagius refellitur de conſignatione Natalis Chriſti ad annum trigeſimum nonum Imperii Auguſti 132. 133. item Harduinus, aliique *ibid.*
Papias vir pertenuis ingenii 310. traditiones fabuloſas in ſuis ſcriptis inſeruit *ibid.* ejus authoritas minimi momenti 547.
Paraſceve indigitat diem Veneris, quæ apud Iudæos ſemper erat præparatio ad Sabbatum 422.
Partus Virginis Mariæ fuit citra dolorem, & ſine obſtetricibus 30. nil habuit impurum, illicitum, vel purgandum 31.
Parvuli omnes peccato originali obſtricti 326. ex hac vita migrantes abſque baptiſmo à ſiniſtra in judicio generali collocabuntur, & ſententia Judicis perpetuæ damnationi addicetur 539. quid de iis Pelagiani, qui reprobantur 540. quid Catharinus, & Molina, qui irridentur *ibid.* non patientur pœnam ſenſus 541. non judicabuntur judicio diſcuſſionis, ſed retributionis 542. *V. Chriſtus, Infantes.*
Paſcha Iudaicum celebrabatur ex legis præſcripto ad veſperam diei decimæ quar-

quartæ menſis primi 405. ideſt ad veſperam, in qua deſinebat dies decima quarta *ibid.*

Paſcha à Chriſto minimè celebratū fuiſſe, anno quo mortuus eſt, die à lege præſcripta, ſed die integra anticipatū, ſentiunt Græci 406. nullo modo peractum dicunt alii *ibid.* vera de hac re ſententia proponitur *ibid. V. Chriſtus.* duplex Hieroſolymis celebratū fuiſſe, ſejunctim ſcilicet, aliud à Galilæis, aliud à Iudæis commentum Harduini reprobatur 418. 419. ex uſu Scripturæ ſacræ non ſolùm immolatū Agnum Paſchalem, ſed etiam alias victimas, quibus Iudæi per ſeptem Azymorum dies veſci poterant 421. ſumi poteſt pro toto feſto Iudæorum, quod ſeptem diebus agebatur *ibid.*

Paſchatis celebrandi dies ad diem Dominicum, proximè ſequentem Lunam decimam quartam poſt æquinoctium vernum illuceſcentem, fixum fuit 429. 430.

Paſſio Chriſti dicta placamen, ſeu propitiatio pro peccatis noſtris 383. eſt cauſa ſalutis noſtræ per modum propriè dictæ redemptionis, ſatisfactionis, & ſacrificii 382. *& ſeqq. V. Chriſtus.* non ſolùm ſufficiens, ſed etiam ſuperabunda ſatisfactio pro peccatis generis humani 383. 385. *& ſeqq.* Apoſtolorum, & Martyrum plurimùm contulit ad veritatis doctrinæ, quam prædicabant, confirmationem, & ad præbendum heroicæ patientiæ, ac fortitudinis exemplum 384. 385.

Paſſio Chriſti operata per modum ſacrificii 391.

Paſſionis Chriſti effectus quinque 388. *& ſeq.* virtus applicatur viventibus per Sacramenta; beneficium autem applicatum eſt mortuis per illius ad inferos deſcenſum 476.

In Paſſione Chriſti omnium virtutum clariſſima exempla habemus 402.

Paſtores ſub dio, & intempeſta nocte excubias armentis, & ovibus in agris agebant, quo tempore natus eſt Chriſtus Dominus 155.

Pater æternus, cujus vox audita eſt, teſtis Transfigurationis Chriſti 288. impoſuit Chriſto pœnas pro peccatis hominum perferendas 383.

Patrum ſententia in iis, quæ ad fidem, & morum regulam ſpectant, cum veneratione recipienda 55. quid in his, quæ pertinent ad hiſtoriam *ibid.*

Pauli, & Petri martyrium. *V. Martyrium.*

Pax, & tranquillitas animæ. *V. Anima.*

Peccata ignorantiæ 460.

Peccato originali obſtricti omnes parvuli 326.

Peccatores obdurati, & obcæcati omni, ad certum ſaltem tempus, interiori gratia deſtituuntur 341. non excuſantur à peccato *ibid.*

Peccatorum de remiſſione, & de ſalute æternâ ſemper timendum, nec de eâ citra ſpecialem revelationem nos in hac mortali vitâ conſtituti certiores futuri 362. *& ſeqq.* remiſſio, & generis humani redemptio tribuitur Sanguini Chriſti effuſo 466.

Peccatum, contra Deum commiſſum, habet quandam infinitatem 394.

Peccatum non committi, niſi præviâ ejus cognitione, ejusque vitandi deſiderio extimulemur, eſt propoſitio damnata ab Eccleſia 459. à Neotericis Caſuiſtis recepta, & propoſita *ibid.* ejus mala, & peſſimi effectus, ſi admitteretur 460.

Pelagianorum error de gratia. *V. Gratiam Dei.*

Pentecoſtis dierum initium diverſum, & quale 425. hujus feſti dies an in diem Dominicam inciderit anno, quo mortuus eſt Chriſtus, non certò conſtat *ibid.*

Periodi tam Græcæ, quàm Latinæ, quæ ex Cyclis ſunt conflatæ 565.

Periodus Antiochena 565. Græco Romana nuncupata 566. Alexādrina 567.

Digitized by Google

Conſtantinopolitana 568. Victoriana *ibid.* Iuliana 569. Noriſiana Luniſolaris *ibid.*

Perſarum Imperii origo 111. finis 597. Regum edicta in gratiam Iudæorum. *V. Edicta, Daniels.*

Perſonas duas in Chriſto eſſe, duoſque Chriſtos, unum Filium Dei, & filium hominis alterum, Mariam Virginem non Dei, ſed hominis matrem eſſe, error Neſtorii 35.

Petavius minimè probatus in eo, quod aſſeruerit Chriſtum per ſuum ad inferos illapſum iis impertiviſſe ſalutem, & ſui notitiam, qui, dum viverent, taliter affecti fuiſſent, ut, ſi tunc Chriſtus adveniſſet, ad illius fidē amplectendam eſſent animo parati 481.

Petere, quæ debeamus, ut à Chriſto Pontifice, & Advocato noſtro in Cœlis, orante pro nobis, accipere mereamur 520.

Petri, & Pauli martyrium. *V. Martyrium.*

Petrus teſtis Transfigurationis Chriſti, Collegii Apoſtolici Caput, & Princeps 288. Romam venit anno ſecundo Claudii Imperatoris 315. duodecimo poſt mortem Chriſti *ibid.* Romanam Eccleſiam gubernavit per annos viginti quinque *ibid.* cum peccavit, charitatem non amiſit 372. & quomodo *ibid.* & 373. in epiſtolæ primæ cap. 3. expoſitus 481.

Philippus Tetrarcha Trachonitidis urbem Iuliæ Auguſti filiæ dedicavit cognominem 121. quando Tetrarcha factus *ibid.*

Philo Patriarcharum annos numeravit juxtà calculum Hebræorum 105. ejus liber *de Temporibus* apocriphus, & ſpurius *ibid.*

Philoponus *Joannes* hæreticus Monothelita, nullius ponderis author 426.

Philoſophi Gentiles vitiis dediti, & ſuperbiā elati, virtutes non Deo, ſed ſibimetipſis arroganter tribuebant 355. aliqui Ethnici quomodo dici potuerint à S. Iuſtino Chriſtiani 356. 357. plura hauſerunt ex ſacris veteris Teſtamenti Codicibus *ibid.* habuerunt indita Verbi, ſeu veritatis, & rationis ſemina *ibid.* *V. Ethnici.*

Philoſophorum doctrina, in quibus diſcrepet à doctrina Chriſti 252.

Philoſtratus cur hiſtoriam Apollonii ſcribendam ſuſceperit 280. centum & amplius annis Apollonio recentior 281. quos teſtes ſuæ hiſtoriæ laudet *ibid.* *V. Damis, Maximus, Megarenes.*

Pilatus quo anno Imperii Proconſularis Tiberii Iudæam adminiſtrare cœperit 213. 214 procuratione Iudææ abdicatus ante annum trigeſimum quintū æræ Chriſtianæ 305. juſſus Romam proficiſci, invenit Tiberium jam vita ceſſiſſe *ibid.* iniqui Iudicis in Chriſtum functus officio, qua morte miſerè peremptus 457.

Polygamia poſt diluvium à Deo permiſſa ad ſobolis humanæ incrementum 197.

Pœna, qua nos peccatores, & rei plecti debebamus, commutata eſt in pœnam, quam Chriſtus voluntariè in ſe ſuſcepit 383.

Pœnitentiā, ad juſtificationem per claves Eccleſiæ obtinendam, præparari debent, qui in peccatum poſt Baptiſmum lapſi ſunt 371. itemque virtutum, & bonorum operum exercitio *ibid.* & *ſeq.*

Pœnitentia ad ultimam vitæ periodum minimè procraſtinanda 456.

Pœnitentiæ agendæ omnibus hominibus neceſſitas incumbit 402. de eadem praxis, & diſciplina Eccleſiæ *ibid.* & *ſeq.* ab hæreticis impugnata 403. *V. Satisfactiones.*

Pontificatus æternus Chriſti 516. *V. Chriſtus, Sacerdotium.*

Porphyrius regium Chriſti ex Davidis ſtirpe genus negavit 51.

Poſſini reverentia erga SS. Patres deſideratur 70. rejicitur ejus ſententia

de

Digitized by Google

de origine Ioſephi 72. & *ſeq.*
Poteſtas judiciaria Chriſti ſe extendit etiam ad Angelos ſive bonos, ſive malos, & quomodo 543. Hebræorum. *V. Synedrium, & Judaorum.*
Præcepta omnia moralia ab infidelibus ſervari potuiſſe propriis viribus, & abſque gratiâ medicinali Chriſti Pelagianum eſt 486.
Prædeſtinati, cum reprobis comparati, admodum pauci ſunt 333.
Prædeſtinatianam hæreſim aliquando extitiſſe negatum à pluribus Patribus 350. 351. ejusque profeſſores in ſectam minimè coaluiſſe oſtêſum 352. ſub hoc nomine falsò calumnia diſcipulis S. Auguſtini impingitur *ibid.* hanc hæreſim nono ſæculo profeſſus eſt Gotteſchalcus Monachus, ideoque damnatus *ibid.* & 353. *V. Gotteſchalcus.*
Prædeſtinatianorum error refertur 350. pauci numero fuerunt *ibid. V. Prædeſtinatianam.*
Prædeſtinatorum ſalus quomodo fieret ſecundùm hæreticos Semipelagianos 319.
Prædicatio Euangelii quomodo ab Apoſtolo appelletur *Stultitia* 254. 255. comparatur grano ſinapis *ibid. V. Chriſtus, Sacerdotium.*
Prædicationis nemo debet aſſumere onus, niſi fuerit purgatus, & in virtute perfectus 239.
Prædicatores Verbi Dei à quibus abſtinere debeant 247. quid, ſi aliqui ſuâ perverſitate ſalutē multitudinis præpediunt 258.
Præmiorum, & pœnarum retributio à Chriſto fit homini ſtatimac moritur 523. variæ de ea ſententiæ referuntur, & refelluntur *ibid.* vera proponitur, & adſtruitur ex Conciliis Florentino, & Tridentino *ibid.* non differtur uſque ad Iudicium univerſale 524. ex Scriptura ſacrâ, ex traditione Eccleſiæ, ex Sanctorum Patrum teſtimoniis *ibid.* & 525. eorum dilatio, & animarum extra Cœlum mora ab aliquibus veteribus Patribus tradita 526. poſtliminio revocavit Calvinus proſcriptum ab Eccleſia errorem de dilatione beatitudinis 527.
Præputium Chriſti etiamnum extat, & ubinam 196. de eo variæ ſententiæ circa locum, quo ad præſens ſervetur *ibid.*
Præſentationis B. Mariæ. V. Feſtivitas expuncta à Pio V. Reſtituta à Sixto V. 3.
Præſepe Bethleemiticum. *V. Spelunca, & Maria Virgo.*
Preces Eccleſiæ pro defunctis exiſtentibus in Purgatorio 529. & *ſeq.* conceptæ, quaſi nunc animæ migrarent è corporibus *ibid.*
Primogenitis in Scriptura ſacra interdum tributum nomen Unigenitorum 29.
Principes Sacerdotum dicti apud Hebræos quinam fuerint 232.
Principes, quamvis fidei hoſtes, verbis honorificis compellari debent 452. exempla *ibid.*
Pro præpoſitio, ex ſolito Scripturæ ſacræ uſu ſignificat rei, aut perſonæ, in alterius rei, aut perſonæ locum, ſubrogationem 386. 401.
Prodigia, quænam tēpore mortis Chriſti evenerint 443. & *duob. ſeqq.*
Prophetæ de Chriſto prædixerunt quicquid de eodem credimus, & ſacris Euangeliſtis præluſerunt 161.
Prophetarum vaticinia de Meſſiâ naſcituro in Bethleem impleta 159. & ex Virgine *ibid. V. Michæa.* oracula de tempore venturi Meſſiæ malè ab Authoribus Ethnicis, & Romanarum rerum Scriptoribus ad Veſpaſianos derorta 160.
Proto Euangelium perperam S. Iacobo adſcriptum 3.
Pſeudo Meſſias, nomine Barcochebas 96. ejus mors 98.
Ptolomæus Lagi primus poſt obitum Ale-

Digitized by Google

Alexandri Magni regnavit in Ægypto 572.

Puella poſt ſponſalia in domo parentum aliquanto tempore moram facit ante deductionem in domum conjugis 16. nulla tamen lege apud Hebræos 17. quoto tamen ex quadam conſuetudine, ſeu pro voluntate, & commoditate contrahentium *ibid.*

Pueri, qui ſolo peccato originali obſtricti è vivis exceſſerunt, non fuere, per deſcenſum Chriſti ad inferos, educti, quia gratiam ſanctificationis non habuerunt 480. patiuntur tantùm in lymbo pœnam damni *ibid.* vel etiam mitiſſimam pœnam ſenſus *ibid.* Baptiſmo non abluti & cum peccato originali decedẽtes ſunt ſub poteſtate diaboli,& filii iræ, &c.& nõ fuere per Chriſti ad inferos deſcenſum liberati 488. damnantur propter peccatum originis *ibid.* eorum pœna, & damnatio in quo ſita ſit controverſum, nec definitum eſt 489. referuntur variæ ſententiæ *ibid.* de iis Pelagianorum error enarratur, & refellitur *ibid.* non gaudent ullâ felicitate naturali *ibid.* & *ſeqq.*

Purificationis B.M.V. feſtum ſecundùm aliquos circa medium ſexti ſæculi, ſecundum verò alios ab ipſis Apoſtolorum temporibus arceſſendum 198. ſub Occurſus Domini nomine, vel Hypapantis agnitum *ibid.* & *ſeq.* ex quibus cauſis inſtitutum 199.

Q

Quartadecimanorum hæreſis 415. unde ortum habuit 429. damnata *ibid.*

Quinquennalium, decennalium, & vicennalium Imperatorum celebratio 563.

Quintilius Varus ſucceſſit Saturnino in Præfectura Syriæ, & quando ex obſervationibus Noriſii 133.

Quirinius miſſus ab Auguſto in Syriam, & alias Orientis Provincias, ut indiceret cenſum 130. quo anno eum indixerit *ibid.* debellat Homodanenſes rebelles *ibid.* populi cenſum incœpit, ſed intermiſit : continuavit Sentius Saturninus; perfecit Quintilius Varus *ibid.* duplicem fecit Iudææ deſcriptionem 131.

R

Reges quot annis Romano in Regno dominati ſint 576.

Regnum Meſſiæ quale ſibi effinxerint Hebræi 167. quale autem re vera eſſe debuit *ibid.*

Regnum Chriſti non terrenum, ſed cœleſte 544.

Remiſſio peccatorum. *V. Peccatorum.*

Reſurrectio Chriſti neceſſaria fuit 502. & 503. eſt cauſa efficiens reſurrectionis mortuorum 507. item cauſa exemplaris *ibid. V. Euangeliſta.*

Reſurrectionis opus potentius inter miracula à Chriſto edita, & ad ejus divinitatem comprobandam 490. negatum à Iudæis *ibid.* allegoricè, ac impiè expoſitum à Benedicto Spinoſa *ibid.* & 491. *V. Corpus Chriſti, Chriſtus, Judæorum, Eutychius.*

Reſurrectio duplex Sanctorum quænam dicatur 546.

Reſurrectionem mortuorum omnium futuram quomodo S. Paulus comprobaverit 405.

Reſurrectionis mortuorum varia exempla futuræ reſurrectionis comprobant fidem 505. *V. Filius*: item novi teſtamenti probant plurima teſtimonia *ibid.*

Reſurrectionem impiorum nullam futuram blaſphemavit Socinus 505. ejus error refellitur *ibid.* & 506. futuram omnium hominum negarunt inter Iudæos Saducæi 504. inter Chriſtianos plurimi hæretici *ibid.* à nemine citra apertam hæreſim negari, aut in du-

Digitized by Google

bium revocari poſſe oſtenditur *ibid.* & 505.
Reſurrectio corporum ad pœnam, vel præmium pertinet, & ordinatur 507. cur rejecta à Philoſophis Ethnicis 508. poſſibilis, ſpectata Dei omnipotentiâ *ibid.* juſtitiæ Divinæ conſentanea *ibid.* à piſcibus, vel feris, & hominibus devoratorum, quia non periit Deo terrena materies 509. infantum in eâ quantitate carnis, quæ eis, ſi adoleviſſent, acceſſura erat *ibid.* electorum, ſine aliqua corporis deformitate, ſi quam fortè, dum viverent, habuerunt *ibid.* Martyrum, cum cicatricibus, & vulneribus in eorum martyrio eiſdem inflictis 510. impiorum *ibid. V. Impii*, & *Corpora*.
Retributio præmiorum, & pœnarum. *V. Præmiorum*.

S

SAbbati violatio, nec per Chriſtum, nec per Apoſtolos facta 248. & *ſeq.*
Sabbatum anno, quo Chriſtus mortuus eſt, incidit in ſecundam diem Azymorum, vocatumque hac de cauſa magnus dies 422. 423.
Sacerdotium, prædicatio Verbi Dei, & animarum regimen cur ſaltem Clericis trigeſimo eorum ætatis anno præſcriptum 234.
Sacerdotium æternum Chriſti 516. manat ex unione hypoſtaticâ Verbi Divini cum naturâ humana *ibid.* & 517. *V. Chriſti*.
Sacramenta novæ legis juſtificant hominem, ut inſtrumenta Paſſionis Chriſti 359.
Sacrificium quid? 391. ſolemne cur in die Paraſceves, & in Sabbato Sancto ab Eccleſia prætermittatur 455.
Sacrificium oblatum à Chriſto in ara Crucis, non ad Templum, non ad Urbem, non ad Gentem aliquam ſingulariter pertinere, aut arctari poterat 390. par erat toti redimendo generi humano *ibid. V. Mors Chriſti.* præfiguratum in ſacrificiis veteris legis 391.
Saladinus Ægypti Sultanus Latinis Terram Sanctam eripit 474.
Salathiel, & Zorobabel in genealogiâ Chriſti apud Matthæum diverſi a Salathiele, & Zorobabele, qui in genealogia Chriſti apud Lucam 77. *V. Jechonias*.
Salus multitudinis præferenda paci quorumcumque ſingularium hominũ 258. *V. Prædicatores*, & *Animarum Rectores*. prædeſtinatorum. *V. Prædeſtinatorum*.
Salutationis Angelicæ circumſtantiæ expenſæ 31. & *ſeqq.*
Salutatio Angelica recitatur à fidelibus ad recolendum Incarnationis Verbi myſterium 41. non fuit in uſu ante ſæculum undecimum *ibid.* prima tantùm ejuſdem pars tunc cœpit recitari *ibid.* ſecunda inſtar appendicis poſt ſæculum decimumquintum *ibid.*
Samaritani plurimo odio Judæos proſequebantur 99.
Samaritanus Pentateuchus in annis Patriarcharum mutilatus 98. & interpolatus 99.
Sancti in judicio univerſali quomodo judicandi 543.
Sanctorum orationes, merita, ſatisfactiones admittimus contra Hæreticos 519. earum autem valor proficiſcitur ex meritis, ſeu ſatisfactione, & oratione Chriſti Domini *ibid.*
Sancto Sanctorum in Templo Hieroſolymitano nulli patuit aditus, niſi Summo Pontifici ſemel in anno 4.
Sanguis duplex: unus vitalis, & præcipuus; alter ſuperfluus, & degener 503.
Sanguis Chriſti in triduo mortis fuit Verbo Divino hypoſtaticè unitus 465. & *ſeqq.* gravis de ea re contentio inter Dominicanos, & Franciſcanos refertur *ibid.* qui de Corpore Chriſti fluxit, cum ad veritatem humanæ

Digitized by Google

manæ naturæ pertineat, in Corpore Chriſti reſurrexit 470. qui in quibuſdam Eccleſiis conſervatur, miraculosè de quadam imagine ejus effluxiſſe dicitur *ibid.* guttas tamen aliquas, quæ ſecundùm ſe non pertinebant ad ejus corporis integritatem, in terris remanſiſſe non improbabile *ibid.* & 471. in Corpore glorioſo Chriſti. *V. Corpus.*

Sapientia eſt ratio, & forma judicii, atque in Divinis tribuitur Filio 522.

Saraceni Hieroſolymam occupant 474.

Sathanas per quod temporis ſpatium ligatus dicitur 547. quando ſolvetur *ibid.*

Satisfactio propriè dicta, tria complectitur, & quæ 383. eadem importat ſatisfactio, quam Chriſtus æterno Patri exhibuit *ibid.* quam pro nobis Chriſtus exhibuit, fuit ad alterum, & quomodo 399. fuit ex ſtricta, perfecta, & rigoroſa juſtitia *ibid.* & 400. *V. Chriſtus, & Meritum.*

Satisfactiones, quas à nobis exigit Eccleſia, injurioſas eſſe ſatisfactioni Chriſti impiè blaterant, qui refelluntur, hæretici 403.

Satisfactionis ab hominibus profectæ valor pertingere nullatenus poteſt ad gravitatem injuriæ Deo per peccatum illatæ 394. Chriſti dignitas infinita 400. non potuit Deus eam repudiare *ibid.* nec acceptavit ex mera gratia *ibid.*

Satisfactionem plenam, & rigoroſam, quam Chriſtus pro peccatis noſtris exhibuit, cohærere non poſſe cum bonitate Dei, miſericorditer nobis condonantis peccata, Socinianum dogma eſt, quod reprobatur 393.

Satisfieri Deo nunquam pro peccatis hominum potuiſſet, niſi Filius Dei pretium noſtræ redemptionis Deo Patri exhibuiſſet 384.

Scaligeri lapſus chronologicus notatur 574.

Sceptrum, ſeu regia, & ſuprema poteſtas è tota Judæa gente ſublata tempore Herodis 140. in alienigenam per Romanos translatum *ibid.* in vaticinio Jacobi non de ſolo jure ad ſceptrum explicandum eſt 150.

Schelſtratus Emmanuel laudatur 118. & *alibi.*

Scheveth vox Hebraica, & ejus ſignificatio 142. non ſignificat virgam afflictionis, ſed virgam dignitatis, & ſignificat principatum, & regiam poteſtatem 142.

Scotus, & ejus ſchola de acceptatione Dei ex mera gratia ſatisfactionum Chriſti reprobatur 400. 401.

Scriptura ſacra vulgata declaratur à Concilio Tridentino Authentica, & præfertur cæteris, quæ id ætatis circumferebantur, Latinis verſionibus, non verò præpoſita originariis, ſeu primigeniis exemplaribus Hebraicis, & Græcis 59.

Scripturas ſacras ſummè venerati Hebræi 91. oracula divina nunquam adulterarunt *ibid.* genuinam lectionem ab omni corruptione ſervare immunem conati ſunt *ibid.* *V. Hebræi.*

Scripturæ ſacræ in emendatione Codices Hebraici Græcis præponēdi ſunt ex decreto Congregationis Bibliorum ſub Gregorio XIV. 93.

Sedecias ultimus Davidici ſanguinis Rex 149.

Sejanus de ſuſcipienda Religione Chriſtiana obſtinatè contradixit Tiberio 308. mortuus anno trigeſimo primo æræ vulgaris *ibid.*

Semipelagianorum hæreſis eſt, Chriſtum promiſcuè, indifferenter, ex æquo, & eodem planè ſenſu, & modo tam pro reprobis, quàm pro electis mortuum fuiſſe 319. & ſalutem prædeſtinatorum ex ſola humana voluntate pendere *ibid.*

Sepeliendi cadavera ritus diverſi enumerantur 462. 463.

Mmmm 2 Se-

Sepulcrum Chriſti. *V. Chriſti*.
Sepulturæ Iudaicæ ritus 463. 464. *V. Chriſtus*.
Servilia opera. *V. Opera*.
Siloh, Hebræa vox, Meſſiam ſignificat 138. 141. *& ſeq.*
Simeon, Sanctus ille ſenex, qui Chriſtum infantem ulnis ſuis excepit, non fuit Sacerdos, ſed laicus 198. non fuit cæcus *ibid.*
Simon Cyrenæus incertum eſt, an Gentilis, Iudæusve fuerit 424.
Sinarum gentem per plurima ſæcula ante Chriſtum natum, puram, & integram conſervaſſe unius, & veri Dei cognitionem, eidemque ſacrificaſſe; multos item tunc apud eos fuiſſe fideles vera ſanctitate præditos, & miraculis claros falſa aſſertio eſt, & graviſſimis cenſuris à S. Facultate Pariſienſi damnata 355.
Sinenſium Imperii exordia 112.
Sinus Abrahæ idem, ac lymbus 478.
Sirmondus falſi arguitur 351. 352.
Socini Fauſti duo referuntur, & impugnantur dogmata 382. 383. 385. *& ſeq.*
Solis eclypſis tempore mortis Chriſti 310. quo anno contigerit *ibid. &* 311. de ea errores Chronologorum aliquorum corriguntur *ibid.*
Solis maximum deliquium in Paſſione Chriſti 443. de eo vaticinium *ibid.* teſtimonia *ibid.* quo pacto idem acciderit *ibid. & ſeq.*
Solſtitia. *V. Æquinoctia*.
Sopherim liber Hebræorum, in quo tractatur de maximis, & minimis præceptis ad rectam ſacrorum librorum ſcriptionem 92.
Spanhemius laudatur 129.
Spelunca Bethleemitica ubi nam ſita 154. in ea natus eſt Chriſtus *ibid.*
Spenceri falſum commentum de Circumciſione, ex Æthyopum, & Colchorum moribus in Judæos derivata 193. item de aliis ritibus in Hebræos ex Gentilibus traductis *ibid.*
Spiritus Sanctus deſcendit in Chriſtum baptizatum ſub ſpecie Columbæ 221. 222. & cur ſub ſigno ſenſibili 224.
Sponſalia, in quo diſcrepent à matrimonio rato 16.
Stella non fuit ſignum naſcituri, ſed Chriſti jam nati 155. non itaque apparuit biennio ante *ibid.* fuit à Deo de novo creata 178.
Stola alba beatitudinem ſignificat 528.
Sudarium, quo Chriſti Domini defuncti facies cooperta 464. an unum, aut plures *ibid.*
Suetonius emendatus 157.
Suprema, ex ordinatione communis Providentiæ Divinæ, non immediatè, ſed tantùm mediatè proveniunt 259.
Sybilla nulla ſuperſtes erat tempore Auguſti 170.
Syndon, quo Chriſti mortui corpus involutum 464.
Synedrii decreto omnes Iudæi parêre tenebantur 415. etiam ſi in errorem incideret *ibid. &* 416. 417.
Synedrium Judæis advocare non licuit, ex quo, nato Chriſto, ſupremam judiciariam poteſtatem, ſub jugum Romanorum miſſi, amiſerunt 146. incertum an perſeveraverit uſque ad Herodem 149. nequaquam conflatum ex viris ſelectis ex ſola tribu Judę, ſed ex omnibus Tribubus 149. penes illud non fuit ſuprema poteſtas, ſed penes Reges, & Pontifices 150.
Synodus Moguntina contra Gotteſchalcum 352.

T

Tacitus falſi convictus, ubi ritus Iudæorum non à Deo, ſed à Moſe inſtitutos affirmat 189. prodigioſa de Iudæis cômenta fingit *ibid.* in hiſtoria Iudæorum peregrinus, & hoſpes *ibid.*
Tatianus hæreticus blaſphemavit Chriſtum natum non eſſe ex David ſecundùm carnem 51.

Tem-

Templariorum Ordinis inſtitutio 474.
Templum Jeroſolymorum funditus dirutum ſub Tito 140. per Titum ſolo æquatum 162. non potuit per Julianum Apoſtaram inſtaurari, portentis exterritum 163. quoto anno mundi cœptum 592.
Templum Pacis Romæ ipſâ nocte Nativitatis Chriſti ſubitò corruiſſe merum eſſe figmentum oſtenditur 169.
Tempus Meſſiæ. *V. Meſſia*.
Tenebræ in morte Chriſti 316.
Tentatio Chriſti in deſerto. *V. Chriſtus, & Diabolus*.
Tentationi diaboli quilibet homo obnoxius 236. & 237. maximè vir ſolitarius *ibid. V. Diabolus*.
Tertullianus redargutus, quod dixerit Joſeph cognoviſſe Mariam poſt partum 28. quando ſcripſit librum de Monogamia, jam à fide Catholica deſciverat *ibid.*
Teſtamẽtum novum ab Hieronymo juſſu Damaſi Pont. Græcæ fidei redditum 75.
Teſtes Transfigurationis Chriſti, tres è Cœlo, tres etiam de terra 288. *V. Elias, Moyſes, Pater æternus, Petrus, Joannes, Jacobus*.
Theodotion, & Aquila Iudæi Proſelyti de induſtriâ in ſuis verſionibus quamplurima ſacræ Scripturæ loca, quæ Chriſtianæ Religioni favebant, immutarunt, mutilarunt, interpolarunt 21.
S.Thomas in Summâ quæſtiones, quæ ad criticam diſciplinam, & ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam pertinent, diſcutiendas non ſuſcepit 180.
Thomiſtæ quam notionem exhibeant gratiæ ſufficientis 320. *& ſeqq.* in quo differant à Moliniſtis *ibid.*
Thomiſtarum, & Moliniſtarum ſententia de Auxiliis coram Sede Apoſtolicâ acerrimè diſcuſſa 323.
Thomiſticam doctrinam à Janſeniſmi labe qui vindicarint 331.
Tiberii imperii duplex epocha; aliud imperium ejus, quod dicitur Auguſtæum: aliud, quod nuncupatur Proconſulare 200. utriusque differens initium *ibid. & ſeqq.* ex hac duplici epocha Baptiſmi Chriſti annus optimè educitur 203. mors 305. ab Auguſto factus conſors Imperii 208. *& ſeqq.* Chriſtum divinis honoribus afficere voluit 273.
Timor ſanctus eſt totius pietatis, & humilitatis Chriſtianæ fundamentum, ſinceræ pœnitentiæ fructus, bonorum operum, ac virtutum exercitium 363. excuſſus penitùs ab hæreticis 364.
Tisri primus menſis anni civilis hebraici circa Autumnum 405.
Trajani Imperatoris Pagani, & in iuſidelitate, & impietate ſua mortui, precibus S. Gregorii ex inferis liberati, narratio fabuloſa 482. 483. Chriſtianorum fuit acerrimus perſecutor *ibid.* de eadem narratione S. Thomas expoſitus, & illuſtratus 484.
Transfigurationis Chriſti teſtes convenientiſſimi Moſes, & Elias: Petrus, Ioannes, & Iacobus 287. exponuntur rationes hujuſcemodi convenientiæ *ibid. &* 288. *V. Teſtes*.
Transfiguratio Chriſti. *V. Chriſti*.
Tranſubſtantiatio Panis in Corpus, & Vini in Sanguinẽ Chriſti, probat Chriſti Corpus poſt reſurrectionẽ non remanſiſſe exangue 495. de ea perpetua Eccleſiæ doctrina, & conſenſus *ibid.*
Tres Soles viſos, qui paulatim in eumdẽ Orbem coiverint, tempore Nativitatis Chriſti, commentitium eſt 171.
Tributum, & familiarum apud Iudæos diſtinctio accuratè adhuc ſervata tempore Herodis 150.
Trinitas ſacra tota concurrit individuâ operatione ad opus Conceptionis Chriſti 49.
Triſtitia nullo modo ſtare poteſt, & cohærere cum vera, & perfecta beatitudine 438.
Turris Babylonica 585.

Vari-

Sepulcrum Chriſti. *V. Chriſti*.
Sepulturæ Iudaicæ ritus 463. 464. *V. Chriſtus*.
Servilia opera. *V. Opera*.
Siloh, Hebræa vox, Meſſiam ſignificat 138. 141. *& ſeq.*
Simeon, Sanctus ille ſenex, qui Chriſtum infantem ulnis ſuis excepit, non fuit Sacerdos, ſed laicus 198. non fuit cæcus *ibid.*
Simon Cyrenæus incertum eſt, an Gentilis, Iudæusve fuerit 424.
Sinarum gentem per plurima ſæcula ante Chriſtum natum, puram, & integram conſervaſſe unius, & veri Dei cognitionem, eidemque ſacrificaſſe; multos item tunc apud eos fuiſſe fideles vera ſanctitate præditos, & miraculis claros falſa aſſertio eſt, & graviſſimis cenſuris à S. Facultate Pariſienſi damnata 355.
Sinenſium Imperii exordia 112.
Sinus Abrahæ idem, ac lymbus 478.
Sirmondus falſi arguitur 351. 352.
Socini Fauſti duo referuntur, & impugnantur dogmata 382. 383. 385. *& ſeq.*
Solis eclypſis tempore mortis Chriſti 310. quo anno contigerit *ibid. &* 311. de ea errores Chronologorum aliquorum corriguntur *ibid.*
Solis maximum deliquium in Paſſione Chriſti 443. de eo vaticinium *ibid.* teſtimonia *ibid.* quo pacto idem acciderit *ibid. & ſeq.*
Solſtitia. *V. Æquinoctia*.
Sopherim liber Hebræorum, in quo tractatur de maximis, & minimis præceptis ad rectam ſacrorum librorum ſcriptionem 92.
Spanhemius laudatur 129.
Spelunca Bethleemitica ubi nam ſita 154. in ea natus eſt Chriſtus *ibid.*
Spenceri falſum commentum de Circumciſione, ex Æthyopum, & Colchorum moribus in Judæos derivata 193. item de aliis ritibus in Hebræos ex Gentilibus traductis *ibid.*
Spiritus Sanctus deſcendit in Chriſtum baptizatum ſub ſpecie Columbæ 221. 222. & cur ſub ſigno ſenſibili 224.
Sponſalia, in quo diſcrepent à matrimonio rato 16.
Stella non fuit ſignum naſcituri, ſed Chriſti jam nati 155. non itaque apparuit biennio ante *ibid.* fuit à Deo de novo creata 178.
Stola alba beatitudinem ſignificat 528.
Sudarium, quo Chriſti Domini defuncti facies cooperta 464. an unum, aut plures *ibid.*
Suetonius emendatus 157.
Suprema, ex ordinatione communis Providentiæ Divinæ, non immediatè, ſed tantùm mediatè proveniunt 259.
Sybilla nulla ſuperſtes erat tempore Auguſti 170.
Syndon, quo Chriſti mortui corpus involutum 464.
Synedrii decreto omnes Iudæi parêre tenebantur 415. etiam ſi in errorem incideret *ibid. &* 416. 417.
Synedrium Judæis advocare non licuit, ex quo, nato Chriſto, ſupremam judiciariam poteſtatem, ſub jugum Romanorum miſſi, amiſerunt 146. incertum an perſeveraverit uſque ad Herodem 149. nequaquam conflatum ex viris ſelectis ex ſola tribu Judę, ſed ex omnibus Tribubus 149. penes illud non fuit ſuprema poteſtas, ſed penes Reges, & Pontifices 150.
Synodus Moguntina contra Gotteſchalcum 352.

T

TAcitus falſi convictus, ubi ritus Iudæorum non à Deo, ſed à Moſe inſtitutos affirmat 189. prodigioſa de Iudæis cómenta fingit *ibid.* in hiſtoria Iudæorum peregrinus, & hoſpes *ibid.*
Tatianus hæreticus blaſphemavit Chriſtum natum non eſſe ex David ſecundùm carnem 51.

Digitized by Google

Templariorum Ordinis inſtitutio 474.
Templum Jeroſolymorum funditus dirutum ſub Tito 140. per Titum ſolo æquatum 162. non potuit per Julianum Apoſtatam inſtaurari, portentis exterritum 163. quoto anno mundi cœptum 592.
Templum Pacis Romæ ipsâ nocte Nativitatis Chriſti ſubitò corruiſſe merum eſſe figmentum oſtenditur 169.
Tempus Meſſiæ. *V. Meſſia*.
Tenebræ in morte Chriſti 316.
Tentatio Chriſti in deſerto. *V. Chriſtus, & Diabolus*.
Tentationi diaboli quilibet homo obnoxius 236. & 237. maximè vir ſolitarius *ibid. V. Diabolus*.
Tertullianus redargutus, quod dixerit Joſeph cognoviſſe Mariam poſt partum 28. quando ſcripſit librum de Monogamia, jam à fide Catholica deſciverat *ibid.*
Teſtamētum novum ab Hieronymo juſſu Damaſi Pont. Græcæ fidei redditum 75.
Teſtes Transfigurationis Chriſti, tres è Cœlo, tres etiam de terra 288. *V. Elias, Moyſes, Pater æternus, Petrus, Joannes, Jacobus*.
Theodotion, & Aquila Judæi Proſelyti de induſtriâ in ſuis verſionibus quamplurima ſacræ Scripturæ loca, quæ Chriſtianæ Religioni favebant, immutarunt, mutilarunt, interpolarunt 21.
S.Thomas in Summâ quæſtiones, quæ ad criticam diſciplinam, & ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam pertinent, diſcutiendas non ſuſcepit 180.
Thomiſtæ quam notionem exhibeant gratiæ ſufficientis 320. *& ſeqq.* in quo differant à Moliniſtis *ibid.*
Thomiſtarum, & Moliniſtarum ſententia de Auxiliis coram Sede Apoſtolicâ acerrimè diſcuſſa 323.
Thomiſticam doctrinam à Janſeniſmi labe qui vindicarint 331.
Tiberii imperii duplex epocha; aliud imperium ejus, quod dicitur Auguſtæum: aliud, quod nuncupatur Proconſulare 200. utriusque differens initium *ibid. & ſeqq.* ex hac duplici epocha Baptiſmi Chriſti annus optimè educitur 203. mors 305. ab Auguſto factus conſors Imperii 208. *& ſeqq.* Chriſtum divinis honoribus afficere voluit 273.
Timor ſanctus eſt totius pietatis, & humilitatis Chriſtianæ fundamentum, ſinceræ pœnitentiæ fructus, bonorum operum, ac virtutum exercitium 363. excuſſus penitùs ab hæreticis 364.
Tisri primus menſis anni civilis hebraici circa Autumnum 405.
Trajani Imperatoris Pagani, & in infidelitate, & impietate ſua mortui, precibus S. Gregorii ex inferis liberati, narratio fabuloſa 482.483. Chriſtianorum fuit acerrimus perſecutor *ibid.* de eadem narratione S. Thomas expoſitus, & illuſtratus 484.
Transfigurationis Chriſti teſtes convenientiſſimi Moſes, & Elias: Petrus, Joannes, & Jacobus 287. exponuntur rationes hujuſcemodi convenientiæ *ibid. &* 288. *V. Teſtes*.
Transfiguratio Chriſti. *V. Chriſti*.
Tranſubſtātiatio Panis in Corpus, & Vini in Sanguinē Chriſti, probat Chriſti Corpus poſt reſurrectionē non remanſiſſe exangue 495. de ea perpetua Eccleſiæ doctrina, & conſenſus *ibid.*
Tres Soles viſos, qui paulatim in eumdē Orbem coiverint, tempore Nativitatis Chriſti, commentitium eſt 171.
Tribuum, & familiarum apud Judæos diſtinctio accuratè adhuc ſervata tempore Herodis 150.
Trinitas ſacra tota concurrit individuâ operatione ad opus Conceptionis Chriſti 49.
Triſtitia nullo modo ſtare poteſt, & cohærere cum vera, & perfecta beatitudine 438.
Turris Babylonica 585.

Vari-

INDEX MATERIARUM.

V

VAticinium. *V. Jacobi*.
Vaticinium Michææ in Chriſto impletum 165. *& ſeq.*
Verbum Divinum non veram, ſed phantaſticam,& apparentem ſumpſiſſe carnem, vel eam è Cœlo detuliſſe; nec ipſum ex Maria fuiſſe genitum, ſed in opinione dumtaxat apparuiſſe, atque virgineo utero, tanquam canali, uſum eſſe, hæreſis fuit Manichæorum, Cerdonianorum, Marcionitarum,Valentinianorum, & Appellitarum 45. 46.
Verbum in Chriſto vices animæ ſuppleſſe Arianorum error fuit 441. nequaquam loco animæ fuiſſe, quibus momentis contra Apollinariſtas, & Eunomianos evincatur 467. quo ſenſu dici poſſit à carne Chriſti mortua diſceſſiſſe 468. 469.
Veris initium unde ſumptum apud Hebræos 405.
Veſpaſianus nulla perpetravit miracula 282.
Veſpera apud Matthæum non deſignat finem mundi, ſed extremam vitæ cujuslibet periodum 528. quo tempore fit privatum judicium *ibid.*
Vicennales. *V. Quinquennalium*.
Vir, & conjux non important ſponſalia de futuro, ſed matrimonium jam contractum 13. *& ſeqq.*
Virginis partus non ſtatuitur ab Iſaia, tanquam ſignum proximæ liberationis à duobus Regibus, qui Iudæam infeſtabant, ſed velut ſignum conſervationis familiæ David 27.
Virginis apparitio, quam puerum in gremio geſtantem Sybilla Imperatori Auguſto in aere oſtenderit, commentitia eſt 170.
Virgo, quæ apud Hebræos in domo patris fornicabatur, lapidibus obruebatur; & ſi Sacerdotis filia eſſet, flammis abſumebatur 8.
Virtus mentis. *V. Mentis*.
Virtutes perfectæ apud infideles reperiri non poſſunt 354.
Virtutum omnium clariſſima exempla habemus in Paſſione Chriſti 402.
Viſio beatifica. *V. Joannes XXII.*
Unigeniti in Scriptura ſacra interdum vocantur primogeniti 29.
Voluntas Dei antecedens, & conſequens. *V. Dei*.
Voluntatum contrarietas, & repugnantia intelligitur, quando ea eſt circa eandem voluntatem 437. non fuit in Chriſto *ibid.*
Voluntates duas, ac duas operationes eſſe in Chriſto Catholicum dogma eſt 36. contra Monothelitas, Chriſto humanam voluntatem, & operationem abjudicantes *ibid.*
Vox *Omnis* in Scriptura ſacra ſæpius non ſingulos, ſed plurimos ſignificat 167.
Uriam virum Berſabææ, minimè conſtat fuiſſe Sacerdotem 55. non habuit filium Nathan, qui fuit Davidis *ibid.*
Uterus pregnans mulieris poſt tres menſes tumens apparet 9.

Z

ZOrobabel. *V. Salathiel*.

FINIS.

Digitized by Google

Menda, quæ irrepſerunt in editionem iſtius Operis.

Pag.	*Lin.*		*Lege*
51	13	aperto morte	aperto marre
52	14	benedicenrur in ſemine ſuo	benedicentur in ſemine tuo
91	*ad fin.*	ſegimentum legis	ſepimenrum legis
94	*ſub fin.*	in hexaphis Origenis	in hexaplis Origenis
96	14	Rabbinum Akicah	Rabbinum Akibah
136	27	conſulit	conſuluit
162	5	folio	ſolo
163	*ult.*	poſt obitum Chriſti	poſt ortum Chriſti
177	9	reperiiſſe	reperiſſe
185	10	paulò anre ejus obitum	paulò ante ſuum obitum
212	23. & 26.	Agrippæ	Germanico
253	20	ſubjungant	ſubjugant
254	27	Scripturarom	Scripturarum
277	29	ſuut	ſunt
287	32	Transfiguraione	Transfiguratione
293	15	Meſſiam ſpectantium	expectantium
451	24	Crucis Chriſti	Cruci Chriſti
479	*penult.*	definierint	definierint
566	8	in cæteris anni	in cæteris annis

Aliorum, quæ irrepſerunt, neque notatā ſunt, erratorum veniam det benevolus Lector.

ROMÆ,

Apud Franciſcum Gonzagam MDCCXI. in Viâ Latâ.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

7

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

45955

Digitized by Google

Digitized by Google